MONUMENTA HISTORICA

POLONIAE.

VETERA MONUMENTA

POLONIAE ET LITHUANIAE

GENTIUMQUE FINITIMARUM

HISTORIAM ILLUSTRANTIA

MAXIMAM PARTEM NONDUM EDITA EX TABULARIIS VATICANIS

DEPROMPTA COLLECTA AC SERIE CHRONOLOGICA DISPOSITA

AB

AUGUSTINO THEINER

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII, CONSULTORE SS. CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM, EPISCOPORUM ET REGULARIUM AC SANCTI OFFICII, SOCIO COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE ET ACADEMIAE HERCULANENSIS, INSTITUTORUM BELGICI ET HUNGARICI, TABULARIORUM VATICANORUM PRAEFECTO ETC. ETC.

TOMUS SECUNDUS

AB IOANNE PP. XXIII. USQUE AD PIUM PP. V.

1410—1572.

ROMAE

TYPIS VATICANIS

1861.

ARGUMENTA.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

EPISTOLAE PII PP. II.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

EPISTOLAE IULII PP. II.

EPISTOLAE LEONIS PP. X.

EPISTOLA HADRIANI PP. VI.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

1525. 8. Iunii Idem pontifici se Paulum Centurionem eius nuntium ad Moscorum ducem missum perhumane excepisse significat. Nr. 456. pag. 430.
— 12. „ Rex Poloniae edocet pontificem se ob Moscorum dubiam fidem cum Turcis inducias fecisse. Nr. 457. p. 430.
— 28. „ Episcopus Vratislaviensis pontifici de progressu Lutheranorum, deque eorum saevitia in catholicos suae provinciae scribit. Nr. 458. pag. 431.
— 20. Iulii Regi Poloniae pontifex de eius induciis cum Turcis factis, deque rebus cum magistro Prussiae compositis. Nr. 459. pag. 432.
— 18. Nov. Duci Moscorum pontifex de oratore sibi misso gratulatur, nuntiatque nuntium vicissim ad eum mittere, qui de foedere contra Turcas ineundo agat. Nr. 460. pag. 433.
— 18. „ Regi Poloniae pontifex episcopum Scarensem ad Moscorum ducem missum commendat. Nr. 461. p. 433.
— 19. „ Episcopo Scarensi, ut in perficienda legatione ad Moscorum ducem consilio regis Poloniae utatur. N. 462. p. 434.
— 14. Dec. Rex Hungariae Iacobo Sadoleto Felicem Lisyczki canonicum Cracoviensem commendat. Nr. 463. p. 435.
— ... „ Orator regis Poloniae regem Hungariae de animo Turcarum etc. edocet. Nr. 464. pag. 435.
(2524) 25. „ Rex Poloniae mercatoribus Romanis in eorum rebus favere pontifici promittit, commendatque Ioannem Zamboczki poenitentiarum in Urbe. Nr. 465. pag. 436.
(1524) 26. „ Rex Poloniae pontifici Georgium Mischkowski nuntium archiepiscopi Gnesnensis commendat. Nr. 466. p. 437.
1526. 10. Ian. Nicolaus Fabri nuntius pontificius Iacobum Sadoletum episcopum Carpentoractensem de rebus Poloniae edocet. Nr. 467. pag. 437.
— 29. „ Rex Poloniae pontifici Nicolaum Fabri eius nuntium quaedam negotia secum tractasse significat. N. 468. p. 438.
— 29. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum religiosis in Lutheranismum lapsis et ad eor reversis dispensare possit. Nr. 469. pag. 438.
— 29. „ Archiepiscopo Gnesnensi facultas promovendi ad sacros ordines clericos quovis die dominico etc. conceditur. Nr. 470. pag. 439.
— 15. Febr. Episcopus Scarensis Iacobum Sadoletum episcopum Carpentoractensem pontifici a secretis de rebus Poloniae, Prussiae etc. edocet. Nr. 471. pag. 439.
— 17. Mart. Visitantibus et adiuvantibus ecclesiam in Crasznysthau Chelmensis dioec. iubilaeus conceditur. Nr. 472. p. 440.
— 29. „ Albertus quondam hospitalis B. Mariae Teutonicorum magister archiepiscopum Strigoniensem de matrimonio, quod cum Dorothea natu maiore regis Daciae inivit, certiorem reddit. Nr. 473. pag. 441.
— 10. Apr. Instructio data a rege Poloniae episcopo Scarensi pro bene perficienda legatione sua in Moscovia, cum extra dioecesim suam commorari opporteret. Nr. 474. pag. 441.
— 11. „ De regis Poloniae responso circa Moscovitarum negotium, deque magistro olim Prussiae etc. N. 475. p. 442.
— 31. Maii Regi Poloniae declaratio super Leonis X. privilegio de conferendis beneficiis datur. Nr. 476. pag. 444.
— 2. Sept. Rex Poloniae pontificem exorat, ut constitutionem Leonis X. de decimis novalibus a plebanis ecclesiarum episcopis solvendis in suo vigore conservet. Nr. 477. pag. 446.
— 9. „ Rex Poloniae pontifici, ut archiepiscopo Rigensi fidem adhibeat. Nr. 478. pag. 446.
1527. 16. Ian. Iubilaeus visitantibus ecclesiam parochialem in Zarady et sanctae Dorotheae Posnaniensis dioecesis conceditur. Nr. 479. pag. 446.
— 2. Febr. Episcopo Premisliensi conceditur, ut canonicatum et praebendam et praeposituram Cracovienses, quoad vixerit, retinere possit. Nr. 480. pag. 448.
— 2. „ Fratribus et sororibus ord. S. Dominici in Polonia conceditur, ut officium etc. B. Iacinthi singulis annis celebrare possint. Nr. 481. pag. 448.
— 29. Apr. Andreas episcopus a Premisliensi ad Plocensem ecclesiam transfertur. Nr. 482. pag. 449.
— 29. „ Ioannes Carnkowski ecclesiae Premisliensi in episcopum praeficitur. Nr. 483. pag. 451.
— 29. „ Sigismundo Poloniae regi, ut Ioannem Carnkowski electum Premisliensem commendatum habeat. N. 484. pag. 462.
— 29. „ Ioanni electo Premisliensi indulgetur, ut quaedam beneficia retinere possit. Nr. 485. pag. 452.
— 5. Iulii Eidem Ioanni electo Premisliensi bulla confirmationis renovatur et mittitur. Nr. 486. pag. 453.
— 5. „ Andreae episcopo Premisliensi bulla suae translationis ad ecclesiam Plocensem renovatur. N. 487. p. 454.
— 3. Nov. Rex Poloniae durum Romanae urbis casum et pontificis captivitatem dolet. Nr. 488. pag. 454.
1528. 1. Ian. Rex Poloniae a pontifice petit, ut beneficia quaedam reservata archiepiscopus Gnesnensis et episcopus Posnaniensis conferre possint. Nr. 489. pag. 455.
— 24. „ Rex Poloniae pontificem de misera ecclesiae Svecanae conditione edocet, exorans, ut archiepiscopum Upsalensem electum confirmare velit. Nr. 491. pag. 456.
— 28. „ Episcopi Poloniae pontici de calamitosae Svecanae ecclesiae statu scribunt, exorantes, ut electi huius ecclesiae pastores quam primum a sancta sede confirmentur. Nr. 490. pag. 455.
— 6. Febr. Rex Poloniae orat pontificem, ut episcopis sui regni menses ordinarios ad conferenda beneficia confirmare velit. Nr. 492. pag. 457.
— 1. Aug. Rex Poloniae petit a pontifice, ut palatino Vilnensi in fundandis et dotandis ecclesiis favere, ac episcopum Camenecensem commendatum habere velit. Nr. 493. pag. 457.
— 1. „ Rex Poloniae pontificem exorat, ut concordiam inter fratres Minores Poloniae et Lithuaniae factam etc. approbet. Nr. 494. pag. 458.
— 4. Sept. Rex Poloniae a pontifice petit, ut Georgio Thaliati duas dignitates ecclesiasticas, quas Vilnensis et Mednicensis episcopi ipsi contulerant, confirmare velit. Nr. 495. pag. 459.
— 7. Oct. Rex Poloniae pontifici, ut decanum Plocensem in possessione decanatus manutenere velit. Nr. 496. p. 459.
— 28. Nov. Rex Poloniae pontifici quosdam notarios per auditorem camerae condemnatos commendat. Nr. 497. p. 459.

EPISTOLAE PAULI PP. III.

1545. 23. Dec. Rex Poloniae cardinali Farnesio, efficiat apud pontificem, ut Sigismundo Sobek canonicatus et praebenda, quos Stanislaus Hosius obtinebat, conferantur. Nr. 620. pag. 552.

1546. 21. Febr. Idem card. Farnesio negotium poenitentiarii regni in Romana curia constituti commendat. Nr. 621. pag. 553.

— 29. Mart. Idem pontifici, ut archidiaconum Vilnensem contra molestias cuiusdam canonici protegat. Nr. 622. pag. 553.

— 16. Maii Idem pontifici grates reddit de suo oratore perhumaniter excepto, promittit legatos suos quam primum ad concilium oecumenicum Tridenti iam inchoatum mittere, petitque, ut Achilles Maffei advocatus regni Poloniae designetur. Nr. 623. pag. 554.

— 24. Aug. Idem pontifici, ut Andream Noskomiski nominatum episcopum Plocensem confirmet. Nr. 624. pag. 555.

— 22. Dec. Regina Poloniae cardinali Farnesio, ut episcopus Plocensis ab solvendis annatis in Romana curia eximatur. Nr. 625. pag. 555.

1547. 18. Ian. Eadem card. Farnesio Andream Schpoth de Crayow abbatem Claraetumbae commendat. Nr. 626. pag. 556.

— 31. Mart. Eadem card. Farnesio per Bernardinum Maffei causam Bartholomaei Gontcowski archidiaconi Cracoviensis commendat. Nr. 627. pag. 556.

— 18. Apr. Rex Poloniae card. Farnesio Albertum Starozrzepski canonicum Gnesnensem commendat. N. 628. p. 557.

— 4. Aug. Regina Poloniae cardinali Farnesio Stanislaum Vaposki commendat. Nr. 629. pag. 557.

— 20. Oct. Archiepiscopus Gnesnensis card. Farnesium exorat, ut episcopos Poloniae apud pontificem de non mittendo nuntios ad concilium oecumenicum Tridento Bononiam translatum excusare velit. Nr. 630. pag. 558.

1548. 26. Febr. Marchalcus regni Poloniae card. Farnesium supplex adit, efficiat apud summum pontificem, ut matrimonium contractum inter quemdam Malchiarem et Annam ratum habeatur. Nr. 631. pag. 558.

— 11. Mart. Regina Poloniae orat pontificem, ut archiepiscopum Nicosiensem purpura condecorare velit. N. 632. p. 559.

— 14. Iunii Rex Poloniae card. Farnesio Martinum Cromerum oratorem suum commendat. Nr. 633. pag. 560.

— 27. „ Regina Poloniae card. Farnesio negotium archidiaconi Cracoviensis commendat. Nr. 634. pag. 560.

— 14. Aug. Rex Poloniae a summo pontifice exposcit dari coadiutorem archiepiscopo Leopoliensi. Nr. 635. pag. 560.

— 15. „ Idem pontifici Martinum Cromerum oratorem suum commendat. Nr. 636. pag. 561.

— 6. Sept. Idem card. Farnesio de litteris consolatoriis circa obitum parentis sui sibi missis gratias agit, spondetque demortui vestigiis se inhaerere velle. Nr. 637. pag. 561.

— 7. „ Idem Alexandro Sculteti canonico Varmiensi, qui Romae de suspitione haeresis se purgaverat, in Poloniam redire, salvo conductu ipsi concesso, permittit. Nr. 638. pag. 562.

— 17. „ Archiepiscopus Gnesnensis spondet cardinali Farnesio, se in omnibus praesto fore abbati Martinengo nuntio apostolico. Nr. 639. pag. 563.

— 22. „ Idem nuntius edocet pontificem, quae cum rege Poloniae de mittendis nuntiis ad concilium oecumenicum etc. egerit. Nr. 640. pag. 563.

— 24. „ Episcopus Cracoviensis cardinali Farnesio Martinengum nuntium apostolicum commendat. Nr. 641. p. 564.

1549. 15. Ian. Rex Poloniae apud pontificem archiepiscopum Gnesnensem mendaciter accusatum defendit. N. 642. p. 565.

— 18. Febr. Episcopus Premisliensis pontificem de calamitosa ecclesiae Polonicae conditione, et de necessitate continuandi concilium oecumenicum, quo tantis malis mederi possit, edocet. Nr. 643. pag. 566.

— 19. Nov. Episcopus Vladislaviensis card. Farnesio desiderium Romam adeundi ad lucrandas anni sancti indulgentias exprimit. Nr. 644. pag. 567.

EPISTOLAE IULII PP. III.

1550. 20. Mart. Regina Poloniae Iulio PP. III. de summo ecclesiae pontificatu adepto gratulatur. Nr. 645. pag. 568.

— 23. Iulii Regi Poloniae pontifex de oratore sibi misso et de studio avitam fidem instaurandi gratulatur. N. 647. p. 569.

— 25. „ Pontifex episcopum Culmensem inquisitorem etc. in dioecesi Pomesaniensi instituit. Nr. 646. pag. 568.

— 20. Sept. Orator regius in Poloniam redux card. Farnesio scribit, quae cum rege egerit, repetitque eiusdem desiderium episcopum Cracoviensem cardinalem renunciatum iri. Nr. 648. pag. 570.

— 20. Oct. Episcopo Posnaniensi conceditur, ut veluti senator regni in regni consiliis, in quibus de causis criminalibus agitur, interesse possit. Nr. 649. pag. 571.

— 20. „ Episcopo Posnaniensi, ut contra episcopum Enensem procedere, et omnes regulares etiam exemptos in sua dioecesi reformare possit. Nr. 651. pag. 572.

— 20. Dec. Pontifex regi Poloniae de obedientia sibi per oratorem suum praestita gratulatur. Nr. 650. pag. 571.

1552. 20. Febr. Regina Poloniae pontifici de sede Chelmensi Iacobo Uchanski collata grates agit. Nr. 652. pag. 573.

— 16. Aug. Rex Poloniae a pontifice petit, ut episcopus Plocensis in mensibus pontificiis beneficia conferre possit. Nr. 653. pag. 573.

1553. 4. Maii Ferdinandus rex Romanorum petit dispensationem, ut Catherinam filiam suam Sigismundo Augusto regi Poloniae desponsare possit. Nr. 654. pag. 574.

1554. 25. Maii Rex Poloniae pontificem exorat, ne permittat, ut sacerdotes in ecclesiis Poloniae et Prussiae sine suo consensu coadiutores sibi associent. Nr. 655. pag. 574.

1555. 13. Ian. Aloysius Lippomannus episcopus Veronensis nuntius apostolicus in Poloniam mittitur. Nr. 656. pag. 575.

EPISTOLAE PAULI PP. IV.

1555. 20. Maii Patres synodi provincialis Petricoviensis pontificem exorant, ut concilium oecumenicum Tridenti iam indictum quantocius perficiatur, solemniterque declarant, inconsulto Romano pontifice circa concilium nationale, non ita pridem a Romanorum rege ad religiosa dissidia sopienda propositum, se nihil acturos. Nr. 659. p. 577.

EPISTOLA PII PP. IV.

EPISTOLAE PII PP. V.

VETERA

POLONIAE ET LITHUANIAE

GENTIUMQUE FINITIMARUM

MONUMENTA HISTORICA.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

I.

Dominicus de Skizino praepositus S. Floriani Cracoviensis in familiarem pontificis recipitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Dominico Andree de Skizino Preposito ecclesie sancti Floriani prope muros Cracovienses, familiari nostro, salutem etc. Dum vite ac morum honestatem aliaque dona virtutum, quibus personam tuam fidedignorum testimoniis iuvari percipimus, necnon sincere devotionis affectum, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, diligenter attendimus, decens reputamus et congruum, ut te gratiosis preveniamus honoribus et favoribus apostolicis prosequamur. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te qui, ut asseritur, carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris vicecancellarius existis, in nostrum familiarem domesticum et continuum commensalem motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate tenore presentium exnunc gratiose recipimus, ac nostrorum familiarium, domesticorum et continuorum commensalium consortio favorabiliter aggregamus, Intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sortiaris, teque nichilominus motu simili omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, honoribus et graciis, quibus nostri familiares domestici et continui commensales gaudent seu quomodolibet potiuntur, uti volumus et etiam gaudere. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod ad faciendum tibi pleniorem gratiam arctius invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie VIII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Blasborio Dreslai Canonico Gneznensi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. V. fol. 164.

II.

Matzeo de Lamberto collectori in Polonia, ut nuntio apostolico in Polonia cc. florenos auri tradat.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Matzeo de Lambertho Archidiacono Wratislaviensi, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie ac nonnullis aliis partibus debitorum Collectori, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium Magistrum Antonium de Montechatino ad regna Boemie et Polonie, ac nonnullas alias partes pro nonnullis magnis et arduis nostris et eiusdem ecclesie negociis presentialiter dirigamus, Nos volentes eidem Anthonio pro subventione onerum et expensarum pro parte provisionis et subsidii ipsius providere, discretioni tue presentium tenore mandamus, quatenus eidem Anthonio vel eius Procuratori dare et solvere tenearis et debeas, si te requiret, summam ducentorum florenorum auri de Camera de quibuscumque Camere apostolice

pecuniis, que ad te pervenissent, seu pervenerint in futurum: Nos enim Anthonio et Procuratori prefatis, et eorum utrique in solidum te et solventes quoslibet de hiis, que presentium vigore soluta fuerint, quittandi, liberandi et absolvendi per hanc litteram concedimus facultatem, volentes quod de hiis, que presentium vigore soluta fuerint, duo confici debeant consimilia publica documenta, quorum unum penes solventes pro eorum cautela retento, et alterum ad prefatam Cameram quantocius transmittatur. Datum Rome xii. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 6.

III.

Fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum, ut nuntio apostolico obediant et pacem cum rege Poloniae habeant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et fratribus domus hospitalis B. Marie Theutonicorum tam in Pruscia quam aliis quibuscumque partibus constitutis, salutem etc. In curis officii pastoralis, cor nostrum vehementer urentibus, nichil cotidianam nobis magis reddit instanciam in solicitudine onerosam, quam ad illa posse actiones et opera pontificalis officii curiosa diligentia iugiter exhibere, quam deo animas lucrifacere, sedare turbines fluctuantes, ac discordiarum guerrarumque fremitus actusque pestiferos et malignos in pacis commutare dulcedinem, cunctisque fidelibus pacis pulcritudinem posse salubriter exhibere. Sencientes itaque, quod cum maxima mentis amaritudine recensemus, ex discordia, quam hostis humani generis zizanie seminator ac pacis emulus inter carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie Illustrem, ac dilectos filios Magistrum et fratres domus hospitalis vestri et adherentes, complices et sequaces exicialiter suscitavit, maxima non solum illarum partium, sed aliarum circumadiacentium christianam religionem sectantibus et cultui catholice fidei posse, ac inextimabilia discrimina eciam animarum pericula cunctis lugenda fidelibus provenire, ad sedandos motus hos pestiferos et malignos secum tracturos, nisi divine bonitatis clemencia se mediatricem exhibeat, innumeram christianorum multitudinem in interitum et ruinam, Venerabilem fratrem Brandam Episcopum Placentinum, referendarium et nuncium nostrum, ad partes illas et nonnullas alias decrevimus destinandum, et quoniam ad ea, que pacis sint, omnis nostra paternalis descedat intencio, et cupiamus ab intimis precordiis huiusmodi discordiarum fomenta, et emersura exinde discrimina animarumque pericula protinus tolli de medio, et cuncta in pacis pulchritudine commutari, Universitatem vestram et vestrum singulos paternis affectibus requirimus et hortamur in domino, eidem nichilominus per apostolica scripta presentium tenore mandantes, quatenus prefato Episcopo, referendario ac nuncio nostro, in omnibus et singulis, que universitati vestre aut vestrum alicui circa premissa et alia effectum huiusmodi salutaris concordie concernentia quovismodo, et fidem in explicandis nostra parte credencie ac plenam obedienciam in hiis, que mandaverit, velitis et debeatis impendere, ut finis tantis instantibus et futuris cladibus, Rege Regum superillustrante divinitus, et iuxta nostri cordis desiderium, ac pro communi bono illarum et circumadiacentium parcium feliciter imponatur, ut exinde ultra sempiterne vite premia, que pacem amantibus illamque corde et ope sectantibus merito sunt parata, nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam possitis effectualiter promereri. Datum in Castro S. Petri Bononiensis dioc. v. Kal. Septemb. Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 86.

IV.

Abbati S. Vincentii prope Vratislaviam, ut subcapitaneum magistri civium, consules etc. civitatis Vratislaviensis a sententia excommunicationis, quam propter captionem episcopi Vladislaviensis incurrerint, absolvat.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Vincentii extra muros Wratislavienses, salutem etc. Sedes apostolica pia mater etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Subcapitanii Magistri civium, Consulum, Scabinorum et Iuratorum, necnon Communis civitatis Wratislaviensis peticio continebat, quod nuper ipsi ex iussu et mandato carissimi in Christo filii nostri Wenceslai Romanorum ac Boemie Regis Illustris, cui ipsa civitas in temporalibus immediate subesse dinoscitur, Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Wladislaviensem in eadem civitate repertum arrestaverunt, et etiam non tamen modo captivi, sed alias cum omni, qua decet, reverentia et plenaria necessariorum administratione detinuerunt, quodque propterea Venerabilis frater noster Wenceslaus Episcopus Wratislaviensis ipsam civitatem et diocesim Wratislaviensem ecclesiastico suppositas interdicto, ac omnes et singulos cives Wratislavienses excommunicationis sententia innodatos declara-

verit, ac civitatem et diocesim huiusmodi interdicto suppositas, et cives huiusmodi excommunicatos fecit et mandavit publice nuntiari. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predicti Subcapitaneus Magistri civium, Consules, Scabini, Iurati et Communis de premissis intime dolentes ad hoc continue, ut idem Iohannes Episcopus liberaretur et dimitteretur, exhibuerunt et dederunt opem et operam, prout adhuc, donec liberetur et dimittatur, si nondum liberatus et dimissus sit, exhibere sunt parati, pro parte ipsorum Subcapitanei Magistri civium, Consulum, Scabinorum, Iuratorum et Communis, qui, sicut asserunt, ad ecclesie cupiunt redire unitatem, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsos et eorum quemlibet, ac etiam familiares ipsorum, nec non alios et singulos de dicta civitate, quibus expedit vel qui indigent, ab huiusmodi excommunicationis et aliis penis et sentenciis, quas propter premissa meruerunt, absolvere, ac alias ipsis et eorum statui super hiis providere, et huiusmodi interdictum relaxare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua in hiis et aliis gerimus fiduciam in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus postquam tibi constiterit prefatum Iohannem Episcopum a predictis arrestatione et detentione relaxatum et libere dimissum, eosdem Subcapitaneum Magistri civium, Consules, Scabinos, Iuratos et Commune, nec non familiares eorum, omnesque alios et singulos de dicta civitate, si hoc humiliter petierint, ab huiusmodi sentenciis et penis, quas propter premissa incurrerunt, ut prefertur, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniuncta eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ac ipsos ad statum et honorem pristinos restituas, ac si premissa minime commisissent, et nichilominus huiusmodi interdictum eadem auctoritate relaxes. Datum Bononie viii. Kal. Martii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 159.

V.

Nuntio apostolico, ut discordiam inter regem Poloniae et fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum exortam componi curet.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Brande Episcopo Placentino, ac in Ungaria et aliis Regnis et partibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Ungarie Illustri subiectis pro nobis, et Romana ecclesia in spiritualibus reformatori, salutem etc. Pacifici regis regum, qui regnat in celis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pacis bonum, quo nulla prestantior aut iocundior, illa presertim, qua mundana celestibus connectuntur, potest esse possessio, ex apostolice servitutis officio inter cunctos Christifideles pacatis vigere mentibus, ac in pacis et concordie pulchritudine, quibus extolluntur minima, paternis affectibus delectamur, et inter illos potissime nutrire concordiam, ex quorum discordia maxima possunt et Regnis et populis, et provinciarum, civitatum et locorum ac subditorum excidia et animarum pericula verisimiliter provenire. Sentientes itaque iampridem, et de quo non possumus ab intimis nostris precordiis non dolere, inter Carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie Illustrem, suosque subditos, adherentes et complices ex una, et dilectos filios Magistrum ac fratres domus hospitalis beate Marie Theotonicorum per Prussiam, Alamaniam et alias mundi partes constitutos, eorumque subditos, adherentes, complices et sequaces ex altera partibus graves suscitatas fuisse discordias et extare, nos cupientes huiusmodi discordias in pacis dulcedinem commutare, ac emersuris scandalis et dissentionibus obviare, per nostras litteras et nuncios Regem, Magistrum et fratres predictos et nonnullos alios, quorum poterat interesse circa pacem et concordiam huiusmodi celebrandas, fecimus paternis affectibus concordialiter exhortari. Et quoniam pacis emuli et humani generis hostis procurante versutia, premissa exhortamina nostra effectu caruere pacifico, et in cordis nostri geramus desideriis guerrarum bellorumque motus inter prefatos damnabiliter etiam nunc vigentes protinus extirpari, ut vigeat pax et quies fidelium regnorum, provinciarum huiusmodi cessent excidia et ruine, et in pacis pulchritudine coli possit perfectius actor pacis, et de tue fraternitatis industria in maximis nostris et prefate ecclesie negociis congrua rerum experiencia, ac diucius comprobata sumentes in altissimo fiduciam specialem, te in Polonie et aliis Regnis, partibus et dominiis Regis, Magistri et fratrum predictorum, eorumque et utriusque eorum adherencium, fautorum ac sequacium, et inter Regem, Magistrum, fratres, necnon adherentes, complices, sequaces predictos et alios quoslibet paciarium (sic) pro nobis et prefata ecclesia apostolica auctoritate presencium tenore facimus, constituimus ac etiam deputamus. Discretioni tue inter Regem, Magistrum, fratres eorumque et utriusque eorum adherentes, complices et sequaces prefatos, et alios quoscumque quomodolibet dissidentes

seu discordes treugas seu sufferencias semel et pluries eciam providendi, totiens quotiens opus esse cognoveris, dicto nomine sub spe pacis tractandi, firmandi ac etiam indicendi perpetuo vel ad tempus, necnon concordiam et pacem firmandi, terminandi et concludendi sub illis capitulis, pactis, modis, condicionibus, penarum spiritualium et temporalium adiectionibus, personarum, rerum, bonorum et iurium obligatione, obsidum seu fideiussorum, aut promissorum dationibus, et quibusvis membris et substantialitatibus, ac firmitatibus etiam iuramentorum seu sigillorum, vel quibuscumque aliis solemnitatibus roboratis et roborandis, et de quibus eidem tue discretioni expedire videbitur pro firmitate et observancia omnium treugarum, sufferenciarum pacis et concordie predictarum, connexarum et dependentium a predictis et quolibet eorundem, ac penas et censuras spirituales et temporales quascumque in premissis adiciendi et apponendi ad validationem et observacionem predictorum, ac faciendi ea inviolabiliter observari, ligas insuper, uniones, confederationes, pacta et conventiones quecumque et qualiacumque, et cum quibusvis, etiam si pontificali, regali vel quavis alia dignitate fulgeant, inita, facta et firmata, etiam iuramentorum aut sigillorum solemnitatibus roborata, premissorum effectui aut executioni quoquomodo contraria auctoritate predicta cassandi, annullandi ac etiam irritandi, iuribus evacuandi, ac iuramenta super hiis prestita protinus relaxandi, penas quaslibet adiectas et incursas tollendi ac remictendi, et omnia alia et singula dicto nomine in predictis, et circa ea et quelibet eorum per te vel alios (?), quem vel quos duxeris deputandos, gerendi, providendi, exercendi, mandandi et exequendi, ac exequi et observari faciendi, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione cessante, compellendi, ac etiam implorandi quorumcumque catholicorum regum, principum, prelatorum, dominorum, universitatum, et aliarum quarumcumque personarum auxilium et brachium seculare contra recusantes seu contemnentes premissa, aut eorum aliquod observare aut exequi, aut processus quoslibet aggravandi et reaggravandi, necnon censuras et penas fulminandi, quos vel quas per te aut deputandum a te rite fieri, promulgari seu inferri, et totiens quotiens contigerit quovismodo, ac illos et contenta in eis exequi faciendi, prout et quemadmodum noveris convenire, plenam et liberam tenore presentium concedimus potestatem, ratum et gratum habituri, quicquid per eandem discretionem tuam seu deputandum ab ea factum fuerit in premissis, seu aliquo eorundem, idque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Bononie Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 177.

VI.

Matzeo de Lamberto collectori in Polonia, ut Angelo de Reate ducentos florenos solvat vel assignet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mazeo de Lamberto Archidiacono Wratislaviensi, in Regno Polonie, Provincia Gneznensi ac diocesi Culmensi fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Cum dilectum filium Magistrum Angelum de Reate, Secretarium et nuncium nostrum, ad Polonie, Litwanie et Prusie partes pro nonnullis nostris et ecclesie Romane magnis et arduis negociis presentialiter destinemus, Nos volentes eidem oportune de aliqua pecuniarum summa pro expensis sibi necessariis providere, ne pecuniarum defectu huiusmodi negociorum executio valeat impediri aut quomodolibet retardari, tibi tenore presencium stricte precipimus et mandamus, quatenus de pecuniis fructuum et proventuum ad Cameram apostolicam spectantibus, ad tuas manus quomodolibet perventis aut perveniendis, ducentos florenos auri de Camera eidem Angelo solvas effectualiter et assignes: Nos enim prefato Angelo te nostro et Camere predicte nomine de dicta ducentorum florenorum auri summa quittandi, liberandi et absolvendi plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que presencium vigore te solvere continget, duo confici facias consimilia documenta, quorum uno penes te pro tua cautela retento, reliquum ad dictam Cameram destinare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kalendas Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. V. fol. 25.

VII.

Eidem, ut certam summam praeposito Vladislaviensi assignet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mazeo de Neapoli apostolice sedis nuncio, seu Collectori fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie ac nonnullis aliis partibus debitorum, sa-

lutem etc. Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dilecto filio Magistro Andree Lasbarii Preposito ecclesie Wladislaviensis, Notario nostro, vel procuratori suo ad hoc ab eo specialiter constituto de pecuniis Camere nostre per te collectis et inantea colligendis sexcentos et sexaginta florenos auri ponderis et cunei florentini, in quibus predicta camera notario prefato certis de causis obligatur, efficaciter, omni etiam dilacione postposita, tradere atque assignare procures: Nos enim predicto Notario te absolvendi et quitandi de hiis, que sibi duxeris assignanda, plenam concedimus tenore presencium potestatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Augusti. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. V. fol. 164.

VIII.

Translatio ecclesiae metropolitanae Haliciensis et erectio ecclesiae parochialis Leopoliensis in cathedralem et metropolitanam.

Iohannes episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. In eminenti specula militantis ecclesie Romanus pontifex, beati Petri celestis clavigeri successor, ac in terris ab eo, qui celum terramque regit, solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, ex trono sue ineffabilis potencie constitutus, super universas orbis ecclesias terreque latitudinem precipuum facultatis obtinens principatum, pervigilis more pastoris sue providencie oculis universum orbem terrarum ac nacionum in illo degencium qualitates paterna consideratione discutiens, ac examinans diligenter, ex iniuncto sibi desuper pastoralis officii onere singulorum salutem appetens et exquirens, superna fulctus potencia diversis diversa pro mundanorum eventuum casibus, ac pro meritis premia distribuens, quosdam exaltat et sublevat, et ad alta rerum fastigia magnitudine dignitatis attollit, et tanquam dispensator munificus donis specialibus ac allectivis muneribus erga devotos filios sinum aperit apostolice largitatis, presertim erga loca illa, in quibus in agro irriguo ecclesie sancte dei novelle plantationis in odorem suavitatis fructus in ubertate succedit, et que fidelis ex nova plantatione huiusmodi et celeber incolit populus, in hiis precipue, que exaltationem catholice fidei ac etiam ecclesiarum incrementa respicere dinoscuntur, ut si et quemadmodum ipsarum ecclesiarum necessitas exigat, catholici populi profectus exposcat, requirat animarum salus, et accedat commoditas populorum, ac locus alias populositate ac reliquis ad humane vite commodum necessariis celeber ac insignis, ubi sedes Episcopalis aut Metropolis non consuevit existere, videatur merito illustrandus decore precipuo, ecclesiarum in illo statum immutet, ac illis per erectionis ac translationis ministerium titulum adaugeat sublimioris excellencie atque gradus, honoris, tituli pariter et decrois, ut per hanc distributionem providam partes sibi credite solicitudinis, prout in altissimo conspicit expedire, salubriter exequatur. Cum itaque nuper pro parte Carissimi in Christi filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris ac domini Russie nobis expositum fuerit, et summa cum instancia supplicatum, ut pro defensione fidei orthodoxe, ac etiam incremento fideliumque salute, ac reductione ad ovile dominicum infidelium et oberrantium populorum opidum Lamburga, alias Lywowen seu Leopole vulgariter nunucupatum, in partibus Russie Haliciensis diocesis in Civitatem, et parrochialem ecclesiam sancte Marie in dicto opido situatam in Cathedralem et Metropolitanam ecclesiam erigere, et Civitatis ac Metropolis dignitatum titulis decorare, ac Haliciensem metropolitanam ad Leopolienses ecclesias et locum utpote celebriorem ac insigniorem, et cunctis oportunitatibus et populi magnitudine atque frequencia potiorem transferre de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes maximum ex premissis profectum catholice fidei emersurum, ac paterna illis benignitate ac maturitate discussis, suadentibus nonnullis aliis rationabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum, ac prefatis Regis in hac parte supplicationibus inclinati, matura cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus super hoc deliberatione prehabita, ac de eorundem consilio et assensu, et de apostolice potestatis plenitudine, ac ex certa sciencia ad honorem omnipotentis dei, patris et filii et spiritus sancti, beate semperque virginis Marie, sub cuius vocabulo prefata Leopoliensis ecclesia fundata fore dinoscitur, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, totiusque celestis Curie laudem, gloriam et exaltationem status nostri et ecclesie sancte dei, divini cultus augmentum, fideliumque salutem, prefatum opidum Lamburga, alias Leopoliense seu Lywowiense vulgariter nuncupatum, in civitatem Leopoliensem, ac prefatam parrochialem ecclesiam beate Marie in Cathedralem atque Metropolim auctoritate apostolica presencium tenore erigimus, ac ipsum opidum Leopoliensis civitatis, et ipsam ecclesiam beate Marie metropolitice dignitatis, honoris et decoris titulis de specialis dono gracie decoramus ac eciam insignimus, et ipsam Leopoliensem ecclesiam in memoriam indelebi-

lem eorum, que in hac parte gerentur, metropolitanam perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari, ac prefatam Haliciensem ecclesiam, sedemque metropoliticam cum Electo ipsius, cui nuper est de ipsa Haliciensi ecclesia per nos gratiose provisum, prout in aliis nostris desuper confectis litteris plenius continetur, ad sedem Leopoliensem atque Metropolim supradictam de consilio ac sciencia et auctoritate prefatis transferimus per presentes, Statuentes, quod de cetero, qui dicte preficientur ecclesie Leopoliensi imperpetuum Archiepiscopi Leopolienses nuncupari debeant et censeri, ac Archiepiscopalia et metropolitica insignia gerere, iura, iurisdictiones et cetera exercere, administrare ac exequi valeant, que Metropolitani in eorum civitatibus, diocesibus atque provinciis de iure possunt, ac etiam sciencia et auctoritate prefatis de eorundem fratrum nostrorum consilio nostras filias predilectas Premisliensem, Chelmensem, Camenecensem, Wlodimiriensem, Ceretensem et Kyoviensem ecclesias et earum quamlibet, ipsarumque Episcopos tam presentes quam futuros, qui eis pro tempore preesse contigerit, et quascunque alias in partibus illis secundum ritus Grecorum viventes ecclesias, earumque Episcopos cum earum et cuiuslibet ipsarum civitatibus et diocesibus, iuribus et pertinenciis universis ipsi Leopoliensi ecclesie tanquam ipsarum Metropoli, et Archiepo̅ Leopoliensi pro tempore existenti pro eorum Suffraganeis atque Provincia harum serie decernimus perpetuo fore et esse subiectos atque subiectas, et subiicimus per presentes, ita quod de cetero ad illa omnia et singula teneantur, et astricti sint eisdem Metropoli et Archiepiscopo Leopoliensi pro tempore existenti, ad que Suffraganei suis metropolitane ecclesie atque metropolitano tenentur Archiepiscopo secundum canonicas sanctiones, necnon quod Archiepu̅s, ecclesia et Capitulum Leopolienses huiusmodi, qui sunt pro tempore, de cetero omnibus privilegiis, exemptionibus, graciis ac indultis apostolicis et aliis quibuscunque potiantur et gaudeant, quibus de iure metropolitane ecclesie et Archiepiscopi et eorum Capitula possunt, et que poterant etiam ante erectionem et translationem huiusmodi Archiepiscopus, ecclesia et Capitulum Halicienses huiusmodi, necnon prefata parrochialis ecclesia beate Marie Leopoliensis ac Rector, qui ei pro tempore preerat, quodque cuncti Suffraganei, clerici et layci Leopolienses prius Haliciensis provincie Archiepiscopis Leopoliensibus, qui erunt pro tempore, tanquam Metropolitanis eorum debitos obedienciam, reverenciam et honores exhibeant, sicut Archiepiscopis Haliciensibus, qui fuerunt pro tempore, exhibere hactenus consueverunt, ac etiam debuerunt, et quod nullus ipsius prius Haliciensis ecclesie seu Metropolis possessiones aufferre, aut ablatas retinere, seu minuere, aut ipsos Archiepiscopum, ecclesiam et Capitulum Leopolienses aliquibus molestiis fatigare seu perturbare presumat, sed omnia eis integra et illibata serventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis perpetuis temporibus profutura, sedis apostolice licencia semper salva, huiusmodi et aliis privilegiis, indultis et concessionibus eisdem Haliciensi, Leopoliensi, Premisliensi, Chelmensi, Camenecensi, Wlodimiriensi, Ceretensi et Kyoviensi, et aliis ecclesiis supradictis concessis, que possent presentibus obviare, non obstantibus quibuscunque. Volumus autem statuentes, quod, si qua ex Premisliensi, Chelmensi, Camenecensi, Wlodimiriensi, Ceretensi et Kyoviensi seu aliis secundum ritus grecorum viventibus ecclesiis supradictis alicui Metropoli christianorum subiecta existeret, quoad subiectam unam seu plures ecclesias, presens concessio pro Suffraganeis, ceteris tamen in suo robore duraturis, nullius existat efficacie vel valoris, Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre erectionis, decorationis, translationis, statuti, constitutionis, subiectionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio. Gratis de mand. d. n. pape.

Ex Reg. orig. An. IV. (III) de Curia Tom. VII. fol. 122.

IX.

Nicolao archiepiscopo Gnesnensi, ut ad concilium generale intimatum una cum praelatis suae provinciae se conferat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Ad regimen universalis ecclesie licet insufficientibus meritis divina dispositione vocati, solicitudinem gerimus indeffessam et omni conatu solerciam adhibemus, ut que ad pacem et reformationem ipsius ecclesie defensionemque et augmentum orthodoxe fidei pertinent, communi fidelium consilio decernantur. Sane felicis recordationis Alexander papa V. immediatus predecessor noster sacro generali Pisano concilio tunc presidens, ipso approbante concilio, inter cetera decrevit, ipsum concilium extunc ad triennium in mense Aprilis ad locum, qui per se vel successorem suum eligeretur, fore convocandum, ipsumque

concilium continuandum usque ad tempus triennii supradicti. Deinde vero eodem predecessore, sicut deo placuit, vita functo, nobisque divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumptis, cum urbs Romana sedes nostra, in qua omnium ecclesiarum caput esse dinoscitur, de manibus inimicorum eiusdem ecclesie atque nostrorum, qui eam tenuerant dampnabiliter occupatam, recuperata fuisset, tamen post multas et varias fluctuationes eo res deducta erat, ut invalescente inimicorum oppressione, nisi celeriter providissemus, in manibus eorundem inimicorum foret iterum recasura. Nos igitur, ne tanto detrimento afficeretur ecclesia, spe in altissimo, qui in se sperantes non deserit, assumpta, maturo quidem consilio, sed celeri gressu ex civitate nostra Bononiensi, in qua tunc residebamus, cum universa curia ad ipsam urbem venimus, confirmatisque per adventum nostrum populorum et fidelium animis, et aversariorum impetu, qui paulo ante eidem urbi terribiliter imminebant, dextera domini cooperante, represso, sentientes tunc per experienciam, quantum presencia nostra foret in ipsa urbe per illa tempora multis causis necessaria, cum locus pro huiusmodi conventione concilii per nos declarandus esset, ipsam urbem ad huiusmodi congregacionem fidelium deputavimus et congruo tempore id duximus solemniter publicandum, atque in ipsa urbe interim persistentes et adventum fidelium expectantes, Tandem non sine magnis laboribus nostris et sumptibus per dei misericordiam urbem et regiones istas in pace posuimus, ac deiecto perdictionis alumno Angelo Carario ceterisque scismaticis, totum Sicilie Regnum et terram citra farum, multas iusuper civitates et loca aliarum partium ad obedienciam et devocionem nostram et Romane ecclesie in grande unionis ecclesie augmentum recepimus: sed cum fideles ipsi per nos solemniter convocati, requisiti et expectati, nec in dicto tempore per nos secundum determinacionem Pisani concilii prefati assignato, nec postea in aliis sessionibus sepius prorogatis in tanta multitudine, quantam magnitudo rerum gerendarum exigebat, in ipsa urbe convenissent, nos propterea nequaquam a prosecutione tanti boni desistendum arbitrantes, habita super hoc diligenti deliberatione, ipso approbante concilio, statuimus et ordinavimus, Venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, necnon alios Prelatos et ceteros, qui adesse debent et possunt, et ad quos pertinet, in principio mensis Decembris proxime futuri debere ad huiusmodi concilium iuxta morem convenire in loco decenti et ydoneo, infra tempus trium mensium a data presencium per alias nostras litteras et publicacionem declarando, circa cuius declaracionem interim pervigili cura intendimus deliberare, ut quod superiori tempore fortasse propter bellorum et viarum discrimina, aliasque causas circa plenam congregacionem eorumdem fidelium commode perfici non potuit, nunc sublata omnis incommoditatis materia impleatur. Quocirca fraternitatem tuam requirimus et hortamur in domino, eidem nichilominus per apostolica scripta mandantes, ac in virtute sancte obediencie et prestiti iuramenti iniungentes, quatenus ad dictum concilium personaliter te conferas, ac Venerabilibus fratribus Coepiscopis suffraganeis tuis eorumque Capitulis, necnon dilectis filiis Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum Prelatis, exemptis et non exemptis, infra tuas civitatem et diocesim atque provinciam consistentibus hanc salubrem determinacionem et ordinacionem nostram studeas intimare, et ut per eosdem suffraganeos Prelatis suarum diocesium et civitatum intimetur provideas, eisdemque fratribus nostris suffraganeis tuis in vim ab eis prestiti iuramenti, ceterisque prefatarum civitatis, diocesis ac provincie tuarum iniungas, et ipsi Episcopi suffraganei illis suarum civitatum et diocesium, qui ad concilium huiusmodi venire tenentur, iniungant, quibus eciam nos tenore presencium iniungimus in virtute sancte obediencie, ceterosque, qui in dicto concilio interesse possunt, exhorteris, ipsique Episcopi suffraganei exhortentur, quos eciam nos exhortamur in domino, quatenus predicto tempore et loco per nos, ut premittitur, declarando ad prefatum concilium, singuli videlicet, qui tenentur, personaliter, ceteri vero, ut eis oportunum visum fuerit, studeant convenire, ut sic per tuam illorumque presenciam ea, que in ipso concilio statuenda sunt et agenda, salubri et communi omnium deliberatione feliciter ordinentur. Datum Rome apud S. Petrum v. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Iadrensi, Iohanni Archiepo Strigoniensi, Andree Archiepo Colocensi, Iohanni Archiepo Rigensi. Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. VI. fol. 22.

X.

Dominicus de Skizino canonicus Cracoviensis notarius sedis apostolicae nuntiatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Dñico Andree de Skizino Canonico Cracoviensi, Notario nostro, salutem etc. Vite ac morum honestas, necnon grandia virtutum merita, quibus perso-

nam tuam fidedignorum testimoniis novimus insignitam, ac etiam eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promerentur, ut te gratiosis preveniamus honoribus et oportunis favoribus prosequamur. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te qui, sicut asseritur, Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris vicecancellarius existis, in nostrum et apostolice sedis Notarium motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate auctoritate apostolica tenore presentium graciose recipimus, et aliorum Notariorum nostrorum et dicte sedis consorcio favorabiliter aggregamus, tibi nichilominus motu simili eadem auctoritate de speciali gracia concedentes, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus et graciis, prerogativis, emolumentis, honoribus et oneribus, quibus alii nostri et prefate sedis Notarii gaudent et gaudebunt quomodolibet infuturum, tu pariter de cetero gaudeas ac etiam pociaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, ut in nostro conspectu ad maiora te constituas semper meritorum studiis digniorem, nosque proinde ad faciendum tibi maiorem honorem et graciam prompcius invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Mantue VIII. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. VII. fol. 154.

XI.

Archiepiscopo Gnesnensi committitur, ut solitum iuramentum ab eodem Dominico de Skizino notario apostolico recipiat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Cum nos nuper dilectum filium magistrum Dominicum Andree de Skizino Canonicum Cracoviensem ob eius grandia virtutum dona, quibus personam suam fidedignorum relationibus novimus insignitam, in nostrum et apostolice sedis Notarium cum omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, prerogativis, emolumentis, honoribus et oneribus consuetis motu proprio auctoritate apostolica per alias litteras nostras duxerimus assumendum, prout in eisdem litteris plenius continetur: Nos volentes eiusdem Dominici in illis partibus commorantis parcere laboribus et expensis, ne propter hoc cogatur veniendo ad Romanam curiam personaliter laborare, fraternitati tue motu proprio, non ad ipsius Dominici vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ab eodem Dominico nostro et Romane ecclesie nomine de eius officio fideliter et laudabiliter exercendo fidelitatis debite solitum recipias iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti predicti, quam dictus Dominicus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius provideas destinare. Datum Mantue VI. Idus Februarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. VII. fol. 154.

XII.

Collectori in Polonia, ut proventus primi anni omnium beneficiorum vacantium et vacandorum, camerae apostolicae reservatos, colligat.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Leonardo Iohannis de Florencia, Acolito nostro, sedis apostolice nuncio, ac in Regno Polonie et provincia Gneznensi, ac civitate et diocesi Culmensibus fructuum, proventuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Dudum in considerationem nostram vigilis pastoris more, prout ex iniuncto nobis desuper onere pastoralis tenemur officii, adducentes, fructus, redditus et proventus apostolice Camere propter guerrarum angustias et diuturnum scisma, quod, sathana procurante, christianam religionem prothdolor perturbavit, adeo diminutos, quin verius exhaustos, quod ad perferenda onera expensarum pro recuperandis provinciis, civitatibus, terris et locis ad nos et Romanam ecclesiam pertinentibus, invasis, occupatis et detentis indebite, ac pro desiderabilis unionis in prefata ecclesia prosecutione tractatus et fine salubri nulla possent ratione suppetere, ac ex certis aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus congruum et debitum reputantes, ut eadem ecclesia nunc plus solito in suis necessitatibus in supportatione sarcine huiusmodi onerum ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis, quarum caput esse dignoscitur ac domina cunctorum christifidelium et magistra, adiuvetur, ad instar felicis recordacionis Urbani V., Gregorii XI. et nonnullorum aliorum predecessorum nostrorum Romanorum pontificum fructus, redditus et proventus primi anni vacationis quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, admiuistrationum, offi-

ciorum, canonicatuum et prebendarum, parrochialium et aliarum ecclesiarum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cuiuscunque conditionis existerent, exemptorum et non exemptorum, secularium et regularium, cum cura et sine cura, in quibuscunque mundi partibus consistentium, apud sedem apostolicam et alibi ubilibet per obitum vel ex facto quaruncunque personarum, aut alias quovismodo vel qualitercunque per liberas ipsorum beneficiorum, etiam ex causa permutationis de illis faciende, resignationes nunc et antea vacantium et imposterum vacaturorum, et etiam illorum, que per quoscunque, qui beneficia ecclesiastica ad cuiuscunque seu quoruncunque collationem, provisionem, electionem, presentacionem seu quamvis dispositionem per nostras litteras, etiam in pauperum clericorum beneficiandorum forma, expectabunt, acceptari, et de illis sibi obtinuere provideri, necnon illorum, de quibus acceptationes, provisiones, collationes, institutiones apostolica vel ordinaria aut alia quavis auctoritate quibusvis factas vel faciendas per nos consumari, aut eis de ipsis beneficiis provideri contigerit, etiam si super eis confirmatio seu nova provisio eadem apostolica auctoritate non fuerint subsecute, nec imposterum subsequerentur, ac aliorum, in quibus quibusvis personis vigore litterarum apostolicarum ius forsan tribueretur, necnon ipsorum que per aliquem predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, seu Urbanum VI., Clementem VII., Bonifacium VIIII., Innocentium VII. in eorum obedienciis nuncupatos, aut perditionis alumnos Petrum de Luna Benedictum XIII. seu Angelum Corario Gregorium XII. se nominare ausu temerario dampnabiliter presumentes, quibusvis metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, parrochialibus aut aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et prebendis aut beneficiis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus, vel cuicunque loco seu ordini, collegio aut Capitulo unita vel forsan per nos seu auctoritatem nostram uniri, tum per cessum vel decessum illa obtinentium, aut alias quovismodo ad huiusmodi ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus et prebendas, aut beneficia, loca vel ordinem, collegium aut Capitulum devenire contingeret, levandos et percipiendos ac pro supportatione onerum predictorum Camere apostolice modis infrascriptis solvendos auctoritate apostolica reservavimus ac eciam applicavimus, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum, in quibus prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus aut beneficia huiusmodi forent, contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si fructus, redditus et proventus huiusmodi primi anni ex privilegio apostolice sedis, vel alias de iure, consuetudine seu statuto alicui vel aliquibus pertinerent, sive ad fabricam ecclesiarum, monasteriorum seu locorum quorumlibet quavis auctoritate concessi forent seu eciam deputati, aut medio tempore concedi contingeret vel eciam deputari. Volumus autem, quod dicta Camera vel illi, qui per eam ad collectionem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi essent deputati, non omnes integros fructus, redditus et proventus dicti primi anni, sed eorum partem, illam videlicet, pro qua fructus, redditus et proventus uniuscuiusque beneficiorum ipsorum taxati forent ad decimam vel residuum fructuum, reddituum et proventuum eorundem, super quo eisdem Camere vel deputandis ab ea relinquimus obtionem vel medietatem huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum predictorum, qui ad decimam huiusmodi taxati non forent, alia medietate, taxa vel residuo fructuum, reddituum et proventuum eorundem huiusmodi beneficia obtinentibus pro debitis exhibendis serviciis, et aliis eorum supportandis oneribus remanente, recipiant, ita videlicet, quod si beneficium quodlibet bis vel pluries eodem anno vacare contingat, non nisi semel fructus, redditus et proventus illius iuxta modum predictum recipiantur. Ceterum voluimus et auctoritate predicta declaravimus, quod reservatio et applicatio huiusmodi ad beneficia, quorum fructus, redditus et proventus annuum valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera sine deductione aliquorum onerum seu etiam expensarum non excedèrent, seu ad vicarias aut capellanias ut plurimum a decedentibus secundum morem diversarum ecclesiarum institutas ad missas pro ipsis decedentibus celebrandas, certis constitutis redditibus presbiteris inibi celebrantibus vel alias in diurnis vel etiam nocturnis canonicis horis in eisdem ecclesiis interessentibus, sive ad cotidianas distributiones quarumlibet ecclesiarum sive anniversaria vel obventiones, que sunt vel erunt ad certum quid deputata, nisi ad illa vel illas, que illis, qui sunt in civitate vel loco presentes, consuevissent, quamvis horis non interessent antedictis, elargiri, nullatenus extenderentur; illi vero, quibus fructus, redditus et proventus anni primi beneficiorum huiusmodi debebuntur de iure, privilegio, statuto vel consuetudine, anno eundem primum annum immediate sequente eos percipient illis modis, sicut ipsos eodem primo anno percepissent, si nostre huiusmodi reservatio et applicatio non obstitissent. Quocirca

discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios clericos dumtaxat, fide et facultate ydoneos, omnes et singulos huiusmodi fructus, redditus et proventus, ut premittitur, reservatos et applicatos Camere memorate iuxta huiusmodi nostre reservationis et applicationis tenorem in partibus, in quibus es nuncius apostolicus et Collector huiusmodi fructuum deputatus, petere, exigere et recipere cum integritate studeas et procures, Contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum nominibus et ordinibus propriis mentionem, Nos enim tibi quittandi et liberandi, ac absolvendi per te vel alium seu alios plene et libere omnes et singulos eos, a quibus premissa receperis, de hiis dumtaxat, que exinde ab eis recipere te continget, tenore presentium concedimus facultatem. Datum Bononie XVII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. VII. fol. 107.

XIII.

Leonardo de Florentia, ut decimam omnium beneficiorum ecclesiasticorum proventuum, camerae apostolicae per triennium reservatam, in Polonia etc. colligat.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Leonardo Iohannis de Florencia Acolito nostro, apostolice sedis nuncio, ac in Regno Polonie et provincia Gneznensi ac civitate et diocesi Culmen. fructuum et proventuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Novit ille scrutator almus cordium, quatenus summis doloribus angimur, pungentesque et amari stimuli nos infestant, res modernis pestilentibusque temporibus, que sceleribus, iniquitatibus, pressuris et violenciis data sunt, huc esse deductas, ut subditos et filios nostros, quos ab oneribus relevare, et quorum utilitates et commoda procurare undecunque possemus, pro nostre imbecillitatis modulo precipuis desideriis optaremus, nos oporteat de necessitate gravare. Verum tamen dum nobiscum attenta meditatione pensamus, quod sicut filiis et subditis nostris in omnem casum et eventum tota cordis affectione consulimus, et libenter oportunis auxiliis atque favoribus assistimus, ita ipsi, ut indubie credimus, nobis et Romane ecclesie in arduis necessitatibus non modo libenter, sed etiam ardenter impendent et extendent eorum subsidia atque dexteras liberales. Cum igitur, sicut oculi omnium fidelium, quod cum amaritudine recensemus, luce clarius intuuntur, Romana urbs cum toto patrimonio beati Petri in Tuscia ac provinciis Campanie et maritime, nec non Regnum Sicilie ac terra citra farum, que iuris et proprietatis Romane ecclesie dignoscuntur existere, ac nonnulla alia civitates, terre et loca ad nos et eandem ecclesiam spectantia passim invasa, occupata ac tirannica malignitate detenta cum subditis fuerint et existant, ac guerrarum angustiis lacerentur in animarum, corporum et substanciarum periculum et inextimabile dispendium plurimorum, et nonnulli a grege dominico devii ad nostrum et prefate ecclesie gremium reducendi sint, ut desiderabilis unionis integritas in prefata ecclesia, divina superillustrante clemencia, subsequatur, ac intensis exoptantes affectibus circa premissorum executionem posse salubriter providere, et attendentes, postquam divina clemencia nos ad apicem summi apostolatus evexit, apostolicam Cameram ob pestiferum ac diuturnum scisma, nutritum dudum per heresiarchas, et contendentes dampnabiliter de papatu, guerrarumque turbines nec non conductus armigerarum gentium in numero copioso exhaustam fuisse et esse substanciis, et ad perferenda onera, maxime pro ductu et prosecutione ingentis guerre contra potenciam et dampnabilem audaciam, et presumptionem perfidam Ladislai de Durachio, se Regem Sicilie pretendentis, et hostis ac rebellis ecclesie manifesti, suorumque sequacium et fautorum, et circa alia peragenda pro defensione status et honoris nostri et ecclesie supradicte, ac votiva executione omnium predictorum nulla ratione sufficere, nisi aliorum suffragiis adiuvemur. Hinc est, quod nos premissorum intuitu felicis recordationis nonnullorum Romanorum pontificum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, ac de Venerabilium fratrum nostrorum prefate ecclesie Cardinalium consilio decimam omnium fructuum, redditiuum et proventuum ecclesiasticorum in Regno Polonie et provincia Gneznensi, ac in singulis eorundem Regni et provincie necnon Culmen. civitatibus et diocesibus consistentium per tres annos, a data presentium computandos, in subscriptis terminis a Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Administratoribus, Electis, Abbatibus,

Prioribus, Prepositis ceterisque Prelatis et personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus et proventus in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus prefatis habentibus, et infra dictum triennium habituris, cuiuscunque preminencie, dignitatis, status, gradus, religionis, ordinis vel conditionis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia aut indulgencias sub quacunque forma vel expressione verborum concessa quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus huiusmodi redditus et proventus in predictis provinciis, civitatibus et diocesibus obtinentibus et interim obtenturis, qui nobiscum cotidie indefessis laboribus onera universalis ecclesie parciuntur, necnon Camerario nostro et dilectis filiis hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theotonicorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos quidem Cardinales, Camerarium, Magistros, Priores, Preceptores et fratres a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et per te tuosque succollectores, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, colligendam, et in relevatione dictorum onerum convertendam auctoritate apostolica imponimus per presentes, ita quod ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus et Prelatis ac personis aliis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis in eisdem Regno, provincia, civitatibus et diocesibus redditus et proventus huiusmodi, ut prefertur, habentibus, et infra dictum triennium habituris, preterquam a predictis Cardinalibus, Camerario, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, de ipsis dumtaxat redditibus atque proventibus colligatur et eciam exigatur sine iniuria et oppressione, quodque ad redditus et proventus ecclesiasticos extra dictas civitates et dioceses existentes compulsionis officium nullatenus extendatur. Primum enim terminum solutionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti triennii statuimus, et esse volumus festum Penthecostes domini proxime venturum, secundum enim terminum solutionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni festum beati Andree Apostoli immediate secuturum, similibus terminis aliis duobus annis observandis. Denique volumus, quod huiusmodi decime exactio fiat secundum novas taxationes decime et reductiones taxationis illius in predictis partibus auctoritate apostolica factas, et ubi nulla taxatio certa fuerit, secundum communem extimationem reddituum et proventuum predictorum, et sine aliquo alio onere illorum, a quibus huiusmodi decima exigetur, et ne de moneta, de qua fiet et fieri debebit solucio dicte decime, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc viri ecclesiastici sunt hactenus perpessi, volumus, quod per te et succollectores tuos predictos ipsa decima ad monetam in prefatis Regno, provincia, civitatibus et diocesibus communiter currentem levetur, et etiam exigatur iuxta constitutionem super hoc editam in Concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, nec ad solucionem huiusmodi decime extra civitatem et diocesim, in quibus redditus et proventus huiusmodi decime consistunt, faciendam, vel ad monetam aliquam extra civitatem et diocesim deferendam aliquatenus compellantur; quodque circa hoc iuxta ordinationem Viennensis Concilii predicti calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur, recipiantur, distrahantur vel etiam occupentur, Non obstantibus, si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus, Prelatis et aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime vel alterius cuiusvis subsidii minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, et propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus et cognominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuscumque aliis privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et quibusvis litteris apostolicis dignitatibus aut ordinibus, et specialiter sanctorum Benedicti et Augustini, Cluniacensi, Cisterciensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Camaldulensi, Grandimontensi, Vallisumbrose, Cruciferorum et Humiliatorum, et ipsorum universitatibus generaliter et specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum in nostris litteris plena et expressa mentio sit habenda. Ad hec volumus et tibi auctoritate prefata concedimus, quod illos de Regno, provincia, civitatibus et diocesibus predictis, quos ex defectu non solucionis huiusmodi excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencias incurrere contigerit, ab eisdem post satisfactionem debitam, facta prius tibi fide de satisfactione huiusmodi, absolvere, et cum eis super irregularitate, si quam forte sic

ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, dispensare etiam valeas, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Quocirca discretioni tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel succollectores tuos, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus predictis, in quibus es Collector dictorum fructuum deputatus, predictam decimam ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus, ecclesiarum et monasteriorum Prelatis et aliis supradictis, et eorum quolibet iuxta huiusmodi nostre impositionis tenorem et formam auctoritate apostolica petere, exigere et levare procures, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, ac etiam per sequestrationem ipsorum reddituum, fructuum et proventuum in eisdem Regno, provincia, civitatibus et diocesibus consistentium, ac etiam personarum arrestationem, si expediens fuerit, per te vel alium seu alios cogendi (sic), compellendi, ac invocandi, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et de una et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque: Nos enim tibi quittandi, liberandi et absolvendi per te vel alium plene et libere omnes et singulos eos, a quibus premissa receperis, de hiis dumtaxat, que exinde ab eis recipere te continget, tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod pecunias et alia, que per te premissorum occasione exacta fuerint, per litteras cambii vel alium tutum modum ad Cameram prefatam quantocius destinare procures. Datum Bononie xvii. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. VII. fol. 92.

XIV.

Leonardus de Florentia collector fructuum etc. camerae apostolicae in Polonia etc. constituitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Leonardo Iohannis de Florencia Acolito nostro, apostolice sedis nuncio, ac in Regno Polonie et Provincia Gneznensi ac civitate et diocesi Culmensibus fructuum et proventuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum Collectori, sal. etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudencia, providencia quoque circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam percepimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, qui etiam Cubicularius noster existis, et de cuius circumspectione et providencia in agendis plurimum confidimus, in Regno Polonie et provincia Gneznensi in singulis eorundem Regni et provincie, ac Culmensi civitatibus earumque diocesibus sedis apostolice nuncium, nostrumque et eiusdem sedis fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum, subsidiorum, et aliorum iurium nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice debitorum et debendorum usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum Collectorem, et receptorum generalem auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi Collectores et Receptores ac Succollectores in prefatis civitatibus et diocesibus per nos, aut quacumque alia auctoritate hactenus deputatos, ac commissiones alias super huiusmodi Collectorie, Receptorie ac Succollectorie officiis aliis, quam tibi, sub quavis verborum forma per quoscumque et quavis auctoritate factas penitus revocando, ac tibi per te vel alium seu alios clericos dumtaxat, fide et facultatibus ydoneos, nostro et dictarum ecclesie et Camere nomine a quibuscunque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quoruncunque, et etiam laicalibus personis, Communitatibus quoque et universitatibus Civitatum, Castrorum, villarum et locorum quorumcumque, omnes et singulas pecuniarum summas, ac rerum et bonorum quantitates nobis, ecclesie Romane et Camere apostolice debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus primi anni vacationis beneficiorum ecclesiasticorum in prefatis Regno, provincia, civitatibus et diocesibus vacantium et vacaturorum, collatorum et inantea conferendorum, aliaque iura, res, census annuos et bona nobis, ecclesie et Camere predictis in eisdem civitatibus et diocesibus, exemptis et non exemptis, quacunque ratione vel causa debita et debenda, ac ad nos et easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, que in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus prefatis peti et exigi consueverunt, communibus et minutis serviciis per prelatos partium illarum ratione promotionum suarum de-

bitis dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi, recipiendi, recuperandi, rationes quoque et computa a quibuscumque Collectoribus, Succollectoribus et Inquisitoribus heretice pravitatis, ac predicatoribus verbi crucis inibi hactenus deputatis et deputandis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis aut preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, dicta auctoritate per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestrationem et arrestationem personarum, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, necnon excommunicationis et alias sentencias ecclesiasticamque censuram, si eorum exegerit contumacia, quociens expedierit, aggravandi, et alias contra eos et alios iniuriantes tibi et impedientes negocia dicte Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte auctoritate prefata procedendi, prout rationis extiterit et tibi videbitur expedire, et si necesse fuerit, ipsos ad sedem apostolicam, ut coram nobis aut Camerario nostro et gentibus dicte Camere certo competenti termino ipsis per te prefigendo personaliter compareant, citandi, ac etiam auxilium brachii secularis invocandi, necnon solventes tibi, de receptis dumtaxat, plene et libere quitandi et absolvendi, sentencias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per precessores seu predecessores tuos inibi Collectores et eorum substitutos, quam a te deputatos aut deputandos latas et ferendas tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, eadem auctoritate dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et totis earum tenoribus, ac de verbo ad verbum esset in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes, ita tamen, quod in fructibus, redditibus et proventibus aut aliis bonis quibuscumque ad dictam Cameram spectantibus, ipsi Camere persolvendis, ultra annuam dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, si vero parve fuerint, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Succollectorem non deputes, et omnium et singulorum Succollectorum, quos deputare te continget, nomina, statim cum illos deputaveris, nobis seu Camerario aut gentibus predictis clare et distincte transmittere, et quod singulis bienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, et quicquid in premissis te recipere contigerit, per litteras cambii aut alium tutum modum nobis vel Camerario aut gentibus eisdem, quantocius commode poteris, mittere non postponas. Volumus autem, quod de huiusmodi officio fideliter exercendo in manibus venerabilis fratris Guillelmi Episcopi Lausanensis, nostrum Camerariatus officium in absencia venerabilis fratris Francisci Archiepiscopi Narbonensis, Camerarii nostri, nunc absentis, Regentis aut illius, cui idem Episcopus duxerit committendum, prestes ad sancta dei evangelia iuramentum. Tu igitur sic in premissis fideliter et prudenter te habeas, quod apud nos merito commendari possis, et quod de tua prudencia firmiter credimus, nullatenus evanescat, nostramque et dicte sedis benevolenciam et graciam uberius consequi merearis. Dat. Bononie xvii. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. VII. fol. 90.

XV.

Expeditio bullarum pro ecclesia Haliciensi.

Die penultima mensis Maii predicti anni m.cccc.xiiii. Iohannes Nicolai Rector ecclesie parrochialis in Langow Cracoviensis diocesis, nuntius iuratus, iuravit fideliter portare Bullas super ecclesia Halliciensi secundum dicti mandati tenorem sive commissionem, presentibus domino Iacobo de Calvis apostolice Camere Clerico ac Thome Nicolai de Lantzenberg Clerico Leodiensi Testibus.

Mutatur Pontificatus et scribatur Iohannis divina providencia Pape XXIII. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Divers. Cameral. Tom. III. fol. 7.

XVI.

Guillelmo episcopo Lausanensi, in regno Poloniae apostolicae sedis nuntio, ut principibus et praelatis concilium generale Constantiense ad kal. Novemb. indicat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Lausanensi, nostrum Cameriëratus officium Regenti, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Gerentes in desideriis cordis nostri, ut prosecutio proximi futuri Constanciensis ac generalis concilii, auctore domino, exequi valeat, iam pridem litteras nostras ad reges, principes et prelatos, necnon dominos temporales ac Universitates fideles indictionem et convocationem dicti concilii, et requisitionem ac exortationem necessarias continentes per varios nuncios providimus destinandas. Et quoniam, ut plerumque assolet, potuisset ex aliquo casu contingere, delatores seu nuncios litterarum huiusmodi, quo minus presentaverint, ut decebat, fuisse multiphariam impeditos: Nos cupientes ab intimis nostris precordiis, ut concilium ipsum pro statu sancte Romane ecclesie et eius status reformatione salubri, ac tranquillitate cunctorum christifidelium felicia suscipere valeat incrementa, et ut cunctis, quos presens tangit negocium, si in eorum noticiam prefate nostre littere non devenissent, debite innotescant, volentes, fraternitati tue presentium tenore committimus, quatenus auctoritate nostra per tuas litteras indictionem ipsius concilii atque loci et temporis notifices universis principibus ac prelatis, universitatibus et aliis, de quibus eidem tue fraternitati videbitur expedire, monendo et exortando ad dictum concilium inchoandum in proximis kalendis Novembris per se, vel procuratores seu nuncios suos in forma oportuna veniant debito tempore seu mittant, ut nullus possit excusationem aut pretendere aut ignoranciam allegare, quod premissa in eorum noticiam perducta non fuerint oportune. In qua quidem re eiusdem tue fraternitatis industria velit omne sue vigilantie studium excitare, ut premissa possint oportuno in tempore perfici, prout materia flagitabit: super quibus omnibus ac dependentibus harum serie prefate fraternitati tue plenam concedimus nichilominus potestatem. Datum Bononie Idus Iulii. Anno Quinto.

In e. m. Eidem datur facultas conferendi quecunque beneficia ecclesiastica, secularia et regularia; implorandi subsidium caritativum ab omnibus christifidelibus pro recuperatione alme urbis.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Lib. VII. fol. 148.

XVII.

Eidem concedendi tres annos et totidem quadragenas indulgentiarum facultas datur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Lausanensi, nostrum Camerariatus officium Regenti, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te ad Polonie et Prucie et nonnullas alias mundi partes pro quibusdam magnis et arduis nostris et Romane ecclesie, et concilii generalis in civitate Constanciensi provincie Maguntine de proximo, auctore domino, celebrandi negociis, ac pro saluberrimo statu Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis et regni Polonie, et dilectorum filiorum Magistri et conventus ac ordinis beate Marie Theutonicorum, necnon dominorum, cleri et populorum et partium predictarum apostolice sedis nuncium destinemus: Nos volentes, ut regni et partium predictarum incole, quanto spiritualium munerum potiora dona sibi provenire conspexerint, tanto ad pietatis opera propensius animentur, Circumspectioni tue presentium auctoritate concedimus, ut omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad constructionem seu reparationem ecclesiarum, necnon hospitalium et pontium reparationes ipsorum, et sustentationem infirmorum et pauperum hospitalium eorundem manus adiutrices porrexerint, et ea devote visitaverint annuatim, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer, quamdiu in huiusmodi negociorum prosecutione fueris, relaxare possis, litteras tuas super huiusmodi indulgenciis per te concedendo. Volumus autem, quod si alias visitantibus huiusmodi ecclesias sive hospitalia sive ad fabricam seu reparationem ipsorum manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua alia indulgencia imperpetuum vel ad certum tempus, tempore huiusmodi concessionis, quam facies, nondum elapsum, duratura auctoritate apostolica concessa fuerit, concessiones, quas eis vigore presentium facies, nullius existant roboris vel momenti, quodque concessiones ipse per te fiende ad decennium dumtaxat roboris obtineant firmitatem. Datum Bononie Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Eidem conceduntur solitae facultates dispensandi cum apostatis etc.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Lib. VII. fol. 143.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

XVIII.

Collectori in Polonia, ut centum flor. auri Thomae cardinali Tricaricensi in concilio Constantiensi agenti solvat.

Ludovicus etc. Venerabili viro et domino Petro Fabiani de Wolffram Licentiato in decretis, Cantori ecclesie beate Marie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, fructuum, reddituum et proventuum, aliorumque iurium in regno Polonie Camere apostolice debitorum collectori, salutem etc. Cum Reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Thomas miseratione divina tituli sanctorum Iohannis et Pauli sancte Romane ecclesie presbiter Cardinalis, Tricaricensis vulgariter nuncupatus, propter longam continuationem huius sacri Constanciensis Concilii gravia expensarum onera supportare habuerit, prout habet de presenti: Eapropter de speciali mandato sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providencia pape Quinti, super hoc vive vocis oraculo nobis facto, vobis tenore presentium committimus et mandamus, quatenus pro subventione et auxilio, ac pro supportandis ipsius domini Cardinalis expensarum oneribus de pecuniis ad dictam Cameram pertinentibus, penes vos existentibus, seu quam primum proventuris, centum florenorum auri de Camera eidem domino Cardinali seu eius procuratori ad hoc ab eo speciale mandatum habenti detis, tradatis et realiter assignetis: Nos enim eidem domino Cardinali et eius procuratori predictis vos de hiis, que eis vel eorum alteri vigore presentium tradideritis nostro et dicte Camere nomine, quictandi, liberandi et absolvendi plenam tenore presentium concedimus potestatem. In quorum etc. Datum Constancie provincie Maguntine die xvii. mensis Novembris Anno a Nativitate domini Millesimo cccc.xvii. Indictione decima, Electionis vero Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini pape Quinti predicti Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Divers. S. Cameral. Tom. IV. fol. 5.

XIX.

Collectori in Polonia, ut centum flor. auri, quos camerae mutuo dedit, ex pecuniis collectis retinere possit.

Ludovicus Alamandi decretorum doctor, Custos Lugdunensis, Reverendissimi in Christo patris et domini, domini Francisci miseratione divina Archiepiscopi Narbonensis, domini pape Camerarii, in Camerariatus officio locumtenens, Venerabili viro domino Petro de Wolfram Licentiato in decretis, Cantori ecclesie beate Marie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, iurium, fructuum, reddituum et proventuum in Regno Polonie Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Cum vos nostri intuitu et rogatu Clericis Camere memorate pridem ex necessitatibus quam plurimum pressis de vestris propriis pecuniis, ad ipsorum paulisper relevandum onera, centum florenorum auri de Camera animo illos a dicta Camera rehabendi mutuo tradideritis: Nos indempnitati vestre, prout congruit, providere volen-

tes, vobis centum florenorum huiusmodi de iuribus in decrete vobis Collectorie officio collectis, seu quam primum colligendis, ad Cameram apostolicam supradictam spectantibus, retinendi et in usus vestros convertendi plenam tenore presentium concedimus facultatem, mandantes dictis Clericis et aliis vestrorum computorum auditoribus quibuscunque, quatenus centum florenorum huiusmodi in vestris quam primum reddendis computis et rationibus admittant, et de vestra recepta deducant ac defalcent sine alterius expectacione mandati. In quorum testimonium presentes litteras fieri et sigilli prefati domini Camerarii iussimus appensione muniri. Datum Constancie provintie Maguntine die XXII. mensis Novembris sub anno a Nativitate domini Millesimo quadringentesimo decimoseptimo, Indictione X. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini divina providencia pape Quinti Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Div. Cam. Tom. IV. fol. 2.

XX.

Decano s. Floriani Cracov. ut Petro de Wolfram collectori reditus ex eius canonicatu collectos tradet.

Ludovicus etc. Venerabili viro Dominico Decano ecclesie sancti Floriani extra muros Cracovienses, salutem etc. Hodie siquidem venerabili viro domino Petro de Wolfram Licentiato in decretis, Cantore ecclesie beate Marie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, iurium, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice in regno Polonie debitorum collectore, referente nobis innotuit, quod pridem Reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus Iohannes miseratione divina Patriarcha Antiochenus, tunc in officio locumtenencie dicti Camerariatus officii existens, ex certis causis animum suum moventibus omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac decimas Canonicatus et prebende ecclesie Cracoviensis, per obitum quondam Floriani Petri in Romana Curia defuncti vacantium, ne per quosvis indebite vel distrahi vel occupari possent, colligi et levari, illosque ad commodum et utilitatem ius ad canonicatum et prebendam huiusmodi dispositioni sedis apostolice specialiter reservatos quomodolibet habituris per suas certi tenoris litteras conservari voluit et mandavit, donec aliud ab ipso domino Patriarcha, nostro tunc in dicto officio precessore, seu dicta Camera reciperetis in mandatis, prout in ipsis litteris dicitur plenius contineri. Et deinde modico dierum intervallo decurso, Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Martinus divina providencia papa Quintus, a cunctis desideratus hominibus, ad apicem summi apostolatus assumptus extitit, ac prefato domino Petro ob exigenciam suorum meritorum multiplicium sibi suffragantium de dictis Canonicatu et prebenda, sicut premittitur, vacantibus graciose duxit providendum: quare pro parte ipsius domini Petri nobis, quatenus fructus, redditus et proventus, necnon decimas et iura quecunque a tempore vobis facti mandati qualitercunque ex Canonicatu et prebenda predictis sic vacantibus levata, collecta et conservata prefato domino Petro tamquam ius ad ipsos habenti de iure debita tradi et assignari mandaremus, fuit humiliter supplicatum. Nos igitur premissis debite consideratis et attentis circumstanciis universis, operibusque fructuosis prefati domini Petri et plurimum in agendis sacri Constanciensis Concilii comprobatis, fructus, redditus et proventus quoscunque ac decimas, pecuniarum summas et iura quecunque ex dictis Canonicatu et prebenda proventa dicto domino Petro ius ad illos ex provisione apostolica habenti consignanda et tradenda fore conspicientes, vobis tenore presentium sub excommunicationis pena mandamus, quatenus, visis et receptis presentibus, prefato domino Petro seu eius legitimo procuratori ad hoc speciale mandatum habenti omnes fructus, redditus et proventus, necnon decimas, pecuniarum summas et iura quecunque in vim litterarum dicti domini Patriarche exacta, collecta et recuperata unacum recuperatorum rationibus quibuscunque tradatis et consignetis, ac tradi et consignari effectualiter faciatis: Nos enim vobis quoscunque rebelles, aliosque propter non solucionem iurium huiusmodi forte excommunicationis sentencia innodatos seu gravatos a sentenciis ipsis, etiam si aggravate fuerint, in forma ecclesie, satisfactione previa, absolvendi, necnon domino Petro et procuratori predictis a vobis iura, pecunias et fructus huiusmodi petendi et recipiendi, ac vos de hiis, que eis seu eorum alteri tradideritis et consignaveritis ex premissis, quitandi et perpetuo liberandi plenam tenore presentium concedimus facultatem. In quorum testimonium presentes litteras fieri et sigilli prefati domini Camerarii iussimus appensione muniri. Datum Constancie Provincie Maguntine die IIII. mensis Decembris sub Anno a Nativitate domini Millesimo CCCC.XVII. Indictione decima, Pontificatus prefati domini nostri Martini pape Quinti Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Divers. Cameral. Tom. IV. fol. 23.

XXI.

Petrus de Volffram cantor Visliciensis et canonicus Cracoviensis nuntius apostolicus et collector in Polonia etc. constituitur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro Fabiani de Wolffram, Cantori ecclesie sancte Marie Wisliciensis Cracoviensis diocesis ac Canonico Cracoviensi, Licentiato in decretis, apostolice sedis Nuncio, in Regno Polonie necnon provincia Gneznensi, ac in civitate et diocesi Culmensi fructuum et proventuum aliorumque iurium Camere apostolice debitorum Collectori, sal. etc. Ex fideli et solicita ac diligenti providencia, prudencia quoque et probitate circumspecta, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi, qui vigente hoc sacro Constanciensi generali Concilio in Collectorem et receptorem fructuum, reddituum, proventuum, censuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum pro tempore quorumcunque in Regno Polonie ac provincia Gneznensi, necnon in civitate et diocesi Culmensi deputatus fuisti, committenda duxerimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Horum igitur resolucione directi, te in Regno necnon civitate et diocesi predictis, ac in Gneznensi huiusmodi provincia Collectorem et receptorem fructuum, reddituum, proventuum, censuum et aliorum iurium predictorum inibi eidem Camere ad presens, et eciam inantea quomodolibet debitorum Collectorem et receptorem specialem atque generalem usque ad nostrum, et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus, creamus et eciam deputamus, tibi nichilominus per te vel alios fide et facultatibus ydoneos clericos, nostro ac ecclesie necnon Camere predictarum nominibus, a quibusvis personis secularibus et regularibus, cuiuscunque dignitatis, etiam pontificali preditis, status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, Regni necnon provincie ac civitatis et diocesis predictarum omnes et singulas pecuniarum summas, ac rerum et bonorum quorumlibet eisdem ecclesie et Camere undecumque, eciam racione confiscationis, ad presens et inantea debitas, necnon quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum eadem auctoritate collatorum et inantea conferendorum, quovis nomine nuncupentur, fructus, redditus, proventus, census aliaque universa iura, eisdem sedi et Camere in predictis Regno, provincia, civitate et diocesi ac eorum quolibet quacunque ratione vel causa debita, et ad illas spectantia eciam pro tempore, quecumque, quotcumque et qualiacunque fuerint, demptis dumtaxat communibus et minutis serviciis ipsius Camere debitis, petendi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis ac Inquisitoribus heretice pravitatis, vel officialibus aliis pro dicta Camera in prefatis Regno, provincia, civitate et diocesi hactenus deputatis, et aliis personis quibuslibet, ubi de interesse et utilitate dicte Camere agi contingit, audiendi et examinandi, ad illorum quoque exhibitionem, si necesse fuerit, quoscunque ex eis compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi et levandi, ac de receptis dumtaxat quittandi, liberandi et absolvendi, ac pactum de ulterius non petendo perpetuo faciendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque etiam status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis dignitate prefulgeant, per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem, aliaque iuris remedia, appellatione postposita, compellendi, ac contra quoscunque te vel alios pro premissorum executione per te pro tempore deputandos, quominus huiusmodi realis fiat executio, directe vel indirecte quovis quesito colore impedientes, aut tibi vel illis iniurias, iacturas seu gravamina quomodolibet irrogantes, prout iuris et rationis ordo suaserit, eadem auctoritate procedendi, illosque, si necesse fuerit, ad comparendum coram nobis aut Camerario nostro vel eius Locumtenente personaliter seu legitime infra certum peremptorium per te eis ad id assignandum competentem terminum citandi, et pro premissis omnibus eciam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, necnon quoscunque processus et excommunicationum, suspensionum ac interdicti sentencias in contumaces, inobedientes et rebelles tam per illos, qui antea in dictis Regno necnon provincia, civitate et diocesi officium Collectorie nomine Camere huiusmodi exercuisse noscuntur, quam per te et eosdem deputatos etiam pro tempore habitos et promulgatos, quociens expedierit, aggravandi, et cum tales ad obedienciam debitam se reduxerint, ipsas sentencias tollendi et suspendendi, ac eos a sentenciis et censuris quibuslibet, si quas propterea incurrerint, absolvendi, ac cum ipsis super irregularitate, si quam huiusmodi sentenciis vel earum aliqua ligati, non tamen in contemptum clavium, missas et alia divina officia celebrando vel immiscendo se illis contraxerint, auctoritate predicta dispensandi, ac omnia alia et singula in premissis, et circa ea quomodolibet necessaria faciendi et exequendi plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem, Non obstantibus tam felicis recordationis

Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri de una ac duabus dietis etc. ut supra Nro. xiv. pag. 12. Datum Constancie iii. Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Offic. Tom. I. fol. 21.

XXII.

Eidem collectori, ut lxxvi. flor. quibus camera, ratione redita, ipsi obligata sit, ex collectis retinere possit.

Universis presentes litteras inspecturis, Ludovicus etc. salutem etc. Ad universitatis vestre noticiam deducimus et vobis presentium tenore attestamur, quod visis, calculatis et diligenter examinatis venerabilis viri domini Petri de Wolfram, in decretis Licentiati, iurium, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie debitorum Collectoris, per venerabiles et circumspectos viros dominos Iacobum de Calvis et Bartholomeum de Urbeveteri dicte Camere Clericos, Commissarios ad hoc deputatos, introitus quam exitus pecuniarum ratione denarii beati Petri ac annatarum sive mediorum fructuum quomodolibet proventarum computis et rationibus, die decimaoctava mensis Decembris Anni domini Millesimi quadringentesimi decimisexti incipientibus, et die duodecima mensis Aprilis Anni dñi Millesimi quadringentesimi decimioctavi finientibus, compertum est, introitum ad mille quingentorum sexaginta sex florenorum auri de Camera et blaffardorum sexdecim, exitum vero ad mille octingentorum et unius florenorum auri predicti similium et blaffadorum vero quinque summas, eius salario sibi per dictam Cameram deputato in premissis minime computato, ascendisse, ac propterea exitum introitum huiusmodi in ducentis trigintaquinque florenis auri similibus et blaffardis undecim, debita calculatione previa, superasse, et deinde salario dicti domini Collectoris, videlicet unius floreni auri de Camera die quolibet iuxta provisionem et deputationem sibi per Cameram factam memoratam, pro tempore ultimi redditi computi sui, incepto die octava(?) mensis Decembris anni domini predicti et die duodecima mensis Aprilis prenarrati finiente, in quo quidem tempore quadringenti octuaginta duo dies includuntur, etiam debite calculato, iidem Commissarii fideliter referre curarunt, quod admissis admittendis et defalcatis defalcandis, prefatum dominum Petrum Collectorem ratione exitus introitum suum superantis ducentos trigintaquinque florenos auri et blaffardos quinque, ac ratione salarii memorati quadringentos octuaginta duos florenos auri de Camera, summam in universo septingentorum sexdecim florenorum et quinque blaffardorum constituentes, a dicta Camera recipere debere et habere: Nos propterea indempnitati dicti domini Collectoris in premissis providere cupientes, sibi Cameram apostolicam prelibatam tam ratione exitus introitum superantis, ut prefertur, quam ratione salarii predictorum in septingentis sexdecim florenis auri de Camera et blaffardis quinque debitricem et obligatam tenore presentium recongnoscimus et fatemur; volumus insuper et tenore presentium eidem Collectori concedimus, quod de pecuniis in decrete sibi Collectorie officio collectis, seu quam primum colligendis et recipiendis dictos septingentos sexdecim florenos auri de Camera et blaffardos quinque, ut prefertur, sibi debitos retinere possit et valeat insolutum usque ad extenuacionem finalem dicti debiti, mandatis et inhibicionibus presentibus contrariis sub quavis verborum forma sibi factis non obstantibus quibuscunque, mandantes expresse dicto tenore dominis Clericis, ceterisque officialibus dicte Camere ipsius domini Petri Collectoris computorum Auditoribus presentibus vel futuris, quatenus in suis quam primum reddendis computis et rationibus septingentos sexdecim florenos auri de Camera supradictos et blaffardos quinque, contradictione quacunque cessante, insolutum admittant, et de sua recepta deducere et defalcare studeant, visis presentibus et absque alterius expectatione mandati. In quorum etc. Datum Constancie die xviii. dicti mensis Aprilis Anno a Nativitate dñi Millesimo Quadringentesimo decimo octavo, Indictione undecima, Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Divers. Camer. Tom. IV. fol. 92.

XXIII.

Eidem, ut dcccclxviii. flor. auri, quos camerae mutuo dederit, ex pecuniis collectis retinere possit.

Ludovicus etc. Venerabili viro domino Petro de Wolfram, Licenciato in decretis, iurium, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie debitorum Collectori, sal. etc. Cum vos hodie ad requisitionem prefate Camere apostolice, cuius facultas ad onera incumbentia perferenda non suppetit, de presenti necessitatibus subveniendo eidem octingentos sexaginta duos florenos auri de Camera de vestris propriis pecuniis, animo illos a dicta Camera et eius iuribus, et presertim

super futura recepta vobis decrete collectorie officii una cum expensa cambii octuaginta sex florenis predictis rehabendi et recuperandi, liberaliter duxeritis mutuandos: Nos indempnitati vestre, prout rationi congruit, providere volentes, vobis Cameram apostolicam prelibatam in octingentis sexaginta florenis auri de Camera ratione mutui, ac octuaginta sex florenis predictis similibus ratione cambii predicti obligatam et debitricem existere, tenore presentium recognoscimus et fatemur. Nos enim, ut vobis de summis supradictis debite satisfiat, vobis octingentorum sexaginta duorum florenorum ratione mutui in numerata pecunia, ut prefertur, traditorum, ac ratione cambii predicti octuaginta sex florenor. auri de Camera summas prenarratas, in universo novimgentos quadraginta octo florenos auri de Camera constituentes, de pecuniis in decrete vobis Collectorie officio, post retencionem plenariam debiti, vobis alias super dicta vestra collectoria assignati, usque ad finalem solucionem et satisfactionem omnium premissorum habendi et retinendi, et in usus vestros convertendi plenam tenore presentium concedimus facultatem, mandantes propterea vestrorum computorum Auditoribus etc. In quorum etc. Datum Constancie Provincie Maguntine die XXVIII. mensis Aprilis sub Anno a Nativitate dñi Millesimo Quadringentesimo decimo octavo, Indictione XI. Pontificatus etc. Anno Primo.

Recepi octingentos LXII. florenos de Camera die IIII. Ego H. Thesaurarius etc.

Ex Reg. orig. An. I. Divers. Cameral. Tom. IV. fol. 96.

XXIV.

Iudicibus, ut de quibusdam civitatibus etc. per regem Poloniae pignoratis inquirant, easque ad regiam coronam revocent.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi et Cracoviensi ac Poznaniensi Episcopis, salutem etc. Ad statum saluberrimum, honores et commoda Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, necnon Regni et partium suo Regali dominio subiectorum, ipsorumque bonorum et iurium recuperationem et conservationem paternis et solicitis studiis intendentes, et sentientes, prout fidedignorum insinuatione percepimus, prefatum Regem, postquam Regni et partium suo Regali dominio subiectorum gubernacionem et administrationem suscepit, sic temporum faciente malicia, a dilectis filiis nobilibus viris nonnullis Baronibus, Nobilibus, Communitatibus et singularibus plerisque personis sui Regni et partium predictorum nonnullas pecuniarum summas mutuo recepisse, et propterea huiusmodi mutuantibus et eorum indempnitati consulere volentem, quedam civitates, terras, castra, opida, villas, loca ac bona alia mobilia, iurisdictiones et iura Regni et partium predictorum ad ipsum Regem, et eius coronam regiamque Cameram spectantia, eisdem mutuantibus per eosdem tenenda, regenda et gubernanda in certis pactis, modis et conditionibus ac titulis etiam alienationum ac pretiis usque ad restitutionem plenariam pecuniarum eisdem per huiusmodi mutuantes, aut aliter solventes ex causa mutui vel alias mutuatarum et solutarum per suas Regias litteras, seu contractus diversorum tenorum ac titulorum alienaverit seu concesserit, que quidem alienationes, concessiones, pacta, conventiones, litteras, contractus et contenta in illis hic alias haberi volumus pro specifice declaratis, et sicut nobis innotuit relatione fideli, huiusmodi alienationes seu concessiones propter usurarum seu alterius indebiti intervoraginem, et propter excrescentiam fructuum et proventuum civitatum, terrarum, castrorum, opidorum, locorum et iurisdictionum ac bonorum predictorum, qui, ut asseritur, non computantur in sortem, neque deducuntur ex illa, in maximum detrimentum iurium, iurisdictionum, proventuum, reddituum atque bonorum prefati Regis, Regalisque corone et Camere ipsius, ac animarum perniciem sic mutuantium aut alio titulo recipientium vel solventium, et exemplum detestabile plurimorum redundare noscuntur: Nos animarum saluti mutuantium aut alias solventium prefatorum, necnon utilitati publice Regis, Regni, Corone, Camere et partium predictorum paternaliter occurrere cupientes, ac super premissis plenissimam noticiam non habentes, ipsius Regis in hac parte statui providere volentes, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum auctoritate nostra, vocatis, qui fuerint evocandi, auditis hinc inde propositis, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii super premissis omnibus, et eorum circumstanciis universis inquiratis diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi, super quibus vestras consciencias oneramus, inveneritis Regem, Regnum, Coronam, Cameramque prefatos communiter vel divisim occasione concessionum, aut alienationum vel pignorationum huiusmodi, aut dependentium ab illis in suis iuribus, iurisdictionibus, fructibus, redditibus, proventibus, rebus aut bonis aliis cum detrimento lesos

aut ledi posse, omnes et singulos, cuiuscunque status, gradus aut habitus seu conditionis spiritalis aut temporalis existant, etiam si regali, reginali, pontificali aut quavis alia dignitate prefulgeant, qui de civitatibus, terris, castris, opidis, villis, locis aut iuribus, iurisdictionibus vel bonis aliis ad Regem, Regnum, Coronam seu Cameram sua communiter vel divisim, ut prefertur, dudum pertinentibus premissorum, vel alicuius eorum occasione vel causa seu titulo ab ipso Rege, aut eius nomine ab aliquo loco pignoris seu alienationis cuiuspiam quomodolibet a tempore suscepti regiminis Regni predicti per se, vel alios usque in presentem diem quomodolibet suscepissent, necnon eorum et cuiuslibet ipsorum heredes, successores et ius, titulum seu causam habentes ab eis, vel aliquo ipsorum super huiusmodi civitatibus, terris, castris, locis et bonis aliis sic concessis, pignoratis, aut aliter alienatis, seu aliquo eorundem, prefata auctoritate moneatis et requiratis, ut huiusmodi civitates, terras, castra, villas, loca, bona, iura et iurisdictiones sic, ut prefertur, concessa vel alienata prefatis Regi, Regno Camereque suis, prout pertinuerit, facta prius per ipsum Regem aut alium pro eo huiusmodi creditoribus, emptoribus, solutoribus seu heredibus vel successoribus eorundem, aut ius, titulum vel causam habentibus ab eisdem seu eorum aliquo satisfactione precii soluti vel pecunie mutuate pro civitatibus, terris vel locis huiusmodi concessis, ut premittitur, seu alienatis, ac etiam expensarum, usuris tamen cessantibus, pro evidenti utilitate aut custodia, fortificatione vel reparatione civitatum, terrarum et locorum, iurium aut bonorum huiusmodi factarum, deductis tamen et excomputatis fructibus, redditibus et proventibus civitatum, terrarum et locorum huiusmodi de sorte debiti et expensarum predictorum, prout ascendere noveritis, vestro iudicio moderandarum, restituant et relaxent cum omni integritate et causa eorundem, et nichilominus eadem auctoritate causam et causas inter partes ipsas audiatis ac fine debito, prout iustum fuerit, decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam a partibus ipsis firmiter observari, non obstantibus concessionibus, alienationibus de civitatibus, terris, castris, opidis, villis seu bonis huiusmodi per ipsum Regem, vel alium seu alios eius nomine pro Regno suo hactenus quocunque aut qualitercunque, etiam auctoritate apostolica, factis, et aliis contrariis quibuscunque, Ipsaque civitates, terras, castra, opida, loca, villas, iura et bona ad ius et proprietatem Regis, Regni, Corone et Camere predictorum, facta prius satisfactione condigna de sorte debiti, deductis tamen ex illo debito pro decenti et congrua portione secundum consciencias, ut prefertur, omnibus et singulis, que eisdem creditoribus deberentur, reducere ac etiam reintegrare modis omnibus studeatis, Contradictores quoslibet et rebelles, si monitis vestris in premissis parere quomodolibet recusarint, per censuram similem et alia iuris remedia auctoritate prefata, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus etiam tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illa presertim, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine diocesis eorundem, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo presumant, ac de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si eisdem Baronibus, Nobilibus, Communitatibus et singularibus personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut eorum civitates, terre et loca interdici, aut ipsi extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Constantie Quarto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. V. fol. 122.

XXV.

Wladislaum regem Poloniae pontifex in regno Poloniae et partibus Russiae suum in temporalibus vicarium generalem constituit.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri in Magnanovagroda et Plisscow civitatibus et earum dominiis Russie pro nobis et Romana ecclesia in temporalibus generali vicario, salutem etc. Etsi de cunctis negociis cure atque regimini nostris humeris superna dispositione iugiter incumbentibus nos cogitare conveniat ex apostolice servitutis officio, circa illa tamen propensioribus vigilancia atque cura extendere compellimur mentis nostre vigilias, per que orthodoxe fidei profectus, ac infidelium detestanda malignitas ad patrem luminum et ad unitatem apostolice sedis conversio, auctore domino, valeant incrementis salutaribus atque felicibus salubriter pro-

venire. Cum igitur, sicut manifeste didicimus plurimorum et catholico Rege dignissimorum operum ab effectu, tua Serenitas exponens iugiter se ac sua nullis abstinendo laboribus aut impensis erga consecutionem pacis et unionis in eadem universali ecclesia sancta dei, ac pro tutela et incremento orthodoxe fidei et conversione infidelium quorumcunque ad ovile dominicum, unione orientalis ecclesie ad veritatem et integritatem catholice et apostolice, sacrosancte et universalis ecclesie, ut fiat, tuo cooperante Regali ministerio, ovile unum et pastor unus, non desierit nec desinat incessanter exponere totius Regalis vigilancie sue curas, et propterea intendentes, ut eo vigilantioribus circa premissa et eorum effectum eadem tua Serenitas valeat insudare, quo per nos et sedem apostolicam maiori fuerit auctoritate munita, et ut exemplo huiusmodi laudabili ac honorabili ceteri Reges et principes christianitatis excitentur ad similia imposterum peragenda, premissis et nonnullis causis rationabilibus ad hec animum nostrum moventibus inclinati, personam tuam in Regno Polonie et ceteris partibus tuo Regali dominio suppositis, ac in terris et locis scismaticis Russie, et pro conversione infidelium quorumcunque ad cultum prefate fidei, et maxime ac presertim in Magnanovagroda et Plisscow civitatibus et earum dominiis Russie, quo ad vitam duxeris in humanis, eadem Serenitate tua tam in nostra ac successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium et eiusdem ecclesie fidelitate, devotione et obediencia permanente, cum iurisdictione, potestate et officio, oneribus et honoribus aliis vicariis in temporalibus in civitatibus et partibus predictis hactenus per sedem apostolicam deputatis, in eisdem temporalibus auctoritate apostolica tenore presentium generalem vicarium ordinamus, constituimus et etiam deputamus, eidem Serenitati tue nichilominus in Regno et partibus huiusmodi contra scismaticos et infideles, ac hostes prefatos et adherentes, complices et sequaces eorum, ac pro conversione eorumdem et aliorum quorumcunque oberrantium ad ovile dominicum, ac unione orientalis ecclesie ad eandem Romanam et universalem ecclesiam, et ab hiis dependentibus et connexis, dicto vicariatu durante, omnia et singula faciendi, gerendi et exercendi ac etiam exequendi, que eadem tua Serenitas viderit salubriter expedire, et que ad huiusmodi vicariatus officium de consuetudine vel de iure spectare noscuntur, plenam et liberam facultatem et potestatem harum serie concedentes, ac mandantes Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Epīs, et dilectis filiis Electis, Administratoribus, Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis, ac universis et singulis Christifidelibus in virtute sancte obediencie, ac pro incremento dicte fidei orthodoxe, quatenus per viscera misericordie domini nostri, ac nostram et apostolice sedis reverenciam eidem tue Serenitati tamquam nostro et eiusdem ecclesie in temporalibus vicario in civitatibus et partibus supradictis, quotiens requiri contigerit, Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Electi, Administratores, Abbates ceterique ecclesiarum et monasteriorum prelati per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia contra obstinatos, appellatione cessante, et alio quocumque modo, Reliqui autem quibusvis presidiis faveant in cunctis oportunitatibus fideliter et assistant, ut fructus uberrimi, altissimo inspirante divinitus, per tue celsitudinis studium iuxta desideratam conceptamque spem valeant provenire ad omnipotentis dei laudem et gloriam, statum et honorem militantis ecclesie, ac nostros, tranquillitatem et pacem civitatum et partium et dominiorum predictorum et christifidelium quorumcunque. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri Archiepī Gneznensis fidelitatis debite ac de huiusmodi officio solerter ac regaliter, prout speramus et cupimus, exercendo pro nobis et eadem Romana ecclesia recipientis prestare debeas in forma solita iuramentum. Tua igitur Serenitas, sicut abunde concipimus, onus officii huiusmodi prompta devotione suscipiens, sic illud studeat in singulis, exaltationem status et incrementa fidei ecclesie, nostrique pariter et christifidelium quorumcunque concernentibus, regaliter ac saluberrime exercere, ut apud altissimum, qui solus Regibus et principibus dat salutem, ultra nostram et ipsius sedis benedictionem et graciam palmam sempiterne beatitudinis et gloriam valeat promereri. Datum Constancie Tercio Idus Maii. Pontificatus nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Offic. Tom. I. fol. 79.

XXVI.

Alexander (Witoldus) dux Lithuaniae in Lithuania caeterisque partibus suo dominio subiectis et in civitatibus magna Novagroda et Pleskow generalis in temporalibus vicarius Romanae ecclesiae constituitur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Alexandro, alias Wictoldo, Duci Lithwanie in Lithwania et ceteris partibus temporali dominio tuo subiectis, ac in omnibus locis Sagmoitarum ac

Russie, necnon in Magnanovagroda ac Pszykow (sic) civitatibus ac in dominiis earundem in temporalibus pro nobis et Romana ecclesia generali vicario, salutem etc. Etsi de cunctis negotiis etc. ut in precedenti. Cum igitur, sicut manifeste didicimus plurimorum et catholico principe dignissimorum operum ab effectu, tua nobilitas exponens iugiter se ac sua nullis abstinendo laboribus et expensis erga consecutionem pacis et unionis in eadem universali ecclesia sancta dei, ac pro tutela et incremento orthodoxe fidei et conversione infidelium quorumcunque ad ovile dominicum, necnon unione orientalis ecclesie ad veritatem et integritatem catholice et apostolice, sacrosancte et universalis ecclesie, ut fiat, etiam tue nobilitatis cooperante ministerio, ovile unum et pastor unus, non desierit neque desinat incessanter exponere totius vigilantie sue curas: et propterea intendentes etc. inclinati, personam tuam in Ducatu Lithwanie et ceteris partibus temporali dominio tuo subditis, ac in omnibus locis Sagmoitarum ac Russie, nec non in Magnanovagroda et in Pszykow civitatibus et dominiis earumdem, et pro conversione infidelium quorumcunque ad cultum prefate fidei, et maxime ac presertim in Magnanovagroda et Pszykow civitatibus et earum dominiis Russie, quoad vitam duxeris in humanis, eadem nobilitate tua tamen in nostra et successorum etc. christifidelium quorumcunque. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri ... Epi Wilnensis fidelitatis debite etc. prestare debeas iuramentum. Tu igitur etc. promereri. Datum Constancie III. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. I. fol. 80.

XXVII.

Petro de Wolfram collectori, ut CCL. flor. auri, quos camerae mutuo dederit, ex pecuniis collectis retinere possit.

Ludovicus dei gratia Episcopus Magalonensis, Rmi in Christo patris domini Francisci miseratione divina Archiepiscopi Narbonensis, domini pape Camerarii, in Camerariatus officio Locumtenens Venerabili viro domino Petro Wulfram de Lamburga, licenciato in decretis, iurium et proventuum in Regno Polonie Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Cum vos hodie necessitatibus Camere apostolice predicte subveniendo de vestris propriis pecuniis, animo illas a dicta Camera et eius iuribus rehabendi, ipsi ducentos quinquaginta florenos auri de Camera, Reverendo in Christo patre domino Antonio et eadem gratia Episcopo Senensi, domini nostri pape Thesaurario pro ea recipiente, liberaliter mutuaveritis: Nos indemnitati vestre providere volentes, vobis Cameram apostolicam prelibatam in ducentis quinquaginta florenis huiusmodi sic, ut prefertur, mutuatis debitricem existere, tenore presentium recognoscimus et fatemur, vobisque ducentos quinquaginta florenos predictos de iuribus et proventibus in decrete vobis Collectorie officio colligendis, preter cambium dictorum ducentorum quinquaginta florenorum, habendi, retinendi et in vestros usus convertendi plenam tenore presentium concedimus facultatem, mandantes propterea vestrorum computorum Auditoribus tenore predicto, quatenus ducentos quinquaginta florenos huiusmodi in vestris quamprimum reddendis computis allocare, et de vestra recepta deducere et defalcare studeant et procurent absque alterius expectatione mandati. In quorum etc. Datum Florencie die XIII. mensis Septembris sub anno domini Millesimo quadringentesimo decimo nono, Indictione XII. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et dñi nostri dñi Martini divina providentia pape Quinti Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Divers. Cameral. Tom. V. fol. 183.

XXVIII.

Eidem collectori, ut mille flor. auri societati de Medicis ex pecuniis in regno Poloniae collectis solvat.

Ludovicus dei gratia Episcopus Magalonensis, Rmi in Christo patris et domini, dñi Francisci miseratione divina Archiepiscopi Narbonensis, domini nostri pape Camerarii a Romana Curia personaliter absentis, in Camerariatus officio Locumtenens et Executor ad infrascripta una cum prefato domino Camerario auctoritate apostolica specialiter deputatus, Venerabili viro domino Petro de Wulfram, licenciato in decretis, Custodi ecclesie Gneznensis, iurium, fructuum et proventuum in Regno Polonie apostolice Camere debitorum Collectori, salutem etc. Cum alias pro necessitatibus tunc apostolice Camere imminentibus nobilis vir Iohannes de Medicis et socii, mercatores Florentini, eidem Camere millequingentorum florenorum auri de Camera summam liberaliter mutuaverint, et pro debita earum restitutione et satisfactione sibi fienda, Reverendus in Christo pater dominus Guillelmus eadem gratia Epus

Lausanensis, tunc dictum Camerariatus officium Regens, summam predictam super fructibus et proventibus Collectorie Regni Polonie assignaverit rehabendam, de ipsisque sibi mandaverit per Venerabilem virum Matheum de Lambertis de Neapoli, Archidiaconum Wratislaviensem, tunc inibi Collectorem, realiter responderi, sicut in litteris superinde confectis, datis apud sanctum Antonium extra muros Florentinos die nona mensis Augusti sub anno domini millesimo quadringentesimo terciodecimo, plenius continetur; cumque in huiusmodi assignationum litterarum executione ipsi Iohannes et socii quingentos florenos auri de Camera dumtaxat receperint et habuerint, et adhuc alios similes mille florenos recipere et habere restent, sicut iidem Iohannes et socii per eorum sacramentum et per plures informaciones veridicas nos et dictam Cameram reddiderunt certificatos: Nos igitur predictorum Iohannis et sociorum indempnitati providere volentes, de mandato Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dñi Martini divina providencia pape Quinti nobis superinde facto oraculo vive vocis, et auctoritate Camerariatus officii, cuius vices gerimus in presenti, vobis presentium tenore precipimus et mandamus, quatenus de pecuniis decrete vobis Collectorie ad Cameram apostolicam pertinentibus, et de quibus computare tenemini, per vos receptis aut quam primum recipiendis, prefatis Iohanni et sociis, vel eorum legitimo procuratori ad hoc ab eis speciale mandatum habenti, summam predictorum mille florenorum auri de Camera, quos habere restant de predicta summa mille quingentorum florenorum, tradere et realiter assignare curetis: Nos enim Iohanni de Medicis et sociis ac procuratori predictis de hiis, que presentium vigore eis vel eorum alteri dederitis et assignaveritis, vos dumtaxat quitandi et liberandi plenam concedimus harum serie litterarum facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que vigore presentium tradideritis seu assignaveritis, duo confici faciatis publica documenta, quorum uno penes vos retento, reliquum nobis et Camere apostolice predicte quantocius destinare curetis. In quorum etc. Datum Florencie die vicesima mensis Decembris sub anno domini Millesimo quadringentesimo decimonono, Indictione XII. Pontificatus etc. Anno Tercio.

In margine: De istis mille florenis dñus Collector Polonie satisfecit in Polonia Albicio de Medicis, ipso recipiente nomine dicte societatis de Medicis, ut constat per quitanciam dicti Albicii, ut etiam idem Collector nobis Ludovico Vicecamerario scripsit die tertia Iunii anno dñi MCCCCXXII.

Ex Reg. orig. An. III. Divers. Cam. Tom. VI. fol. 6.

XXIX.

Litterae testimoniales visitationis liminum apostolorum.

Universis presentes litteras inspecturis Ludovicus dei gratia Episcopus Magalonensis, Rm̃i in Christo patris domini Francisci miseratione divina Archiepiscopi Narbonensis, domini pape Camerarii, nunc absentis, in Camerariatus officio locumtenens, salutem etc. Universitati vestre etc. Quod cum Reverendus in Christo pater dominus Iohannes dei gracia Archiepiscopus Rigensis teneatur singulis trienniis, Romana Curia citra montes existente, sedem apostolicam sive limina beatorum Petri et Pauli Apostolorum visitare, pro uno triennio presenti die quintadecima mensis Iulii de anno dñi millesimo quadrigentesimo vicesimo primo proxime futuro finiendo, et pro uno alio triennio ex tunc immediate secuturo, et ut sequitur similiter finiendo, per honorabilem virum Magistrum Henninghum Bekeman, procuratorem in Romana Curia et ipsius domini Archiepiscopi procuratorem ad hoc legitime constitutum, die date presencium tempore debito sedem ipsam cum devocione debita visitavit: Nichil tamen visitacionis huiusmodi causa apostolice Camere obtulit vel servivit. In quorum omnium fidem et testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli Camerariatus officii prefati domini Camerarii appensione muniri. Datum Florencie sub anno domini Millesimo quadringentesimo vicesimo, Indictione terciadecima, die prima mensis Maii, Pontificatus etc. Martini divina providencia pape Quinti Anno III.

E. m. Littere testimoniales visitationis liminum Apostolorum pro Iohanne Episcopo Warmiensi et Gerhardo Episcopo Pomezaniensi per Venerabilem et religiosum virum dominum Iohannem Tirgard ord. B. Marie Theutonicorum in Romana Curia procuratorem generalem facta.

Ludovicus etc. Universis etc. salutem etc. Universitati vestre etc. Quod cum Reverendus in Christo pater dñus Iohannes singulis trienniis etc. ut supra usque muniri. Datum Florencie die XXIX. mensis Augusti sub anno dñi MCCCCXX. Indictione XIII. Pontificatus etc. Anno Tercio.

Littere testimoniales visitationis liminum pro Iohanne Episcopo Sambiensi per eundum Iohannem Tirgard facta.

Ludovicus etc. Universis etc. salutem etc. Universitati vestre etc. Datum Florencie die tertia mensis Septembris sub anno domini MCCCCXX. Indictione XIII. Pontificatus etc. Anno III.

Ex Reg. orig. An. III. Divers. Cameral. Tom. VI. fol. 82, 185 et 190.

XXX.

Treugas inter Vladislaum regem Poloniae ac Alexandrum Lithuaniae ducem et Michaelem magistrum generalem hospitalis B. Mariae Teutonicorum sub spe pacis et concordiae ineundae pontifex indicit.

Martinus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Regis pacifici celum terramque regentis in secula seculorum vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad illa ex apostolice servitutis officio nos decet et expedit propensiori cura [vigilancia] nostra studia semper extendere, per que pacis desideranda tranquilitas, que celestibus humanorum effectuum salubriter peractorum connectit affectum, inter cunctos christifideles, et presertim maximos potentatus, ex quorum discordia [et] subditis eorundem ac eciam circumvicinis partibus non solum terrarum et urbium, sed provinciarum atque Regnorum resultant excidia, prout in plerisque lugenda atque calamitosa exempla mortalibus exhibent argumenta, procurari queat, et procurata auctore pacis de trono sue ineffabilis maiestatis atque potencie concludi, et mediis salutaribus stabiliri ac extolli felicibus incrementis, et attendentes, quod non nisi in pace pacis opifex Deus perfecte coli valeat, et ea nichil in mundanis exoptari possit preciosius aut desiderabilius concupisci. Hinc est, quod nos paternaliter atque memoriter et non absque cordis nostri amaritudine recensentes eciam, dum minori fungeremur officio, inter Carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie Illustrem, ac Nobilem virum Alexandrum alias Wictoldum Lithuanie Ducem, Regnumque sue celsitudinis ac ipsius Wictoldi Ducatum ac utriusque eorum dominia, et degentes in illis et subditos, necnon adherentes, complices et sequaces ex una, et dilectos filios Michaelem Bocmaister Magistrum generalem domus hospitalis ordinis Cruciferorum beate Marie Theotonicorum de Prusia, et fratres dictorum hospitalis et ordinis ac dominia, subditos, adherentes, complices et sequaces eorum ex altera partibus graves viguisse discordias vicibus repetitis, et non sine maxima strage mortalium et fidelium christianorum bella suborta, necnon et urbium atque terrarum et locorum excidia, emulo pacis, hoste videlicet humani generis causante, deinde ad pacem inter partes fuisse dissidentia revocata, iteratoque repetitas discordias et scandala gravius excitata, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, ad contentiones, ex quibus mala innumera verisimiliter deveniri timebatur inter partes, iterum est reditum, nostrisque deinde exhortationibus instantissimis in civitate Constanciensi apud notabiles procuratores ipsarum dissidentium partium, pro ipsarum quiete votive intervenientes, tunc etiam assistentibus Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum Rege Illustre ad tam salutare negocium peragendum, ac venerabilibus fratribus nostris prefate ecclesie Cardinalibus, cuncta inter partes ipsas dissidentia sub meta treuge sub spe pacis et concordie sunt reducta, ac demum per ipsum Regem Romanorum super hiis terminandis negociis [discordiis], ab ipsis partibus tradita sibi iterum potestate, latum fuit iam pridem iterato laudum quoddam, non tamen, ut didicimus, concorditer a partibus omnibus approbatum, quinimo multis ex partibus graviter impugnatum, ex quo, sicut dolenter accepimus, sunt turbationes atque discordie iterum inter partes ipsas verisimiliter emersure, considerantesque, quod si semper mortales agent odia et ad pestifera bella reditus sine intermissione detur, strages mortalium non sine eciam animarum et eterne salutis dispendiis, ac excidiis civitatum, provinciarum et Regnorum huiusmodi, et in illis degencium subsequentur, divinorum cultus deperibit in eis, sicque prolabentur omnia in ruinam, ad que ex apostolica servitute nos convenit supra cetera vigilancius ac solercius insudare, propterea supremis affectibus exoptantes inter partes ipsas concordiam et pacem mediis saluberrimis suscitare, nutrire pariter et fovere, ipsos Regem, Ducem, Magistrum, fratres, utriusque partis subditos, adherentes, complices et sequaces per viscera dei nostri, qui pro salute mortalium se ipsum morti addixit in vivifice crucis ligno, quatenus pro ipsius gloria, nostra et apostolice sedis reverencia, ac pro salute et tranquillitate pacifica eorundem et aliorum adiacentium, cum talium discordie atque bella non solum se, suosque, sed eciam alios plurimos tractura sint verisimiliter in precipium et ruinam, velint eorum corda, mentes et animos ad effectum salutaris concordie atque pacis ex toto deflectere, ponendo ante oculos eorundem terribiles effectus, quos bella pariunt et producunt, et quam salutares ac deo et mundo placidos, ex quibus universa mortalibus bona procedunt, extollat ad sidera desiderabile bonum pacis, et ut inter partes ipsas, ipsorumque adherentes et com-

plices, ut prefertur, vigeat pax et quies, et cessent effectus pestiferi, dampnabiles et maligni, quos bella nutriunt et producunt, ut prodeant fructus pacis tendentes ad salutem quorumlibet tam animarum quam corporum iuxta cordis nostri desiderium, et spem simul ad laudem et reverenciam omnium creatoris ac totius celestis Curie statum et honorem militantis ecclesie sante dei nostrumque pariter, pacem, tranquillitatem ac salutem prefatorum Regis Wladislai, Regni, Ducis ac Ducatus, Magistri et fratrum, necnon dominiorum subditorum ac degentium in eisdem, ac adherentium et sequacium partium predictarum et utriusque earum, et ut prefate partes demum glutino pacis indissolubilis ac unitis mentibus zelo domus dei in exterminium et confusionem hostium nominis Crucifixi virilius ac potencius se accingant, auctoritate apostolica et ex certa sciencia, habitis inter nos prius et cum venerabilibus fratribus nostris prefate ecclesie Cardinalibus super hoc deliberatione matura atque consilio, inter Regem Wladislaum, Wictoldum Ducem, Regnum ac Ducatum, hospitale, ordinem, Magistrum et fratres, dominia, subditos et degentes in illis, necnon adherentes, complices et sequaces ipsarum parcium et utriusque earum, ac eciam inter ipsas treugam, inducias et sufferencias sub spe pacis incepturas in festo beati Michaelis Archangeli proxime venturi prorogantes, et usque ad festum sancte Marie Margarite proxime venturum inclusive inviolabiliter duraturas indicimus per presentes, et pro ipsarum stabilitate ac fortitudine harum serie partibus, et earum utrique et aliis supra comprehensis, quorum interest seu interesse poterit quomodolibet in futurum, auctoritate prefata et harum serie iniungentes, quatenus sub indignationis nostre et apostolice sedis et aliis censuris, et penis spiritualibus et temporalibus pro nostro voluntatis arbitrio pro qualitate negocii infligendis, quorum omnium declarationem nobis et nostris successoribus reservamus eciam per presentes, servare, exequi et adimplere, et exequi ac impleri facere per se, subditosque ac adherentes huiusmodi teneantur et debeant bona puraque fide. Et quoniam in desideriis cordis nostri gerimus, et speramus simul dissensiones et scandala, que inter partes ipsas suborta, et que possent verisimiliter evenire, pacis actore inspirante altissimo, meta salutaris concordie in dulcedinem tranquillitatis pacifice commutare, auctoritate predicta dictis partibus et earum utrique eciam iniungimus per presentes, quod usque ad festum Nativitatis dominice proxime venturum coram nobis, ubicunque nos esse contigerit, produxisse, quicquid voluerint, pro suarum intentionum informatione debeant, cum intendamus, domino concedente, omnino citra festum eciam dominice resurrectionis inter partes eas terminasse, que fuerint terminanda pro illarum pace, tranquillitate et quiete, ad quas supremis affectibus, novit altissimus, aspiramus. Nulli ergo etc. nostre indictionis, iniunctionis, reservationis et intentionis infringere etc. Si quis etc. Datum Florencie Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. VI. fol. 6.

XXXI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut contra quosdam in regno Poloniae Bohemorum haeresi infectos procedat.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Ex debito summi apostolatus officii ad conservandam fidem catholicam, et quamlibet heresim extirpandam de populo christiano omnibus cogitationibus et curis nostris intendimus, et precipue vigilamus, ut nascenti errori sic tempestive et salubriter occurratur, ne fixis alte radicibus in duriorem heresim convalescat. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum, nonnullos in Regno Polonie infectos esse eadem heretica labe, que Regnum Boemie damnabiliter excecavit, et nisi provideatur opportune, periculum imminere de maiori scandalo et perditione plurium animarum. Nos igitur cupientes huiusmodi scandalis et futuris periculis obviare, et si qua ex parte contracta est aliqua macula in Regno illo Polonie fideli, ipsam totaliter abolere, ac si que persone sunt in heresim collapse, illas ab errore reducere ad veritatem, et circa hec et alia de prudencia, fide et devotione tua sumentes in domino fiduciam specialem, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, ut per tuam diocesim et totum Polonie Regnum diligenter inquiri facias de personis precipitatis in heresim et errorem, et eas studeas ad viam salutis et penitencie revocare: quod ut possis utiliter et solicite exequi, et iuxta cor nostrum prefatum Regnum preservare in sancta fide sincerum, Circumspectioni tue quascunque personas utriusque sexus ecclesiasticas et seculares dumtaxat in prefato Regno Polonie constitutas, cuiuscunque status, preeminencie, dignitatis, ordinis, gradus vel conditionis extiterint, que a salutiferis documentis et doctrina catholice fidei deviantes, damnatas hereses et errores ac superstitiosa dogmata Wiklefistarum et

Husistarum hereticorum et quorumlibet aliorum hactenus tenuerunt, ac illis adheserunt et faverunt publice et occulte, seu illis prestiterunt auxilium, consilium et favorem, si ad cor reversi fuerint, et suum humiliter recognoscentes et confitentes errorem, ad nostram et ecclesie Romane devotionem et fidem christianam redire voluerint, etiam si persone ipse vel earum alique alias in similes hereses relapse et errores abiurassent et abnegassent semel vel pluries, si hoc humiliter petierint, ad apostolice sedis gremium, nostramque et ipsius ecclesie obedienciam reducendi et revocandi, ipsasque, abiuratione previa, ab omnibus excommunicationum, supensionum et interdicti aliisque sentenciis, censuris et penis ecclesiasticis, quas premissorum occasione quomodolibet incurrerunt, etiam si absolutio huiusmodi esset dispositioni apostolice specialiter reservata, auctoritate nostra absolvendi in forma ecclesie consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, easque ad famam, statum et honorem pristinos ac dignitates quaslibet temporales, necnon illas ex personis eisdem, si clerici vel presbiteri fuerint, ad quecunque beneficia ecclesiastica, secularia vel regularia cum cura vel sine cura, ordinum quorumcunque, etiamsi Canonicatus et prebende aut dignitates, personatus et officia etiam curata et electiva, et dignitates ipse in metropolitanis vel aliis cathedralibus post pontificales maiores, aut in Collegiatis ecclesiis principales seu prioratus conventuales fuerint, quibus forsan per processus apostolicos aut alias de iure privati existerent, dummodo tempore absolutionis huiusmodi non sit in eisdem beneficiis alicui specialiter ius quesitum, eadem auctoritate restituendi, reponendi et reintegrandi, et ipsas ad illa imposterum canonice obtinenda habilitandi, eisque huiusmodi beneficia de novo conferendi, et cum eisdem clericis et presbiteris super irregularitate, quam premissorum occasione celebrando divina vel immiscendo se illis quomodolibet contraxerunt, eis tamen prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, et quod in susceptis deinde ordinibus (ministrare), et ad alios sacros ordines alias tamen rite se possint facere promoveri, eadem auctoritate dispensandi, ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per easdem personas premissorum occasione contractam penitus abolendi, et alia omnia circa eorundem hereticorum reductionem vel eversionem, si animis, quod absit, permanserint induratis in opinionibus suis, in premissis agendi, ordinandi, disponendi et exequendi, que pro ipsarum animarum salute et orthodoxe fidei incremento oportuna seu necessaria esse prospexeris, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, quam in simili forma concedimus venerabilibus fratribus nostris Cracoviensi, Plocensi et Poznaniensi Episcopis, ut in eo Regno plurium suffragiis fides catholica conservetur illesa. Datum Tibure VI. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Tom. VII. fol. 99.

XXXII.

Andreae episcopo Posnaniensi ad Romanam curiam et concilium Papiense venienti salvus conductus conceditur.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem etc. Cum venerabilis frater noster Andreas Episcopus Poznaniensis ad nonnullas partes mundi et presertim Italie, et ad Curiam Romanam ac Concilium Papiense habeat se conferre: Nos cupientes eundem Episcopum cum sociis, familiaribus, equitibus et peditibus, salmis, eorumque arnesiis, valisiis, bonis et rebus quibuscunque eundo, stando et redeundo, quociens sibi placuerit, plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, subditis vero nostris et gentium armorum Capitaneis ubicunque militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus ipsum Episcopum cum equitibus et peditibus, arnesiis, valisiis, bonis et rebus supradictis benigne recommendatum habentes, nullam eis in personis, equis, arnesiis, bonis et rebus huiusmodi inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed eum pocius cum familiaribus, equitibus, peditibus, arnesiis, valisiis, bonis et rebus ipsis per portus, passus, terras, districtus et loca nostra absque contradictione et impedimento quocunque semel et pluries, quocienscunque sibi placuerit, transire, stare et redire libere permittatis, absque solucione alicuius pedagii, dacii, gabelle, theolonei (?), angarii, perangarii vel alterius oneris cuiuslibet imposicione; sed ei, si opus fuerit, de securo conductu, si a vobis illum petierit, sic libere providere, pro nostra et apostolice sedis reverencia studeatis, quod vestra possit devocio exinde apud nos et dictam sedem merito commendari, Presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum X. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia Tom. VII. fol. 186.

XXXIII.

Eidem Andreae episcopo Posnaniensi conservatores constituuntur.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lubucensi, et dilectis filiis Wratislaviensis ac B. Marie Hetinensis Caminensis diocesis ecclesiarum Prepositis, salutem etc. Militanti ecclesie etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum x. Kal. Februarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XI. fol. 151.

XXXIV.

Exsecutoribus, ut decanum Posnaniensem et archidiaconum Gnesnensem, qui per officiales regios e regno iniuste expulsi fuerint, in integrum restituant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi et Cracoviensi ac Poznaniensi necnon Wladislaviensi Episcopis, salutem etc. Nuper ad nostram noticiam est deductum, quod nonnulli ecclesiarum vestrarum Prelati et Canonici, videlicet dilecti filii Petrus de Cabilino Decanus Poznaniensis, Nicolaus de Kiky decretorum doctor, Archidiaconus Gneznensis, Referendarius noster, de anno proxime preterito fuerunt banniti de Regno Polonie, eorumque res et bona per officiales Regios arrestata et occupata, quamvis etiam, si peccassent, eorum punicio non ad laicale forum sed ecclesiasticum pertinebat. Et quoniam debito nostro incumbit pro summi apostolatus officio libertatem ecclesiasticam ubique defendere, super hoc scripsimus Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Polonie Regi Illustri, ut novitatem factam contra predictos faciat revocari, et sic pro benignitate sua regia eum speramus esse facturum: nichilominus tamen ad cautelam, si id facere non curaverit, fraternitati vestre tenore presentium committimus et mandamus, quatenus vos vel tres aut duo seu unus vestrum per vos quoscunque tam clericos quam laicos in bannicione Decani et Archidiaconi predictorum, aut ipsorum rerum et bonorum arrestatione et occupatione huiusmodi culpabiles, cuiusvis status vel conditionis fuerint, etiam si pontificali aut reginali prefulgeant dignitate, ad dicte bannacionis revocationem ac condignam et debitam satisfactionem, rerumque et bonorum huiusmodi restitucionem per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compellatis, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum viii. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. VII. fol. 288.

XXXV.

Rex Poloniae de studio fidei dilatandae laudatur, moneturque, ne iura ecclesiae in regno suo conculcari permittat.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Serenitatem tuam novimus quondam multa fecisse, prout decet catholicum principem, summo laude digna, que spectarent ad augmentum religionis et cultus fidei orthodoxe: nam edificasse te plures ecclesias, et conservasse iura ecclesie Romane in Regno tuo, libertatem ecclesiasticam defendisse, et quod ipsi vidimus, sincera fuisse devotione erga Romanos pontifices, eisque debitam in omnibus obedientiam prestitisse, et commendabant omnes et ad singularem laudem ascribebant celsitudinis tue. Gaudebamus nos quoque talem principem ecclesiam habere, que reliquis preberet ex operibus suis vere virtutis exempla: ideoque et dum eramus in minoribus, laudavimus semper hec tue devotionis et pietatis opera. Et post assumptionem nostram ad hoc apostolatus onus puro corde et singulari caritate amavimus serenitatem tuam, erga quam, neque enim id improperandi causa diximus, non minus gratiosos fuisse nos credimus, quam fuerint predecessores nostri, testis est nobis deus, nos te semper habuisse loco peculiarissimi filii, et ob eam causam complacuisse votis tuis, quantum patiebatur honor et dignitas apostolice sedis. Quo magis admirari nunc cogimur audientes aliqua, que multum discrepant a prioribus moribus tuis. Refertur enim nobis, quasi omnia in aliam dispositionem immutata esse in eodem Regno, conculcari iura ecclesie et ecclesiasticam opprimi libertatem, non timeri censuras nostras et huius sedis auctoritatem, electiones ecclesiarum et monasteriorum, quorum tamen omnimoda dispositio ad nos spectat, non esse liberas, sed fieri ad prescriptum tuum, beneficiorum per nos collatorum provisiones con-

temni, etiam in beneficiis generaliter reservatis, neque in ea re pareri mandatis nostris, multaque insuper alia fieri preter honorem Regni ac nostram et Romane ecclesie dignitatem. Que si, ut referuntur, vera existunt, dolemus ex corde et maxime propter serenitatem tuam, cuius honorem et nomen, ut reliqua omittamus, antea clarum et nobile obumbrari necesse est propter huiusmodi sermones, qui de tua serenitate vulgantur. Verum si quid est, in quo fortasse aberretur, id existimamus provenire ex non sano consilio malaque ambitione tibi assistentium potius, quam consilio aut voluntate tua, cum nulla causa existat, cur mutasse debeas tuam pristinam atque optimam voluntatem. Quamobrem serenitatem ipsam, quam speciali caritatis benevolencia complectimur, rogamus et requirimus, atque etiam in domino exhortamur, ut si qua per errorem minus recte facta sunt, corrigens priorem devotionem atque affectionem erga dei ecclesiam reassumas, ac reiectis talibus consiliis in solita obediencia devotionisque fervore perseveres, defendendo iura Romane ecclesie, libertatem ecclesiasticam tuendo, reverendo prelatos, et provisiones nostras debitum effectum permittendo sortiri, atque ita te gerendo in singulis rebus, que ad dignitatem, honorem statumque nostrum et ecclesie spectant, ut ea, que de tua celsitudine narrantur, tua bonitate falsa esse convincas. Hec enim agens et tueberis famam tuam intactam ab omni macula, et altissimo rem facies acceptissimam, pro qua et huius vite pacem tranquillam et future mercedem eternam consequeris. Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XII. fol. 9.

XXXVI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut eumdem regem ad ecclesiasticam libertatem tuendam adhortetur.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Scribimus Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Polonie Regi Illustri nostras litteras in hec verba: Martinus etc. Hec autem scripsimus dolentes ab intimis aliqua fieri in Regno suo, propter que honor Regius et tam laudata devotio sermone hominum maculetur, presertim cum non desint, qui vitio humani generis etiam benefacta quandoque iniquius interpretentur. Quare fraternitatem tuam rogamus ab intimis, ut cum ad te potissimum spectet iura ecclesie defensare, celsitudinem Regiam commonefacere velis, et cum omni benignitate hortari ad persistendum in solita devotione erga nos et apostolicam sedem, nihilque innovandum contra ecclesiasticam libertatem, ut que dei sunt, deo tribuantur, et si quid per aliquos forsan esset hactenus attentatum, corrigatur taliter, ut de eius fructifero opere solitis valeat apud nos et eandem sedem laudibus commendari. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XII. fol. 10.

XXXVII.

Consiliariis regni Poloniae super eodem argumento.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Consilio Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, salutem etc. Scribimus Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Polonie Regi Illustri nostras litteras in hec verba: Martinus etc. Hec autem ad scribendum moti fuimus tum propter eorum, que dicuntur, indignitatem, tum vero maxime propter honorem Regium, cuius cura specialiter manet insita cordi nostro: quo enim plus ipsum diligimus, eo magis tanquam diligens pater de honore suo, ne qua in re minuatur, soliciti sumus. Accedit etiam, quod ista in infamiam Regni redundare videntur, et non modicam culpam vestram, quorum consilio iura ecclesiastica defendi debent: nam ut recte factorum laudem, ita eorum, que indebite fiunt, dedecus reportatis. Devotionem igitur vestram requirimus atque hortamur in domino, ut cum electi sitis ex multorum numero tanquam prudentes viri et consilio pollentes, Regiam serenitatem pro honore suo et Regni pariter ac vestro cohortari velitis, prout ex debito tenemini, ad eadem ipsa, ad que nos quoque eum nostris litteris exhortamur. Nihil est enim, quo magis regna vigeant, nihil ex quo christiani principes maiorem laudem et gloriam in hoc seculo reportent, quam ex pura affectione ac reverencia erga dei ecclesiam sacrosanctam et eius sponsum verum Ihesum Christum, quorum monitis et mandatis qui devote parent, firmissimum sibi preparant iter ad celestem vitam, ad quam solam omni studio intenti esse debemus. Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XII. fol. 9.

XXXVIII.

Witoldo magno duci Lithuaniae de zelo fidei pontifex gratulatur et suadet, ut haereticos Bohemos et Turcas expugnet.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Wictoldo magno duci Lithuanie, salutem etc. Cum venisset ad nos dilectus filius Nicolaus Lassoczky, secretarius carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, fratris tui, ac publice exposuisset coram nobis ac Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, multisque aliis prelatis et excellentibus viris, filium iniquitatis Sigismundum nepotem suum preter et contra voluntatem regiam atque tuam, immo vobis repugnantibus ac prohibentibus, se contulisse ad perfidos Boemie hereticos, ac propterea serenitatem regiam nobilitatemque tuam non nepotem illum, sed hostem vestrum iudicare, et illum pro tali habere, multaque preterea ipse Nicolaus narrasset de tua sincera affectione et pura voluntate erga extirpationem illorum rebellium fidei nominis Christi, et orthodoxe fidei incrementum: letati sumus in immensum hec in publico dicta esse. Nam quamvis nota essent hec nobis ex litteris et fama multorum, tamen valde letati sumus prefatum secretarium verum testimonium reddidisse de regis et tua sinceritate cordis ad vestri fame et nominis defensionem, ne aliqua suspicio in cordibus hominum valeat imposterum exoriri. Valebit etiam multum ad enervandam nequitiam et pertinaciam hereticorum, cum audierint tam publice expositam esse nobis devotionem tuam et mentis puritatem, quos debilitari necesse est, cum viderint non solum se vana spe destitui, sed etiam ab illis, quos non credebant, oppugnari. Itaque nos, qui mentem tuam optime noveramus, post verba ipsius secretarii ea respondimus, que maxime ad honoris tui conservationem et amplitudinem laudis pertinerent. Ceterum, dilecte fili, cognovimus et sermone et litteris multorum, excellentiam tuam continue cum Teucris hostibus nominis Christi et tui bellum gerere. Ex quo maximam laudem et gloriam consequeris apud omnes, et presertim in conspectu nostro et apostolice sedis. Quare devotionem tuam plurimum in domino exhortamur, primum ut sicut hactenus laudabiliter fecisti et sicut firmissime credimus, ita nunc quoque omni cura et diligentia vigiles et intendas ad ea, per que execrabilis pestis funditus extirpetur, cum nullum maius nobis, nullum deo acceptius servitium impendere possis, quam ut tota mente, totis viribus ad ipsorum hereticorum vel reductionem vel totalem desolationem incumbas; deinde ut confidens in adiutorio altissimi, qui omnium in se sperantium est protector, inceptum tuum viriliter prosequaris ampliando fidem, infideles expugnando, ut convertantur ad deum verum: aderit enim ipse adiutor tibi deus et virtuti tue favebit, dabitque tibi post labores, quos suscipis pro ipsius fidei incremento, eterne vite condignam tuis operibus retributionem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XII. fol. 8.

XXXIX.

Wladislao regi Poloniae, ut haereticos Bohemos ab erroribus revocet vel expugnet.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Narravit nobis publice dilectus filius Nicolaus secretarius serenitatis tue, adstantibus etiam Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, magnaque prelatorum multitudine et aliorum excellentium virorum, filium iniquitatis Sigismundum nepotem tuum preter et contra tuam voluntatem, immo etiam te penitus adversante et prohibente, contulisse se ex ambitione perversa dominandi ad illos damnatos hereticos, et eorum perfidie se immiscuisse, ac propterea tuam excellentiam non nepotis, sed hostis loco illum habere ac in futurum velle tractare; multaque preterea retulit de tua sincera affectione et voluntate erga confusionem ac perditionem illorum rebellium nominis Christi, et fidei catholice incrementum. Que quamvis essent satis nota nobis ex sermone et litteris multorum, tamen ne qua vel parva suspitio in cordibus hominum exoriri queat, multum letati sumus secretarium tuum illa dixisse in publico, et tue sincere devotionis verum testimonium perhibuisse ad defensionem honoris tui et fame et nominis amplificationem. Placuit insuper nobis hec tua excusatio propter enervationem illorum hereticorum, quos frangi et debilitari necesse est, cum viderint se non solum omni inani spe destitui, sed etiam unde forsan auxilium falso imaginabantur, oppugnari. Itaque nos, qui mentem tuam optime novimus, post ipsius secretarii verba ea respondimus, que maxime ad dignitatis tue defensionem et amplitudinem glorie pertinerent. Devotionem ergo tuam, et hanc egregiam affectionem circa orthodoxe fidei defensionem et augmentum, experimento comprobatam, condignis laudibus in domino com-

mendamus, rogantes ab intimis celsitudinem tuam, ut sicut antea digne et laudabiliter fecisti, ita nunc quoque omni cura vigiles et intendas ad ea, per que execrabilis hec pestis funditus extirpetur: nullum enim nobis maius, nullum deo acceptius servitium impendere potes, nullum tua serenitate dignius officium prestare, quam ut tota mente, totis viribus tua celsitudo ad ipsorum vel reductionem vel totalem expugnationem ac subvertionem incumbat. Datum ut supra.

Ex reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XII. fol. 76.

XL.

Stanislaus Powlowsky archidiaconus Plocensis in capellanum pontificium recipitur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Powlowsky Archidiacono ecclesie Plocensis, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens etc. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te, qui ut asseris, ex utroque parente de nobili genere procreatus, et dilecti filii nobilis viri Semoviti ducis Mazovie Cancellarius existis, in nostrum et sedis predicte capellanum auctoritate apostolica generose recipimus, ac aliorum nostrorum et ipsius sedis Capellanorum consortio favorabiliter aggregamus, tibi nichilominus concedentes, quod indulgenciis, immunitatibus, exemptionibus et privilegiis per felicis recordationis Iohannem XXII. et Clementem VI. Romanos pontifices predecessores nostros Capellanis dicte sedis concessis uti, et gaudere libere et licite valeas, pie memorie Innocentii VI. Urbani V. et Gregorii XI. etiam Romanorum pontificum predecessorum nostrorum restrictionibus, immunitatibus, exemptionibus et privilegiis supradictis, et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sortiaris. Sic igitur etc. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis, concessionis et intentionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum iv. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XI. fol. 104.

XLI.

Alberto archiepiscopo Gnesnensi conservatores constituuntur.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Cracoviensis et Wladislaviensis ac Poznaniensis ecclesiarum Archidiaconis, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit etc. Sane venerabilis fratris nostri Alberti Archiepiscopi Gneznensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique ecclesiarum prelati et clerici, ac ecclesiastice persone tam religiose quam seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites et Laici, Communia Civitatum, Universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et alie singulares persone Civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus mense Archiepiscopalis Gneznensis, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad eosdem Archiepum et mensam spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestant auxilium, consilium vel favorem etc. Ceterum etc. Presentibus post decennium minime valituris. Dat. Gallicani Penestrensis diocesis Septimo Kalendas Augusti. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XI. fol. 132.

XLII.

Conservatores capitulo ecclesiae Gnesnensis constituuntur.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Preposito Plocensis et Cantori Wratislaviensis ecclesiarum et Officiali Poznaniensi, salutem etc. Militanti ecclesie etc. Datum Rome apud Sanctos Apostolos vii. Kal. Aprilis. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia Tom. XI. fol. 160.

XLIII.

Archiepiscopo Leopoliensi, ut regi Poloniae decimam ad Bohemos haereticos expugnandos concessam assignari curet.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi, salutem etc. Dudum, videlicet v. Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Septimo, inter cetera commisimus tue fraternitati, ut postquam tibi evidenter constaret Carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie

Illustrem, Catholicum principem et singularissimum zelatorem fidei christiane, paratum esse ad eundum cum parato, exercitu, vel missurum exercitum suum contra Boemos hereticos, unam aut duas decimas duorum annorum de fructibus, redditibus et proventibus dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum in suo Regno Polonie consistentium, usque ad summam vigintimilium florenorum sub certis modis, formis et conditionibus tunc expressis Clero dicti Regni imponeres, et prefato Regi, postquam tibi constaret, ipsum cum eius exercitu personaliter ire velle vel huiusmodi exercitum cum effectu mittere contra Boemos hereticos supradictos, In primo anno videlicet profectionis et missionis sue decem millia, et in alio anno sequenti etiam decem millia florenorum pro supportandis expensarum oneribus assignares, donares atque concederes, prout in aliis nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Nunc autem quia per oratorem eiusdem Regis plene informati sumus de sincera intentione et optima volumptate prefati Regis dispositi iuxta posse fidem catholicam contra hereticos defendere atque iuvare, volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositionem de dictis vigintimilibus florenis ab ipsius Clero petendis et exigendis pro subsidio dicti Regis et defensione fidei christiane auctoritate nostra facias, et etiam exequaris iuxta dictarum continenciam litterarum, precipiens insuper prelatis et personis ecclesiasticis dicti Regni, quos huiusmodi pecuniarum solutio concernit, sub pena dupli et sub aliis penis, de quibus discretioni tue videbitur, ut ipsorum quilibet in promptu habeat et apud se teneat pecunias preparatas pro rata ipsos concernente de impositione predicta, et quando Rex ipse erit paratus ire vel exercitum suum validum mittere contra dictos hereticos, ut prefertur, extunc tua fraternitas pecunias huiusmodi dicto Regi vel eius procuratoribus legitimis infra mensem per eosdem prelatos et Clerum sub penis similibus facias effectualiter consignari, ne propter defectum solutionis huius caritativi subsidii ipsi Regi catholico impendendi tam pie expeditionis et prosecutionis negotium, defensionis scilicet christiane religionis et fidei retardetur, pro qua defendenda non solum prelati et alii viri ecclesiastici, qui propterea sunt a domino instituti, ut populos eis commissos in doctrina vere fidei doceant et conservent, debent exponere se et sua, sed etiam quilibet christianus et zelator fidei Catholice. Datum Rome apud Sanctos Apostolos v. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. VIII. fol. 241.

XLIV.

Paulus episcopus Gurcensis conservator et administrator ecclesiae Rigensis constituitur.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Paulo Episcopo Gurcensi, salutem etc. Cum, sicut accepimus, Venerabilis frater Bartolomeus Archiepiscopus Rigensis ex certis causis nobis notis possessione et regimine administrationis bonorum ecclesie Rigensis sibi commisse gaudere non possit de presenti: Nos, quibus ecclesiarum omnium est a domino generalis cura commissa, ne propterea possessiones, introhitus, fructus, redditus et proventus dicte ecclesie, quos ipse Archiepus non potest percipere, per laicales personas illarum partium distrahantur et occupentur, paternaliter providere volentes, te, de cuius integritate et fidelitate plene confidimus et speramus, quod que tue prudentie commiserimus, diligenter et fideliter exequeris, Administratorem omnium possessionum, rerum, iurium et bonorum illarum partium Rigensis ecclesie predicte, quas dictus Archiepiscopus possidere non potest, in spiritualibus et temporalibus generalem usque ad beneplacitum nostrum, vel donec ipse Archiepiscopus dictarum partium possessionem pacifice consequetur, auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam ordinamus, tibi nichilominus nostro et apostolice Camere nomine quoscunque fructus, redditus et proventus, census, decimas et affictus ex dictis possessionibus et bonis ipsarum partium provenientes et proventuros a quibuscunque illorum debitoribus petendi, recipiendi et recuperandi, quoscunque solventes et consignantes dicto nomine absolvendi, quictandi et liberandi, ac contra occupatores, detemptores et distractores fructuum, redditum, proventuum et bonorum predictorum auctoritate nostra procedendi, processus formandi et aggravandi, ac sentencias promulgandi et exequendi, Contradictores quoque quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et super hiis, si opus fuerit, auxilium secularis brachii invocandi, et alia faciendi, mandandi et exequendi, que ad officium et exercitium generalis administratoris dicte ecclesie in spiritualibus et temporalibus pertinere noscuntur de consuetudine vel de iure, et que pro perceptione fructuum, redditum, proventuum, censuum, decimarum et affictuum predictorum, ne per laycos distrahantur, ac statu dicte ecclesie profutura et opportuna cognoveris, plenam et libe-

ram tenore presentium concedimus facultatem, ratum et gratum habituri, quicquid per te factum fuerit in premissis, idque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod de hiis, que vigore presentium a quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus dicte ecclesie Rigensis receperis aut exegeris, duo confici debeant consimilia documenta, quorum uno penes solventes pro eorum cautela retento, alterum ad dictam Cameram quantocius transmittatur. Datum Rome apud Sanctos Apostolos v. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. VIII. fol. 243.

XLV.

Wladislao regi Poloniae, ut una cum Sigismundo Romanorum rege Bohemos haereticos expugnet.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Cum rogaremur ex parte carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum Regis Illustris, ut cum ipse intenderet accedere personaliter ad expugnationem perfidorum hereticorum Boemie, requireremus serenitatem tuam, ut ipsa quoque personaliter cum suis viribus debitum auxilium ad perficiendum tantum bonum prestare vellet, locuti sumus super hoc cum oratoribus tue celsitudinis, rogantes, ut te ad tam sanctum negotium nostri parte exhortarentur: qui cum nobis spem indubiam dedissent, te ad id personaliter accessurum, magnam suscepimus ex eorum verbis consolationem, et summam fiduciam concepimus ex talium principum concursu, perfidiam illorum debere penitus extirpari. Sperantes igitur in eo, cuius causa agitur, quod non secundum peccata nostra retribuet nobis, bona in spe sumus, quod prefata nequitia Boemorum tolletur de medio per tuam et aliorum fidelium principum operationem: ut autem (iuxta) desiderium cordis nostri circa ipsorum extirpationem facilius consequamur effectum, mittimus ad Germanie et alias partes Venerabilem fratrem Iordanum Epum Albanensem, dictum Cardinalem de Ursinis, nostrum et sedis apostolice legatum, ad monendum et exhortandum Christi fideles, ut ad subversionem huiusmodi hereticorum debita impendant auxilia et favores: ideo serenitatem tuam, in qua specialem fiduciam habemus, et quam semper invenimus promptam ad catholice fidei defensionem, rogamus et exhortamur in domino, ut sicut bonus miles Iesu Christi sumens scutum adversus hos hereticos detestandos, velis omni studio et pro viribus incumbere ad eorum extirpationem et desolationem, si permanserint in perfidia ipsorum, accedens personaliter ad perfectionem tanti egregii operis, tam accepti deo; hoc nihil laudabilius, nil excellentius potes facere, quam ut tuo auxilio et virtute hoc nefandum semen heresis tollatur de grege domini, neque est aliud opus, quod magis deceat serenitatem tuam, cuius est proprium expugnare hereticos, defendere fidem Christi et fideles protegere, ex quibus et laudem in hoc seculo perpetuam, et eternam apud deum gloriam consequeris. Super hiis autem nonnulla commisimus dilecto filio Iacobino de Rubeis nuntio nostro eidem serenitati referenda, quibus placeat adhibere plenam fidem. Datum Rome apud Sanctos Apostolos sub anulo (?) die xvii. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. XII. fol. 38.

XLVI.

Witoldo duci Lithuaniae, ut ad haereticos Bohemos expugnandos praesto sit.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Witoldo duci Lithuanie, salutem etc. Ut novit excellencia tua, sepius destinavimus nuntios et legatos nostros pro extirpatione errorum et heresum, quibus Boemi, operante hoste humani generis, detinentur. Verum seu vitio temporum seu peccatis nostris exigentibus neque reductionem eorum ad sanam doctrinam, neque expurgationem adhuc consequi potuimus, licet hoc procuraverimus studiis indefessis, quin potius illi in sua malitia exultantes deteriores efficiuntur indies, et velut hostes catholice fidei ita sanctum domini conculcant, ut nullo modo differendum sit, quin tante sacrilege pesti quamtocius remedia opponantur. Itaque nos, quos dies et noctes urgens huius rei cura solicitat, ut christiani principes ad expugnationem inimicorum Christi nominis ardentius concurrant, et tanto morbo debitis remediis se opponant, mittimus ad Germanie et alias partes Venerabilem fratrem Iordanum Episcopum Albanensem, dictum Cardinalem de Ursinis, nostrum et sedis apostolice legatum, ut una cum tuo reliquorumque christianorum regum et principum favore et auxilio hec perfida heresis tollatur funditus de vinea domini, quam nimis diu supradicti, deiectis bonis agricolis, conculcaverunt. Nobilitatem ergo tuam, qui semper fidei catholice egregius propugnator et aug-

mentator fuisti, rogamus atque exhortamur in domino, ut sicut de devotione tua plene confidimus, et de te spem gerimus singularem, ad delendam tantam pernitiem, tam detestandam heresim tota mente et pro viribus incumbas, succurrasque fidei orthodoxe scuto defensionis tue. Multa sunt opera, que principes decent, nullum est tamen ex omnibus maioris glorie, maioris premii apud deum, quam reprimere hereticos, defensare catholicam fidem, et oppressos erigere fideles: quod licet semper studiose feceris, et ex eo fueris summam laudem consecutus, tamen in hac re tuarum virtutum laus maxime elucebit, que tanquam supra candelabrum posita nullo extinguetur tempore, sed lucebit in eternum. Super hiis autem et nonnullis aliis quedam referenda nobilitati tue commisimus dilecto filio Iacobino de Rubeis nuntio nostro, cui velis in dicendis adhibere credentie fidem plenam. Datum Rome apud Sanctos Apostolos sub anulo (?) die XVII. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. XII. fol. 38.

XLVII.

Regi Poloniae, ne perverso vicecancellarii regni sui ambitui obsecundet, neque eum ad sedem Posnaniensem designet.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Supervacuum esse putamus, fili carissime, recensere, quanto studio conati simus, dum eramus in minoribus, promovere negotia, que placere tue serenitati cognoscebamus, et postquam ad apicem huius dignitatis licet immeriti assumpti, quanto amore et caritate complexi fuerimus tanquam filii precipui devotionem tuam. Ipsa quidem opera, non enim improperandi causa dicimus, testata sunt mentem nostram, quam semper promptam videre potuisti, quantum cum deo potuimus, ad ea, que essent honoris et status celsitudinis tue. Cum enim videremus te singulari fide fulgere inter christianos principes, devotione quoque erga nos et Romanam ecclesiam precipua, non solum conservare illam, sed augere nostris in te beneficiis conati sumus, qua in re si tue serenitati complacuimus, merito in domino letamur. Sed nimirum animum nostrum ac collegii Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium admodum conturbarunt littere, quas noviter ad nos scripsisti super promotione vicecancellarii regni tui ad ecclesiam Poznaniensem: mirati enim sumus et non parum commoti, ea in tuis litteris contineri, que parum deceant sinceritatem devotionis tue. Cum tamen cogitaremus litteras illas ab eo debere esse ordinatas et compositas, pro quo intercedunt, doluimus quidem illum ita sibi soli affectum et suis intentum commodis, ut neque sapiat ea, que sunt dei, neque querat, que sunt Ihesu Christi, sed que seculi huius et pompe, cuius mentem profecto nimis occecavit mala ambitio et immoderatus regendi appetitus, et adeo a recto tramite rationis divertit, ut non sineret illum considerare, neque ad quem scriberet, neque ex cuius parte, oblitum dignitatis tue pariter et nostre, narrantemque ea, que et a prudentia tua longe sunt aliena. Debuisset quippe effervescentem cupiditatem suam magis compescere et animi nimium cupientis impetum paulum continere ac potius tacere, quam male loqui, et quod peius est, ea sentire, que sunt contra matrem suam ecclesiam Romanam et iura communia. Is enim est, qui tibi noviter suggerit de iure tuo et regni in promotionibus fiendis, iniuriam et dedecus fieri persuadet, si non expectata nominatione tua aliquis promovetur, et quia liberales et benivolos prestitimus nos petitionibus tuis, pro iure nunc et debito accipit, quod ex nostra liberalitate processit: cuius verbis malignitate plenis miramur te, fili carissime, aures prebere, cum ea tibi persuadere conatur, que sunt contra et divina et humana iura, et reiecta per ecclesiasticas sanctiones, atque ad ea solum intendat, per que, dummodo quod cupit, consequatur, inter te et sedem apostolicam zizaniam, quod tamen nunquam faciet, possit serere. Propter que et alia, que nobis de eo a veridicis referuntur, habentes eum ac iudicantes tanquam reum criminis lese maiestatis, decrevimus tradere pompam carnis et ambitionem suam in interitum sathane, ut anima salva fiat. Itaque de consilio prefati collegii Cardinalium inhabilitavimus eum ad quecunque beneficia et dignitates, etiam pontificales, de cetero obtinendas, processuri contra ipsum ad privationem officiorum et beneficiorum quorumlibet, et alias penas et censuras, prout sua demerita postulabunt et iustitia suadebit, ut sic a nobis debite licet sero correctus, ipse quoque corrigat errata sua, et deposita ambitione ad meliorem sensum revertatur, deque salute anime cogitet, qui nimium de ampliando corpore cogitabat. Tua quoque serenitas laudabiliter faciet ipsum, qui quantum in eo fuit, honorem tuum dehonestavit, virum utique facinorosum a te et officio, quod indigne tenet, repellere, et procul amovere a tuo latere et consilio, cum nihil sit magis formidandum, quam inimicus familiaris insidiis et fallaciis plenus, qualem reputes, oportet, quemcunque auctoritati nostre aut

sedis apostolice detrahentem, conantemque inter te et nos dissensionum materiam seminare. Itaque ostendas, oportet, palam talem virum displicere et extra tuam gratiam esse. Quod autem de oratoribus destinandis scribis, laudamus in hoc bonam voluntatem tuam. Nam de enseniis (strenis?) per ipsos ad nos mittendis, miramur satis id a te vel ab illo potius scribi, quod neque ex dignitate tua sit neque ex sapientia: quem quid opus erat mentionem munerum facere, tanquam crederes te muneribus consecuturum, quod postulares a nobis? quo quid indignius serenitate regia esse potest? non enim munera respicimus, sed bonam animi affectionem, que omnibus donis est nobis acceptior, prout et tu ipse hactenus perspicere potuisti, et ipse scandalorum sator, qui talia finxit, experietur. Verumtamen ut plane cognoscas intentionem nostram erga tuam serenitatem, nos nunquam nedum egimus, sed ne cogitavimus quidem quicquam, quod vergeret in obprobrium tuum aut dedecus, vel iurium tuorum pessundationem, ut scribis, quin potius diligentes te precipuo caritatis affectu, veluti precipuum nostrum et ecclesie filium, in quo habemus fiduciam specialem, ad exaltationem incrementumque tui status et honoris fuimus intenti, exaudiendo, quantum nobis possibile fuit, petitiones tuas: memores tamen illius evangelice sentencie, quam tu quoque in corde tuo sculptam debes gestare, ut que sunt dei, deo, que vero cesaris, reddantur cesari. Ita respicimus ad honorem et dignitatem tuam, ut non obliviscamur honoris nostri, nec postponamus auctoritatem apostolice sedis, quam tu quoque pro iuribus debes tueri et conservare, prout decet christianum principem et eum, qui filiis suis non maiorem regni hereditatem debet relinquere, quam devotionis ac religionis: nam quo magis emines in excelso, eo magis deum regum omnium regem debes vereri, a quo sunt potestates et regna, quoque magis vergis in declive etatis, eo magis in sapiencia, que est a deo, debes proficere, et in bonis operibus, respiciens vigilantius ad finem iam propinquum, et ad salvandam animam intentus, nec quicquam committere, ex quo aut illi salutis periculum, aut tibi aliqua fame et glorie iam parte iactura imminere possit. Nos quidem serenitatem tuam exhortamur in domino, ut nobis credere omni sp. . . . , sed examines, que et quo animo dicantur, ita in devotione tua perseverabis, et malignantium nequitiam contemnes: quantum in nobis erit, nos dabimus operam, ut tua sublimitas merito de nobis contentari possit, habentes more nostro tua specialius recommissa (sic). Datum Genazani Prenestine diocesis Kal. Septembris. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. XII. fol. 27.

XLVIII.

Alexandro (Witoldo) duci Lithuaniae super eodem argumento.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Alexandro alias Witoldo Duci Lithuanie, salutem etc. Recepimus litteras tuas et Carissimi in Chrsito filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, fratris tui, super promotione vicecancellarii Regni Polonie ad ecclesiam Poznaniensem, quas scias non sine mentis molestia nos legisse: turbarunt enim non solum animum nostrum, sed etiam collegii venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, et illud precipue nos commovit, quod tam in tuis quam in ipsius Regis litteris narratur, vos ordinasse ad nos mittere oratores vestros cum muneribus, tanquam persuasum fuerit tibi, nos posse moveri donis ad obsequendum Regie tueque voluntati, quod in obprobrium nostrum scriptum censeri potest, et in dedecus apostolice sedis. Illud etiam a te scriptum admirati sumus, te conqueri, nos non expectasse presentationem Regis, quam dicis de consuetudine Regni antiquitus obtentam: nam hoc est longe aliter, quam fuerit suggestum tibi. Si enim, quod fecimus sepius et libenti animo, ut placeremus Regi, ad eius preces aliquem promovimus, non ideo eius presentationem expectare debemus, neque, quod ex liberalitatis nostre beneficiencia hactenus processit, id pro debito usurpandum est, nobisque potius gratia habenda esset, qui exaudivimus supplicationes Regias, quam aliquid nunc imputandum, si iuribus nostris et sedis apostolice usi sumus. Sed hoc et quamplura, que in tuis litteris continentur, certi reddimur non procedere de mente tua, que tamen caritatem erga te nostram nec extinguere poterunt, nec minuere. Inventa autem et conficta existimamus ab illo vicecancellario, in cuius favorem scribuntur. Itaque non culpamus nobilitatem tuam, quam putamus ignaram fuisse eorum, que in litteris continebantur, sed illum malignitatis filium, pro quo scribuntur, qui ipsarum auctor debuit esse et machinator, sicut Regiarum quoque litterarum fuisse apparet, qui usque adeo malo ambitionis occupatus est, et inani dominandi gloria ductus, ut non cogitet, quid persuadeat Regi, aut quid agat, loquatur aut scribat, dummodo perveniat ad dignitatis gradum, quem omnino perversa et reproba via concupiscit, qui semper inten-

tus est ad seminandum, quod tamen efficere nunquam poterit, discordiarum frugem inter nos et Regem prefatum, querens diminutionem oppressionemque iurium auctoritatisque nostre et apostolice sedis, ut ipse augeatur et exaltetur, filius sane reprobus, qui per matris dedecus sibi honorem querit, qui persuadere conatur Regi multa, licet ut confidimus incassum, que eum a devotione sua erga nos alienent. In quibus, si aut doctus est aut bonus, scit se plane mentiri, cum sint contraria divinis iuribus et humanis. Est homo quidem perversus ac nequam, qui si aliquid in se virtutis aut bonitatis haberet, non tantum per fas et nefas adeo effrenate optaret extolli, expectaretque, donec vocetur ad dignitates potius, quam se tam turpiter ingereret tamque imprudenter. Sed quoniam in dies pullulat eius cupiditas in suam pernitiem et scandalum aliorum, virga ferrea compescenda est. Itaque ad refrenandum hanc immensam eius cupiditatem, que est malorum omnium radix, et ut anime sue saluti consulamus, cuius ipsum videmus esse oblitum, et eius curam postponere pro mundi pompa, de consensu prefatorum Cardinalium ipsum inhabilitavimus ad quecunque beneficia, dignitates etiam pontificales imposterum obtinendas, processuri, nisi resipiscat, ad privationem beneficiorum officiorumque, que obtinet, et ad alia ulterius, prout sua postulabunt demerita, et prout fuerit rationis. Tuam ergo sublimitatem requirimus et in domino exhortamur, ut roges fratrem tuum illustrem, ut illum vicecancellarium, qui, quantum in eo fuit, famam Regis et Regni dehonestavit litteris suis, a suo consilio et latere repellat, officioque removeat, fugiens eius colloquia tanquam aspidis surde, tunc maxime ledentis, cum blanditur, horterisque, ut ostendat palam omnibus talem virum non solum remotum esse a suo conspectu, sed privatum quoque gratia et benivolencia Regia, quod idem, ut tu similiter facias, paterna caritate monemus et eciam suademus, nullam prestando fidem eius verbis, sed eum fugiendo tanquam virum infectum et eum, qui cogitatione sermonis multum posset nocere tue fidei puritati et honori, quam non solum debes conservare, sed in diem augere, ut augeatur in te gratia summi dei, nam quo magis in etatem procedis et in domini amplitudinem, eo magis pietate, religione, devotione et obediencia debes proficere, et cariorem habere anime tue salutem, quam talis hominis indebitam exaltationem, citiusque nobis complacere et verbis nostris intendere, quam illius. Nos quidem personam tuam semper complexi sumus paterna benivolencia et caritate, prout nosti, desiderantes te, veluti decet obediencie filium, semper in melius dirigere mentem tuam. Tuis vero petitionibus, quantum cum deo potuimus, conati sumus complacere, et ita quantum cum honore nostro poterimus, in futurum faciemus. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. de Curia Tom. XII. fol. 29.

XLIX.

Plebanis Thorunensi et Gedanensi, ut contra haeresim Hussiticam verbum crucis in terris ordini B. Mariae Teotonicorum subiectis praediceut.

Martinus peiscopus etc. Dilectis filiis Andree Pfaffendorf decretorum doctori in Thorum, et Andree Slommaw in Danczk Culmensis et Wladislaviensis diocesium ecclesiarum Plebanis, sal. etc. Illius, qui se pro dominici salvatione gregis in pretium immolari non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in terris, id nostri precipue cordis vota deposcunt, ut pro quibus superorum ascribendis cetui ipse omnium summus rerum opifex languores humanos perpeti voluit, nos, quibus huiusmodi gregis curam regimenque universale commisit, illos a perfidie laqueis, et ne in malorum sentinam omnino proruant, etiam temporalibus accitis presidiis, preservare ac reducere curemus, et eorum saluti, divina nobis propiciante clemencia, iugiter intendamus. Sane ad propellendam penitus execrabilem, que plurimos Regni Bohemie et partium illi vicinarum habitatores et incolas prothdolor infecit, diversisque errorum precipitiis involvit, heresim, nullis indulgentes vigiliarum solicitudinibus, nullis parcentes laborum sarcinis, dudum Christifideles quoslibet, ut assumpto salutifero crucis signaculo adversus eos ex dictis habitatoribus et incolis, qui hostis suasu antiqui in erroribus ipsis veluti heretici et perfidi diutius infervescere, et alios ad perniciem trahere cernerentur, animosius exurgerent, etiam spiritualia eis exinde pollicendo munera, duximus exhortandos, et attendentes, qui summi patris familias operarii ad vinee humane sumus opera accersiti, beatifice predicationis ministerium ad emollienda, et ut ab ipsis erroribus resipiscant perfidorum, firmandaque, ut in devium non labantur, fidelium ipsorum corda, spiritus almifici cooperante gratia, plurimum conferre posse, ac super eo, quod in directione verbi dei, ipso auctore, vos, qui fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani existitis, multiplices pro convincenda heresi et exterminandis erroribus huiusmodi debeatis afferre fructus, etiam dilecti filii Pauli Magistri generalis dicti hospitalis, se a festo purificationis gloriosissime dei genetricis Marie virginis citra

ad exterminium heresis et errorum eorundem, ac fidei propagationem orthodoxe circa Regnum et partes huiusmodi quamplures non modicis sumptibus et expensis gentes tenuisse et fovisse, asserentis testimonium complectentes, vos hinc ad biennium, quandiu contra huiusmodi perfidos acies dirigenda fuerit, in predicatores dicti verbi auctoritate apostolica assumimus, constituimus et etiam deputamus, vobis et vestrum cuilibet per vos et alios commendabilis experiencie bonique testimonii presbiteros, quos ad id interim duxeritis eligendos, infra quecunque terras et loca, Magistro dicti hospitalis pro tempore existenti subiecta, huiusmodi verbum proponendi et predicandi, omnesque fideles terrarum et locorum eorundem et aliunde ad illa interim confluentium, ut tam gloriosissime Crucis signum devote recipiant, et suis contra perversa ipsorum perfidorum conatus et molimina cordibus imprimant, monendi et exhortandi, cum ipso quoque signo illud suscipere volentes pro suorum animarum corporumque tuicione signandi, necnon omnia alia et singula, per que fides prosperari, ac heresis et errores huiusmodi facilius meliusque convelli et exterminari poterunt, faciendi, gerendi et exercendi plenam et liberam eadem auctoritate tenore presentium dantes facultatem. Et insuper, ut dicti fideles prefatum signum citius atque ferventius assumere, et ut veri Christi pugiles contra huiusmodi perfidos eius hostes promptius exurgere satagant, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi et illa, quam nobis licet indignis deus ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui predicationi huiusmodi interfuerint, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Illis vero, qui cruce signati extiterint et infra tempus eis per aliquem ex vobis vel dictis eligendis prefigendum pro extirpatione heresis et errorum predictorum, ac contra illos sustinentes, dogmatizantes vel quomodolibet foventes in propriis personis et expensis ad loca tunc per aliquem vestrum nominanda iverint, seu ut ibi interessent, iter arripientes in illo decesserint, necnon eis, qui in propriis personis illuc non accedentes, iuxta suarum exigenciam facultatum de illis bellatores illuc destinaverint, ac ipsis etiam, qui licet alienis expensis, propriis tamen in personis huiusmodi nominanda loca adierint, plenam suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, peccaminum remissionem impertimur. Ceteris vero universis et singulis, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, que personaliter interesse, aut propter inopiam seu paupertatem alios destinare nequiverint, ut prefertur, dummodo interim ieiuniis et orationibus vacaverint altissimum suppliciter exorando, ut ipsis fidelibus in premissis victoriam et triumphum de sua pietate concedat, necnon utriusque sexus fidelibus, qui iuxta devotionem et affectionem etiam citra facultatum suarum exigenciam aliquid pro extirpatione huiusmodi contribuerint sive dederint, singulis diebus ac vicibus, quibus hoc fecerint, sexaginta dies etiam de iniunctis eis penitenciis similiter relaxamus. Omnes quoque, qui interim pro huiusmodi consumatione negocii zelo fidei accensi, consilium et auxilium impenderint oportuna, necnon illos, quos huiusmodi Crucis signo muniri contigerit, et pro extirpatione predicta iverint seu miserint, ut prefertur, illis privilegio et immunitate gaudere volumus atque decernimus, que Crucesignatis pro terre sancte subsidio transeuntibus in generali Concilio sunt concessa, eorumque personas, necnon familias, res et bona sub beati Petri et apostolice sedis protectione suscipimus, statuentes, ut eadem bona, donec de ipsorum euntium reditu vel obitu certissime constiterit, integra maneant et quieta, ac sub locorum ordinariorum, per quos ea interim auctoritate predicta tueri concedimus, protectione persistant, mandantes ordinariis eisdem, ut ipsos Crucesignatos contra huiusmodi statuti et concessionis tenorem, necnon venerabilibus fratribus nostris Warmiensi et Culmensi Episcopis, ut aliquem vestrum seu eligendorum eorundem, quominus omnia et singula, que vos presentium serie contingunt, facere, gerere ac exercere libere possitis, per quoscumque, cuiusvis etiam pontificalis dignitatis, status, ordinis vel conditionis fuerint, nullatenus impediri vel molestari permittant, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia oportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum, ut Crucesignati et mittentes huiusmodi remissionis et indulgentiarum earundem cicius magisque sint capaces, cuilibet ex vobis et predictis, etiam si regulares fuerint, eligendis, ut ipsorum Crucesignatorum et mittentium confessionibus diligenter auditis, eis pro commissis, etiam si manuum iniectores in clericos vel religiosos, seu incendiarii ecclesiarum, aut alias sacrilegi fuerint, et propter huiusmodi commissa esset sedes ipsa merito consulenda, debite absolucionis beneficium in forma ecclesie

impendere, penitenciamque salutarem iniungere, super peregrinationis vero seu abstinencie, visitandisque ultramarinis aut aliis piis locis, seu sanctorum Petri et Pauli vel Iacobi Apostolorum limitibus et aliis, que ipsi fideles emiserint, votis cum predictis fidelibus dispensare possitis, eadem auctoritate concedimus pariter et indulgemus, ita tamen, quod quilibet ex illis, cum quibus per vos et ipsos eligendos super huiusmodi non visitandis liminibus sive locis dispensari contigerit, pro rata expensarum, quas illa adeundo fecisset, congruam, prout secum taliter dispensans rationabiliter extimaverit, pro extirpatione premissa contribuat, integreque persolvat pecuniarum quantitatem. Volumus autem et sub excommunicationis pena precipimus, quod vos propter premissa nichil penitus etiam sponte oblatum exigatis, dictique per vos eligendi ultra unum denarium currentis monete in partibus illis a confitentibus ipsis recipere non presumant. Verum quia difficile esset presentes litteras singulis exhiberi, volumus et prefata auctoritate decernimus, quod transumpto earundem litterarum, manu publica et sigillo alicuius probi prelati munito, tanquam originalibus litteris huiusmodi ubique tam in iudicio quam extra firmiter stetur, atque plena fides adhibeatur, ac si ipse originales littere forent exhibite vel ostense. Datum Rome apud Sanctos Apostolos Quintodecimo Kalendas Septembris. Anno X.

Ex Reg. orig. An. X. de Curia Tom. XI. fol. 244.

L.

Nicolaus Kettel clericus Posnaniensis haeresim Hussii et Wicleffii abiurat.

Rome MCCCCXXVIII. Indictione VI. Pontificatus dñi nostri Martini divina providencia pape V. anno XI. die XXVIII. mensis Iulii Nicolaus Kettel clericus Poznaniensis diocesis abiuravit heresim, et sectam Hussitarum et Wiclevistarum in manibus Reverendi patris domini Benedicti Episcopi Aprutini locumtenentis Camerariatus officii.

Ex Reg. orig. An. XI. Divers. Cameral. Tom. III. fol. 108.

LI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut regi Poloniae de infradictis mandatis revocandis etc. persuadere studeat.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Scribimus Carissimo etc. ut infra. Idcirco fraternitatem tuam requirimus, eidem districtius iniungentes, ut ostendens Regi et inhonestatem et iniusticiam huiusmodi mandatorum, et quomodo sunt contra honorem et dignitatem regiam et in apostolice sedis vilipendium, studeas eidem persuadere, ut propter famam suam et etiam salutem anime advertat diligenter, ne similia mandata de cetero fiant, et ea, que facta sunt, quamtocius revocentur. Adhibeas quoque diligenciam pro posse penes Regem, et ubi opus fuerit, ut Cardinalis beneficiorum ipsorum possessionem assequatur, reiectis iis, qui se in illis nequiter intruserunt et per favorem regium retinere conantur: non est enim honestum, ut Cardinalis, qui semper fuit protector et defensor, quoad potuit, Regis et regni, et qui semper regium statum et honorem promovit, tali modo tractetur. Datum Rome apud Sanctos Apostolos XIV. Kal. Octobris. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. de Curia Tom. XII. fol. 57.

LII.

Regi Poloniae, ne pravis consiliariorum suorum consiliis in rebus ecclesiasticis aurem praebeat, quaedam mandata revocet, et Brandam cardinalem in pacifica archidiaconatus Gnesnensis possessione defendat.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Certissimi fuimus, carissime fili, te catholicum principem sincere fidei et devotionis erga nos et apostolicam sedem ea agere, quantum in te est, que spectent ad honorem dei et ecclesie sue sancte: sed verissime ait veritas ipsa: Inimici hominis domestici eius . . . Perversa cupiditas nonnullorum, qui tibi adstant, et in tua cancellaria versantur, non intenti honori tuo, sed dedecori et proprie utilitati, tibi aliquando persuadent variis coloribus et rationibus ea, que nimium sunt remota a sedis apostolice dignitate et a debito rationis, neque ob aliam causaum id agunt, nisi ut sub specie et obtentu promovendi, ut dicunt, iura tua, te non doctum in iure trahant, quo volunt, et que ipsi perverse cupiunt, assequantur: a quorum simulatis insidiis decet prudenciam regiam precavere, cum non in ipsorum culpam et infamiam redundent, que agunt, sed in tuam, sub cuius nomine talia fiunt. Et ut multa sileamus indigna, que tibi preter iuris dispositionem persuadere quotidie moliuntur, nuper vidimus copiam qua-

rundam litterarum, per quas tua serenitas prelatis et canonicis ecclesie Gneznensis mandat sub gravi pena, ne aliquem extraneum in dicta ecclesia recipiant ad possesionem alicuius beneficii, cum inter prelatos regni ita statutum sit et conclusum, de quo maximam suscepimus admirationem. Primum quidem nunquam antea inter Episcopos regni tui, qui recte sunt dicendi prelati, hanc tam iniquam et exorbitantem conclusionem, que cedit in vilipendium nostrum et sedis apostolice et regni dedecus, prelatorumque infamiam factam esse audivimus, nisi forsan prelatos vocant nonnullos tuam curiam sequentes, in quos non cadit prelatorum nomen, qui non curant, qua via iuste, an iniuria satient appetitum suum, querentes per huiusmodi diverticula assequi beneficia, que cupiunt. Tum vero non possumus credere tuam sapienciam hoc debere permittere aut pati, etiam si alii vellent, aut hoc perperam statuissent, ut in regno tuo, te vivente, qui aliis viam devotionis teneris ostendere, sedes apostolica, quam velut sanctissimam matrem debes venerari, privetur iuribus suis. Nam quid est hoc aliud, nisi ligare manus Romanis pontificibus, et sedem apostolicam eiusque auctoritatem et antiqua iura et decreta contemnere. Maxime autem miramur, quod hec scripta emanarunt contra dilectum filium nostrum Brandum tituli sancti Clementis presbiterum Cardinalem, cui de archidiaconatu et prebenda ecclesie Gneznensis dispositioni nostre reservatis provideramus: qui cum adeo tibi notus sit, et adeo favens honori et statui tuo, cum tuus semper et regni in Curia protector fuerit, Regie munificencie extitisset non solum tollere omnia obstacula, que impediunt eum ab assecutione ipsorum beneficiorum, sed etiam hiis maiora munera ei retribuere pro laboribus suis. Sed illi subductores, de quibus loquimur, et qui se in dictis beneficiis intruserunt, callide hoc egerunt, neminem nominantes in mandato illo, ut male parta beneficia in anime sue preiudicium occupata diutius detinerent: quin etiam, quod deterius est, fecerunt emanari a tua cancellaria mandatum quoddam, ut de decimis dictorum beneficiorum ipsis respondeatur, quibus pro tanta temeritate tua serenitas debitum meritum retribuere deberet. Ideo tuam serenitatem exhortamur in domino, ut eiiciens omnino talium virorum consilia tanquam scandalosa et mala, et que anime tue detrimentum possent afferre, eiusmodi mandata revocare velis ob dei reverenciam, ob honorem tuum et famam, et propter debitum iuris, ac curare deinceps, ut huiusmodi exorbitancie cessent, que et possent maculare laudem nominis tui, et necesse esset nobis apponere debita remedia et iura sedis apostolice tueri, quamvis confidimus tuam serenitatem circa hoc bonum remedium adhibituram et emendaturam, siquid per aliorum suggestionem transgressum fuit. Demum rogamus tuam celsitudinem, ut remotis iis, qui se temere in dictis beneficiis intruserunt, et quorum opera talia mandata emanarunt, favorem tue benignitatis ita eidem Cardinali et suis procuratoribus impertiaris, ut possessionem prefatorum beneficiorum pacificam consequatur: conservabis enim tibi et tuis Cardinalem benevolum et amicum, et nos ex eo celsitudinem tuam debitis laudibus extollemus. Super hiis autem dilectus filius Nicolaus de Glambeczetz archidiaconus Poznaniensis, acolitus et familiaris noster, quem ad tuam presenciam propterea destinamus, nonnulla referet ex parte nostra tue serenitati, cui fidem adhibeas in dicendis. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. de Curia Tom. XII. fol. 56.

LIII.

Litterae testimoniales visitationis liminum apostolorum pro Vladislaviensi et Culmensi episcopis.

Littere testimoniales visitationis liminum pro Iohanne Episcopo Wladislaviensi per venerabilem virum Clementem Stanislai de Nawoyowa Canonicum Wladislaviensem, procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, factae.

Universis etc. Oddo de Varis domini Pape Camerarius, salutem etc. Universitati vestre etc. Datum Rome apud Sanctos Apostolos sub anno Nativitatis dominice MCCCCXXX. Indictione VIII. die XXV. mensis Iulii, Pontificatus etc. Anno Terciodecimo.

Similes littere visitationis liminum pro Iohanne Episcopo Culmensi per venerabilem virum dominum fratrem Gasparem ordinis B. Marie Theutonicorum facta.

Universis etc. ut supra. Datum Rome etc. anno MCCCCXXX. die XXII. Octobris. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Divers. Cameral. Tom. XIII. fol. 81 et 116.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

LIV.

Iacobinus de Rubeis collector fructuum etc. camerae apostolicae in regno Poloniae constituitur.

Eugenius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobino de Rubeis Canonico sancte Marie de Castello Ianuensis (diocesis), apostolice sedis Nuncio, in Regno Polonie necnon provincia Gnecznensi, ac in civitate et diocesi Culmensibus fructuum, reddituum, proventuum et denarii sancti Petri, aliorumque iurium Camere apostolice debitorum Collectori, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex fideli diligencia et circumspecta probitate, quibus fulgere dinosceris, sicuti manifestis operibus demonstrasti, presumimus evidenter, quod ea, que tibi committenda duxerimus, solerti studio fideliter exequeris. Horum igitur consideracione moti te in Collectorem et receptorem fructuum, reddituum et proventuum, censuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum pro tempore quorumcunque in Regno Polonie ac provincia Gnecznensi, necnon in Civitate et diocesi Culmensibus specialem atque generalem usque ad nostrum, et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus, creamus et deputamus, omnes alios et singulos Collectores, Receptores et Succollectores inibi hactenus deputatos auctoritate quacunque, et commissiones omnes et singulas super huiusmodi Collectorie, Receptorie et Succollectorie officiis sub quavis verborum forma per quoscunque et quavis auctoritate factas seu concessas penitus revocando, tibi nichilominus per te vel alios fide et facultatibus ydoneos clericos nostro, et ecclesie necnon Camere predictarum nominibus a quibusvis personis secularibus et regularibus, cuiuscunque dignitatis, etiam pontificali preditis, status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, Regni necnon provincie ac Civitatis et diocesis predictorum omnes et singulas pecuniarum summas, ac rerum et bonorum quorumlibet quantitates eisdem sedi et Camere undecunque, etiam ratione confiscationis, ad presens et inantea debitas, necnon quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum eadem auctoritate collatorum et inantea conferendorum, quovis nomine nuncupentur, fructus, redditus, proventus, census, et presertim denarium beati Petri vulgariter nuncupatum, aliaque universa iura eiusdem sedis et camere in predictis regno, provincia, civitate et diocesi ac eorum quolibet quacunque ratione vel causa debita et ad illas spectantia etiam pro tempore, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis serviciis dumtaxat exceptis ipsi camere debitis, petendi, exigendi et recipiendi, raciones quoque et computa a quibuscunque collectoribus et succollectoribus apostolicis ac inquisitoribus heretice pravitatis, vel officialibus aliis pro dicta Camera in prefatis Regno, provincia, civitate et diocesi actenus deputatis ac aliis personis quibuslibet, ubi de interesse et utilitate dicte Camere agi continget, audiendi et examinandi, ad illorum quoque exhibicionem, si necesse fuerit, quoscunque ex eis compellendi, et per ipsos eciam recepta petendi et levandi, ac de receptis

dumtaxat quitandi, liberandi et absolvendi, ac pactum de ulterius non petendo perpetuo faciendi, necnon Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis dignitate prefulgeant, per censuram ecclesiasticam et suorum bonorum sequestracionem, aliaque iuris remedia, appellatione postposita, compescendi etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo primo, II. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. XXII. fol. 93.

LV.

Andreae de Laschis episcopo Chelmensi, ut in Polonia certam decimam in subsidium regis Poloniae contra Tartaros, schismaticos et Bohemos haereticos colligat.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Andree de Laschis Episcopo Chelmensi, salutem etc. Dum ferventem devotionis affectum, quo Carissimus in Christo filius noster Wladislaus Polonie Rex Illustris nos et Romanam veneratur ecclesiam, et dum merita et opera sua in propagacione et defensione fidei christiane, ac gravia onera expensarum, que subire ipsum oportet pro conservacione fidelium suorum, ne a Tartaris infidelibus et scismaticis atque Bohemis hereticis opprimantur, diligenti meditacione pensamus, decens et debitum reputamus, ut serenitas sua nostram et apostolice sedis graciam sibi munificam sentiat et de alicuius subvencionis auxilio liberalem. Considerantes igitur, quod pro decima per felicis recordacionis Martinum papam V. predecessorem nostrum, personis ecclesiasticis imposita in universo orbe catholico pro causa fidei contra Bohemos hereticos defendenda, in regno Polonie nulla recollectio neque exactio facta fuit, nec ibidem prelati et persone ecclesiastice eiusdem decime occasione gravati, et iustum esse putantes prefato regi et cause fidei de aliquali subsidio subvenire ex redditibus et proventibus ecclesiasticis in dicto regno Polonie colligendo, fraternitati tue tenore presencium committimus et mandamus, quatenus a quibuscunque prelatis et clericis ac personis ecclesiasticis, secularibus et Regularibus, exemptis et non exemptis, in prefato Regno consistentibus per te vel alium seu alios fide et facultatibus ydoneos tuo arbitrio deputandos, clericos dumtaxat, auctoritate nostra imponere, petere, exigere et levare studeas et procures decem milia florenorum auri de camera inter huiusmodi personas ecclesiasticas debite dividenda iuxta suarum exigenciam facultatum, et colligenda per unam aut plures decimas decime, sicut in predicto regno fieri consuetum est, Cardinalibus, hospitalibus et ordinibus mendicantium dumtaxat exceptis, quorum decem milium florenorum medietatem numeres et assignes prefato Regi, si et cum ipsum personaliter ire continget, vel mittere exercitum contra predictos Tartaros infideles et scismaticos, quam medietatem nos eidem Regi eo casu de consilio et consensu Venerabilium fratrum Iordani Sabinensis, Antonii Hostiensis et Velletrensis, Hugonis Penestrini Episcoporum, et dilectorum filiorum nostrorum Iohannis tituli sancti Laurencii in Lucina, Ludovici tit. sancte Cecilie, Antonii tit. sancti Marcelli, Iohannis tit. sancti Petri ad vincula, Iohannis tit. sancti Sixti, Francisci tit. sancti Clementis, Angelotti tit. sancti Marci presbiterorum, Lucidi sancte Marie in Cosmedin et Ardetini sanctorum Cosme et Damiani diaconorum sancte Romane ecclesie Cardinalium per presentes assignamus, concedimus et donamus; aliam vero medietatem predictorum decem milium florenorum retineas et conserves convertendam et exponendam iuxta voluntatem, determinacionem et mandatum Commissariorum alias super dicta causa fidei contra predictos Bohemos hereticos deputatorum, et premissa diligenter et fideliter studeas exequi et adimplere, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam, et sequestracionem fructuum et proventuum ecclesiasticorum, et alia iuris remedia, eciam per invocationem brachii secularis eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. Volumus autem et tibi concedimus, quod possis illos de civitatibus et diocesibus ipsis, quos ex defectu non facte solutionis huiusmodi excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencias incurrere contigerit propter non solucionem in termino assignato prius de quota assignata, imposita penitencia pro modo culpe, ab eisdem absolvere, et cum eis super irregularitate, si quam forte sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, dispensare, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXI. XV. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Lib. XII. fol. 243.

LVI.

Isidorus Kioviensis et totius Russiae metropolita legatus a latere in Lithuania, Livonia et Russia constituitur.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Isidoro Kyewi ac totius Russie metropolite, in Lithuanie, Lyvonie et Russie provinciis ac in civitatibus, diocesibus, terris et locis Lechie, que tibi iure metropolitico subesse noscuntur, apostolice sedis legato, salutem etc. Salvator noster dominus Ihesus Christus filius dei vivi ex alto celorum throno descendens exemplum nobis reliquit, ut quemadmodum discipulos, quos elegerat, in universas mundi partes destinavit, ut omnibus creaturis evangelium predicarent, et sacris christiane fidei institutis humanum genus edocerent, ita nos, qui licet immeriti eius vices in terris gerentes christiano generi presidemus, quantum ab ipso nobis conceditur, per suas semitas incedentes, ad absentes fideles nostre considerationis intuitum dirigimus, mittendo ad ipsos personas ydoneas, que executionem voluntatis et solicitudinis nostre per suas bonas operationes, deo propicio, exequi valeant et eciam adimplere. Cum itaque iuxta desiderium cordis nostri et diutinam operam per nos impensam per ineffabilem dei misericordiam et spiritus sancti gratiam, qui ubi vult, spirat, Grecorum ecclesia nobiscum unita sit, ita ut deinceps unum ovile et unicum eis pastorem oves christifidelium recognoscere habeant: Nos cupientes, ut longinque et extere nationes huius unitatis suavitatem sentiant et odorem, et ut in ea, deo auctore, edificentur, utque in vera fide Christi in melius reformentur, et illa in eis fiant, per que exaltatio fidei orthodoxe, animarum salus, pax et concordia populorum ac disciplina morum uberius subsequantur, et nomini Christi proveniat incrementum, te, cuius virtus et diligencia in hac sancta unione admodum cognovimus profuisse, et quem dei benignitas preclaris virtutum dotibus illustravit, ac vite integritate ac morum, necnon magnitudine consilii, rerum agendarum experiencia, prudencia quoque et sacrarum litterarum doctrina plurimum exornavit, in Lituanie, Livonie ac totius Russie provinciis, necnon in civitatibus, diocesibus, terris et locis Lechie, que tibi iure metropolitico subesse noscuntur, de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio pro statu universalis ecclesie atque nostro nostrum et apostolice sedis legatum de latere cum plena potestate auctoritate apostolica facimus, constituimus et etiam ordinamus, tibi nichilominus in eisdem provinciis et locis edificandi, plantandi, reformandi, corrigendi et statuendi omnia et singula, que ad extirpationem heresum, exaltationem atque augmentum catholice fidei, pacem atque unitatem christifidelium, statum universalis ecclesie, conservationem auctoritatis nostre et apostolice sedis, ecclesiasticam libertatem, morum reformationem profutura cognoveris, prout celestis gratie infusio tuaque tibi sapiencia ministrabunt, facultatem et potestatem plenariam concedentes, firma spe fiduciaque conceptis, quod actus tuos dirigente eo, qui novit prava in directa et aspera convertere in vias planas, in dictis provinciis subsequetur fructus deo laudabilis, quem speramus, ita ut a nobis et sede apostolica meritam gratiam et a deo eterna premia consequaris, Contradictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum Florencie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo nono, sexto decimo Kalendas Septembris. Pont. nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Tom. VI. fol. 227.

LVII.

Salvus conductus pro eodem metropolita.

Eugenius episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere nostre pervenerint, salutem etc. Cum venerabilis frater noster Isidorus metropolita Kyevi ac totius Russie, sedis apostolice legatus, accedat de presenti ad ecclesiam suam: Nos cupientes eundem metropolitam et legatum cum omni sua comitiva ac equis, salmis, valisiis, libris, auro, argento, iocalibus ac aliis omnibus et singulis rebus et bonis suis in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate atque immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, subditis vero et gentium armorum capitaneis nostris districte precipiendo mandamus, quatenus eundem metropolitam et legatum cum sociis et familiaribus, equestribus et pedestribus quibuscunque, necnon salmis, valisiis, auro, argento, iocalibus, rebus et bonis suis aliis quibuscunque per civitates, terras, castra, oppida, villas, territoria, districtus, passus, portus, pontes et loca alia tam nostra quam vestra, et tam per aquam quam per terram cum sociis, familiaribus, salmis, valisiis, rebus et bonis predictis ire, transire, morari et redire pro nostra et sedis apostolice reverencia sine aliqua dacii, telonei, pedagii, fundi navis et ga-

belle, aut alterius oneris cuiuscunque exactione et solucione libere permittatis, nullamque sibi, sociis et familiaribus huiusmodi in personis, equis, rebus aut bonis predictis inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed eis potius de libero et securo transitu, receptu et salvo conductu, si opus fuerit, sic liberaliter providere curetis, quod vestra exinde devotio veniat apud nos et sedem predictam merito commendanda. Datum Florencie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo nono, sextodecimo Kalendas Septembris, Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Tom. VI. fol. 227.

LVIII.

Nuntio apostolico, ut pecunias ex denario B. Petri in Polonia collectas regi in subsidium contra haereticos et Turcas assignet.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Boemie Regnis Nuntio nostro, et fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Cum Carissimus in Christo filius noster Wladislaus Rex Polonie Illustris zelo fidei accensus intendat, et se preparet cum magno exercitu, ut asseritur, pro defensione fidei orthodoxe, et pro liberatione christifidelium de infidelium manibus adversus Theucros Ihesu Christi hostes perfidos personaliter proficisci: Nos tam sanctum et pium propositum ipsius Regis merito in domino commendantes, ac volentes de facultatibus nostris de alicuius subventionis subsidio ad hoc tam laudabile opus perficiendum per nostram provisionem, et de pecuniis ad nos et Cameram apostolicam spectantibus providere, tibi tenore presentium committimus et mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas et quantitates, quas te infra biennium a data presentium computandum tam in prefato regno, quam in omnibus aliis provinciis, civitatibus, terris et locis a prefato regno dependentibus de denario beati Petri, quod nobis et prefate ecclesie in regno, provinciis, civitatibus, terris et locis prefatis debetur, de iure vel de consuetudine exigere et percipere contigerit, prefato Regi vel eius procuratoribus ad id specialiter deputatis in subventionem expensarum, per ipsum Regem in huiusmodi expeditione contra Teucros fiendarum, auctoritate nostra tradas et realiter consignes: Nos enim tibi huiusmodi denarium in regno, provinciis, civitatibus, terris et locis predictis auctoritate nostra a quibuscumque ipsum denarium debentibus petendi, exigendi et percipiendi, et de receptis quitandi, ac eos, qui ad ipsius solutionem tenentur, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, ad illud solvendum auctoritate predicta, et per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia eadem auctoritate compellendi, Contradictores quoque et rebelles ad id compescendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, pecunias quoque ex huiusmodi denario collectas eidem Regi eadem auctoritate dandi et consignandi, plenam et liberam prefata auctoritate facultatem concedimus et potestatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccxliii. v. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 69.

LIX.

Eidem, ut concessiones per Annam ducissam Masoviae pro erectione cuiusdam hospitalis factas confirmet.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro de Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Boemie et Regnis Nuntio nostro, et fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Solet sedis apostolice circumspecta benignitas iustis desideriis favorabiliter annuere, ac ea, que pro christifidelium statu prospero salubriter prodiisse comperit, apostolici firmitate roboris communire. Sane pro parte dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Anne ducisse Mazowie Poznaniensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsa pro fundatione, erectione et edificatione cuiusdam hospitalis, a dilectis filiis priore et fratribus sancti Martini Warscoviensis dicte diocesis ordinis heremitarum sancti Augustini quandam aream, sive quoddam casamentum pro certo pretio inter eos tunc expresso emit, prout in instrumento publico desuper confecto plenius continetur, ipsaque ducissa emptionis huiusmodi vigore aree seu casamenti ipsius possessionem assecuta, et loco aree sive casamenti huiusmodi hospitale pro pauperibus et infirmis in illo recipiendis et gubernandis, necnon Capellam sitam in dicto hospitali sub vocabulo sancti Spiritus fundavit, erexit et edificavit, necnon emptionem huiusmodi a dilecto filio provinciali dicti ordinis per ipsius litteras confirmari obtinuit; et insuper ducissa prefata quam plura decimas, census, redditus, proventus et alia bona sibi a deo collata hospitali et capelle prefatis concessit et donavit, ac in futurum concedere et donare in-

tendit: Quare pro parte ipsius ducisse nobis fuit humiliter supplicatum, ut emptioni, fundationi, erectioni, edificationi, concessioni, donationi et aliis premissis pro illorum firmiori subsistentia robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi tibi de premissis legitime constiterit, emptionem, si in evidentem dicte domus utilitatem cedere reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, necnon fundationem, erectionem, edificationem, concessionem et donationem predictas, et quecunque inde secuta auctoritate prefata approbes et confirmes, Non obstantibus constitutionibus apostolicis ac dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Santum Petrum Anno etc. MCCCCXLIIII. III. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 70.

LX.

Episcopo Posnaniensi, ut Andreae de Palatio collectori unum vel duo beneficia ecclesiastica conferat.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, et illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Hinc est, quod nos dilectum filium Andream de Palatio clericum Reginensem, apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi, et presentes, ac si sub data Octavo Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno primo concesse forent, litteras valere volentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que obtinet, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Andream, qui fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum in Regno Polonie Collector existit, ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, unum vel duo beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, seu collegiatis ecclesiis, dummodo dignitates ipse in Cathedralibus et Metropolitanis post pontificales maiores, seu in collegiatis ecclesiis predictis principales non existant, cuiuscunque taxe seu annui valoris illorum fructus, redditus et proventus existant, ad cuiuscunque seu communiter vel divisim quorumcunque ordinariorum locorum, seu huiusmodi ecclesiarum in regno predicto existentium capitulorum, singulorumque canonicorum et personarum etiam ratione dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, que in dictis ecclesiis obtinent, collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, si qua vacant ad presens, aut cum simul vel successive vacaverint, que dictus Andreas per se vel procuratorem suum ad hoc ab eo legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illorum innotuerit, duxerit acceptanda, conferenda sibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi tue auctoritate nostra reserves, districtius inhibendo eisdem ordinariis, capitulis, canonicis et personis, ne de beneficiis huiusmodi interim, etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod Andreas vel procurator predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, et nichilominus beneficia huiusmodi, que reservabis, si vacant vel cum vacaverint, ut prefertur, eidem Andree post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis auctoritate prefata conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Andream vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem beneficiorum, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, ac faciens ipsum Andream vel dictum prcuratorem pro eo ad beneficia huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCXLIIII. III. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 66.

LXI.

Eidem concedendi altare portatile facultas datur.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Bohemie Regnis Nuntio nostro, et fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, necnon alia virtutum tuarum merita promerentur, ut ea tibi concedamus, per que te etiam ex devotionis fervore accensis gratiosum reddere valeas. Hinc est, quod nos tibi concedendi, ut duodecim Nobilibus personis infra limites Polonie et Bohemie regnorum consistentibus, quos eligere volueris, ut liceat sibi habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possint per proprium, vel alium sacerdotem ydoneum missam et alia divina officia sine iuris alieni preiudicio in sua, ac etiam familiarium suorum domesticorum presentia facere celebrari, devotioni sue auctoritate nostra indulgeas, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccxliiii. Pridie Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 65.

LXII.

Eidem, ut donationes capellae S. Spiritus in hospitali Varsoviensi Posnaniensis dioecesis factas confirmet.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Boemie Regnis Nuntio nostro, et fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Cum te ad Polonie et Boemie regna apostolice sedis Nuntium, ac fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectorem iam dudum miserimus: Nos volentes tuam honorare personam, ut per honorem tibi exhibitum eo utilius proficere valeas, quo fueris per nos maiori auctoritate munitus, discretioni tue approbandi et confirmandi omnes et singulas donationes et concessiones Capelle, site in hospitali sancti Spiritus Warscoviensis Poznaniensis diocesis, per quamcumque personam, cuiuscunque status, gradus, conditionis et dignitatis existat, factas seu imposterum faciendas plenam et liberam tenore presentium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccxliiii. Tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 64.

LXIII.

Eidem, ut concessiones ecclesiae S. Ioannis Baptistae Varsoviensis factas confirmet.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Boemie Regnis Nuntio nostro etc. salutem etc. Cum te etc. Nos volentes tuam honorare personam, ut per honorem tibi exhibitum eo utilius proficere valeas, quo fueris per nos maiori auctoritate munitus, discretioni tue approbandi et confirmandi omnes et singulas concessiones et donationes ecclesie sancti Iohannis Baptiste Warscoviensis Poznaniensis diocesis per quamcumque personam, cuiuscunque status, gradus, conditionis et dignitatis existat, factas seu imposterum faciendas plenam et liberam tenore presentium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccxliiii. Tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 70.

LXIV.

Nuntio apostolico in Polonia, ut cum contrahentibus matrimonium in quarto consanguinitatis gradu dispensare possit.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Palatio, Cubiculario ac in Polonie et Bohemie Regnis Nuntio nostro, ac fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Exigunt merita tue devotionis, ut personam tuam singularibus favoribus et gratiis prosequamur. Volentes itaque ea tibi concedere, per que saluti animarum valeat provideri, discretioni tue, ut cum quibuscunque personis, de quibus tibi videbitur, infra limites Polonie et Bohemie Regnorum consistentibus, que quarto consanguinitatis vel affinitatis, aut talibus mixtim gradibus invicem coniuncte sint, scientes vel ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus invicem possint ma-

trimonialiter copulari, matrimonium per verba legitime de presenti contraxerint, illudque carnali copula consumaverint, ut impedimento consanguinitatis et affinitatis non obstante, cum illis scilicet, qui ignoranter, ut in sic contracto matrimonio remanere, cum illis vero, qui scienter contraxerint, ipsis prius ab excommunicationis sentencia, quam propterea incurrerunt, in forma ecclesie absolutis cum iniunctione iuramenti per eos prestandi, quod talia inantea non committent, aut committentibus ea non prestabunt auxilium, consilium vel favorem, ac pro modo culpe penitencie salutaris et aliorum, que de iure fuerint iniungenda, eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, ut denuo matrimonium invicem contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere et licite valeant, dummodo mulieres, cum quibus matrimonia sunt contracta, propterea rapte non fuerint, auctoritate nostra dispensandi, ac prolem ex huiusmodi matrimoniis susceptam et suscipiendam legitimam decernendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLIIII. Pridie Kalendas Martii. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 64.

LXV.

Universis christifidelibus assumptionis B. Mariae V. S. Annae, corporis Christi, S. Michaelis capellam, et eam in hospitali S. Spiritus Varsoviae sitam visitantibus indulgentiae conceduntur.

Eugenius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur ut Capella Assumptionis beate Marie virginis, sancte Anne, Corporis Christi, sancti Michaelis, sancte Barbare et Omnium sanctorum sita in ecclesia sancti Iohannis Baptiste Warscoviensis Poznaniensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac Christifideles ad illam devotionis causa eo libentius confluant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in beate Marie et sancte Anne, ac Corporis Christi et Omnium sanctorum huiusmodi festivitatibus Capellam predictam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus prefatam Capellam, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLIIII. Pridie Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Eugenius episcopus etc. Universis etc. ut supra usque ad aptiores. Cupientes igitur, ut Capella sita in hospitali Sancti Spiritus Warscoviensi Poznaniensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac Christifideles eo libentius ad illam devotionis causam confluant, necnon pauperum et infirmorum in dicto hospitali pro tempore degentium subventioni manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie etc. confessis, qui in die Cene domini Capellam prefatam devote visitaverint annuatim, et ad subventionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices septem annos etc. usque in finem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XIV. de Curia Tom. XVII. fol. 65.

LXVI.

Sigismundus de Gisericze decanus Plocensis nuntius apostolicus et collector in Polonia et Bohemia constituitur.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Sigismundo de Gisericze Decano et Canonico ecclesie Plocensis, in Regnis Polonie et Boemie apostolice sedis nuntio, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus pollere dinosceris, evidenter presumimus, quod ea, que tibi commiserimus, solicita diligentia ac fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tuis circumspectione et negotiorum huiusmodi experientia plurimum in domino confidentes, te in Regnis Polonie et Boemie, ac in ipsorum Regnorum singulis provinciis, et in ipsa-

rum provinciarum civitatibus et diocesibus generalem Collectorem et receptorem fructuum, reddituum, proventum, censuum et omnium aliorum iurium Camere apostolice in dictis Regnis, provinciis et civitatibus debitorum et debendorum, usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum, auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos Collectores et Succollectores in eisdem Regnis, provinciis, civitatibus et diocesibus per nos aut alia quacunque anctoritate hactenus deputatos, et commissiones omnes super huiusmodi Collectorie et Succollectorie officiis aliis, quam tibi, sub quavis verborum forma per quoscunque quavis auctoritate, etiam per dilectos filios gentes dicte Camere factas, penitus revocando, ac tibi per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat, fide et facultatibus ydoneos nostro et dicte Camere nomine petendi, exigendi, recuperandi a quibuscunque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiaticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, et etiam laicalibus personis, necnon universitatibus et communitatibus civitatum, terrarum, villarum, opidorum et aliorum locorum omnes et singulos fructus, redditus et proventus, census annuos, aliaque iura, res ac pecuniarum auri et argenti summas et quantitates nobis, et ecclesie ac Camere prefatis in dictis Regnis, provinciis, civitatibus et diocesibus quacunque ratione vel causa debitos et debita sive debenda, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, ac ad nos et ecclesiam et Cameram memoratas ante vel imposterum pertinencia, quecunque, quotcunque, qualiacunque et quantacunque fuerint, communibus et minutis serviciis prelatorum dumtaxat execeptis, petendi, exigendi, levandi, recipiendi et recuperandi, ac solventes de receptis dumtaxat quittandi, liberandi et absolvendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Receptoribus, Commissariis, et Nunciis ac aliis Officialibus, ac etiam Inquisitoribus heretice pravitatis et predicatoribus verbi crucis in Regnis, provinciis, civitatibus et diocesibus prelibatis hactenus quacunque auctoritate deputatis et deputandis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi, ipsosque ad ipsa computa reddenda, si opus fuerit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, Contradictores quoque etc. concedimus etc. potestatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, decimoseptimo Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno XV.

Ex Reg. orig. An. XV. Offic. Tom. XXIV. fol. 32.

LXVII.

Boleslao duci Masoviae mille flor. auri ex collecto denario S. Petri pro defensione ducatus praeceptos donantur.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Boleslao duci Mazovie, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim per Concilium Basiliense ante eius translationem de civitate Basiliensi ad civitatem nostram Ferrariensem per nos factam, et illius Collectores et Succollectores sub spe reductionis Grecorum tunc faciende in Regno Polonie et partibus illi subiectis, ac in dominiis tuis non parva pecuniarum summa collecta et apud diversa loca reposita fuit, tuque pecuniam ipsam ad nos et non ad alium spectare recte considerans, de tuorum prelatorum ac nobilium et procerum consilio omnem pecunie quantitatem, tunc in Collegiata Wauchoviensi et parrochiali Czechonoviensi ecclesiis depositam, que in ducatu tuo sunt, arrestari et sequestrari mandasti, illam nobis, qui ex divina gratia Grecos ipsos ad veram fidem christianam, suis propulsatis erroribus, maximis cum expensis et laboribus reduximus, reddere intendens, et sic per plures annos eadem pecunia arrestata permansit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, immanes Tartari cum maximo eorum numero et copiis certas provincias Regno Polonie subiectas, et specialiter dictum ducatum tuum, cuius confines cum Lithuanis, Ruthenis et cum ipsis Tartaris habes, invasissent, ac villas, opida, civitates et ecclesias aliquas de ducatu tuo incendio et spoliis devastarent, virgines, viduas, matrimonio collocatas et homines cuiusque etatis adducerent in predam cum maximo patrie illius damno et christiani nominis ignominia, tu de prelatorum et Baronum tuorum consilio, ut huic improvise et incognite invasioni damnose et periculose obviares, quoniam nisi subita, ut asseris, provisio subsecuta fuisset, ducatus ipse tuus et plures alie circumvicine partes desolate fuissent, prius consumptis pecuniis tuis, quas tunc promptas habebas, et liberaliter exbursasti, de dicta pecunie quantitate in dictis duabus ecclesiis existenti valorem mille florenorum auri vel circa percepisti, et cum iisdem mille florenis et aliis, quos aliunde quomodolibet

habere potuisti, rabiem et impetum dictorum Tartarorum evasisti, ac recollectis viribus homines utriusque sexus, predas et spolia in maxima quantitate recuperasti, ducatumque tuum et partes vicinas ab huiusmodi Tartaris, que quidem propter absentiam Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Polonie et Ungarie Regis Illustris, tunc in Regno Hungarie contra Turcos preliantis, maiori periculo subiacebant, salvas et sospites reddidisti. Et quia ob predictorum mille florenorum preceptionem, postquam de ecclesiis et locis sacris pecuniam pro aliis piis operibus deputatam recepisti, dubitas excommunicationis sententiam, censuras, penas ac alias sententias contra tales inflictas a sede apostolica incurrisse te et consultores predictos, pro parte tua nobis humiliter supplicatum fuit, ut tibi et illis super premissis oportune providere, et tecum ac cum ipsis misericorditer agere, et tibi prefatam pecunie quantitatem sic perceptam remittere, teque ac omnes consultores et fautores prefatos quoscunque ab huiusmedi sententiis, censuris et penis absolvere de benignitate apostolice dignaremur. Nos igitur, quamquam minus religiose et recte consultus fueris, pecuniam ipsam de loco sacro percipiendo, necessitati tamen tue, que te ad hoc sacrilegium perpetrandum coegit, compatientes, et more apostolico misericordiam pocius quam rigorem iuris erga te et ipsos exercentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, te ac omnes et singulos prelatos et presbiteros seculares et regulares, nobiles et proceres predictos ac alios quoscunque, cuiuscunque status, gradus et preeminentie aut sexus existant, consultores et fautores huiusmodi ab omnibus et singulis excommunicationum sentenciis, censuris et penis aliis quibuscunque, necnon sacrilegii huiusmodi irregularitatibus suspensionibusque omnibus, quas prefatorum occasione quomodolibet tu et ipsi incurristis et ligati estis, auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus, et absolutos etiam declaramus, et mille ducatos predictos Nobilitati tue de nostra mera liberalitate remittimus ac donamus, In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, volumusque et tibi eadem auctoritate mandamus, ut nunquam in futuro sine sedis apostolice licentia talia committere aut perpetrare presumas. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, declarationis, remissionis, donationis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Quinto Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. de Curia Tom. XIX. fol. 131.

LXVIII.

Annae ducissae Masoviae conceditur, ut confessor ipsi omnium peccatorum plenam remissionem semel impertiatur.

Eugenius episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili Mulieri Anne ducisse Mazovie, salutem etc. Provenit ex tue devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones tuas, illas presertim, que anime tue salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut Confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa fueris, semel in vita de preteritis et semel in mortis articulo plenariam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione etc. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, pridie Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. de Curia Tom. XIX. fol. 131.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

LXIX.

Baptistae episcopo Camerinensi nuntio apostolico in Polonia quaedam facultates conceduntur.

Nicolaus episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Baptiste Episcopo Camerinensi, apostolice sedis Nuncio, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum te ad Regnum Polonie pro nonnullis arduis statum nostrum et Romane ecclesie, ac tranquilitatem et bonum statum eiusdem Regni concernentibus exequendis negociis apostolice sedis Nuncium destinemus: Nos volentes illa tibi concedere, per que animarum saluti consuli possit, fraternitati tue infra limites dicti Regni, tua Nunciatione durante, indulgendi decem personis Nobilibus, de quibus tibi videbitur, ut confessor ydoneus secularis vel regularis, quem quelibet earum duxerit eligendum, omnium suorum peccatorum, de quibus corde contrite et ore confesse fuerint, semel tantum in mortis articulo plenariam remissionem ipsis, in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda etc. plenam et liberam dicta auctoritate tenore presentium concedimus facultatem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice mccccxlvii. Tertio Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Eidem conceditur facultas absolvendi quadraginta personas ab excommunicationis, suspensionis et interdicti sentenciis etc.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. Tom. XXI. fol. 82.

LXX.

Archiepiscopus Gnesnensis a sententiis, quas recipiens capellum cardinalitium ab Amedeo, Felice V. antipapa, incurrerat, absolvitur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Vincentio Archiepo Gueznensi, salutem etc. Solet apostolice sedis clementia recurrentium ad eam personarum, maxime prelatorum Archiepiscopalibus sedibus preditorum, post excessum statui benigno favore consulere, ac ipsis cum devotione petentibus pietatis gremium aperire, eosque gratioso favore prosequi, quos grandium virtutum merita multipliciter recommendant. Sane exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod postquam felicis recordationis Eugenius pp. IIII. predecessor noster, nonnullis rationabilibus suadentibus causis, olim concilium Basiliense ad civitatem nostram Ferrariensem transtulerat, ac omnibus et singulis sub excommunicationis, suspensionis et interdicti omniumque suarum ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum privatione et aliis penis tunc expressis inhibuerat, ne ad dictam civitatem Basiliensem tanquam ad generale concilium accederent, seu ibidem convenirent, tu inhibitionis huiusmodi non ignarus, dudum

pretensam assumptionem de persona tua ad pretensum cardinalatum per perditionis alumpnum Amedeum, olim ducem Sabaudie, se Felicem V. ausu sacrilego nominare prěsumentem, licet nulliter et de facto factam, tibi per certum ipsius Scutiferum intimatam et portatam acceptasti, et quemdam capellum rubeum, quem Romani pontifices tempore assumptionis alicuius ad cardinalatum tradere consuevere, recepisti, ac fidelitatis et obedientie in manibus ipsius Scutiferi nomine Amedei et congregatorum Basilee prestitisti iuramenta, ac propterea aliasque dictis Amedeo et congregatis favendo adhesisti, sive etiam pro ipsis te congregatis declarasti, penas, sententias et censuras etiam in dicta translatione contentas incurrendo: quare pro parte tua, qui, ut asseritur, de premissis ab intimis doles, nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui ad lucrifaciendas altissimo Christifidelium quorumlibet animas curis invigilamus assiduis, te, qui hodie per procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum nos in verum Ihesu Christi in terra vicarium recognovisti et professus fuisti, ab omnibus et singulis excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis, aliisque censuris ecclesiasticis et penis, etiam heresis et scismatis, quas premissorum occasione vel causa quomodolibet forsan incurristi, plenarie absolvimus et absolutum nunciamus per presentes, tecumque super irregularitate, si quam celebrando missas et alia divina officia, vel immiscendo te illis, seu conferendis ordinibus sacris quomodolibet contraxisti, dispensamus, ac omnia et singula, que per te interim circa regimen et administrationem ecclesie Gneznensis alias rite gesta fuerunt, approbamus, et ad predictorum observantiam iuramentorum te decernimus non teneri, ac inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te propter premissa contractam abolemus, ac te ad predicta necnon metropoliticam ecclesiam antefatam eiusque administrationem, bona ac quecunque iura et honores etiam in pristinum statum plenarie in integrum restituimus, et integramus et reponimus proinde, ac si talia minime perpetrasses, decernentes etiam ex nunc irritum et inane, quicquid contra te premissorum occasione a quoquam quavis etiam apostolica auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari, quinimo si adversus premissa alique littere seu mandata ad quorumvis instantiam, vel etiam si motu proprio, seu ex certa scientia, etiam cum clausulis derogatoriis sub quacunque verborum forma, seu apostolica vel auctoritate nostra, seu quacunque alia emanassent, seu in futurum emanarent, tales exnunc pro infectis habere volumus, quodque tu illis obedire minime tenearis. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensationis, approbationis, abolitionis, restitutionis, reintegrationis, constitutionis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLVII. sexto Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 98.

LXXI.

Archiep̄us, clerus et populus Gnesnensis a sententiis, quas praeteuso concilio Basileensi aut antipapae adhaerentes incurrerant, absolvuntur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Pastor ille celestis et Episcopus animarum, qui de sinu patris etiam in humana carne assumpta ad mundi yma descendit, ut genus humanum sub peccati iugo vetusta servitute tunc detentum liberaret, in mundo conversatus inter alia fideles pastores suis salutaribus instruxit exemplis, ut errantium omnium salutem quererent: unde nos, licet insufficientibus meritis tanti pastoris vices in terris gerentes, exemplis huiusmodi moniti, singulas cure nostre divina dispositione commissas errantes oves ad ovile dominicum reducere satagimus, eisque, profugatis ignorantie tenebris, post excessum ad cor redeuntibus libenter, cum a nobis petitur, pietatis et liberalitatis gremium aperimus. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius papa IV. predecessor noster omnes et singulos, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existerent, etiam si archiepiscopali, episcopali, abbatiali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate fungerentur, qui perditionis filiis in civitate Basiliensi post translationem concilii de eadem per ipsum predecessorem antea factam, sub pretensi concilii nomine pro tempore congregatis, seu convenientibus, aut infelicitatis alumpno Amedeo olim duci Sabaudie, Felicem V. ausu sacrilego se nominare presumenti, vel eorum erroribus scienter et deliberate credere, adherere seu favere presumerent, scismaticos et blasfemos ac tamquam hereticos et criminis lese maiestatis reos puniendos, necnon excommunicationis, anathematis et omnium prelaturarum dignitatum et aliorum beneficiorum et officiorum suorum tam ecclesiasticorum quam mundanorum privationis, nec non ad illa extunc inantea obtinenda inhabilitationis, et nonnullas alias tunc expressas sententias, censuras et penas incurrisse decrevit et declaravit, prout in diversis ipsius pre-

decessoris desuper confectis litteris plenius continetur, et deinde, sicut pro parte Venerabilis fratris nostri Vincentii Archiepiscopi Gneznensis nobis nuper expositum extitit, ipse ac dilecti filii clerus et populus civitatis et diocesis Gneznensium post et contra translationem huiusmodi, ac quedam ipsius predecessoris desuper facta inhibitiones et mandata, causantibus sinistris pluribus in ecclesia dei tunc vigentibus, aliquamdiu eorum animos etiam adinstar tunc multorum principum et prelatorum ac populorum Germanie partium absque eo, quod interim in ipsius predecessoris obedientia persisterent, in suspenso tenentes, tandem congregatis et Amedeo predictis scienter et deliberate faverunt et adheserunt, ac multi ex eis et presertim dictus Archiepiscopus se pro illorum conventiculo declararunt penas predictas dampnabiliter incurrendo. Cum itaque nuper Archiepiscopus supradictus per certos suos ad nos specialiter destinatos oratores pro se, ac clero et populo prefatis nos verum et unicum Christi vicarium fore recognoverit et professus fuerit, ac nobis veram et debitam obedientiam et reverentiam prestiterit, et quod exnunc inantea nostris et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium monitis et mandatis plenarie obediet et intendet, pollicitus fuerit: Nos attendentes, quod sedis apostolice clementia non consuevit penitentibus veniam denegare, nec non sinistras conditiones, varietates et malignitates, que proxime preteritis temporibus in huiusmodi dei ecclesia viguerunt, et adhuc cessare non desinunt, eque et debite compensantes, ac propterea statui Archiepiscopi, cleri et populi predictorum salubriter providere volentes, ipsorum Archiepiscopi, cleri et populi in hac parte supplicationibus inclinati, Archiepiscopum, clerum ac populum, necnon singulares ex eisdem clero et populo personas, cuiuscunque dignitatis, status, gradus vel conditionis fuerint, a predictis necnon aliis omnibus et singulis in dictis litteris expressis sententiis, censuris et penis, quibus premissorum occasione ligati existunt, auctoritate apostolica serie presentium absolvimus et liberamus, ac absolutos et liberatos esse decernimus, nec non adversus premissa in statum pristinum, in quo videlicet ante translationem huiusmodi existebant, restituimus et reponimus, nec non cum Archiepiscopo et singularibus personis de clero huiusmodi super irregularitate, si quam sic ligati missas et alia divina officia celebrando vel se illis immiscendo contraxerunt, dispensamus, ita quod nullo unquam tempore propterea contra Archiepiscopum, clerum et populum, ac singulares ex eis personas huiusmodi vel eorum aliquem in iudicio, vel extra quicquam obici aut opponi possit sive debeat, et si forsan hactenus obventum vel oppositum fuerit, nullius existat roboris vel momenti, omnemque abolemus inhabilitatis et infamie maculam sive notam, per ipsos quomodolibet occasione premissa contractam, et insuper omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum secularium ac quorumvis ordinum regularium, cum cura et sine cura, infra civitatem et diocesim predictas consistentium, que per obitum seu per liberas aut ex causa permutationis resignationes quarumcunque personarum post translationem huiusmodi vacavisse noscuntur, quibuscunque personis collationes et provisiones, nec non etiam de eisdem et aliis personis quibusvis tam ad beneficia predicta, quam etiam ad quevis earundem civitatis et diocesis monasteria dicto tempore vacantia electiones et presentationes, ac electionum confirmationes, necnon ad presentationes huiusmodi institutiones pro illis, qui in monasteriorum et beneficiorum huiusmodi possessione nunc existunt, etiam si beneficia ipsa, canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia sine et cum cura in Gneznensi seu collegiatis ecclesiis, et dignitates huiusmodi in ipsis collegiatis ecclesiis principales seu canonicales, ac ex quavis causa dispositioni apostolice specialiter vel generaliter resevata fuerint, auctoritate ordinaria alias rite factas, et omnia inde secuta, necnon quecunque per ipsum Archiepiscopum circa regimen et administrationem ipsius ecclesie Gneznensis etiam alias rite facta, eadem auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et approbamus, illaque valere et plenam firmitatem obtinere, necnon possessores prefatos in eorum possessionibus huiusmodi remanere, ac singulos dictorum monasteriorum prelatos munere benedictionis, alias eis rite impenso, uti libere et licite posse decernimus, etiam perinde in omnibus et per omnia, ac si provisiones, collationes ordinarie, confirmationes et institutiones, ac inde secuta huiusmodi canonice processissent, ac etiam ad habundatiorem cautelam dicta apostolica auctoritate per presentes beneficia eorum possessoribus conferimus et assignamus, nec non monasteriis de personis in illorum regiminis possessione existentibus huiusmodi providemus, et nichilominus causas inter possessores predictos, et alias quascunque personas super monasteriis, beneficiis, dignitatibus, personatibus et administrationibus sic possessis prefatis, et eorum occasione tam in Romana Curia quam extra eam ubilibet, etiam ex commissionibss apostolicis coram quibuscunque iudicibus tam coniunctim quam divisim forsan indecisas, et in quavis instancia pendentes ad nos advoca-

mus, ac lites desuper penitus extinguimus, gratias et litteras aliis predictis ceterisque personis cuiuscunque gradus, status et conditionis fuerint, super monasteriis, beneficiis, dignitatibus, personatibus et administrationibus sic possessis predictis per sedem prefatam hactenus concessas, ac per eas factas provisiones et collationes, necnon diffinitivas et alias quascunque sentencias, etiam fructuum perceptorum et expensarum factarum condemnatorias super possessis monasteriis et beneficiis prefatis, et eorum occasione contra eosdem possessores tam in curia prefata, quam extra eam iudicialiter, etiam specialium commissionum apostolicarum vigore, forsan latas, executorialesque et desuper confectas litteras, et super illis ac apostolicis litteris prefatis habitos processus, et inde secuta etiam omnia et singula auctoritate apostolica et scientia predictis revocamus, cassamus et annullamus, et pro nullis et infectis haberi volumus, ipsis aliis personis super monasteriis, beneficiis, dignitatibus, personatibus et administrationibus ac officiis sic possessis huiusmodi perpetuum silentium imponentes, necnon litium et causarum status ac litterarum, sententiarum et processuum tenores, personarumque gradus, status, qualitates, ordines et conditiones, ac causarum, nec non monasteriorum et beneficiorum, prebendarum, canonicatuum, dignitatum, personatuum, admistrationum ac officiorum prefatorum omnium et singulorum nomina et cognomina, necnon fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, irritum quoque decernentes et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contingerit attemptari, Non obstantibus omnibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum, ecclesiarum et ordinum prefatorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, liberationis, restitutionis, repositionis, dispensationis, abolitionis, confirmationis, approbationis, collationis, assignationis, provisionis, advocationis, extinctionis, revocationis, cassationis, annullationis, constitutionis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. MCCCCXLVII. sexto Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 98.

LXXII.

Theodoricus Albrici de Waworzancice praepositus Kelciensis etc. in acolitum pontificium recipitur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Theodorico Albrici de Waworzancice, preposito Kelciensi et canonico Cracoviensis diocesis, Acolito nostro, salutem etc. Pii patris altissimi, qui prout vult, dispensat singulis, etiam plus quam merita et vota requirunt, munera gratiarum, vices licet immeriti gerentes in terris, interdum honoribus minores efferimus, ut fiant in observantia mandatorum eorundem humeri fortiores. Cum itaque, sicut accepimus, tu, qui nobilitate generis et virtutum decoreris ornatu, ac nostris et Romane ecclesie obsequiis disponas insistere, nosque alias gratum sentiamus tue fame et probitatis odorem, propterea personam tuam grato prosequentes affectu, ac intendentes eam pro meritis dignioris nominis titulo decorare, te in acolitum nostrum et sedis apostolice auctoritate apostolica recipimus, et aliorum nostrorum et dicte sedis acolitorum consortio aggregamus. Volumus autem, quod antequam insignia huiusmodi officii, honoris et dignitatis recipias, in manibus dilecti filii Ludovici tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteri Cardinalis, camerarii nostri, sive eius locumtenentis, fidelitatis debite solitum in forma prestes iuramentum, qui deinde tibi eadem auctoritate conferat insignia supradicta. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, ut in nostro conspectu ad maiora te semper constituas meritorum studiis digniorem, nosque proinde ad faciendum tibi maiorem honorem et gratiam invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, tercio decimo Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 110.

LXXIII.

Ioanni Reppe decano Vladislaviensi, ut Nicolaum Piznirum cantorem Cracoviensem de exactione denarii S. Petri in Polonia absolvat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Reppe Decano ecclesie Wladislaviensis, notario nostro, salutem etc. Promeretur inter virtutes ceteras commendanda fidelitas, ut qui solicitus et fidelis reperitur in paucis, dispensator debeat supra multa constitui et continuatis meritis premium reportare.

Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Pizniri Cantoris ecclesie Cracoviensis peticio continebat, quod licet olim ipse nomine clare memorie Wladislai regis Polonie, iuxta facultatem sibi per felicis recordationis Eugenium papam IIII. predecessorem nostrum desuper concessam, certam collectam seu impositionem pecuniarum, denarium sancti Petri nuncupatam, in civitatibus, terris et locis regni Polonie ab illorum personis ecclesiasticis et secularibus exegerit ac receperit, necnon summam pecuniarum per ipsum Nicolaum propterea exactam et receptam prefato regi, vel aliis dicto nomine fideliter consignaverit, ac de illis fidele computum et plenam rationem reddiderit, dubitat tamen super premissis se vel heredes suos imposterum impeti seu etiam molestari: pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi ac suo et dictorum heredum statui super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis omnibus et singulis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Nicolaum et heredes predictos ac eorum bona ad consignandum seu restituendum dictam summam vel denarium, ut prefertur, exactum et collectum, et ad reddendum de illis aliam rationem vel computum nullatenus teneri, neque ad id a quoquam compelli posse, quin immo Nicolaum et heredes prefatos ab ipsius summe solutione liberos et absolutos fore auctoritate nostra decernas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quinto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 156.

LXXIV.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut rectorem ecclesiae de Brzezini Gnesnensis dioecesis a censuris, quas incurrerit, quod in quadam lite ad praetensum concilium Basileense appellaverit, absolvat.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Msczislai de Mroga, Rectoris parrochialis ecclesie opidi Brzezini Gneznensis diocesis, peticio continebat, quod cum eius predecessor in dicta ecclesia primo unam (sententiam), et demum ipse aliam super iure percipiendi nonnullas decimas duorum grossorum antiquorum monete et numeri Polonicalium, pro limo in parrochia dicte ecclesie excrescente, contra quendam Swanslaum Zak et Nicolaum Woitkonis, et alios opidanos agros colentes parrochianos in Curia archiepiscopali Gneznensi reportassent, quarum et prima et ultima in rem iudicatam transiverant, ammonitionibus per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum prefatum super paritione dictarum sententiarum factis, dicti Swanslaus et Nicolaus, et alii opidani ad damnatam congregationem Basiliensem post translationem concilii per bone memorie Eugenium IV. predecessorem nostrum factam appellarunt, ac quod dictum Andream (sic) Rectorem coram certis dicti pretensi concilii commissariis fecerunt in iudicium evocari, et quod ipse in causam tractus illuc personaliter accessit, et se et sue ecclesie iura defendit, et ibidem aliam sententiam pro se et contra dictos Swanslaum et Nicolaum, et omnes alios prefatos opidanos usque ad reaggravationem et interdictum (obtinuit), in opido populo (sic) executioni demandata, ac diverse hinc inde excommunicatorie et alie sentencie privationis et censuris (?) auctoritate legati apostolici, et aliorum commissariorum et privationis et penarum promulgate fuerunt, et quod bone memorie Eugenius predecessor noster predictus prefatum Andream, quia post dictam translationem concilii ibidem per procuratorem comparuit, tamquam rebellem et Basiliensibus adherentem parrochiali ecclesia predicta, que de iure patronatus laicorum fore deprehenditur, per suas litteras privari, ac de illa cuidam Sigismundo Stanislai de Czistrawo, clerico Plocensis diocesis, ad presentationem dictorum patronorum dicte ecclesie provideri mandavit, et ipsarum litterarum executor ad illarum executionem procedens, dicto Andrea ad hoc non vocato seu citato, legitime per suos desuper fulminatos processus presentacionem et provisionem fecit easdem, a quibus dictus Andreas appellare non curavit, deinde pro parte dictorum opidanorum, quos tribus, ut premissum est, sententiis dictus Rector convicerat, prefato predecessori exposito, quod Basiliensibus dictus Andreas adheserat et propterea privationis sententiam incurrerat, ipse inter alia domino Iohanni Didaci de Cora palatii apostolici causarum auditori commisit, ut constito (?) de suggestis huiusmodi sententiam privationis predictam confirmaret et partibus iustitiam ministraret, et demum dicti adversarii, quia in vim dictorum processuum continue excommunicabantur et excommunicati denunciabantur, pre-

tendentes ex hoc iniurias eis inferri, causam iniuriarum contra dictum Andream committi obtinuerunt, super quibus ad nonnullos actus processum est. Cum igitur ad defensionem iurium sue ecclesie dictus Andreas tractus et compulsus Basileam acessit, nec conveniat propter dictam defensionem, et propterea, que ob dictam causam eius nomine ibidem acta seu gesta per se vel per alium fuerant, iuribus suis beneficalibus et dicte sue ecclesie et sentencie et executorialibus litteris prefatis in aliquo obesse, nobis humiliter supplicavit, instantibus oratoribus carissimi in Christo filii nostri Kasimiri Polonie Regis Illustris, ut super hiis de remedio provideremus oportuno. Nos attendentes temporum preteritorum malitiam, et quod honesta motus impulsatione dictus Andreas premissa commiserat, volentes statui dicti Andree et ecclesie sue salubriter providere, omnes et singulas causas premissas ad nos harum serie advocantes, et quatenus ex accessu premisso et aliis ob defensionem sue ecclesie factis vel gestis se fundent, penitus extinguentes, nec intendentes ob premissa nullam iniuriam per quemvis pretendi posse, fraternitati tue harum serie committimus et mandamus, quatenus prefatum Andream ob prefatum accessum Basiliensem et alia quecunque per se vel alium ob defensionem iurium dicte sue ecclesie facta vel gesta, et in dictarum sententiarum executione nec in titulis beneficiorum aut aliis quibuscunque iuribus suis realibus aut personalibus, aut dicte sue ecclesie vel aliorum suorum beneficiorum aliquid obici, nec eum in causam iniuriarum ulterius trahi posse decernas, nec ob id quomodolibet molestari, sed perinde haberi, ac si dictus accessus aut adherentia prefata ob dictam defensionem et ad adversariorum requisitionem facta, quo ad omnium penarum, iniuriarum et censurarum et inhabilitatum et processuum per sedem apostolicam emanatorum citationem, minime facti fuissent, nullam tamen per hec gestis in Basilea aut sentenciis et processibus inde emanatis auctoritatem aut vigorem seu robur quomodolibet imposterum tribuentes. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quartodecimo Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. II. fol. 25.

LXXV.

Pontifex quasdam sententias contra Paulum de Grabow latas, supplicante rege Poloniae, usque ad biennium suspendit.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que scandalorum tollatur occasio, ac statui et indemnitatibus ecclesiasticarum personarum oportune valeat provideri. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kasimiri Polonie Regis Illustris peticio continebat, quod cum super Archidiaconatu Lublinensi, necnon Canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis contra dilectum filium Paulum de Grabavu clericum Gneznensis diocesis diverse sentencie cum expensarum condemnatione, et super illis littere executoriales in forma solita reportate sint, ipse Rex considerans, quod licet dicte sentencie contra ipsum Paulum late forent, ut prefertur, quia tamen ipse adhuc in ipsorum Archidiaconatus, necnon Canonicatus et prebende possessione existebat et ab illa non absque scandalo amoveri posset, inter ipsum et adversarium concordiam facere et componere procuravit, sed interim, durante tractatu dicte concordie, executionem dictarum sentenciarum usque ad certum tempus auctoritate apostolica suspendi desideraret: quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter fideles quoslibet pacem et quietem vigere incensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, prefatum Paulum a quibusvis excommunicationum aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis, quibus premissorum occasione irretitus existit, auctoritate apostolica absolventes et absolutum fore censentes, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum propterea contractam abolentes, litteras predictas et illarum effectum seu executionem usque ad biennium a data presentium computandum, infra quod dicta concordia tractari et componi possit sive debeat, dicta auctoritate supendimus per presentes. Volumus autem, quod si dicto biennio elapso, huiusmodi concordia secuta non fuerit, dictus Paulus ad nostram presenciam cum suis iuribus et monumentis quamprimum se conferre teneatur personaliter, ut super hiis possimus, iusticia suadente, utiliter providere: et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, decimo Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 154.

LXXVI.

Iudicibus, ut ex quarumdam ecclesiarum parochialium reditibus superabundantibus xv. marcas annuas argenti ecclesiae parochiali in oppido Scamutoli adiudicare possint.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis ... Decano Wladislaviensis et ... Cantori Poznaniensis ecclesiarum, salutem etc. Ad ea, que divini cultus augmentum respiciunt, libenter intendimus, illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte nobilium virorum Dobrogoscy Swidna castellani Poznaniensis et Petri Scamotoli castellani Calliciensis eius filii peticio continebat, quod in eorum opido Scamotoli nuncupato dicte diocesis Poznaniensis est quedam insignis parrochialis ecclesia sancti Stanislai, habens prepositum ac octo perpetua beneficia, mansionarie nuncupata, pro totidem idoneis sacerdotibus inibi in missis et aliis divinis officiis perpetuo servire debentibus, ac ad nutum prefatorum et aliorum pro tempore existentium temporalium dominorum amovibilibus, et cum plurima dicte ecclesie contribuerint et in futurum contribuere desiderant, cuperent pro augendo divinum cultum in dicta ecclesia sancti Stanislai ex introitibus trium ecclesiarum parrochialium adiacentium, videlicet in Chludewo, in Obrzisko et in Radezyz, dicte diocesis, que in earum redditibus, ultra quam necessitatibus ibidem servientium necessarium sit, superhabundant, aliquid amoveri et illi conferri. Nos cupientes divinum cultum in ecclesiis omnibus augeri, et de eo, quod alteri superhabundat, alteri pro usu provideri, de premissis rectam noticiam non habentes, vobis harum serie committimus et mandamus, ut vos aut alter vestrum de statu dictarum ecclesiarum se diligenter informet, et si ea reppereritis fore vera, super quo vestram ac alterius ex vobis conscienciam oneramus, ex introitibus dictarum ecclesiarum pro rata introituum singularum quindecim marchas argenti ex superhabundantibus introitibus illis, qui eis deserviunt, dicte ecclesie sancti Stanislai singulis annis post cessum vel decessum modernorum rectorum adiudicare curetis, quindecim marchas argenti eidem ecclesie sancti Stanislai singulis perpetuis futuris annis post cessum vel decessum predictorum ex dictis fructibus, loco et temporibus ex possessionibus, prout vobis videbitur, deberi apostolica auctoritate decernatis, necnon super dictis quindecim marchis tot mansionarios instituendos et amovendos per eosdem, qui alios amovere possunt, fundetis et instituatis, quot vestris conscienciis visum fuerit convenire, non obstantibus statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, decimo Kalendas Ianuarii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 154.

LXXVII.

Wisczotae de Gorka, notario pontificio, ut in regno Poloniae canonicatus et alia xc. beneficia ecclesiastica illis, quos Casimirus rex nominaverit, conferendos curet.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Wisszote Iacobi de Gorka Preposito ecclesie Poznaniensis, Notario nostro, salutem etc. Dum ad illam fidei plenitudinem eximieque devotionis affectum, quibus Carissimus in Christo filius noster Kasimirus Polonie Rex Illustris in nostro et apostolice sedis conspectu clarere dinoscitur, diligenter attendimus, ea amplectimur non immerito, per que sue proveniat honor persone, et in illius exhibitione valeat aliis provideri. Horum igitur consideratione meritorum discretioni tue providendi auctoritate nostra hac vice dumtaxat singulis personis idoneis, quas ipse Rex ad id nominaverit, de singulis quarumlibet cathedralium, etiam metropolitanarum, et collegiatarum infra Regnum Polonie, et alia dominia sua consistentium ecclesiarum Canonicatibus cum plenitudine iuris canonici, ac faciendi personas ipsas vel procuratores suos earum nominibus in singulis, de quarum Canonicatibus huiusmodi provisum eis fuerit, ecclesiis predictis in Canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo ipsarum ecclesiarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, necnon reservandi donationi tue auctoritate prefata singulas prebendas pro singulis predictis, necnon singulas, singulos seu singula dignitates, personatus, administrationes vel officia dictarum ecclesiarum, etiam si ad huiusmodi dignitates, personatus, administrationes vel officia consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo aliqua dignitatum earundem in quavis cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesia principalis non existat, etiam pro prefatis vel aliis nonaginta beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura clericis secularibus assignari solita, cuiuscunque taxe seu annui valoris illorum fructus, redditus et proventus fuerint, ad cuiuscunque seu communiter vel divi-

sim quarumcunque aut quorumcunque collatorum vel collatarum secularium et regularium dicte provincie vel Regni collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia pro nonnullis ydoneis, quas similiter ipse Rex ad id duxerit nominandas, personis etiam quecunque, quotcunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura obtinentibus, si qua tempore reservationis huiusmodi vacabant, vel cum simul aut successive vacaverint, que persone predicte, prout ad ea per ipsum Regem nominate fuerint, per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam eis vel dictis procuratoribus de illorum vacatione constiterit, duxerint acceptanda, conferenda singula videlicet prebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum dictorumque beneficiorum reservandorum huiusmodi singulis personis eisdem, pro quibus illa reservaveris, post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, inhibendi quoque districtius venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis, qui dictis cathedralibus ecclesiis prefuerint, et dilectis filiis earum Capitulis, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in prefatis ecclesiis prebendarum ac dignitatum, administrationum et officiorum collatio, provisio, presentatio, electio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de prebendis et dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis inibi ac eisdem Archiepiscopis, Episcopis et Capitulis, ne de reservandis beneficiis huiusmodi interim, etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone, pro quibus ea reservaveris, vel procuratores predicte illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, et nichilominus prebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia et beneficia huiusmodi, que reservabis, si vacant vel cum vacaverint, ut prefertur, cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis post acceptationes prefatas personis eisdem dicta auctoritate conferendi et de illis etiam providendi, necnon inducendi per te vel alium seu alios personas predictas, vel earum nominibus procuratores suos in corporalem possessionem prebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum et beneficiorum reservandorum iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendendi inductas ac faciendi personas vel pro eis procuratores predictos ad dignitates, personatus, administrationes vel officia, quas, quos seu que eis contuleris huiusmodi, ut est moris, admitti, necnon singulis personis eisdem de singulorum ipsi conferendorum canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum et beneficiorum predictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. plenam et liberam auctoritatem concedimus tenore presentium et facultatem, non obstantibus constitutionibus etc. Volumus etiam, quod de nominibus etc. certificare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, decimo Kalendas Ianuarii. Ponficatus nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. II. fol. 23.

LXXVIII.

Casimiro regi Poloniae altare portatile conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kasimiro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Eximie tue devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, que ad salutem anime tue cedere dinoscuntur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos devotis tuis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, ac etiam ecclesiastico interdicto suppositis, si forsan Serenitatem tuam ad ea quandocunque declinare vel in eis morari contigerit, apertis ianuis, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, pulsatis campanis, et in cantu vel submissa voce, ut tibi libuerit, in tua et quarumcunque aliarum tibi assistentium personarum, dum tamen tu vel ille causam non dederitis interdicto, nec id tibi aut illis contigerit specialiter interdici, necnon post vel circa mediam noctem, et in primo galli cantu, quandocunque ac etiam circa meridiem, ieiuno tamen celebrantis stomaco, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium aut tui corporis dispositio id exegerint, quodque ea tibi vel sacerdoti taliter celebranti ad culpam minime valeant imputari, missam et alia divina officia per proprios seu alios sacerdotes idoneos celebrari facere possis, devotioni tue auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia plenam et liberam concedimus facultatem, Proviso, quod indulto huiusmodi parce utaris, quiá cum in altaris ministerio immoletur dominus noster dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre conces-

sionis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, decimo Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 155.

LXXIX.

Wisczota de Gorka praepositus Posnaniensis notarius pontificius renuntiatur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Wusszote Iacobi de Gorka, Preposito ecclesie Poznaniensis, Magistro in artibus, notario nostro, salutem etc. Pii patris altissimi, qui prout vult, dispensat singulis, etiam plus quam merita et vota requirunt, munera gratiarum, vices licet immeriti gerentes in terris, interdum honoribus minores efferimus, ut fiant in observantia mandatorum eorum humeri fortiores. Cum itaque, sicut accepimus, tu nobilitate generis, litterarum scientia et virtutum decoraris ornatibus, ac nostris et Romane ecclesie obsequiis disponas insistere, nosque alias gratum sentiamus tue fame et probitatis ac circumspectionis odorem, propterea personam tuam grato prosequentes affectu. ac intendentes eam pro meritis dignioris nominis titulo decorare, te motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate in nostrum et sedis apostolice notarium cum honoribus et oneribus consuetis presentium tenore apostolica auctoritate recipimus, ac aliorum nostrorum et dicte sedis notariorum consortio aggregamus, non obstante, quod doctor aut licenciatus non existis in iure canonico vel civili. Volumus autem, quod antequam insignia huiusmodi officii honoris et dignitatis recipias, fidelitatis debite solitum in manibus dilecti filii Ludovici tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteri Cardinalis, Camerarii nostri, prestes in forma solita iuramentum, cui oraculo vive vocis sibi super hoc per nos facto mandavimus, ut a te nostro et Romane ecclesie nomine huiusmodi recipiat iuramentum, et deinde tibi eadem auctoritate conferat insignia supradicta: per hoc autem numero notariorum huiusmodi, etiam si ad illum deventum sit, alias non intendimus derogare. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, ut in nostro conspectu ad maiora te constituas semper meritorum studiis digniorem, nosque proinde ad faciendum tibi maiorem honorem et gratiam invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis, aggregationis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, x. Kal. Ianuarii. Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 155.

LXXX.

Universis fidelibus parochialem ecclesiam S. Stanislai de Scamotuli dioecesis Posnaniensis visitantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis et singulis presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia sancti Stanislai de Schamotuli Poznaniensis diocesis, que de iure patronatus dilecti filii nobilis viri Petri Scamotuli militis eiusdem diocesis existit, congruis honoribus frequentetur, et in suis structuris et edificiis debite conservetur, ac fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem donis celestis gratie uberius conspexerint se refectos, prefati militis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam in festo sancti Stanislai de mense Maii devote visitaverint annuatim, et ad conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si ecclesiam ipsam visitantibus vel ad conservationem huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, aut inibi pias elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, v. Kal. Ianuarii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 156.

LXXXI.

Iisdem parochialem ecclesiam S. Dominici in Turovyn Chelmensis dioecesis visitantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis et singulis etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia sancti Dominici in Turovyn Chelmensis diocesis, que de iure patronatus

dilecti filii Petri Schamotuli militis eiusdem diocesis existit, congruis honoribus etc. omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam in festo Ss. Trinitatis devote visitaverint etc. ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 156.

LXXXII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Benedicto Thome de Lopycino clerico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi duo beneficia ecclesiastica ad collationem Cracoviensis et Wladislaviensis episcoporum in dictis diocesibus spectantia. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice MCCCCXLVII. XVIII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Wysczote de Gorka Canonico Gneznensi, Notario nostro, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam in dicta ecclesia. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. MCCCCXLVII. XVIII. Kal. Iulii. Anno Primo.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Tanczin clerico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi sub expectatione Canonicatum in ecclesia Poznaniensi. Datum ut supra.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Swydwe de Scamothuli Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum ut supra.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Camerinensi et Curoniensi Episcopis, salutem etc. Curent, ut Mathiae Gizmislai de Brodi presbitero Poznaniensi Canonicatus et prebenda ecclesie B. Marie Lancitiensis Gneznensis diocesis conferantur. Datum Rome anno etc. MCCCCXLVII. XVIII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Laurentio de Stizelize Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi, petente Rege Polonie, Canonicatum in dicta ecclesia. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. XIX. fol. 66. Tom. XX. fol. 12. 15 et Tom. XXII. fol. 241. 243.

LXXXIII.

Baptistae episcopo Camerinensi nuncio apostolico in Polonia quaedam facultas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Baptiste Episcopo Camerinensi, in Regno Polonie sedis apostolice nuncio, salutem etc. Cum te ad partes Regni Polonie sedis apostolice nuncium cum plene legationis officio tamquam pacis angelum duxerimus transmittendum: Nos volentes illa tibi concedere, per que Christifidelium omnium animarum saluti salubriter consulatur, fraternitati tue quadraginta dumtaxat personis utriusque sexus parcium predictarum tam secularibus quam regularibus, ultramarino, beatorum Petri et Pauli et sancti Iacobi apostolorum votis exceptis, peregrinationis et abstinencie et alia quecunque vota forsan emissa, nisi solemnizata fuerint ordinis sacri vel religionis susceptione, ut confessor, quem quelibet illarum duxerit eligendum, eadem auctoritate in alia pietatis opera commutare valeat, prout secundum deum animarum personarum ipsarum saluti viderit expedire, indulgendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, septimo Idus Maii. Pontificatus nostri Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XXIII. fol. 45.

LXXXIV.

Eidem, ut in provinciis fratribus hospitali B. Mariae Teutonicorum subiectis eisdem facultatibus uti possit, quibus utebatur in regno Poloniae, conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Baptiste Episcopo Camerinensi, in Regno Polonie nuncio nostro, salutem etc. Cum tibi ad presens existenti in Regno Polonie pro nostris et Romane ecclesie negociis peragendis comiserimus, ut venturus ad nos iter facias per Germaniam et conferas te ad dilectum filium nostrum sancte Marie Theotonicorum generalem Magistrum, aliqua etiam secum et in provinciis sibi subiectis pariter pro nobis et ecclesia acturus, fraternitati tue, ut omnibus et singulis facultatibus, tibi concessis in predicto Polonie Regno, etiam uti possis in provinciis et locis predicte sancte Marie Theotonicorum Magistro subiectis, auctoritate apostolica concedimus per presentes. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, (tertio Kalendas Iunii.) Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XXIII. fol. 109.

LXXXV.

Eidem, ut electum Vratislaviensem in episcopum confirmet.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Baptiste Episcopo Camerinensi, in Regno Polonie nuncio nostro, salutem etc. In ea, que diversis in Regnis et provinciis hactenus viguit, temporum malicia accidit varia et enormia committi, quibus reparandis ad debitamque formam redigendis, et si aspera correctione opus fore videretur, nos tamen clemencia uti et misericordia proposuimus. Audivisti, quod nobis scripsit venerabilis frater noster Archiepiscopus Gneznensis, eundem, cum vacasset Wratislaviensis ecclesia sua suffraganea, electusque esset a Capitulo Petrus, tunc ipsius Wratislaviensis ecclesie prepositus, confirmasse predictam electionem, prefecisse dictum Petrum Wratislaviensi ecclesie in Epum et pastorem, ac munus consecrationis illi impendisse, aut impendi ab aliis mandavisse contra apostolicas constitutiones et reservationes per felicis recordationis predecessores nostros ac nos ipsos factas, que, ut nosti, irrita de iure sunt et nullius roboris vel momenti, essentque predicti Archiepus et electus in Episcopum censuris ecclesie subiciendi: Nos tamen Regni, ad quod te tamquam pacis angelum misimus, paci consulere cupientes, considerantesque, quam esset grave et incommodum antedictis Archiepiscopo, electo et aliis, si ad curiam Romanam, ubi talia deberent reformari, venire compellantur, fraternitati tue provisionis supradicte confirmationem eiusdemque provisi absolutionem et rehabilitationem et omnia, que ad omnimodam provisionem ipsius Wratislaviensis ecclesie spectant et pertinent, prout tibi videbitur et oportunum fuerit, faciendi, adeo quod quicquid in premissis et circa litterarum subinde concedendarum expeditionem per te fiet, perinde habeatur, ac si provisio ipsius ecclesie in secreto consistorio nostro facta, et littere ipse in Camera apostolica expedite essent, facultatem potestatemque de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio et assensu auctoritate apostolica, et de plenitudine potestatis nostre concedimus per presentes. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, septimo Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XXIII. fol. 109.

LXXXVI.

Sophiae reginae Poloniae quosdam ad certa beneficia nominandi per sex menses facultas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Carissime in Christo filie Sophie Polonie Regine Illustri, salutem etc. Romanus Pontifex quandoque, ne in dubio versentur, que per eum generose concessa sunt, ex clementi provisione solet ea declarare, ac in hiis oportuno remedio providere. Dudum siquidem tibi nominationem seu nominandi certos ad certa beneficia infra sex menses a die date litterarum earundem facultatem benigne concessimus. Cum autem nobis pro parte tua exhibita petitio continebat, quod dicti sex menses a data litterarum predictarum ante presentacionem earundem magna ex parte defluxerint, ac ideo a nobis super hiis de oportuno remedio providere postulatum sit: nos tue peticioni favorabiliter annuentes, dictos sex menses a die presentationis dictarum nostrarum litterarum incipere debere, et non a data earundem, idque nostre intentionis et fuisse et esse declaramus. Quodque hec nostra declaratio etiam ad preterita et ad nominationes hactenus per te factas in vim prefatarum litterarum locum sibi vendicare debeat, ex certa nostra scientia, tenore presentium volumus, precipimus et mandamus. Nulli ergo etc. nostrorum declarationis, precepti, mandati et voluntatis infrigere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, Idibus Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXII. fol. 147.

LXXXVII.

Fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum quaedam pecuniae in illis partibus collectae et colligendae ad converteudos ad fidem catholicam Ruthenos et infideles conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Inter cetera, quibus ex suscepti regiminis onere vigilancius intendere nos convenit, hoc summopere cupimus nostris efficere temporibus, quod fides catholica, nedum ab infidelibus et eius tueatur inimicis, sed eciam, auctore domino, votivis iugiter proficiat incrementis. Sane pro parte dilectorum filiorum Conradi Erlichshausen Magistri et fra-

trum hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani nobis nuper exhibita peticio continebat, quod alias generale Concilium, quod tunc in civitate Basiliensi celebrabatur, sive presidentes inibi omnibus et singulis utriusque sexus Germanice nacionis personis, que pro usu et reductione Grecorum et Ruthenorum ad fidem huiusmodi, ac tuicionem et defensionem illius manus adiutrices porrigerent, quasdam sub certa forma indulgencias concesserunt, eciam desuper expeditis litteris, nec non obtentu indulgenciarum huiusmodi plures fuerunt in partibus Alamanie pro premissis usu et reductione collecte pecunie. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, in terris et dominiis Magistro et fratribus predictis subiectis, et presertim in Prussie et Livonie partibus adhuc modica restet pro eisdem usu et reductione recolligenda pecunia, huiusmodi quoque pecunia pro commodo et defensione fidei huiusmodi deputata atque collecta existat, pro parte eorundem Magistri et fratrum asserencium, quod ipsis in partibus illis contra infideles et eiusdem fidei impugnatores gladius extat commissus, quodque ipsos contra eosdem infideles et impugnatores, qui partes predictas frequencius potenter et periculosissime invadere solent, plerumque pugnare oportet, et quod ipsi vigente necessitate magnam partem collecte pecunie huiusmodi contra ipsius hostes et inimicos fidei exposuerunt, ac nisi pecunia predicta pro tuicione et defensione fidei huiusmodi committeretur, populus partium earundem pro tali usu nullum deinceps procul dubio subsidium ministraret, nobis fuit humiliter supplicatum, ut tam collectam quam colligendam pecuniam huiusmodi pro tuicione et defensione huiusmodi eis donare, concedere et assignare, ac alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ex premissis et aliis nobis expositis causis moti, huiusmodi supplicacionibus inclinati, tercia parte restantis ultra exposita, ut premittitur, per dictos Magistrum et fratres ac colligende pecunie huiusmodi, quam per eosdem Magistrum et fratres Camere apostolice in subsidium Ungarorum contra Turcos assignari volumus, salva, reliquas duas partes tam collecte et restantis, quam colligende pecunie huiusmodi prefatis Magistro et fratribus pro usu et defensione fidei eiusdem dumtaxat, ita quod ipsi dictas duas partes pro premissis usu et defensione, alicuius eciam super hoc licencia minime requisita vel obtenta, exponere committereque possint, auctoritate apostolica concedimus, donamus, assignamus et appropriamus, decernentes quoscunque processus, quasvis eciam excommunicacionis ac alias sententias, censuras et penas continentes, contra ipsos Magistrum et fratres occasione pecunie huiusmodi forsan habitos, et quos haberi et promulgari contigerit, nullius prorsus subsistere firmitatis, Non obstantibus premissis, quodque dilectus filius Conradus de Weinsperg, qui se gerit pro nobili, se ad colligendum pecunias predictas a presidentibus supradictis habere potestatem pretendat, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, v. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. IV. fol. 15.

LXXXVIII.

Iudicibus, ut electum Archiepiscopum Rigensem contra adversarios suos defendant ac confirment.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Ausarensi et Wladislaviensi ac Caminensi Episcopis, salutem etc. Iustis supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem de persona dilecti filii Silvestri Stodewesscher Electi Rigensis, tunc fratris hospitalis beate Marie Theotonicorum, suis exigentibus meritis, de fratrum nostrorum consilio ecclesie Rigensi tunc vacanti providimus, ipsumque illi prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administracionem dicte ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, mandantes Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis ac dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, nec non Clero civitatis et diocesis Rigensis ac populo civitatis et vassallis ecclesie predicte, ut ipsi Electo obedienciam et reverenciam debitas et devotas exhiberent, prout in diversis nostris litteris plenius continetur. Quarum tenor sequitur et est talis. Nicolaus etc. Dilecto filio Silvestro Stodewesscher Electo Rigensi, salutem etc. Divina disponente clemencia, cuius inscruptabili providencia ordinacionem suscipiunt universa, in apostolice sedis specula licet immeriti constituti, ad universas orbis ecclesias aciem nostre consideracionis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius cogitare nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri preficiantur ydonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem salubriter dirigant et informent, ac ecclesias ipsas non solum gubernent utiliter, sed eciam multimodis efferant incrementis.

Dudum siquidem bone memorie Hemmingo Archiepiscopo Rigensi ecclesie Rigensis ordinis sancti Augustini regimini presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per providenciam sedis apostolice utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter coutingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Hemmingi Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacacionis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo ipsi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, qui regularem, per fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum emitti solitam professionem sponte emisisti, in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, prefate ecclesie de eorundem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et admnistracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos, prefata Rigensis ecclesia sub tuo felici regimine salubriter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, iura et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram dicteque sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem, quod tam tu, quam successores tui, qui pro tempore erunt Rigenses Archiepiscopi, nec per se vel alium seu alios statum dicte ecclesie in aliquo mutare seu disponere, aut aliter, et presertim quantum ad mutacionem habitus sancti Augustini, innovare quoquomodo presumas seu presumant, nisi in consensu et voluntate Capituli prefate ecclesie, aut sedis eiusdem desuper obtenta licencia, decernentes irritum etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo cccc. quadragesimo octavo, vii. Id. Octobris, pontificatus nostri anno secundo. E. m. Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Rigensis, dilectis filiis Capitulo, et vassallis ecclesie Rigensis, nec non Clero et populo civitatis et diocesis Rigensis, mutatis mutandis. Datum ut supra. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Electi peticio continebat, ipse dubitet litteras ipsas per eos, quibus diriguntur, benigne non recipi, seque contra illarum tenorem indebite molestari posse tempore precedente, nos, ut provisio, prefectio et mandata nostra huiusmodi suum consequantur effectum, ipseque Electus pacificam possessionem regiminis et administracionis bonorum dicte ecclesie Rigensis assequatur, et illa gaudeat pastore, providere volentes, eiusdem Electi in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios eidem Electo adversus Suffraganeos, Capitulum, Clerum, populum et vassallos huiusmodi, nec non quoscunque alios efficacis defensionis presidio assistentes, et singulas litteras predictas nec non omnia et singula in eis contenta execucioni debite demandantes, non permittatis eum seu procuratores suos eius nomine tenore ipsarum litterarum ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, quocienscunque expedierit, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellacione postposita, compescendo, invocato etc. Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, Seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, ac de duabus dietis in concilio generali, nec non de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis apostolicis constitucionibus contrariis, ac appellacionibus forsitan desuper interpositis quibuscunque, Seu si Suffraganeis, Capitulo, Clero, populo et vassallis

predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, et quam quo ad premissa ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum eciam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presencium sit vobis et cuilibet vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus et singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris procedere, ac si premissa omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in premissis omnibus et singulis per citacionem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitucione apostolica super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Rome apud Sanctam Potentianam anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, XIV. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. III. fol. 165.

LXXXIX.

Exsecutoribus, ut Paulo Staughe de Legendorf, clerico Culmensi, canonicatum Glogoviensem conferendum curent.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Vasatensi, et dilectis filiis Preposito ecclesie Wratislaviensis ac Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Grata familiaritatis et devocionis obsequia, que dilectus filius Magister Paulus Staughe de Legendorff, clericus Culmensis diocesis, Scriptor et familiaris noster, nobis et apostolice sedi hactenus impendit, et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, necnon nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam suam tam familiari experiencia, quam eciam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Hodie siquidem motu proprio primo vacaturos Canonicatum et prebendam ecclesie beate Marie Glogoviemaioris Wratislaviensis diocesis per cessum vel decessum, aut dimissionem illos obtinentis, seu alias qualitercunque, preterquam per resignacionem ex causa permutacionis, eciam in mensibus sive turnis ordinariorum, et eciam si ex quavis causa disposicioni apostolice generaliter reservati existerent, cum certis inhibicionis decretis, et aliis clausulis sub certis modis et formis collacioni ac disposicioni nostre specialiter reservavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos igitur volentes dicto Paulo, qui, ut accepimus, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, premissorum obsequiorum et meritorum suorum intuitu graciam facere specialem, motu simili, non ad ipsius Pauli, vel alicuius alterius nobis pro eo super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios reservatos Canonicatum et prebendam predictos, cum vacaverint, ut prefertur, cum plenitudine iuris Canonici ac omnibus iuribus, et penitenciis suis eidem Paulo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac facientes ipsum Paulum vel dictum procuratorem pro eo, ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Non obstantibus Constitucionibus et ordinacionibus apostolicis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLVIII. III. Id. Decembris. Anno II. Ex reg. orig. An. II. Secret. Tom. IV. fol. 144.

XC.

Andreae episcopo Posnaniensi conferendi per sex menses anni beneficia ecclesiastica facultas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Andree Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Sedis

apostolice providentia circumspecta ad hoc, ut ecclesiastica beneficia interdum per eorum collatores, seclusis expectantibus apostolicis, libere conferantur, disponit et ordinat, prout id conspicit in domino salubriter expedire. Hinc est, quod nos considerantes, quod continuo in predecessoris nostri et nostra ac sancte sedis apostolice obedientia perseverasti, et quod multo magis sex mensium facultatem conferendi beneficia promereris, quam hii, qui extra Regnum Polonie sub Germanice nationis nomine certa concordata fecere, quibus generaliter sex mensium conferendi facultas a nobis concessa est, tuis ac dilectorum filiorum Capituli ecclesie Poznaniensis in hac parte supplicationibus inclinati, quod nulle expectative gratie seu littere per nos vel sedem apostolicam seu legatos eius, etiam motu proprio, quibusvis personis hactenus concesse et forsan imposterum concedende, necnon reservationes ipse desuper habite, neque earum alique ad ecclesiastica beneficia cum cura et sine cura, que in Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus in ecclesia predicta ac civitate et diocesi Poznaniensi quomodolibet vacare contigerit, ad tui dumtaxat collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel divisim pertinentia, etiamsi canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in prefata ac quibusvis Collegiatis ecclesiis fuerint, dummodo dispositioni apostolice reservata generaliter non existant, se aliqualiter extendant vel extendere possint: sed quod tu et Capitulum tam coniunctim quam divisim, prout ad eos alias pertinet, de ipsis beneficiis omnibus et singulis sic in eisdem mensibus, quoad vixerint, huiusmodi vacaturis libere disponere valeant perinde in omnibus et per omnia, ac si expectative gratie et reservationes predicte nullatenus emanassent, necnon etiam irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium decernimus, volentes tamen, quod de conferendis beneficiis in certis tunc expressis mensibus per nos prelatis et aliis personis ecclesiasticis dudum generaliter concessa facultate non utaris. Nulli ergo etc. nostre constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadrigentesimo quadragesimo octavo, Kalendis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. V. fol. 40.

XCI.

Iudicibus, ut Theodorico Albrici canonico Cracoviensi, nuncio apostolico, qui per partes Poloniae transiens omnibus suis rebus spoliatus ac male tractatus fuerat, easdem restituendas et malefactores puniendos curent.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Leopoliensi, et Premisliensi ac Tricaricensi Episcopis, salutem etc. Ex debito pastoralis officii super gregem nobis creditum vigilare astringimur, ut eum a noxiis et a diversis, quantum nobis ab alto conceditur, preservare curemus, utque ex nostre provisionis ope proveniat, quod hii, qui in aliorum iniurias et offensas prolabi non formidant, nequaquam in sua malicia glorientur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Theodorici Albrici Canonici Cracoviensis, acoliti et nuncii nostri, peticio continebat, quod cum pridem ipse pro nonnullis et apostolice sedis ac suis peragendis negociis ad partes Regni Polonie de mandato nostro personaliter se conferret, in suo per dictas partes transitu nonnulli iniquitatis filii Cracoviensis diocesis, de quibus pre nimio eorum furore nullam agnitionem percipere potuit, dei relegato timore, sacrilegisque et nephariis ausibus per se vel alios eorum complices eundem Theodoricum, qui presbiter est, hostiliter invadentes, manusque in eum violentas mictentes, non solum eius res et bona omnia penes eum tunc existencia more predonico rapere et usurpare, sed etiam ipsum captivare, mutilare ac eius linguam perforare et in parte abscindere, ac alias sibi multiplices iniurias et iacturas irrogare inhumaniter presumpserunt, penas et sentencias in tales generaliter promulgatas damnabiliter incurrendo in animarum suarum periculum, nostrum et dicte sedis contemptum, sacerdocii obproprium, ipsiusque Theodorici grave et enorme dispendium atque damnum, ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum: Quare pro parte dicti Theodorici nobis fuit humiliter supplicatum, ut ei super hiis oportune providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur, quorum interest super premissis salubriter providere, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum omnes et singulos invasores, raptores, mutilatores, iniuriatores, malefactores et complices prefatos, et alios quomodocunque et qualitercunque in premissis culpabiles, necnon ceteros, qui delinquentes et delicta huiusmodi aut in toto aut in parte sciverunt, vel sciunt aut

interim scient, sive clerici sive laici, et cuiuscunque dignitatis, nobilitatis, status, gradus, ordinis, preeminencie vel conditionis existant, auctoritate nostra generaliter moneatis et moneri faciatis, ut infra certum eis ad id per vos prefigendum peremptorium terminum competentem, invasores videlicet, raptores, usurpatores et mutilatores, sub inflictis contra tales per sacrorum canonum instituta et aliis, que magis verisimiliter timebuntur, penis res et bona per eos rapta eidem Theodorico vel persone legittime pro eo integre restituant, de illisque necnon passis per eum propterea damnis et interesse ac captivationibus, mutilationibus et iniuriis huiusmodi efficaciter satisfaciant, scientes vero prefati sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis censuris, malefactores, complices, culpabiles delicta et maleficia huiusmodi vobis vel aliis per vos ad hoc deputandis omnino revelent, alioquin dicto termino elapso illorum, qui huiusmodi monitionibus, prout eos contingere poterit, realiter non paruerit, malefactorum videlicet, complicum et culpabilium, penas a canonibus inflictas et alias, que per vos imposite fuerint, scientium vero et non revelantium predictorum singulos sentencias et censuras ecclesiasticas huiusmodi incurrisse eadem auctoritate declaretis, illasque contra eos, ubi et quando expedire videritis, faciatis solemniter publicari, necnon malefactores, complices et culpabiles predictos eisdem penis iuxta ipsorum culpas et demerita, super quo vobis plenam et liberam potestatem concedimus, puniatis, seu ab aliis, ad quos legitime spectaverit, puniri faciatis, et adversus tam eos quam scientes et non revelantes prefatos legitimis per vos super hiis habendis servatis processibus eos, quotiens expedierit, aggravare curetis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ceterum si forsan de malefactoribus, complicibus et culpabilibus aut scientibus et non revelantibus predictis seu aliquibus ex eis certam, in cuius eventum eos et alios, si qui vocandi fuerint, per vos evocandos esse decernimus, noticiam vos habere contigerit, ac per summariam informationem per vos desuper habendam vobis constiterit, quod processus ac monitiones huiusmodi et pro ipsorum directione processuum faciende citationes vocandis eisdem tute nequeant publicari, vos processus, monitiones et citationes huiusmodi per edictum publicum locis publicis habitationibus illorum vicinis affigendum, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam ipsorum vocandorum et aliorum, quos ipsi processus concernent, pervenire valeant, quotiens opus fuerit, auctoritate predicta publicetis. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, quod processus, monitiones et citationes huiusmodi perinde ipsos monitos et citatos arctent, ac si eis intimati et insinuati presentialiter et personaliter legitime extitissent, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, Kalendis Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. XXXIV. fol. 285.

XCII.

Magistro hospitalis B. Mariae Teutonicorum privilegium conferendi personis idoneis duos canonicatus et duas praebendas ex maioribus ecclesiae Varmiensis confirmatur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi iuxta Canonicas sanctiones pariter et legales eius sit interpretari et declarare, cuius est concedere, non indigne Romanus Pontifex pervigilis more pastoris quotiens super litteris et indulgentiis apostolicis dubia prospicit et ambiguitates insurgere, ne exinde lites aut iurgia prodeant, illa, ut paci et quieti fidelium consulat singulorum, per sue declarationis oraculum submovere satagens, declarat atque decidit, prout conspicit in domino salubrius expedire. Dudum siquidem, videlicet quartodecimo Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo, ad venerabilis fratris nostri Episcopi Warmiensis ac dilectorum filiorum prepositi, decani et Capituli ecclesie Warmiensis instantiam per quasdam nostras litteras consuetudinem in prefata ecclesia super optione maiorum prebendarum eiusdem diutius observatam tanquam laudalilem, licet per actus contrarios alias interruptam et interceptam, auctoritate apostolica confirmantes et approbantes, inter alia sancivimus, statuimus et ordinavimus, quod extunc inantea perpetuis futuris temporibus nullus vigore, sive pretextu quarumcunque gratiarum expectativarum sibi post tempus date quartodecimo Kalendas Aprilis huiusmodi a sede apostolica vel legatis eius concedendarum, ac processuum desuper habendorum, quorumcunque tenorum dicte littere, et sub quibusvis verborum formis, etiam si motu proprio concepte et expedite forent, et quascunque derogatorias vel alias clausulas continerent, ad ali-

quam ex maioribus prebendis huiusmodi in dicta ecclesia, in qua maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, recipi vel admitti, seu in illa ius sibi acquiri posset, nisi tempore vacationis maioris prebende huiusmodi ipsius ecclesie Canonicus minori vel media actu prebendatus existeret, et apud eandem effectualem et realem residentiam faceret personalem, et de minoribus ad medias, ac de mediis prebendis ad maiores prebendas, et non alias eiusdem ecclesie Canonici gradatim et per optionem ascenderent, ita quod minores ad medias, et medias prebendas habentes maiores prebendas huiusmodi possent sicque optare deberent; sed in optione quacunque medie seu minoris prebende huiusmodi quo ad Canonicatum optantem expressus Episcopi Warmiensis pro tempore existentis, si in partibus illis resideret, ac maioris partis Capituli predicti assensus intercederet. Ac decrevimus extunc irritum et inane totum ac quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri vel attemptari contingeret, nulliusque roboris vel momenti, prout in illis plenius continetur. Et deinde, videlicet quarto Idus Iunii etiam pontificatus nostri anno predicto, pro parte dilecti filii Conradi Erlichshausen Magistri hospitalis beate Marie Theutonicorum nobis exposito, quod ecclesia Warmiensis prefata de facultatibus et bonis ab infidelium manibus per Magistrum et fratres dicti hospitalis, qui dudum fuerant, acquisitis potissime fundata esset, et infra limites et dominia Magistri pro tempore existentis necnon fratrum dicti hospitalis ac sub illorum protectione consisteret, ab eis quoque in suis iuribus et libertatibus plurimum relevari posset, quodque propterea conveniens ac eidem ecclesie illiusque personis multipliciter profuturum existeret, quod Conradus predictus et eius successores, qui essent pro tempore ipsius hospitalis Magistri, saltem duos ex Canonicatibus ecclesie prefate ad collationem, provisionem, presentationem aut aliam dispositionem Episcopi Warmiensis pro tempore existentis, vel electionem personarum eiusdem pertinentes, ac totidem ex ipsis maioribus prebendis conferre personis idoneis et eis acceptis haberent: Nos, ut eo ferventius Conradus et successores sui ecclesie personisque predictis favores et auxilia, quotiens expediret, impartiri animarentur, ipsius in ea parte favoribus inclinati, perpetue constitutionis edicto auctoritate apostolica per alias nostras litteras statuimus, ac etiam ordinamus, quod ex tunc in antea duo ex Canonicatibus et totidem ex prebendis etiam maioribus huiusmodi, quos Conradus et successores predicti ducerent eligendos, quotiens eos per cessum vel decessum aut alias quovismodo vacare contingeret, etiam si tunc ex quavis causa dispositioni apostolice generaliter vel specialiter reservati forent, ad collationem, provisionem et omnimodam dispositionem Conradi et successorum predictorum dumtaxat pertinerent, nec eorum aliqui per quasvis apostolicas seu sedis apostolice vel legatorum eius litteras, sub quacunque verborum forma littere huiusmodi confecte forent, seu vigore aut pretextu illarum etiam interponi solitas, vel alias quascunque derogatorias clausulas continentium, ac desuper habitorum pro tempore processuum, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis et expressa, necnon de verbo ad verbum mentio habenda fuisset, acceptari possent, vel de ipsis provisio fieri valeret quoquomodo; sed illos Conradus et successores supradicti licite libereque conferre, ac de eis disponere proinde possent ac valerent, ac si ab ipsorum institutionis tempore ius illos conferendi ac de eis disponendi ipsis Conrado et successoribus auctoritate apostolica reservatum salvumque fuisset, nec alique talium litterarum reperirentur emanasse, prout in singulis litteris predictis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis vertatur in dubium, an ex eo, quod in ipsis posterioribus ad ipsius Conradi instantiam in quibusdam confirmatione, approbatione, sanctione, statuto et ordinatione in prioribus litteris ad Episcopi, prepositi, decani et Capituli predictorum preces concessis alias specifica et specialis mentio habita non fuit, Conradus et successores predicti duos ex Canonicatibus ac totidem ex prebendis etiam maioribus dicte ecclesie personis idoneis conferre, et de illis iuxta earundem posteriorum litterarum continentiam et tenorem libere disponere liciteque valeant ordinare: Nos motu simili ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia declaramus, nostre intentionis fuisse et esse, quod Conradus et successores predicti perpetuis futuris temporibus duos ex Canonicatibus et totidem ex maioribus prebendis huiusmodi, quos ipse vel eorundem successorum aliquis duxerit eligendos, quotiens illos per cessum vel decessum seu alias quovismodo vacare contingeret, et ex quavis causa dispositioni apostolice specialiter vel generaliter tunc reservati essent, absque conditione aliqua in omnibus et per omnia libere liciteque conferre, et de illis disponere et ordinare possent tunc, ac perpetuis futuris temporibus possint et valeant, prout in dictis nostris litteris plenius continetur, Non obstantibus confirmatione, approbatione, sanctione, statuto et ordinatione pre-

missis ac quibuscunque aliis gratiis expectativis, antelationum prerogativis, privilegiis, indultis, nominationibus et nominandi et conferendi facultatibus, et presertim per constitutionem nostram ecclesiarum prelatis sive ecclesiasticis personis in genere vel alias in specie concessis, ac specialibus et generalibus reservationibus, necnon unionibus et uniendi mandatis de quibuscunque dicte ecclesie Canonicatibus et prebendis sub quibusvis verborum formis vel expressionibus, etiam motu simili aut aliis quibuscunque favorabilibus et derogatoriis clausulis et decretis irritantibus Episcopo, preposito, decano et Capitulo, seu quibusvis aliis personis aut collegiis, universitatibus, Capitulis, dignitatibus, mensis Episcopalibus vel Capitularibus, seu aliis qualitercunque quavis auctoritate concessis et imposterum concedendis, que omnia et singula concessa huiusmodi, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, specifica et individualis mentio habenda foret, pro sufficienter expressis haberi volumus, quibusque, in quantum nostre declarationi huiusmodi ac statuto et ordinationi de duobus Canonicatibus totidemque prebendis predictis obstarent, illis alias in suo robore permansuris, scientia et auctoritate similibus derogari volumus et derogamus per presentes, ceterisque contrariis quibuscunque, decernentes etiam, prout est, irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre declarationis, voluntatis, derogationis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCXLVIII. sexto Idus Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. V. fol. 127.

XCIII.

Exsecutoribus, ut praedictas litteras apostolicas exsequendas curent.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Vasatensi et Pomesaniensi ac Sambiensi Epis, salutem etc. Hodie a nobis emanarunt littere huiusmodi sub tenore: Nicolaus Epus etc. Ad futuram rei memoriam etc. ut supra. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras ac in eis contenta huiusmodi, ubi et quando expedire videritis, ac quotiens pro parte dicti Magistri super hoc fueritis requisiti, auctoritate nostra solemniter publicantes, ea omnia, quemadmodum in eisdem litteris continentur, auctoritate prefata exequutioni debite demandare curetis, facientes eundem Conradum generalem Magistrum suosque pro tempore successores predictarum iuxta earum continentiam et tenorem efficaciter gaudere beneficio litterarum, Contradictores etc. Non obstantibus omnibus, que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. V. fol. 127.

XCIV.

Czeslao Curoszwansky castellano Lubinensi eiusque uxori altare portatile conceditur.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Crzesslao de Curoszwanky Castellano Lubinensi Cracoviensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri eius uxori, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam geritis, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et cuilibet vestrum habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possitis per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missam, et alia divina officia sine iuris alieni preiudicio in vestra, ac familiarium vestrorum domesticorum presentia facere celebrari, devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, XIII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 142.

XCV.

Nicolao Chebde de Nyewisch declarationis litterae super decanatu ecclesiae Posnaniensis conceduntur.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Chebde de Nyewisch decano ecclesie Poznaniensis, salutem etc. Apostolice sedis providentia circumspecta nonnunquam acta et gesta per eam, ne ex

illis lites et dubia oriri contingat, dilucidat et declarat, prout salubriter id cognoscit expedire. Dudum siquidem cupientes, ut ecclesia Poznaniensis personarum utilium presidiis gubernaretur, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instanciam canonicatum et prebendam, ac dignitatem, personatum vel officium ecclesie Poznaniensis, etiam si ad dignitatem, personatum vel officium huiusmodi consuevisset quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum, quas, quos seu que in eadem ecclesia primo vacare contingeret, etiam si ex quavis causa dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservati vel reservata forent, nostre et apostolice sedis dispositioni extunc auctoritate apostolica et ex certa scientia specialiter reservavimus, nec non illas vel illa sub quibusvis gratiis expectativis quarumcunque datarum, aut nominationibus, nominandi facultatibus seu aliis generalibus vel specialibus reservationibus, etiam sub motu simili ac quavis verborum expressione, et aliis concessionibus, indultis, antelationum prerogativis, ac cum decretis irritantibus seu aliis derogatoriis vel favorabilibus clausulis quibusvis personis, cuiuscunque etiam regalis vel pontificalis dignitatis, status, gradus vel conditionis forent, in specie vel in genere quomodolibet concessis et concedendis, nullatenus cadere vel comprehendi debere motu simili decrevimus, inhibendo Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Poznaniensi, ne de reservatis canonicatu et prebenda ac dignitate, personatu vel officio predictis disponere, nec non quibusvis expectantibus ac nominatis tunc vel nominandis et aliis, quibus similes tunc facte erant vel fierent reservationes, ne illos vel illas acceptare vel de eis sibi provideri facere presumerent, per quasdam primo et deinde per alias nostras litteras de eisdem primo vacaturis canonicatu et prebenda, ac dignitate, personatu vel officio tibi sub certis modo et forma motu simili gratiose mandavimus provideri, prout in eisdem litteris plenius continetur. Et deinde decanatu, qui curatus et dignitas non tamen maior post pontificalem est ecclesie predicte, et quem quondam Mathias Deya ipsius ecclesie decanus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Mathie, qui extra Romanam Curiam de mense Februarii proxime preteriti decessit, vacante, sicut exhibita nobis pro parte tua peticio continebat, tu dictarum mandati litterarum vigore eundem decanatum tibi conferri et de illo obtinuisti auctoritate apostolica provideri, illumque fuisti assecutus, licet dilecti filii Iohannes de Sprowa clericus pretextu quarundam litterarum certe facultatis, per nos Carissimo filio nostro Cazimiro Regi Polonie illustri concesse, et nominationis de se facte eundem decanatum de facto acceptaverit, et sibi de illo fecerit provideri, ac Iacobus de Voyganawo, qui se gerunt pro Canonicis eiusdem ecclesie, nonnullis inter dilectum filium nostrum Iohannem sancti Angeli diaconum Cardinalem, nostrum et apostolice sedis in partibus Germanie ad presens legatum, ac Carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Regem, certosque alios spirituales principes eiusdem nationis pro bono pacis et unione ecclesie receptis et concordatis Capitulis atque articulis iuvare se pretendens, sibi fecerit illorum pretextu de dicto decanatu sic vacante auctoritate ordinaria provideri, qui te super decanatu predicto et illius occasione molestare nituntur et intendunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Cazimirus Rex huiusmodi concordatis nullatenus interfuerit, neque ea pro se aut regno suo Polonie acceptaverit aut rata habuerit, et propterea an ad eum et regnum predictum huiusmodi concordata se extendere debeant, supersit scrupulus: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut nostrum desuper declarationis ministerium impartiri, tibique et statui tuo desuper oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, premissis, et quod dictus Rex Polonie nobis obedienciam realem et effectualem prestando nullum respectum ad huiusmodi concordata habuerit, vel illa pro se et regno predicto habere postulatus fuerit, attentis, regnum predictum, de quo civitas Poznaniensis existit, sub concordatis predictis in hac parte nullatenus comprehensum fuisse aut comprehendi debuisse sive debere, neutrumque ex eisdem Iohanne et Iacobo de ipso decanatu, ut prefertur, vacante, obstantibus reservatione et decreto nostris predictis, sibi provideri facere potuisse, necnon collationem et provisionem predictas tibi, ut premittitur, factas suum effectum sortiri debuisse et debere in omnibus et per omnia, ac si nulla Iohanni et Iacobo predictis collatio facta fuisset, harum serie litterarum motu simili et ex certa scientia decernimus ac etiam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre declarationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius indignationem se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, x. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 27.

XCVI.

Eidem in Poloniam redeunti salvus conductus conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius Nicolaus Chibde de Newisch decretorum doctor, prepositus Crusthviciensis, de Urbe ad regnum Polonie et nonnullas alias mundi partes se transferre habeat: Nos cupientes eundem Nicolaum cum sociis et familiaribus suis tam equestribus quam pedestribus, valisiis, rebus et bonis omnibus plena ubique securitate ac immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris ac gentium armigerarum capitaneis ubicunque ad nostra stipendia militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Nicolaum cum sociis et familiaribus usque ad numerum octo equestribus sive pedestribus, necnon equis, valisiis, curribus, salmis et rebus ac bonis suis quibuscunque per civitates, terras, oppida, castra, villas, portus, pontes, passus et loca quelibet tam nostra quam vestra, et tam per terram quam per aquam ire, stare et redire die ac nocte, absque solutione alicuius dacii, pedagii vel gabelle, angarii, perangarii, fundinavis aut alterius oneris cuiuscunque exactione, pro nostra et apostolice sedis reverencia libere permittatis totiens, quotiens fuerit necessarium et oportunum, nullamque sibi in personis, rebus et bonis huiusmodi inferatis molestiam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed ei potius de securo transitu, scorta atque receptu, si opus fuerit et duxerit requirendum, sic liberaliter providere curetis, quod exinde vestra possit devotio apud nos et sedem ipsam non immerito commendari, Presentibus post annum a data presentium computandum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, IX. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 28.

XCVII.

Parochialis ecclesia B. Catherinae in Lang Plocensis dioecesis, petente Wladislao duce Masoviae, in praeposituram erigitur, et praeposito quoddam privilegium conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex superne providencia maiestatis in apostolice dignitatis specula constituti, ad divini cultus augmentum et ecclesiasticorum locorum decorem et exaltationem assiduis, prout nostro incumbit officio, vigiliis iugiter intendentes illorum vota grato favore prosequimur, qui loca ipsa in divini laudem nominis potioribus petunt attolli titulis, et in illis presidentibus personis virtutum insigniis decorari. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Wladislai ducis Mazovie nobis nuper expositum fuit, quod cum parrochialis ecclesia sancte Catherine in Lang Plocensis diocesis, que in suo temporali dominio consistit, vultu domini conspiciente, in populo utriusque sexus christiano salubriter habundare videatur, et a fidelibus causa devotionis frequentetur, inibique deserviatur laudabiliter in divinis, et si rectori (sic) dicte ecclesie, qui personis inibi divinis interessentibus presidere tenetur, titulo prepositure decoraretur, in magnum divini cultus huiusmodi honorem cederet ac populi huiusmodi devotionem: quare pro parte dicti ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesiam et illius rectorem huiusmodi nunc et pro tempore existentem prepositura et preposito nominibus attollere, ac preposito huiusmodi ut almutiam de pellibus griseis portare valeat, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui decus et honorem domus domini divinasque laudes nostris in temporibus adaugeri studiis querimus indefessis, huiusmodi supplicationibus inclinati volumus, statuimus pariter et ordinamus, ut ecclesia ipsa perpetuis futuris temporibus prepositura nuncupetur et appelletur, quodque illius nunc et pro tempore futuro rector prepositus perpetuo vocetur, cui et successoribus etiam, ut in divinorum solemniis almucia de pellibus griseis huiusmodi ad modum dignitatum ecclesiarum partium earundem uti libere possint et valeant, licentiam concedimus per presentes, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, statuti, ordinationis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, quinto Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 141.

XCVIII.

Iudicibus, ut si quae in statutorum libro fratrum hospitalis B. Mariae Teutonicorum animadversione digna deprehenderint, reforment.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus nostris Pomeszaniensi et Warmiensi Epis, salutem etc. Pro singulorum fidelium, potissime sub religionis habitu militantium nostre cure divina providentia commissorum statu salubriter dirigendo, prout ex iniuncti nobis pastoralis officii debito tenemur, solicite considerationis intuitum extendentes ad ea, per que illorum commodis et quieti consuli, ac scandalis et dissidiis occurri valeat, nostre solicitudinis partes favorabiliter adhibemus. Cum itaque, sicut accepimus, in statutis et ordinationibus fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, a primeva ipsius hospitalis fundatione editis ac diutius observatis, in quodam volumine, libro ordinis nuncupato, nunc redactis inter alia caveri dicatur expresse, quod fratres dicti hospitalis secundum constitutiones et statuta in illo descripta vivere debeant, et se iuxta illorum dispositionem regere ac pariter gubernare, et si quid extra ea, que in dicto libro continentur, quelidet statuta reperientur, illa nullius essent roboris vel momenti, nec eorum aliquem obligarent, et ab ipsorum statutorum et ordinationum editione et publicatione, ac deinde per multa tempora Magistri ac Commendatores et fratres hospitalis eiusdem pro tempore existentes secundum illa laudabiliter vixerint temporibus retroactis: nichilominus postquam bone memorie Wernerus de Vissella, ipsius hospitalis generalis Magister, in generali Capitulo secundum morem fratrum dicti hospitalis celebrato nova quedam statuta et ordinationes, que salubriter dicti hospitalis ac Magistri et fratrum eorundem statum et reformationem, ut ex ipsorum inspectione prima facie apparebat, continere videbantur, ediderat, et proprio ac duorum aliorum sigillis ad certum futurum tempus publicanda signaverat illa, que ex post publicata et intimata fuerant, plurima ex statutis et ordinationibus huiusmodi, que insperatos contrarios parturierunt effectus, damna, dissentiones et scandala evenerunt, et in futurum, nisi eis penitus abrogetur, aut in melius reformentur, graviora, quod absit, accidere formidantur. Nos igitur, qui ex nostre servitutis officio cunctis fidelibus, presertim voto religionis astrictis pacis et quietis commoda procurare, ac pervigilis more pastoris comminatis scandalis et dissidiis, quantum nobis ex alto permittitur, obviare tenemur, attendentes, quod interdum sic fallitur incertitudo iudicii, et quod utile verisimilis coniectura, immo etiam attenta consideratio pollicetur, non solum damnosum, sed inutile repperiri contingat, ac volentes huiusmodi scandalis, dissidiis et damnis occurrere, necnon Magistri et fratrum universorum dicti hospitalis commodis et tranquillitati utiliter providere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et voluntate fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse, ac que ante centum annos edita numquam in usu, nisi a pauco tempore citra fuerunt, statuta et ordinationes predicta Magistro, fratribus seu hospitali predictis minus utilia, quinimo periculosa aut damnosa esse, sive effectus contrarios in futurum producere posse noveritis, super quo vestras conscientias oneramus, illa etiam si per sedem apostolicam seu concilium generale approbata, ac per Magistrum et fratres predictos etiam iuramento, confirmatione firmata, ratificata et approbata fuerint, statuta et quecunque inde secuta auctoritate apostolica tenore presentium cassare, irritare et annullare, sive alias, prout vobis secundum deum pro utilitate et quiete Magistri, fratrum et hospitalis predictorum visum fuerit oportunum, reformare, emendare et modificare curetis, statuentes ac etiam decernentes, quod Magister et fratres predicti tam presentes quam etiam futuri secundum instituta libri predicti ac alia, que, ut prefertur, duxeritis moderanda, vel que ipsi imposterum decernent statuenda, dumtaxat perpetuis futuris temporibus vivere debeant, seque illis per omnia conformare, Contradictores per censuram etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, pridie Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 127.

XCIX.

Frederico iuniori et Frederico seniori marchionibus Brandeburgensibus, ut Ioannem episcopum Osiliensem contra quemdam Ludolphum intrusum defendant.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Frederico Iuniori Marchioni Brandeburgensi, salutem etc. Probata devotionis tue sinceritas, quam erga deum et sanctam ecclesiam matrem tuam

gerere comprobaris, spem nobis indubiam pollicetur, quod in exequendis, que ipsius ecclesie decus et honorem concernunt, impendes auxilium, consilium et favorem. Dudum quidem felicis recordationis Eugenius pp. IIII., predecessor noster, venerabilem fratrem nostrum Iohannem Osiliensem Episcopum ecclesie Osiliensi, tunc pastoris solatio destitute, de consilio sancte Romane ecclesie Cardinalium et apostolice plenitudine potestatis prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: et deinde quidam Ludolffus in reprobum sensum datus prefatam ecclesiam, nullo sibi Canonico titulo suffragante, temeritate propria occupavit indebite et iniuste, ac in illa se intrusit temere et de facto, fecitque et facit, quominus idem Iohannes Episcopus illam pacifice assequi possit, in anime sue periculum, sedis apostolice vilipendium ac ipsius Iohannis iniuriam et non modicum detrimentum. Et quamquam idem predecessor, cum in humanis ageret, et successive nos, qui dicto predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, eidem divina dispositione successimus, diversas super assecutione possessionis huiusmodi pro dicto Epo litteras scripserimus: nichilominus, satore zizanie procurante ac ipsius Ludolffi protervia ac malignitate causantibus, prefatus Episcopus nondum integram omnium bonorum dicte ecclesie possessionem adeptus est. Et quoniam hec eadem heresim quandam de auctoritate sedis apostolice sapere et honorem prefate sedis cum iniuria creatoris ledere dinoscuntur: Nos, qui cunctis fidelibus, presertim ecclesiarum prelatis, ne in suis iuribus opprimantur, ex iniuncte nobis servitutis officio debitores existimus, non volentes, prout nec debemus, hec equa mente sub dissimulatione transire, nobilitatem tuam requirimus et hortamur attente, quatenus ob honorem dei, intuitu iusticie et nostra contemplatione, ut dictus Epus possessionem omnium bonorum prefate ecclesie pacifice assequatur, operam adhibeas, ut plene confidimus, efficacem, prebens ei auxilium et favorem in premissis et circa ea necessaria et oportuna; ita quod idem Episcopus tuo fultus presidio, deo propitio, assequi valeat, quod debite et honeste affectat, ac tibi exinde a deo premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, pridie Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Frederico Seniori Marchioni Brandeburgensi.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 126.

C.

Carolo regi Sveciae super eodem argumento.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Regi Svetie Illustri, salutem etc. Quoniam ex debito pastoralis officii quosque fideles, potissime cathedralium ecclesiarum antistites, fratres et coepiscopos nostros, in suis iuribus confovere astringimur, non sine mentis displicentia iterato accepimus, Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Osiliensem Episcopum ad ecclesiam Osiliensem septennio iam exacto per felicis recordationis Eugenium papam quartum, predecessorem nostrum, de fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio, et apostolice plenitudine potestatis debite canoniceque promotum, pravis cuiusdam Ludolffi in dicta ecclesia Osiliensi propria temeritate intrusi operibus, machinationibus et obstinatione causantibus, integram ipsius ecclesie possessionem nondum fuisse adeptum, de quo non modicum admiramur, cum id plurimum in offensam omnium Creatoris, Romane ecclesie vilipendium ac sedis apostolice contemptum, necnon ecclesie Osiliensis predicte et gregis sibi crediti, qui presentia et instructione pastoris tanto tempore caruerunt, cedat evidentissimum detrimentum. Et licet nos per alias nostras litteras bone memorie Cristoforo tunc Regi Dacie, predecessori tuo, qui, dum in humanis ageret, dicti Ludolffi protectionem suscepisse, vel saltem ipsum in dicta ecclesia intrusum manutenere videbatur, cum non posset sine dei offensa et anime sue damnatione illum, qui nullum ius haberet, sed de facto prefatam ecclesiam occuparet, et causam iniustam foveret, in preiudicium et periculum animarum protegere vel tueri, quod idem Iohanni Episcopo assisteret favoribus oportunis, hortati fuerimus, prout in dictis ac diversis aliis super eadem re etiam cum expressione mandati venerabilibus fratribus nostris Pomezaniensi, Warmiensi, Curoniensi et Revaliensi Episcopis, ac dilecto filio Conrado Magistro hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani directis litteris plenius continetur: quia tamen idem Cristoforus, sicut domino placuit, debitum nature persolvit, res usque ad eo protelata est, nec plenarium sortita effectum. Verum quia idem Ludolffus Serenitatem tuam, quemadmodum et eiusdem predecessoris hactenus, nititur sugillare, ut tuitionem et defensionem

ipsius iniuste suscipiat et ipse in suis male factis valeat gloriari, eapropter eandem Serenitatem tuam rogamus, requirimus ac propensius hortamur in domino, quatinus pro honore altissimi, sedis quoque predicte reverentia, et nostra complacentia singulari, ac iustitie debito omnem vigilem operam cum effectu, prout credimus et speramus, impendas, ut ipse Iohannes verus episcopus absque ulteriori dilatione temporis, omni impedimento cessante, predicte Osiliensis ecclesie possessionem plenariam libere et pacifice assequatur: ex hoc enim laus deo, animarum salus, apostolice sedis gloria, et tue Serenitatis honor aliaque plura bona sequentur. Speramus enim in domino, quod in hoc et aliis nostrum et apostolice sedis honorem ac prefate Romane ecclesie decus concernentibus tua Serenitas sese promptissimam et obsequiosam exhibebit, sicque nos ad omnia honesta tue Serenitati grata promptos ac paratos semper esse comperies. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, pridie Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. V. fol. 129.

CI.

Collectoribus decimae regi Poloniae concessae mandatur, ut ab eiusdem exactione in dominiis ducum Masoviae abstineant.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus et dilectis filiis Executoribus decime Carissimo in Christo filio nostro Casimiro Regi Polonie Illustri per nos concesse, salutem etc. Cum dudum ad imponendam et exigendam decimam per nos carissimo in Christo filio nostro Cassimiro Regi Polonie Illustri concessam vos executores deputaverimus: Nos bonis ex causis et respectibus moti, et ne ulla detur causa alicuius turbationis aut animorum indignationis, que posset aliquod scandalum generare, volumus et mandamus vobis, ut ab impositione et exactione decime in dominiis et locis dilectis filiis nobilibus viris Wladislao et Boleslao ducibus Mazovie subiectis omnino abstineatis, quousque a nobis aliud habueritis in mandatis, neque a venerabili fratre nostro Paulo Episcopo Plocensi vigore huiusmodi decime aliquid de rata ei imposita petatis aut exigatis, neque de huiusmodi dominiis et locis vos ad presens intromittatis ullo modo, quoadusque aliud deliberaverimus. Scribimus super hoc regie prudencie, ita ut confidamus, eum equo animo hoc laturum. Si vero aliquas censuras contra personas ecclesiasticas dictis ducibus subditas forsan protuleritis, studeatis illas quantocius revocare, prout nos etiam tenore presentium revocamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, sexto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 140.

CII.

Universis fidelibus ecclesiam B. Catherinae in Lang Plocensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundancia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia beate Catherine in Lang Plocensis diocesis, prepositura nuncupata, congruis honoribus frequentetur, et etiam in suis structuris et edificiis conservetur, et ut fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad illius conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo assumptionis beate Marie Virginis dictam ecclesiam annis singulis devote visitaverint, et ad illius conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Et insuper preposito dicte ecclesie pro tempore existenti et successoribus futuris prepositis, ut prima quinta feria singulorum mensium liceat sibi et dictis successoribus in perpetuum cum deportatione preciosissimi corporis Christi eandem ecclesiam et illius circuitum unacum clero et christiani utriusque sexus populo personaliter incedere, ac interessentes huiusmodi processioni in dicta prima quinta feria mensis cuiuslibet centum dies de iniunctis penitenciis huiusmodi relaxationem acqui-

rere valeant, concedimus per presentes. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam vel ad conservationem huiusmodi manus porrigentibus adiutrices, aut alias pias inibi elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, sexto Nonas Maii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 140.

CIII.

Wladislaus dux Mazoviae, quod certas pecunias (vide supra Nro. LXVII.) praeceperat, a censuris absolvitur iubeturque, ut residuo cupro campanam pro usu praepositurae B. Catherinae in Lang fieri faciat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Wladislao Duci Mazovie, salutem etc. Devotionis tue sinceritas, qua nos et Romanam ecclesiam revereris, promeretur, ut te specialis favoris gratia prosequamur. Cum itaque, sicut ex parte tua nobis fuit expositum, tu nonnullas pecuniarum summas ex indulgenciis olim per congregationem Basiliensem concessis, tunc in tuo ducatu collectas et perceptas receperis, ac illas pro defensione tua et ducatus prefati contra Tartaros et alias in tuos usus exposueris: Nos saluti anime tue providere volentes, huiusmodi pecunias, que, ut asseris, ad summam septingentorum florenorum auri ascendunt, auctoritate apostolica tibi remittimus, concedimus et donamus, ac te et alios tibi in hoc assistentes et consulentes a quibusvis excommunicationum, suspensionum et interdicti, ac aliis sentenciis, censuris et penis, quas propterea incurristis, et a sacrilegii reatu tenore presentium absolvimus, ac absolutos esse decernimus, omnemque inhabilitatis et irregularitatis ac infamie maculam sive notam per vos premissorum occasione contractas penitus abolemus, et in pristinum statum reponimus per presentes. Et insuper residuum monete cupree ultra iam premissa in prefatis tuis dominiis ex huiusmodi indulgencia levate et collecte, penes quoscunque existat, etiam si aliquid de bona moneta in ea cuprea reperiatur, ut ex ea unam campanam pro usu preposFiture beate Catherine in Lang fieri facias, vel alias, secundum quod tibi pro utilitate vel necessitate dicte prepositure expedire videbitur, super quo tuam conscienciam oneramus, tibi similiter tenore presentium donamus et etiam elargimur, volentes, ut de eiuscemodi moneta nullum computum camere apostolice vel collectoribus eius seu alicui alteri imposterum reddere tenearis. Nulli ergo etc. nostre remissionis, concessionis, donationis, absolutionis, constitutionis, abolitionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, sexto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 142.

CIV.

Paulo episcopo Plocensi conferendi beneficia ecclesiastica per sex menses anni facultas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Paulo Episcopo Plocensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolencia prosequentes, illam tibi gratiam libenter concedimus, per quam benemeritis et tibi acceptis personis te valeas reddere gratiosum. Hinc est, quod nos tuam honorare personam ac per honorem tibi exhibitum personis huiusmodi providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue de quibusvis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, necnon quibuscunque aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura ad tuam collationem, provisionem, presentationem seu dispositionem aliam pertinentibus, que interim, quoad prefate ecclesie prefueris, in Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contigerit, dummodo dispositioni apostolice generaliter reservata non fuerint providere(?), ac si alique a sede apostolica vel eius legatis expectative gratie seu littere, aut super illis reservationes non emanassent vel existerent, libere disponendi facultatem concedimus per presentes, ita tamen, quod alia, quam sub data XVIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno primo, prelatis et aliis ecclesiasticis personis super conferendis beneficiis etiam in certis tunc expressis mensibus vacantibus generaliter concessimus, facultate deinceps non utaris: irritum quoque decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, sexto Nonas Maii. Anno Tertio. Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXV. fol. 142.

CV.

Archidiacono Vladislaviensi, ut bona mensae archiepiscopalis Gnesnensis indebite alienata revocanda curet.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Archidiacono Wladislaviensi, salutem etc. Apostolatus nostri sollicitudo remediis oportunis invigilans non cessat inquirere, si quid in re publica sibi credita diminutum sit indebiteque distractum, ut illud in statum debitum revocet et reducat. Nuper siquidem fidedigna relatione percepimus, quod tam bone memorie Vincentius, cum in humanis ageret, quam predecessores sui Archiepiscopi Gneznenses, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, domos, vineas, possessiones, redditus, prata, pascua, nemora, molendina, iura, iurisdictiones et alia bona mobilia et immobilia ad mensam archiepiscopalem et ecclesiam Gneznensem spectantia, datis desuper litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis iuramentis, factis renunciationibus et penis adiectis, in gravem eiusdem mense et Gneznensis ecclesie lesionem nonnullis clericis et laicis aliquibus ad eorum vitam, quibusdam vero ad certum tempus, et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo etiam pretensa quadam consuetudine, que dicenda est potius corruptela, concesserunt, quorum aliqui super his consensum Capituli dicte ecclesie et confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse (dicuntur). Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ea que de bonis mense et ecclesie predictarum per concessiones huiusmodi aut alias alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, renunciationibus, iuramentis, penis, confirmationibus et consuetudine supradictis, ad ius et proprietatem mense et ecclesie predictarum legitime revocare procures, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Spoleti Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 163.

CVI.

Sbigneo cardinali Cracoviensi, ut canonicos Gnesneuses ad rationem de eiusdem ecclesiae bonis usurpatis reddendam compellat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Sbigneo tituli sancte Prisce presbitero Cardinali, Cracoviensi ecclesie presidenti, salutem etc. Nihil debet esse placidius Romano pontifici, quam sacerdotum honestas, que semper apud deum debet proficere universis: ideoque rem duram et inhumanam, que ultra omnem impietatem et avariciam fit, intendimus saluberrima provisione curare. Sane nuper non sine gravi dolore percepimus, quod dilecti filii dignitate prediti Canonici et Capitulum ecclesie Gneznensis, postquam bone memorie Vincentius Archiepiscopus Gneznensis viam est universe carnis ingressus, civitates, castra, oppida, villas, possessiones, decimas earumque fructus, redditus et proventus ad Gneznensem ecclesiam archiepiscopalemque illius mensam spectantia inter se dividentes miserabiliter sunt partiti, illaque iam quasi anno, quo dicta ecclesia pastore vacavit, occuparunt et usurparunt, ac detinuerunt et detinent indebite occupata, illa in suos damnabiles usus, et illorum aliqua in alios transferendo, et alias distrahendo in ipsius ecclesie non modicum preiudicium, animarum ipsorum periculum et scandalum plurimorum. Nos attendentes, quod fructus, redditus et proventus huiusmodi absque ulla dubitatione nobis debentur, cum ad Romanum tantum pontificem illorum dispositio ex eo solo, quod Gneznensis Archiepiscopus modernus fructus integraliter anni predicti de ecclesia Wladislaviensi, cui tunc presidebat, perceperit, debeat pertinere, ac cupientes tam ambitioso facinori congruis remediis obviare, mortalique morbo celeri antidoto subvenire, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnibus et singulis in dignitatibus constitutis, ac Canonicis et Capitulo prefatis, qui a tempore obitus dicti Vincentii Archiepiscopi citra bona ecclesie tenuerunt, ac fructus, redditus et proventus huiusmodi usurparunt communiter vel divisim, ut tibi videbitur, ad tuam presentiam evocatis, eos et eorum quemlibet, adhibitis tibi duabus vel tribus personis ecclesiasticis, deum pre oculis habentibus, de universis fructibus, censibus, redditibus et proventibus etiam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compellas reddere rationem, informatione prehabita ex antiquis libris et registris, in quibus introitus ipsius ecclesie continentur, que tibi ab his, apud quos illa fore didiceris, facias exhiberi, illos et quosvis alios, cuiuscunque status, ordinis et conditionis existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, si expediens fuerit, censura simili, appellatione postposita, compescendo: in exigenda tamen huiusmodi ratione, ne ecclesia ipsa usurpatorum predictorum versutia et aductio-

nibus defraudetur, hanc tibi damus legem et normam, ut his, qui reddent huiusmodi rationem, sumptus tamen moderatos admittas, dummodo valorem fructuum prediorum et allodiorum dicte ecclesie non excedant, preter quos nihil respectu familiarium, equorum et largitionum aut quavis alia ratione vel causa per te vel alium admitti volumus ac etiam computari; reliqua vero omnia exigas et custodias, nullo eis, a quibus exegeris, ante vel post exactionem appellationis adminiculo suffragante, invocato ad omnia et singula supradicta, si et quando ac quotiens tibi videbitur, brachii secularis auxilio, ut postquam super his a te redditi fuerimus certiores, ea, que exegeris, in pios locorum et personarum partium illarum usus valeamus, ut intendimus, dispensare, Non obstantibus quibuscunque provincialibus et sinodalibus constitutionibus et privilegiis, libertatibus et immunitatibus quibusvis, vel alia quavis auctoritate concessis seu statutis et consuetudinibus etc. Datum Spoleti anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, IV. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 163.

CVII.

Wladislao archiepõ Gnesnensi, ut per sex menses anni beneficia ecclesiastica idoneis personis conferre possit, conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Vladislao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Dum eximiarum virtutum tuarum cumulum, dum insuper singularem fidei constantiam ac sedulum devotionis affectum, quos ad nos et sedem apostolicam gerere comprobaris, dum postremo multiplices vigilias et labores, quos pro tuendis sancte Romane ecclesie, quam tuorum honoras magnitudine meritorum, iuribus et libertatibus diutius tolerasti, paterna meditatione revolvimus, dignum profecto debitumque reputamus, ut ea tibi favorabiliter concedamus, per que tue circumspectionis multiplicetur honor fidelesque persone uberioris valeant provisionis beneficio consolari. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de quibusvis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, ad tuam collationem, provisionem, presentationem seu dispositionem aliam pertinentibus, que infra tempus, quo dicte ecclesie Gneznensi prefueris, in Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contigerit, dummodo dispositioni apostolice generaliter reservata non fuerint providere, ac si aliqua a sede apostolica vel eius legatis expectative gratie seu littere, aut super illis reservationes non emanassent vel existerent, libere disponendi facultatem concedimus per presentes, ita tamen quod alia, quam sub data XVIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno primo, prelatis et aliis ecclesiasticis personis super conferendis beneficiis etiam in certis tunc expressis mensibus vacantibus generaliter concessimus, facultate deinceps non utaris, irritum quoque decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Spoleti anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, IV. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 162.

CVIII.

Sbigneus episcopus Cracoviensis, iam ab Eugenio IV. in S. R. E. cardinalem cooptatus, talis denuo renunciatur, eique conceditur, ut episcopatum suum retinere ac quasvis dignitates ecclesiasticas acceptare possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Sbigneo tituli sancte Prisce presbitero Cardinali et Epõ Cracoviensi, salutem etc. Ad exequendum summi pastoralis officii debitum divina disposicione vocati, circa ecclesiarum quarumlibet statum salubriter et prospere dirigendum aciem nostre consideracionis libenter extendimus, et ut earum singule gubernatorum nobilium ac fructuosorum presidio fulciantur, et sancte Romane ecclesie Cardinalium opportunitatibus decentius consulatur, opem et operam, quantum cum deo possumus, intendimus efficacem. Cum itaque felicis recordacionis Eugenius papa IIII. predecessor noster alias te propter clara et grandia virtutum merita, quibus personam tuam illarum largitor dominus insignivit, in generali consistorio de fratrum suorum consilio, et apostolice potestatis plenitudine in sancte Romane ecclesie presbiterum Cardinalem assumpserit et nominaverit, ac publicaverit, tibique postmodum ecclesiam sancte Prisce ex ecclesiis de urbe, in titulum presbiteris Cardinalibus in eorum primevis assumptionibus assignari solitis, in titulum tui Cardinalatus habendam assignaverit, ac postmodum eo vita functo, nec aliter quo ad missionem Capelli Cardinalatus insignis disposito, nos licet immeriti, divina favente clemencia, ad summi apostolatus apicem assumpti, te ut

talem reputaverimus, reputemus et acceptemus de presenti, litterasque nostras ut tali et sub titulo sancte Prisce sepius scripserimus, ne ab aliquibus in dubium verti possit, an propter hoc et tuum iam desuper prestitum assensum te a vinculo, quo tenebaris, prout eciam teneris, ecclesie Cracoviensi, cui tunc preeras, prout eciam de presenti preesse dinosceris, absolvi voluerit, seu eciam nos velimus, ad huiusmodi submovendum dubium motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate declaramus, tempore assumptionis ac nominacionis et publicacionis huiusmodi sue tunc fuisse, et esse et semper fuisse intencionis propter premissa te a vinculo predicto absolvi, ipsamque Cracoviensem ecclesiam vacavisse seu vacare minime voluisse, neque velle, sicut et nos minime voluimus, neque volumus de presenti: et nichilominus attendentes multiplicia graciarum munera, quibus eciam (es) circumfultus, quodque tu, qui hactenus prefate Cracoviensi ecclesie laudabiliter prefuisti, etiam in huiusmodi Cardinalatus honore constitutus, illam ulterius scies et poteris, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, eiusque iura ac bona protegere et eciam defendere, motu simili volumus, ac de consilio fratrum nostrorum et plenitudine potestatis tenore presencium statuimus et ordinamus, tibique concedimus, ac tecum plenarie dispensamus, quod tu, licet assumptioni, nominacioni et publicacioni huiusmodi assensum prebueris, ac ecclesiam prefatam sancte Prisce de urbe in titulum huiusmodi habueris, atque Capellum Cardinalatus insigne, quem tibi de proximo mittere intendimus, susceperis, eciam Cardinalis existeres, et ecclesiam de urbe huiusmodi in titulum obtinens, Cracoviensis Episcopus remaneas, et esse debeas, ac Episcopi Cracoviensis et pastoris inibi nomine, dignitate et officio fungaris, ac omnimoda iurisdictione dicte ecclesie Cracoviensis utaris, presisque illi, quoad vixeris, eciam tali, quod ab ea, nisi in hoc expresse consenseris, absolvi non possis, vinculo astrictus existas, et eciam censearis, quodque, sicut ante assumptionem, nominacionem et publicacionem huiusmodi poteras seu debebas, curam, regimen et administracionem dicte Cracoviensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus regere, gerere et exercere plenarie valeas, ecclesie Cracoviensis predicte fructus, redditus et proventus veros valores annuos presentibus haberi volumus pro expressis, ac quoad vixeris, cum dicta ecclesia sancte Prisce de Urbe dictam Cracoviensem ecclesiam, quam nunc obtines, aut aliam sive alias Cathedralem sive Metropolitanam, ad quam seu quas te imposterum contigerit eligi sive transferri, ac alia ecclesiastica beneficia, necnon monasteria, prioratus, dignitates, personatus, adminstraciones, officia, canonicatus et prebendas, quecunque, quotcunque et qualiacunque, quorumcunque fructuum fuerint, cum cura et sine cura, regularia et secularia, que imposterum canonice te forsan assequi et obtinere contigerit, in commendam recipere libere et licite retinere possis et valeas, necnon eciam, sicut prius dilecti filii Capitulum et Clerus ecclesie et diocesis Cracoviensis, universi vasalli ac alii subditi et pheudatarii, omnesque alii quomodolibet ab ipsa ecclesia aliquid obtinentes, ac domini et populi universi, quibuscunque nominibus, gradibus aut dignitatibus prefulgeant, tibi tamquam vero Episcopo Cracoviensi ac pastori obedienciam et reverenciam debitas et devotas, ac ipsi vasalli et subditi consueta iura et servicia exhibere integre teneantur et debeant, quodque in rebelles tu sentencias et alias censuras, sicut prius, ferre, pronunciare ac exequi valeas, quas et nos ratas et gratas habebimus, ac faciemus illas inviolabiliter observari, decernentes exnunc irritum et inane, quidquid in contrarium per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus premissis, ac felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. eciam predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitucionibus et ordinacionibus, necnon ecclesie Cracoviensis predicte iuramento, confirmacione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, constitucionis, ordinacionis, concessionis et dispensacionis infringere etc. Si quis etc. Datum Fabriani Camerinensis diocesis Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, quarto Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXVI. fol. 26.

CIX.

Archiepiscopo Rigensi, ut Ludolphum Osiliensis ecclesiae intrusum eiusque sequaces ad cor reversos ab censuris etc. absolvat.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepo Rigensi, salutem etc. Copiosa sedis apostolice clemencia recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum veniam denegare non consuevit, presertim dum penitencia ducti divinam maiestatem, quam multipliciter offenderunt, per piam

et devotam cordis contrictionem placare conantur. Cum itaque, sicut pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Osiliensis, et dilecti filii Ludolphi eciam pro Episcopo Osiliensi se gerentis peticio continebat, dudum inter eos super ecclesia Osiliensi orta materia questionis, plurima exinde prelia et homicidia ac diversa scandala subsecuta fuerunt, in grave animarum tam clericorum quam laicorum eorum ibidem interessentium preiudicium, maxime quia ipse Ludolphus et eius complices et sequaces mandata apostolica, et aggravaciones ac reaggravaciones apostolice sedis contemnere presumpserunt, excommunicacionis et interdicti sentencias et alias censuras et penas damnabiliter incurrendo. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tam Iohannes et Ludolphus, quam eciam clerici et laici prefati de premissis ab intimis doleant, ac optimam inter eos fecerint concordiam, pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis de opportuno absolucionis remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctos Christifideles ad penitenciam redeuntes paterna semper caritate complectimur, volentes eos favoribus prosequi graciosis, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatinus Ludolphum omnesque eius complices et sequaces huiusmodi, aut eidem Ludolpho quomodolibet adherentes, seu causam ipsius Ludolphi publice vel occulte contra mandata apostolica foventes, eciam si clerici vel laici, aut seculares vel regulares cuiuscunque status, gradus vel condicionis existant, ab omnibus et singulis excommunicacionum, suspensionum, aggravacionum et reaggravacionum, et interdicti sentenciis, censuris atque penis, quibus tam a iure quam ab homine promulgatis irretiti fuerint, auctoritate apostolica per te vel alium seu alios tenore presencium, pro hac vice dumtaxat, absolvas, iniuncta sibi pro modo culpe penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ac si clerici fuerint, super irregularitate, siquam huiusmodi sentenciis, censuris et penis, vel earum aliqua ligati missas et alia divina officia celebrando, aut se illis immiscendo quomodolibet contraxerint, ut ipsi quecunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, eciam si dignitates fuerint, retinere et pacifice possidere valeant, auctoritate predicta dispenses, omnemque inhabilitatis et infamie maculam premissorum occasione contractam aboleas, si vero laici vel vasalli dicte ecclesie existant, ipsos et eorum heredes et successores, qui alias iure ad successionem bonorum et feudorum ex testamento vel alias ab intestato vocandi sint, ad successionem huiusmodi et quecunque honores et dignitates, exemptiones, bona, iura, iurisdictiones et actus legitimos, necnon alias in integrum et pristinum statum, in quo ante huiusmodi commissa crimina, excessus et delicta erant, totaliter restituas et reponas: super quibus omnibus et singulis plenam et liberam tibi, ac cuilibet presbitero ydoneo a te ad hec deputando plenam et liberam harum serie concedimus facultatem, Non obstantibus premissis, ac constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, necnon ecclesiarum, in quibus beneficia prefata fuerint, statutis et consuetudinibus iuramento, confirmacione apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis, eciam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mencio specialis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, Kalendis Decembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXVI. fol. 277.

CX.

Eidem, ut concordiam inter Ioannem episcopum Osiliensem et Ludolphum praedictum initam confirmet.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Inter cetera, quibus ex suscepti regiminis onere humeris nostris a superne providencia maiestatis imposito nos attentos esse decet, ad hoc potissimum ex paterne caritatis officio curam gerimus assiduam, ut nostris precipue temporibus omnes ecclesie, presertim cathedrales, eorumque prelati, necnon universi Christifideles, quantum cum deo possumus, pace et tranquillitate fruantur, et hiis, que propterea ad lites sedandas ac scandala penitus extirpanda processisse percepimus, ut illibata consistant, oportunum apostolice confirmacionis auxilium adhibeamus. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Osiliensis, et dilecti filii Ludolphi pro Episcopo Osiliensi se gerentis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod cum dudum inter eos super ecclesia Osiliensi, quam idem Iohannes ad eum, prefatus vero Ludolphus ad se ipsum spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis orta fuisset, et plurima exinde prelia et homicidia ac diversa scandala fuerint subsecuta, tandem Iohannes et Ludolphus prefati ad certam inter eos concordiam devenerunt, et inter alia, ut concordia huiusmodi per nos et sedem apostolicam approbaretur, statuerunt et ordinaverunt, prout in eorum articulis et conventionibus

dicitur latius contineri: Quare pro parte Iohannis et Ludolphi predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concordiam prefatam acceptare et confirmare, ac alias super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod concordia parve res crescunt, et discordia maxime dilabuntur, necnon pacem et quietem inter Iohannem et Ludolphum prefatos totamque illam patriam vigere desiderantes, ac scandalis ipsis obviare cupientes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstanciis universis te diligenter informes, et si informacionem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, prefatam concordiam ac omnia et singula in concordia huiusmodi contenta ac inde secuta auctoritate apostolica approbes et confirmes, suppleasque omnes defectus, siqui intervenerint in eisdem, prout noveris expedire, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ac dicte ecclesie statutis et consuetudinibus, eciam iuramento, confirmacione apostolica aut quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, Kalendis Decembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XXVI. fol. 278.

CXI.

Fratribus beatae Mariae de Monte Carmeli Gedanensibus Vladislaviensis dioecesis, ut mercatoribus, nautis et aliis extraneis sacramenta certis temporibus administrare possint.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Priori et conventui fratrum ordinis beate Marie de Monte Carmeli extra muros opidi Danchensis Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Iniunctum nobis desuper apostolice sedis officium tunc debite peragere non ambigimus, cum illis, que ex devotionis fervore prodire conspicimus, et per que christifidelium succedatur animarum salus, favores apostolicos impertimur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, ad ecclesiam vestram quam plures mercatores, naute et alie extranee persone cum mercanciis et illarum occasione ad portum marinum, Iuvenilis opidi nuncupatum, extra muros dicti opidi, iuxta quem dicta ecclesia situata existit, pro divinis audiendis et alias devotionis causa confluere consueverint, inibique si indulto apostolico ipse conventus esset desuper suffultus, illorum aliqui devotius se communicarent. Hinc est, quod nos vestris in hac parte devotis supplicationibus inclinati, vobis, ut aliquos dicti conventus fratres ad hoc ydoneos pro tempore deputare possitis, qui quadragesime et adventus domini temporibus omnes et singulos mercatores, nautas et alias utriusque sexus personas extraneas sive alienigenas ad eandem ecclesiam accedentes, eorum confessionibus per se ipsos diligenter auditis, pro commissis quibusvis, dum tamen talia non fuerint, propter que esset super hoc merito sedes apostolica consulenda, quotiens fuerit oportunum, absolvere, eisque iniungere penitenciam salutarem, ac dictis temporibus et Resurrectionis ac Nativitatis domini nostri Ihesu Christi festivitatum diebus eukaristie et alia ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite possint et valeant, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsorum ordinis et conventus statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, vi. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VI. fol. 191.

CXII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Sulislai de Raschmeze decretorum doctori, salutem etc. Confert ipsi, Magistro in artibus, de nobili genere ex utroque parente nato, canonicatum et prebendam in ecclesia Plocensi. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. mccccxlviii. vi. Non. Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Petro Broda Martini de Iezewo clerico Plocensi, salutem etc. Confert ipsi, petente Duce Mazovie, cuius Secretarius existit, canonicatum et prebendam in dicta ecclesia. Datum ut supra.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Martino Mathie de Iezewo clerico Plocensi, salutem etc. Confert ipsi, petente Wladislao Duce Mazovie, cuius Secretarius existit, canonicatum et prebendam in dicta ecclesia. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. V. fol. 130 et 132.

CXIII.

Custodi Vratislaviensi, ut illis clericis, quos dux Silesiae nominaverit, beneficia ecclesiastica conferenda curet.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Custodi ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Dudum ad illam fidei plenitudinem eximieque devotionis affectum, quibus dilectus filius nobilis vir Wladislaus, dux Slesie et dominus Glogoviemaioris Wradislaviensis diocesis, more progenitorum suorum in nostro et apostolice sedis conspectu clarere dinoscitur, diligenter attendimus, inducimur non indigne, ut illa sibi favorabiliter concedamus, per que sue nobilitati honor proveniat, et in illius exhibitione pro suis benemeritis et condignis valeat provideri. Hinc est, quod nos volentes personam prefati ducis nobis et apostolice sedi devotam, quantum cum deo possumus, honorare, ut per honorem sibi exhibitum se possit aliis reddere gratiosum, devotioni tue reservandi donationi tue, hac vice dumtaxat, pro quatuor personis ydoneis, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, obtinentibus et expectantibus per prefatum ducem ad id nominandis, nec non totidem canonicatus et prebendas ecclesie beate Marie Maiorisglogovie dicte diocesis, si qua tempore reservationis huiusmodi vacabant, vel cum simul vel successive vacaverint, que persone, que ad illos per dictum ducem nominate fuerint, per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam ipsis vel eorum procuratoribus de vacatione illorum innotuerit, duxerint acceptandos vel acceptandas, conferendos seu conferendas eisdem personis post acceptationem huiusmodi, singulis videlicet ipsarum, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis singulis personis predictis, pro quibus illos vel illas reservaveris, inhibendi quoque districtius Venerabili fratri nostro Epo Wratislaviensi, ac dilectis fiiiis Capitulo dicte ecclesie, nec non illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia canonicatuum et prebendarum collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illos vel illas noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant: et nichilominus ipsos canonicatus et prebendas, quos reservabis, si vacant ad presens, vel cum vacaverint, ut prefertur, cum dicti iuris plenitudine ac omnibus iuribus et pertinenciis supradictis post acceptationem huiusmodi prefatis, pro quibus illos vel illas reservaveris, personis eadem auctoritate conferendi, ac de illis etiam providendi, necnon inducendi per te vel alium seu alios easdem personas, vel suis nominibus ipsarum procuratores in corporalem possessionem canonicatuum et prebendarum predictorum eis conferendorum, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas, ac faciendi personas vel pro eis procuratores huiusmodi ad ipsos vel ipsas conferendos seu conferendas canonicatus et prebendas auctoritate nostra quamlibet ex eis in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo cuilibet ipsarum in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque auctoritate nostra predicta, appellatione postposita, compescendi, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VII. fol. 228.

CXIV.

Christifidelibus capellam omnium Sanctorum in castro Glogoviae maioris Vratislaviensis dioecesis visitantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Loca sanctorum omnium pia sunt devotione fidelium veneranda, ut dei honorantes amicos ipsi nos devotos et amicabiles deo reddant, et illorum nobis patrocinium vendicantes apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum intercessionibus assequi mereamur. Cupientes igitur, ut capella sub vocabulo et honore Omnium sanctorum sita in castro opidi Glogoviemaioris Wratislaviensis diocesis, que, sicut accepimus, per dilectum filium nobilem virum Wlatronem Ducem Slesie et dominum Glogoviema-

ioris dicte diocesis fundata et dotata extitit, et ut a Christifidelibus congruis honoribus frequentetur, fidelesque ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui in festivitate Omnium sanctorum dictam capellam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam capellam aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VII. fol. 229.

CXV.

Stanislao canonico Opatoviensi indulgetur, ut quaedam beneficia ecclesiastica accipere possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Canonico ecclesie Oppatoviensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favoribus apostolicis et graciis prosequamur. Cum itaque, sicut accepimus, in fundacione et dotacione prebende sive altaris castri Borzislavicze Gneznensis diocesis inter alia caveri dicatur expresse, quod prebendam sive altare huiusmodi pro tempore obtinens apud eandem teneatur personaliter residere, quodque cum illa nullum aliud ecclesiasticum beneficium retinere possit: Nos igitur volentes te, qui presbiter es, et ut asseris, ad eandem prebendam sive altare, quod de iure patronatus laicorum existit, per veros illius patronos infra tempus debitum presentatus fuisti, quique super illo in partibus litigas, ac Canonicatum et prebendam ecclesie Oppatoviensis Cracoviensis diocesis, necnon parrochialem ecclesiam Opoczvo obtines, premissorum meritorum tuorum intuitu favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi, ut prebendam sive altare predictum una cum predictis ac aliis beneficiis cum cura vel sine cura, que canonice obtines, quorum qualitates, quantitates et verum valorem annuum presentibus haberi volumus pro expressis, et in futurum forsitan obtinebis, quoad vixeris, insimul retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica dispensantes, quod per alium idoneum presbiterum eidem prebende sive altari deserviendo, ad residendum personaliter minime tenearis, fundacione et dotacione premissis, eciam confirmacione apostolica roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, eidem auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus, proviso quod prebenda sive altare predictum debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed eius debite supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre dispensacionis et constitucionis infringere .etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quintodecimo Kal. Iunii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XIX. fol. 74.

CXVI.

Facultatem ad beneficia nominandi (vide supra Nro. LXXVII.) concessam regi Poloniae non se extendere ad menses Sbigneo cardinali Cracoviensi concessos pontifex declarat.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Sbigneo tituli sancte Prisce presbitero Cardinali, salutem etc. Ad personam tuam, quam divina clementia magnis illustravit gratiarum muneribus, paterne considerationis dirigentes intuitum et attente prospicientes, quod tu Romanam eccclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum, quin potius debitum reputamus, ut eam reperias in gratiarum exhibitione benignam et etiam liberalem. Dudum siquidem dilecto filio Iacobo (?) de Gorka Preposito ecclesie Poznaniensis, notario nostro, per alias nostras litteras nonaginta beneficia, etiamsi (?) canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in quibuscunque ecclesiis Regni Polonie consistencia, ad quorumcunque collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem spectancia, totidem personis per Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem nominandis, reservandi, ac beneficia ipsa dictis personis conferendi, aliaque faciendi et disponendi plenam et liberam facultatem concessimus, volentes, quod receptis in dictis ecclesiis seu prebendas, dignitates, personatus, administrationes vel of-

ficia expectantibus personis ibidem, ac deinde una personarum earundem aliis expectantibus huiusmodi et subsequenter singula vigore dictarum nominationis, reservationis et provisionis singulis expectantibus personis eisdem in assecutione Canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum et beneficiorum predictorum etiam in mensibus apostolicis vel ordinariis cedentibus alternis vicibus preferretur, quodque dictis litteris, quominus illorum persone predicte, prout etiam contingeret, omnimodum consequerentur effectum, nec per quascunque concessiones et indulta, que super antelationibus per nos vel sedem eandem sub quibusvis verborum formis pro tempore concessa fuerint et imposterum concederentur, valeret [dictis litteris] derogari. Postmodum vero tibi, qui ecclesie Cracoviensi preesse dignosceris, per alias nostras litteras de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, canonicatibus et prebendis, necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura ad tuam collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, que infra tempus, quo dicte ecclesie Crasoviensi prefueras, in Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contingeret, dummodo generaliter reservata non forent, providendi et disponendi, ac si alique a sede apostolica vel eius legatis expectative gratie seu littere, aut super illis reservationes non emanassent vel existerent, facultatem concessimus, prout in singulis litteris predictis, quarum omnium tenores haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte tua fuit nuper propositum coram nobis, a nonnullis vertatur in dubium, an dicte per prefatum Regem nominate persone beneficia in mensibus tibi concessis huiusmodi alternis vicibus acceptare possint, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi dubium tollere aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ne inter prefatum Regem et te aliqua premissorum occasione controversia exoriri possit, ad omne ambiguitatis tollendum dubium, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, nostre intentionis fuisse et esse, dictas per Regem nominatas personas huiusmodi beneficia in eisdem mensibus vacantia nominationum de eis factarum pretextu nullatenus acceptare potuisse neque posse, sed quod tu de illis iuxta tenorem facultatis tibi concesse huiusmodi disponere libere et licite possis in omnibus et per omnia, ac si facultatem nominandi ipsi Regi nequaquam concessissemus, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre declarationis infringere etc. Si quis etc. Datum Fulginii Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 338.

CXVII.

Pontifex ecclesiae Tarbatensi, cum vacaverit, pastorem praeficere sibi reservat.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi Romanum pontificem suscepti cura regiminis urgeat, ut circa universarum ecclesiarum statum prospere dirigendum solerter intendat, propensiori tamen studio caritatis erga illas sue considerationis intuitum extendere convenit, quibus ex contagione inimicorum nominis Ihesu Christi maiora dispendia maioraque pericula imminent animarum. Attendentes igitur, quod ecclesia Tarbatensis eiusque civitas et diocesis in confinibus scismaticorum et infidelium Ruthenorum non sine gravi Christifidelium animarum periculo site sunt, et propterea cupientes eidem ecclesie, cum illam vacare contigerit, per apostolice sedis ministerium personam secundum cor nostrum utilem et ydoneam presidere, per cuius doctrinam vigilantiamque ac circumspectionem providam et providentiam circumspectam, superni sibi favoris assistente presidio, a noxiis preservata regatur utiliter et prospere dirigatur, ac grata in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa, provisionem eiusdem ecclesie nostre et dicte sedis ordinationi et dispositioni hac vice ex certa scientia specialiter reservamus, districtius inhibentes dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie et quibuscunque aliis, quorum forsan interest aut poterit quomodolibet in futurum interesse, ne ingruente tempore vacationis huiusmodi de provisione ipsius ecclesie per electionem, postulationem, nominationem et quemvis alium modum directe vel indirecte se intromittere quoquomodo presumant, decernentes exnunc omnes et singulas provisiones, electiones, postulationes et alia contra reservationem nostram huiusmodi forsitan attemptata et quecunque inde secuta nullius roboris vel momenti, atque alias irritum et inane existere, quicquid in contrarium super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione aposto-

lica vel qnavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere. Si quis etc. Datum Fabriani Camerinensis diocesis Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quarto Nonas Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VIII. fol. 85.

CXVIII.

Salvus conductus pro Derslao de Rychwyam capitaneo Sandomiriensi.

Nicolaus episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, sal. etc. Cum dilectus filius Nobilis ac strenuus vir Derslaus de Rychwyam, Miles et Capitaneus generalis terre Sandomiriensis ac familiaris noster, habeat se pro nonnullis suis ac nostris negociis etc. equestribus vel pedestribus usque ad numerum vigintiquinque, salmis, valisiis etc. ut in forma et non ponitur tempus. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. Quinto Kal. Decembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. XXIX. fol. 4.

CXIX.

Christifidelibus Poloniae, qui Tartarorum causa in patria remanent, sub quibusdam conditionibus indulgentiae anni iubilaei conceduntur.

Nicolaus episcopus servus servorum dei. Ad futuram rei memoriam. Catholice fidei defensionem et animarum salutem summo desiderantes affectu, ad ea libenter attendimus, per que perfidorum et crudelissimorum hostium eiusdem fidei nefanda conteratur iniquitas ac eorum furiosa compescatur audacia, et ut Christifideles, maxime ipsis hostibus vicini, ad oportunum huiusmodi defensionis auxilium eo ferventius animentur, quo maius ex hoc animarum suarum commodum se speraverint adepturos, nonnumquam pro temporalibus suffragiis spiritualia eis iniuncta, videlicet remissiones et indulgentias elargimur. Dudum siquidem, videlicet de anno proxime preterito, nonnullorum Romanorum pontificum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, indulgentiarum remissiones per eosdem pontifices fidelibus singulis beatorum Petri et Pauli, ac Lateranensem et sancte Marie maioris de Urbe ecclesias in quolibet iubilei anno devote visitantibus olim factas innovantes et approbantes, de venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio et apostolice potestatis plenitudine decrevimus, indulsimus, statuimus, concessimus et ordinavimus, quod omnes et singuli utriusque sexus fideles ubicunque consistentes, qui de presenti anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo, in festivitate nativitatis eiusdem domini nostri Ihesu Christi proxime preterita inchoato, personaliter ad Urbem prefatam accederent, ac vere penitentes et confessi ecclesias predictas per quindecim dies continuos vel interpolatos devote visitarent, veniam peccatorum suorum omnium plenariam obtinerent, prout in aliis nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Verum, sicut pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, licet ipse catholicus ac sancte Romane ecclesie devotissimus bono zelo motus, omnibus Regni et ducatus magni Litwanie ac dominiorum suorum utriusque sexus Christifidelibus Urbem, et eius ecclesias supradictas ad suam salutem animarum pro remissione antedicta plenarie consequenda personaliter visitandi plenam, et gratissimam prebuisset voluntatem: his tamen novissimis diebus crudelis Tartarorum barbaries in certis terris Regni sui, Podolie videlicet et Russie, tunc a remotis a gente tam inopinatam tamque funestam depopulationem fecit, ut preter infandam et molestam promiscui sexus cedem, preter virginum, matronarum et adolescentum sine certo numero miserandam direptionem, preter aliam omnium aliorum bonorum nephario latrocinio predam et cetera innumera perpetrata mala nichil incolume relictum sit, quod ferro aut igni devastari posset. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, novus allatus sit rumor de incredibili ipsorum Tartarorum apparatu et validissimis exercitibus passim iam prope fines Regni sui vagantibus, ex quibus non modo dicto Regno, quod in faucibus prefatorum Tartarorum et aliorum Crucis Christi hostium tamquam murus positum christianitatis scutum esse censetur, sed etiam ipsi universe christianitati maximum afferri posset detrimentum ad non mediocrem nominis et religionis christiane confusionem: Idcirco pro parte dicti Regis asserentis, se pro ipsa fide catholica contra dictorum Tartarorum perfidiam velle ad omnipotentis dei laudem, et ipsius fidei catholice exaltationem omnes Regni sui vires exponere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prefati Christifideles in dicto Regno permanere et maiori cum fervore prefatis Tartaris resistere valeant, ad tot et tanta pericula evitanda apostolicam clementiam impendere, necnon in premissis statui et indemnitati prefati Re-

gni providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur premissa omnia et singula pie, debite et paterna caritate pensantes, ac etiam attendentes, quod Regnum predictum, mediantibus virtutibus dicti Regis aliorumque in illo commorantium, murus fortissimus multis aliis fidelium regionibus fore dignoscitur, quodque si ille rumperetur et infidelibus ipsis pateret aditus, proculdubio gloria eiusdem christiani nominis in magno periculo versaretur, ac propterea circumspectionem dicti Regis condignis in domino laudibus commendantes, et pium propositum suum, cum dei causa agatur, coadiuvare volentes, necnon super premissis statui et indemnitati Regni prefati et animarum saluti incolarum in eodem Regno consistentium providere cupientes, ut omnibus proficiat ad salutem, et Christifideles defensionem huiusmodi pro totius christianitatis utilitate eo ferventius prosequantur, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, dicti quoque Regis supplicationibus inclinati, universis et singulis Archiepiscopis, Episcopis Abbatibus et Prioribus aliisque presbiteris et ecclesiasticis, cuiuscunque gradus, status seu preeminencie existant, tam secularibus quam regularibus, ac Nobilibus, Palatinis, Castellanis, Proceribus ceterisque omnibus utriusque sexus Regni Polonie, Magniducatus Lithwanie et provinciarum predictarum, qui Gneznensem et Leopoliensem aut Cracoviensem vel Wilnensem ecclesias per tres dies continuos vel interpolatos devote visitaverint, ac in certa ad id in qualibet ecclesiarum predictarum deputanda capsa medietatem eius totius, quod essent verisimiliter expondituri, si de Regno ipso ad predictam Urbem accederent, ac in ea per quindecim dierum huiusmodi spatium permanerent, et exinde ad propria remearent, realiter et cum effectu in pecunia numerata persolverint, (ut) plenariam veniam ac remissionem peccatorum suorum omnium consequantur et obtineant perinde in omnibus et per omnia, ac si vere penitentes et confessi personaliter ad Urbem accessissent, et sanctorum Petri et Pauli, necnon Lateranensem sancteque Marie maioris ecclesias per quindecim dies continuos personaliter visitassent, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus. Et insuper omnibus et singulis sacerdotibus ydoneis, tam secularibus quam regularibus, quos quilibet prelatorum Gneznensis, Leopoliensis, Cracoviensis et Wilnensis ecclesiarum, quilibet in sua ecclesia duxerit eligendos, omnium et singularum utriusque sexus personarum predictorum Regni, Magniducatus et provinciarum, que Gneznensem vel Leopoliensem, seu Cracoviensem aut Wilnensem ecclesias devote visitaverint, ut prefertur, semel dumtaxat pro earum qualibet confessiones audiendi, eisque pro commissis, etiam si talia forent, propter que sedes apostolica foret merito consulenda, absolutionem debitam impendendi et salutarem penitenciam iniungendi, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod in singulis Gneznensi, Leopoliensi, Cracoviensi et Wilnensi ecclesiis predictis una capsa cum quatuor clavibus pro predictis reponendis pecuniis deputetur, quarum primam Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex prelibatus seu pro eo Palatinus seu Castellanus loci, secundam Prelatus ipsius ecclesie, tertiam Consules seu Magistri civitatis eiusdem, quartam dilectus filius Nicolaus Spyczimiri decretorum doctor, Cantor Cracoviensis et in partibus Regni Polonie ac provinciis predictis denarii sancti Petri, ac fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum generalis collector, teneant, et pecuniarum huiusmodi custodiam habeant; quodque illarum medietas prefato Regi ad exercitus adversus Tartaros supradictos decetero parandos ac alias in prefati Regni utilitatem, prout idem Rex desuper duxerit ordinandum, exhibeatur, reliqua vero medietas in duas partes equaliter dividatur, quarum una Carissime in Christo filie nostre Zophie Regine Polonie Illustri ad maritandas puellas, quas ad fidem orthodoxam reducere poterit, assignetur, reliqua vero pars collectori predicto, quocunque cessante impedimento, libere et sine aliqua diminutione consignetur pro reparatione dictarum quatuor ecclesiarum Urbis per ipsum collectorem ad eandem Urbem fideliter transmittenda. Preterea omnes et singulos Christifideles predictos in domino exhortamur, ut ad suscipiendum remissionem huiusmodi toto mentis affectu, confessione et contritione veris et debitis precedentibus, se parare studeant et procurent, ita quod illis mediantibus per Salvatoris domini nostri Ihesu Christi ac ipsius gloriose genitricis beate Marie Virginis, apostolorumque predictorum ac reliquorum omnium sanctorum et sanctarum dei merita eadem remissione gaudentes, ab insidiis et periculis Tartarorum eorundem liberati, de eis optatam ad laudem et gloriam ipsius christiani nominis victoriam, ac demum eterne felicitatis premia consequantur, presentibus per totum mensem Augusti proximum firmiter valituris. Nulli ergo etc. nostre concessionis, voluntatis et exhortationis infringere. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCL. septimo Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 17.

CXX.

Universis fidelibus capellam B. Barbarae iu Curulo Cracoviensi visitantibus et adiuvantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde divine reddantur gratie aptiores. Cupientes igitur, ut capella prope parrochialem ecclesiam sancte Marie Virginis in Curulo Cracoviensi, ad honorem et sub vocabulo beate Barbare Virginis et Martiris fundata, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei (misericordia) ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo eiusdem B. Barbare a primis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem festivitatis singulis annis devote visitaverint (sic), atque ad ipsius reparationem et conservationem manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam capellam, aut ad eius reparationem et conservationem vel alias inibi pias elemosinas erogantibus, seu etiam aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sactum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quarto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 20.

CXXI.

Iisdem parochialem ecclesiam B. Mariae Cracoviensis visitantibus et adiuvantibus indulgentia conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus perlata sydereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur, dum etiam infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gratie et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in sui nominis honore dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgenciarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia parrochialis sancte Marie in civitate Cracoviensi, que in eiusdem honore fundata existit, et ad quam carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie illustris, ac carissima in Christo filia nostra Zophya Regina Polonie illustris, una cum dilectis filiis Proconsulibus, Consulibus, Civibus Cracoviensibus et incolis regni Polonie magnam, ut percepimus, gerunt devotionem, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad augmentum et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis Annunciationis ac Assumptionis eiusdem gloriose Virginis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas cuiuslibet dictarum festivitatum singulis annis devote visitaverint, atque ad augmentum et conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, in Annunciationis septem et in Assumptionis dicte gloriose Virginis festivitatibus huiusmodi similiter septem annos, et in qualibet ipsarum festivitatum totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, aut ad eius augmentum et conservationem vel alias inibi pias elemosinas erogantibus, seu etiam alia aliqua indulgencia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quarto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 20.

CXXII.

Ioannes dominus de Rzeszow Premisliensis dioec. a reatu homicidii absolvitur, et ut ad sacros ordines promoveri possit, indulgetur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Iohanni Iohannis dño de Rzeszowe et plurimorum aliorum locorum Premisliensis diocesis, sal. etc. Divina supereminens largitas nonnunquam in multis sic gracie sue dona diffundit, quod eciam seculares domini per suarum virtutum merita inhabilitatis maculam abolentes, ad sacros ordines et dignitatum promerentur culmina promoveri: unde sedis apostolice graciosa benignitas illos apostolicis favoribus et graciis prosequi consuevit. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu retroactis temporibus tam contra Turcos et Christi nominis inimicos, quam contra hostes clare memorie Wladislai Regis Polonie in bello armatus accessisti, et ea fecisti, que furor gentium armorum et milicia persuadent, neminem tamen ex christianis scienter propriis manibus interfecisti, seu mutilasti, neque sacra rapuisti, neque incendia posuisti: verum dum quidam laicus in opido Rzeszow Premisliensis diocesis tibi subiecto furtum commisisset, tanquam dominus non requisitus, ut iusticiam ministrares, furem ipsum per te et familiares tuos personaliter tenuisti, et illum sic captum in manibus iuratorum Officialium tuorum tradidisti, mandans eisdem, ut iusticiam ministrarent, qui quidem iurati comperto legitime, quod ipse laicus furtum commiserat, iusticia mediante, illum suspendi fecerunt. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu fervore devocionis accensus, clericali caractere insigniri, et ad omnes eciam sacros et presbiteratus ordines promoveri, et in illis altissimo ministrare ferventer exoptes, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tuum laudabile propositum in domino plurimum commendantes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, tecum super irregularitate, siquam premissorum occasione contraxisti, quodque clericali caractere insigniri, ac ad omnes eciam sacros et presbiteratus ordines alias rite promoveri, et in illis eciam in officio altaris ministrare, necnon ad quascunque Archiepiscopales, Episcopales et Abbatiales ordinum quorumcunque dignitates et alias prelaturas eligi et assumi, illisque prefici et preesse, ac in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, necnon quecunque, quotcunque et qualiacunque ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia se invicem compaciencia, eciam si dignitates, personatus, administraciones vel officia in Cathedralibus, eciam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse in Cathedralibus, eciam Metropolitanis, post pontificales maiores seu in Collegiatis ecclesiis principales existant, et ad illas ac huiusmodi personatus, administraciones vel officia consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris aut assumaris ad illa, recipere et retinere, eaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutacionis, quociens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, quecunque se invicem, ut premittitur, compatientia tibi recipere et retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia dispensamus, omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam penitus et omnino abolentes, Non obstantibus premissis ac Constitucionibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ecelesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmacione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre dispensacionis et abolicionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, septimo Idus Decembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. X. fol. 241.

CXXIII.

Indulgentia anni iubilaei Boleslao duci Masoviae eiusque matri et uxori et centum aliis hominibus conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Poznaniensi et Plocensi Episcopis, salutem etc. Pura fides et sincera devocio, quam dilectus filius Nobilis vir Boleslaus dux Mazowie, et dilecta in Christo filia Nobilis mulier Anna, eius mater, ducissa Mazowie ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promerentur, ut votis suis, illis presertim, per que animarum Christifidelium saluti valeat provideri, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos prefatorum Boleslai et Anne ducum in hac parte supplicacionibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet in diocesi sua concedere auctoritate nostra semel dumtaxat prefatis Boleslao et Anne, et centum personis utriusque sexus eciam de genere

eorum, ac de terris et dominiis ipsorum, quas vobis aut alteri vestrum per equales partes duxerint nominandas, ut duces ipsi ac dilecta in Christo filia Barbara ipsius ducis uxor, et singule nominatarum personarum bene contriti et confessi decem diebus continuis, aut interpolatis ecclesiam Cathedralem vel Collegiatam beati Iohannis Baptiste in Warsowia Poznaniensis diocesis, aut matricem ecclesiam, ad quam visitandam dux, ducissa mater, uxor et alie persone huiusmodi magis obligantur, devotissime visitando plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem consequantur, quam habuerunt et consecuti sunt hii, qui hoc anno Iubilei Urbem et quatuor ecclesias ad hoc designatas visitarunt; volumus tamen, quod medietatem expensarum, quas quelibet eorum fecisset visitando personaliter Urbem pro huiusmodi indulgenciis consequendis, dilecto filio Nicolao Spiczimiri Cantori Cracoviensi, Camere apostolice et denarii sancti Petri in regno Polonie Collectori, fideliter tradat, per ipsum ad fabricam dictarum quatuor ecclesiarum Urbis transmittendam; reliquam vero medietatem in alios pios usus, prout ipsis melius videbitur, erogare omnino teneantur, taxam illius consciencie cuiuslibet eorum remittentes, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre concessionis, voluntatis etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, xv. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. X. fol. 240.

CXXIV.

Nicolao Spiczimiri cantori Cracoviensi, nuncio apostolico, dandi sex clericis in studio generali existentibus privilegium de fructibus percipiendis facultas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Spiczimiri cantori ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, apostolice sedis nuntio et in regno Polonie ac provincia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus iurium, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum collectori, salutem etc. Cum te dudum in regno Polonie ac provincia Gneznensi nuntium et collectorem nostrum fecerimus, nos volentes illa tibi concedere, per que te possis aliis reddere gratiosum, devotioni tue concedendi sex personis partium predictarum, de quibus tibi videbitur, ut in studio, ubi illud vigeat generale, insistendo fructus, redditus et proventus quorumcunque beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, que in quibusvis ecclesiis sive locis nunc obtinent et imposterum obtinebunt, etiam si beneficia ipsa canonicatus et prebende ac dignitates, personatus et officia etiam in metropolitanis vel aliis cathedralibus maiores post pontificales, aut collegiatis ecclesiis principales ac parrochiales ecclesie fuerint, cum ea integritate usque ad septennium a data tuarum litterarum eis concedendarum computandum percipi valeant, quottidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum quibus illos perciperent, si in iisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, et ad residendum interim in eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam invite coarctari, Non obstantibus, quod forsan alias eisdem personis vel earum alicui ut fructus, redditus et proventus suorum beneficiorum usque ad certum tempus tunc expressum sub certis modo et forma etiam tunc expressis percipere possint, extitit auctoritate apostolica concessum, quodque primam in ecclesiis sive locis ipsis forsan non fecerint personalem residentiam consuetam, ac aliis constitutionibus et privilegiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus per sedem apostolicam vel legatos eius etiam in provincialibus vel sinodalibus conciliis editis, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum vel locorum huiusmodi contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo, etiam ab alio vel aliis impetratis, aut alio quovis modo concessis per se vel procuratores suos hactenus prestitissent, vel imposterum eas prestare contigerit forsan iuramentum, et aliis in contrarium editis quibuscunque, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quinto Idus Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 298.

CXXV.

Ioannes de Brzesze canonicus Gnesnensis auditor causarum palatii apostolici renuntiatur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Luttonis de Brzesze utriusque iuris doctori, Canonico Gneznensi et Capellano nostro, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum sciencia, vite ac mo-

rum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus apud nos et apostolicam sedem in arduis et gravibus negociis laudabiliter insudasti, merito nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Cum igitur propter singularem scienciam tuam te in Auditorem causarum palacii apostolici nostri elegerimus, et propter necessariam causam redditus tui ad Carissimum filium nostrum Kazimirum Polonie Regem Illustrem nequeas, que servari solita sunt, ante admissionem ad exercicium dicti officii nunc facere: ut hec nostra disposicio suum consequatur effectum, harum serie te numero nostrorum Capellanorum et Auditorum palacii nostri aggregamus cum omnibus privilegiis, immunitatibus, honoribus consuetis, ita tamen quod ad officium dicti auditoratus exercendum eatenus admittaris, cum ea feceris, que secundum laudabiles consuetudines Romane Curie et dicti officii auditoratus fieri solita sunt, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre aggregationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quarto Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XIX. fol. 72.

CXXVI.

Ioanni electo Vladislaviensi, ut clerum Masoviae ad decimas regi Poloniae concessas solvendas cogat.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Electo Wladislaviensi, salutem etc. Cum dudum certis necessariis ex causis certam pecuniarum quantitatem exigendam ex singulis diocesibus regni Polonie, tradendam et consignandam Carissimo filio nostro Kazimiro Regi Polonie Illustri, colligi mandaverimus, et certi ex Poznaniensi et Plocensi diocesibus et aliis locis ducatus Mazovie contribuere recusaverint, volentes premissam nostram disposicionem secundum tenorem dictarum litterarum nostrarum per omnem Clerum diocesium tam Metropolitane, quam aliarum Cathedralium ecclesiarum in dictis litteris contentarum in dicto ducatu Mazowie et alibi, prout dicte dioceses se extendunt, locum sibi vendicare, tibi harum serie committimus, et mandamus, ut per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, invocato, si expedierit, brachio seculari, contra omnes premissos clericos, tam exemptos quam non exemptos, dicti ducatus Mazovie ad exactionem pecuniarum pro rata eis contingencium procedas, ac contra eos dictas litteras exequaris, quibuscunqne appellacionibus hactenus per eos aut eorum singulos, aut alios quoscunque tam ecclesiasticos quam seculares interpositis aut interponendis, aut alia quavis regni et ducatus distinctione, si qua foret, cui per hoc alias in nullo preiudicare intendimus, et aliis quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quarto Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XIX. fol. 71.

CXXVII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Paulo Glowipisky Decano ecclesie Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi decanatum eiusdem ecclesie, quem Electus Wladislaviensis, qui apud sedem apostolicam, videlicet prope civitatem Camerinensem, diem clausit extremum, obtinebat, indulgetque, ut Preposituram ecclesie S. Iohannis Quinqueecclesiensis retinere possit. Datum Fabriani Caminensis diocesis anno etc. mccccl. xvi. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Iohannis Xausz clerico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam ecclesie Gneznensis, quos Iohannes Electus Wladislaviensis tempore sue promotionis obtinebat, prout obtinet, sed per promotionem huiusmodi et munus consecrationis eidem Electo impendendum vacare speratur. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. mccccl. iii. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Collegiate Lancitiensis Gneznensis diocesis, salutem etc. Curet, ut Stanislaus de Brudzenis clericus Gneznensis, qui Bononie studet, canonicatum et prebendam ecclesie Wladislaviensis vacantes obtineat. Datum Assisii anno etc. mccccl. vi. Kal. Octcbris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XXVIII. fol. 268 et Tom. XXIX. fol. 201 et 268.

CXXVIII.

Christifidelibus Poloniae sub levioribus conditionibus (vide supra Nro. CXIX.) indulgentiae anni iubilaei conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Provida sedis apostolice benignitas cunctorum salutem animarum perquirens, illa nonnunquam, que per eam gesta sunt, ampliat et extendit, ac moderat et commutat, prout sibi salubrius in domino conspicit expedire. Dudum siquidem Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Pollonie Regis Illustris supplicationibus inclinati, omnibus utriusque sexus Regni Polonie et magni ducatus Lythwanye, ac Gneznensis et Leopoliensis provincie, qui Gneznensem seu Leopoliensem, vel Cracoviensem seu Wylnensem ecclesias per tres dies continuos, vel interpolatos devote visitaverint, ac in certa ad id in qualibet ecclesiarum predictarum deputanda capsa medietatem eius tocius, quod essent verisimiliter expondituri, si anno Iubileo proxime elapso de Regno et locis ipsis ad almam Urbem causa consequendi remissionem et indulgencias Iubilei per summos pontifices visitantibus ecclesias Urbis concessas, et per nos innovatas accederent, ac in ea per quindecim dierum huiusmodi spacium permanerent, et exinde ad propria remearent, realiter et cum effectu in pecunia numerata persolverent, plenariam veniam ac remissionem peccatorum suorum omnium consequerentur et obtinerent perinde in omnibus et per omnia, ac si vere penitentes et confessi personaliter ad Urbem accessissent, et sanctorum Petri et Pauli, nenon Lateranensem sancteque Marie maioris ecclesias per quindecim dies continuos personaliter visitassent, per alias nostras (litteras) volentes inter cetera, quod in singulis Gneznensi, Leopoliensi, Cracoviensi et Wylnensi ecclesiis predictis una capsa cum quatuor clavibus pro predictis reponendis pecuniis deputaretur, quarum primam Rex prelibatus seu pro eo Palatinus vel Castellanus loci, secundam Prelatis ipsius ecclesie, terciam Consules seu Magistri Civitatis eiusdem, quartam vero dilectus filius Nicolaus Spiczimiri decretorum doctor, Cantor ecclesie Cracoviensis et in partibus Regni Polonie ac provinciis predictis denarii sancti Petri, fructuum, redditum et proventuum Camere apostolice debitorum generalis Collector, tenerent, et pecuniarum huiusmodi custodiam haberent; quodque illarum medietas prefato Regi ad exercitus adversus Tartaros et Christi nominis inimicos de cetero parandos, ac alias in prefati Regni utilitatem, prout idem Rex desuper ordinaret; reliqua vero medietas in duas partes equaliter divideretur, quorum una Carissime in Christo filie nostre Zophie Regine Polonie Illustri ad maritandas puellas, quas ad fidem ortodoxam reducere posset, assignaretur; reliqua vero pars Collectori predicto, quocunque cessante impedimento, libere et sine aliqua diminucione consignaretur pro reparacione dictarum quatuor ecclesiarum Urbis, per ipsum Collectorem ad ipsam Urbem fideliter transmittenda, prout in nostris desuper confectis litteris, quarum tenoris hic habere volumus pro expressis, plenius continetur. Cum itaque, sicut accepimus, quamplurimi dictarum pecuniarum summam medietatis huiusmodi sibi gravem existere reputantes, ad consequendum remissionem et indulgenciam huiusmodi minime se coaptent, nec illas ob solucionem eiusdem minime consequantur, nos cupientes, ut quamplures indulgencie et remissionis huiusmodi reddantur participes, eiusdem Regis in hac parte supplicacionibus inclinati, medietatem ipsam ad quartam partem expensarum huiusmodi alias, ut premittitur, convertendam harum serie reducimus, et reduci volumus, ita quod singuli dictarum partium Christifideles quartam partem expensarum, quas fecissent, ut pefertur, eciam in pecunia numerata, vel rebus aliis equivalentibus persolvendo, ac ecclesias visitando, ceteraque in premissis litteris expressa alias faciendo, eandem remissionem et indulgenciam perinde consequantur et habeant, ac si medietatem ipsam persolverent, seu ecclesias Urbis huiusmodi, ut prefertur, personaliter visitassent, volentes, quod quarta pars huiusmodi similiter dividatur et assignetur ac consignetur, ceteraque de illa fiant, et in illa convertatur, prout de illa media parte per alias nostras litteras fieri, assignari, dividi et consignari volueramus, ac eciam ordinaveramus, taxam quarte partis huiusmodi consciencie cuiuslibet eorum remittentes, presentibus per totum mensem Decembris proximum firmiter valituris. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLI. Id. Aprilis. Anno Quinto. Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XII. fol. 145.

CXXIX.

Pontifex reservationem ecclesiae Tarbatensis (vide supra Nro. CXVII.) revocat et annullat.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Quia plerumque in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo iudicii, ut quod utile coniectura verisimilis, ymmo etiam attenta interdum

consideratio pollicetur, non solum inutile, sed damnosum repperiri contingat, nonnunquam, quod consulte statuitur et ordinatur, postmodum consultius immutatur et revocatur. Dudum siquidem, videlicet sub data quarto Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto, certis tunc suadentibus causis, provisionem ecclesie Tarbatensis nostre et sedis apostolice ordinationi et dispositioni ea vice ex certa scientia cum interpositione irritantis decreti reservavimus, districtius inhibentes dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie et quibusvis aliis, quorum intererat aut interesse poterat, ne ingruente illius vacatione, de provisione eiusdem per electionem, postulationem, nominationem seu quemvis alium modum directe vel indirecte se intromittere quoquomodo presumerent, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cum itaque certiores de premissis iam effecti fuimus, quod si aliquid circa provisionem dicte ecclesie aliter, quam a longevis retroactis temporibus extitit, inibi consuetum immutaretur, aut de persona minus accepta provideretur eidem ecclesie, que in confinibus scismaticorum et infidelium Ruthenorum sita existit, maxima exinde exoriri possent dissentiones et scandala pariter et christiani sanguinis effusio, propter que magnum exinde periculum toti patrie immineret de infidelium incursibus, et facilior eis pateret ingressus ad partes antedictas: Nos igitur dissentionibus, scandalis et sanguinis effusioni huiusmodi ex debito, ut tenemur, obviare cupientes, ex premissis et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus reservationem, ac litteras predictas ac quecunque inde secuta ab omnium eorum datis motu proprio et ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis harum serie revocamus, cassamus et irritamus, illasque ac omnia earundem seu quarumlibet aliarum nostrarum litterarum, aut predecessorum nostrorum pretextu interim forsan attentata nullius fuisse et esse roboris vel momenti, necnon omnia, si que interim per Episcopum et Capitulum Tarbatenses circa electionem, postulationem, nominationem seu cuiusvis alterius generis provisionem dicte ecclesie facta fuerint vel fieri contigerit, in futurum valuisse et valere debere, ac viribus subsistere proinde in omnibus et per omnia, ac si reservatio et littere predicte ac irritantie decreti et alie in eis contente clausule nullatenus emanassent, decernimus et etiam declaramus, ipsosque Epum et Capitulum in eundem et pristinum statum, in quo ante reservationem et litteras predictas et alia in contrarium per nos seu predecessores nostros edita erant, reponimus et restituimus, volentes ac motu, scientia et potestatis plenitudine similibus statuentes et ordinantes, quod perpetuis futuris temporibus ad electionem, postulationem et nominationem futuri Epi seu quamvis aliam ipsius ecclesie provisionem procedendi liberam habeant licentiam et facultatem, quodque ad receptionem vel provisionem alicuius regularis seu religiose persone, cuiuscunque ordinis, etiamsi militie, existat, pretextu quarumcuuque litterarum eciam apostolicarum similiter perpetuis futuris temporibus minime teneantur inviti, nec ad id a quoquam quavis auctoritate compelli, aut propterea interdici, suspendi vel excommunicari possint etiam per litteras apostolicas de presentibus facientes mentionem, Non obstantibus premissis necnon omnibus illis, que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre revocationis, cassationis, irritationis, constitutionis, declarationis, restitutionis, voluntatis, statuti et ordinationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, sextodecimo Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XIII. fol. 259.

CXXX.

Idem pontifex ordinationem de quibusdam canonicatu et praebenda pro theologo praedicatore factam approbat.

Nicolaus episcopus etc. Romani pontificis providentia circumspecta viris sacre lectionis studio deditis, et in lege domini eruditis eo libencius subvenire consuevit, quo ex eorum profectibus maior potest in dei ecclesia utilitas provenire, necnon hiis, que propterea proinde processisse comperit, ut firmiora persistant, libenter adiicit apostolici muniminis firmitatem. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Episcopi, et dilectorum filiorum Decani et Capituli Tarbatensium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi utilitati et necessitati ecclesie sue ac personarum eiusdem salubriter consulere cupientes, ac ut in ipsa ecclesia et civitate Tarbatensibus, que in confinibus scismaticorum et infidelium situate existunt, ad ipsius nominis exaltationem, et ut persone ecclesiastice et alii Christifideles ecclesie, civitatis et diocesis Tarbatensium in lege domini eruditi et edificati ipsis infidelibus firmius resisterent, certos dicte ecclesie canonicatum et prebendam, Luckede vulgariter nuncupatos, de consensu illius tunc obtinentis, qui postmodum religionem ingressus est, pro uno in Theologia graduato, qui

inibi clero et populo singulis dominicis diebus predicaret, et nonnullis interpollatis diebus clero de sacra pagina legeret, et ad id faciendum personaliter inibi residentiam facere teneretur, sub certis modis et formis clero ac populo accommodis deputarunt, assignarunt et approbarunt, et subsequenter ipsis canonicatu et prebenda per huiusmodi religionis ingressum vacantibus, Episcopus et Capitulum prefati extunc in dicta ecclesia singulis diebus dominicis per personam habilem et idoneam, ac clero et populo huiusmodi gratam publicum sermonem sub eorumdem canonicatus et prebende stipendiis fieri et continuari fecerunt et procuraverunt, prout dicti adhuc faciunt et procurant. Quare pro parte Ep̄i et Capituli predictorum asserentium, quod prebenda ipsa in suis possessionibus et edificiis multipliciter devastata ac pluribus debitis pregravata existit, et propterea necessarium foret, quod prebenda ipsa per prefatos Episcopum et Capitulum ad certum tempus regatur et teneatur, donec in suis possessionibus et edificiis reformetur, ac a debitis predictis relevetur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut deputacioni, assignationi et approbationi huiusmodi pro illarum subsistencia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, sibique, quod illis, donec prebenda ipsa in suis possessionibus et edificiis reformata, et a debitis huiusmodi libera foret, tenere et regere possent, concedere et indulgere, nullasque expectationes, speciales reservationes aut nominationes seu alias apostolicas litteras ad eam se extendi posse, decernere et declarare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis fidedignis relatibus plenarie informati, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, deputationem, assignationem et approbationem huiusmodi, ac omnia inde secuta motu proprio et ex certa scientia harum serie confirmamus, approbamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nichilominus Episcopo et Capitulo prefatis canonicatum et prebendam predictos, donec prebenda ipsa in suis possessionibus et edeficiis debite reparata et reformata, ac a debitorum oneribus exonerata fuerit, regendi, tenendi et gubernandi licentiam et auctoritatem concedimus, sibique postmodum collationem et provisionem eiusdem ad opus seu usum alicuius idonei lectoris seu predicatoris in Theologia graduati perpetuo reservamus per presentes, decernentes quecunque expectationes, gratias, concessiones speciales et generales, reservationes, nominationes, uniones reservandi, nominandi, providendi, conferendi seu alias de illis disponendi, mandata aliasque litteras apostolicas quascunque derogatorias, etiam tales, quod ad illos littere ipse viderentur extendi, continentes ad canonicatum et prebendam predictos nunc, et quotiens illos vacare contigerit, non extendi, nec prefatos Ep̄um et Capitulum ad recipiendum vel admittendum aliquem, nisi illum Theologum, quem duxerint nominandum, a quoquam quavis auctoritate compelli aut propterea interdici, suspendi vel excommunicari posse etiam per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, concessionis, reservationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, decimo quinto Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XIII. fol. 259.

CXXXI.

Nicolao de Blazcowicze conceditur, ut tria incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinere possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Blaszcowicze Custodi ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est quod nos, qui dudum inter cetera voluimus et ordinavimus, quod per quamcunque signaturam deinceps faciendam nulli, cuiusvis dignitatis, status, gradus vel conditionis foret, daretur dispensatio, quod duas dignitates maiores post pontificales in cathedralibus, seu principales in collegiatis ecclesiis vel unam vel aliquas earum insimul retinere valeret, nisi super obtinendis duabus ex huiusmodi dignitatibus insimul pro magnis nobilibus, magistris vel bacallariis formatis in theologia, aut doctoribus seu licentiatis in altero iurium per verba dispensamus de speciali, sufficiens signatura haberetur, alioquin si per preoccupationem vel alias littere super tali dispensatione confecte reperirentur, ille nullius essent roboris vel momenti, volentes te, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris pro te, dilecto secretario suo, nobis super hoc humi-

liter supplicantis, gratiosis favoribus prosequi, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, prefati Regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quecunque tria cum cura seu alias invicem incompatibilia beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis ecclesiis, et dignitates ipse in eisdem cathedralibus et metropolitanis maiores post pontificales, seu in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut una ex illis parrochialis ecclesia vel eius perpetua vicaria fuerit, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris seu assumaris ad illa, recipere, et quoad vixeris, retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quociens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud seu alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, tria dumtaxat invicem incompatibilia, dummodo due parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie, aut tot in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales dignitates non fuerint, recipere et insimul, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, generalis concilii et quibusvis aliis apostolicis constitutionibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus forsan huiusmodi beneficia fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, proviso quod incompatibilia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, sexto Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret Tom. XIII. fol. 379.

CXXXII.

Iacobo de Senno praeposito Cracoviensi, ut quaecunque beneficia ecclesiastica acceptare possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iacobo de Senno Preposito ecclesie Cracoviensis, Notario nostro, salutem etc. Grata devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, nec non nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut tuas, quibus tibi et aliis provideri possit, peticiones ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Hinc est, quod nos (volentes) te, qui, ut accepimus, de nobili genere procreatus, ac dilecti filii nostri Sbignei tituli sancte Prisce presbiteri Cardinalis nepos existis, ac preposituram ecclesie Cracoviensis, que inibi dignitas, non tamen maior post pontificalem, obtines, favoribus prosequi graciosis, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate tibi, [ut] prepositurам predictam ac quecunque alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, etiam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, que nunc in quibuscunque ecclesiis sive locis obtines et imposterum obtinebis, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, prefate sedis super hoc alias licencia minime requisita, in ordinariorum seu alicuius vel aliquorum ecclesiastici seu ecclesiasticorum prelati vel prelatorum, quem seu quos ad id duxeris eligendum seu eligendos, manibus simpliciter, aut pro similibus vel dissimilibus ecclesiasticis in singulis qualitatibus beneficiis ex causa permutationis, in qua tamen nulla illicita pactio vel symoniaca pravitas interveniat, simul vel successive, quotiens tibi placuerit, resignandi, necnon ordinariis seu prelato vel prelatis predictis a te ipsorum, que tu simpliciter vel ex predicta, et a personis, cum quibus permutare volueris, etiam si ille nostri aut alicuius ex Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus familiares, continui commensales, seu causarum palatii apostolici auditores, vel litterarum apostolicarum scriptores aut abbreviatores, seu sedis predicte notarii vel nuncii, aut fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum col-

lectores vel succollectores, aut alias eiusdem sedis officiales fuerint, suorum ex premissa causa beneficiorum resignaciones huiusmodi auctoritate apostolica recipiendi et admittendi, ac ipsa, que dicte persone tibi, illa vero, que tu ex simili causa prefatis, nec non ea, que simpliciter resignaveritis beneficia supradicta, aliis ydoneis etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia obtinentibus et expectantibus personis predicta auctoritate conferendi, et de illis etiam providendi, omnia quoque et singula in premissis ac circa ea quomodolibet necessaria, vel oportuna faciendi et exequendi plenam et liberam auctoritate predicta tenore presentium licenciam concedimus et etiam facultatem, Non obstantibus generalibus vel specialibus de beneficiis premissis etiam ex quavis causa per nos et dictam sedem factis pro tempore reservacionibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod singuli ex ordinariis seu prelato vel prelatis prefatis de personis, quibus huiusmodi beneficia per easdem simplices resignaciones vacantia contulerint, ac illarum nominibus et cognominibus nec non diebus collacionum huiusmodi gentes Camere predicte, collectores et succollectores fructuum, reddituum et proventuum Camere debitorum huiusmodi in illis partibus deputatos pro tempore quamtocius certificare procurent. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quartodecimo Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XIV. fol. 67.

CXXXIII.

Ioanni Lyndow canonico Varmiensi derogandi statuto de optanda praebenda maiori potestas conceditur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Lyndow Canonico Warmiensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem inter cetera quoddam per Venerabilem fratrem nostrum Episcopum, et dilectos filios Capitulum Warmienses editum statutum, videlicet quod nullus in ecclesia Warmiensi, in qua minores, medie et maiores prebende fore noscuntur, maiorem prebendam assequi valeat, nisi de minori ad mediam et de media ad maiorem prebendas huiusmodi gradatim et per optionem, ac Episcopi et maioris partis Capituli predictorum ad hoc accedente consensu, necnon effectualem apud ecclesiam ipsam, quacunque fictione iuris cessante, residentiam faciendo personalem ascendat, motu proprio per alias nostras litteras, quibus derogari non voluimus, nisi de eis expressa ac de verbo ad verbum mentio fieret, confirmavimus et approbavimus, ac de etiam de novo concessimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes tibi, qui, ut asseris, in eadem ecclesia una ex huiusmodi mediis prebendis prebendatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ipso statuto ac litteris nostris huiusmodi et aliis eiusdem ecclesie consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, necnon quibuscunque expectationis nominandi seu conferendi de primo vocaturis facultatibus, vel aliis specialibus reservationibus, et de sic reservatis conferendi mandatis, gratiis et aliis privilegiis, statutis et derogationibus cum quibuscunque derogatoriis etiam insolitis clausulis quibuscunque personis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus vel conditionis existant, concessionibus et indultis cum quibusvis prerogativarum favoribus, antelationibus, declarationibus etiam motu proprio et ex certa scientia sub quibuscunque verborum formis concessis et inantea concedendis, etiam si per premissa et quevis alia tibi in genere vel in specie per viam et modum reductionis ad ius commune aut per verba, etiam si canonici actu prebendati et in canonicos recepti existant, seu alio quovis modo expresse derogari videatur, nequaquam obstantibus, quarum singularum litterarum ac statuti, consuetudinum aliorumque premissorum tenores, continentias atque formas, necnon nomina et cognomina, gradus et qualitates personarum, etiam si illis per speciales vel generales clausulas derogari non posset, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis, et quibus omnibus hac vice dumtaxat, alias tamen in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, quo ad turnum de optando huiusmodi, quem presentibus volumus et declaramus ad te pertinere, unam ex ipsis maioribus prebendis, quam primum quocunque mense etiam apostolico vel ordinario illam vacare contigerit, sine huiusmodi consensu optare et assequi (valeas), ac tibi de illa provideri possit et debeat in omnibus et per omnia, ac si tempore vacationis maioris prebende huiusmodi in dicta ecclesia personalem

iuxta dicti statuti tenorem faceres et ante fecisses residentiam consuetam, ac statutum et privilegia, antelationes et alia premissa huiusmodi minime facta fuissent, seu a nobis nullatenus emanassent, sed turnus predictus tempore vacationis et optionis maioris prebende huiusmodi plenarie ad te spectaret, districtius inhibentes Episcopo et Capitulo predictis, quatenus huiusmodi vacatione occurrente tibi in aliquo obstare nolint, quod si fecerint, extunc sciant statutum ipsum eis de cetero non suffragari, decernentes de predicta maiori prebenda, cum vacaverit, ut prefertur, tibi et non alteri provideri debere, ac irritum et inane quicquid secus contigerit attemptari (....?), Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam per nos in favorem ordinariorum editis, et declarationibus postmodum subsecutis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre derogationis, declarationis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, quarto Kalendas Maii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. Tom. XIV. fol. 225.

CXXXIV.

Ioanni electo Chelmensi, ut propter tenuitatem reddituum sedis suae ecclesiam parochialem de Egeis retinere possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Chelmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolencia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Chelmensi tue pastoris solacio destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, et sicut exhibita nobis postmodum pro parte tua peticio continebat, tu ex mense Episcopalis Chelmensis, que inter scismaticos et Ruthenos sita est, fructibus, redditibus et proventibus, qui ad summam sexaginta florenorum auri de Camera secundum communem extimacionem valorem annuum vix ascendunt, statum tuum iuxta pontificalis exigenciam dignitatis tenere non possis, ac tuus predecessor propterea certa ecclesiastica beneficia tunc expressa, que ante suam promocionem obtinuerat, ex dispensacione sedis apostolice, quoad vixit et eidem ecclesie prefuit, tenuit et possedit: Nos volentes te favore prosequi gracie specialis, necnon Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eciam postquam munus consecracionis susceperis, parrochialem ecclesiam de Egeis Gneznensis diocesis, quam obtines, et que de iure patronatus dicti Regis existit, quamque per promocionem et munus consecracionis huiusmodi, vel lapsum temporis de consecrandis Episcopis a Canonibus diffiniti minime vacare decernimus, una cum ecclesia Chelmensi predicta, quoad vixeris, retinere, illiusque fructus, redditus et proventus percipere et habere, ac in proprios usus convertere libere et licite valeas, Non obstantibus Constitucionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque, proviso quod dicta parrochialis ecclesia debitis interim non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia Tom. XL. fol. 148.

CXXXV.

Visitantibus ecclesiam S. Nicolai Glogoviensem indulgentia conceditur, et capitulo Vratislaviensi conservatores constituuntur.

Nicolaus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is etc. Conceduntur omnibus fidelibus ecclesiam sancti Nicolai Maiorisglogovie Wratislaviensis diocesis visitantibus, eique manus adiutrices porrigentibus solite indulgentie septem anni et totidem quadragene. Datum Rome apud Sanctum Petrum mcccclii. v. Kal. Aprilis. Anno VI.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Misnensi et Poznaniensi Episcopis, ac dilecto filio Preposito monasterii S. Spiritus extra muros Wratislavienses, salutem etc. Militanti ecclesie etc. ut in solita forma. Constituuntur Conservatores Capitulo Wratislaviensi. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. mcccclii. Prid. Kal. Maii. Anno. VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XXXVI. fol. 45 et 221.

CXXXVI.

Michaeli de Dobyeskow clerico Gnesnensis dioecesis parochialis ecclesia S. Crucis in oppido Berzezini adiudicatur et confertur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Pennensi in Romana Curia residenti, sal. etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Michael de Dobyeskwo, presbiter Gneznensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Michaelis peticio continebat, quod orta dudum inter Episcopum et quondam Sigismundum Stanislai, qui dum vixit, pro presbitero dicte diocesis se gerebat, super parrochiali ecclesia sancte Crucis Opidi Berzezini dicte diocesis, que de iure patronatus laicorum existit, et ad quam tunc per obitum quondam Andree de Mroga, olim ipsius ecclesie Rectoris, apud sedem apostolicam defuncti, vacantem, Michael se per dilectos filios Iohannem et Guinosum fratres germanos nobiles laycos, heredes Berzezini, asserentes se veros patronos dicte ecclesie, ac existere in pacifica possesione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad ipsam ecclesiam, cum pro tempore vacaret, dilecto filio Predonogio de Griandi Preposito ecclesie Gneznensis, Archiepiscopali sede Gneznensi tunc vacante, illius bonorum administratori per Capitulum dicte ecclesie Gnenensis deputato, infra tempus legitimum presentatum, ac per ipsum administratorem ad huiusmodi presentacionem in Rectorem ipsius parrochialis ecclesie ordinaria auctoritate institutum, necnon presentacionis et institucionis earundem vigore parrochialem ecclesiam predictam assecutum fuisse, dictumque Sigismundum presentacioni et institucioni predictis contra iusticiam se opposuisse, et tunc opponere, ac ipsum Michaelem dicta parrochiali ecclesia spoliasse, seque in illa intrusisse, ac eam occupasse ac detenuisse, et tunc detinere indebite occupatam; Sigismundus vero predictus se per quosdam alios patronos ad eandem ecclesiam sic vacantem canonice presentatum, et ordinaria auctoritate institutum fuisse asserebat, prout idem Michael asserit, coram Venerabili fratre nostro Wratislao Archiepiscopo Gneznensi, non ex delegacione apostolica, materia questionis, et tandem causa predicta per appellacionem dicti Michaelis ad Romanam Curiam legiptime introducta: Nos causam ipsam cum illius principali negocio quondam Antonio Petri, Capellano nostro et causarum palacii apostolici Auditori, et deinde postquam ipse Antonius Auditor citacionem ad partes contra eundem Sigismundum in forma solita decreverat, ipsaque citacio execucioni demandata extiterat, superveniente obitu dicti Antonii Auditoris, dilecto filio Magistro Ludovico de Ludovisiis, eciam Cappellano nostro et causarum dicti palacii Auditori, ad instanciam predicti Michaelis audiendam commisimus, et fine debito terminandam, ipseque Ludovicus Auditor post mortem dicti Sigismundi, qui tunc in partibus Regni Polonie fuerat vita functus, et de cuius obitu dictus Ludovicus Auditor tempore prolacionis sentencie per ipsum contra dictum Sigismundum hanc noticiam, ut creditur, non habuerat, diffinitivam pro eodem Michaele et contra dictum Sigismundum super petitorio adiudicatoriam, et in possessorio restitutoriam cum fructuum et expensarum condemnacione sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, promulgavit, processibus executorialibus subsecutis. Et subsequenter quondam Iohanne de Zelaszne, qui dum vixit, pro clerico dicte diocesis se gerebat, super dimissione possessionis dicte ecclesie, in qua post obitum dicti Sigismundi se intruserat, monito et requisito, ac pro parte ipsius Iohannis ad sedem predictam, ut dicitur, appellato, et extra predictam Curiam vita functo, quondam Nicolaus Malinsky, qui in eadem parrochiali ecclesia ultimo se intrusit, licet vigore processuum predictorum super dimissione dicte ecclesie pro parte ipsius Michaelis monitus et requisitus fuerit, nichilominus ad eandem apostolicam sedem appellavit, nosque causam appellacionis huiusmodi cum negocio principali tibi ad instanciam eiusdem Nicolai, et nonnullorum aliorum sibi in lite huiusmodi complicum audiendam commisimus, et fine debito terminandam, tuque in vim alterius specialis commissionis ad instanciam prefati Michaelis tibi facte in eadem causa procedens, unam, per quam declarasti priorem tibi ad instanciam Nicolai, et aliorum complicum predictorum factam commissionem fuisse, et esse surrepticiam, ac illius vigore nullam tibi fuisse iurisdictionem attributam, necnon quasdam pretensas citacionem, inhibicionem et subdelegacionem, per te vigore dicte surreptorie commissionis Nicolao et aliis complicibus predictis decretas et concessas, cassasti et revocasti cum condemnacione expensarum, sentenciam promulgasti. Nosque postmodum ad ipsorum Nicolai et complicum instanciam eciam tibi commisimus, ut Nicolaum et alios complices predictos ab excommunicacionis sentencia, siquam forte premissorum occasione incurrissent, prestita ydonea caucione sim-

pliciter vel ad cautelam, si et prout de iure absolveres, cuius vigore tu in eadem causa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, Andreas apud sedem predictam, ac Sigismundus et Iohannes predicti extra eandem Curiam fuerint, ut premittitur, vita functi, Nos cause huiusmodi et aliorum prenarratorum status, formas et tenores pro sufficienter expressis habentes, et ne ipsi Michaeli in eadem causa novus surrogetur adversarius, providere, sibique premissorum meritorum suorum intuitu specialem graciam facere volentes, ac ipsum Michaelem a quibuscunque excommunicacionis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et penis tam a iure, quam ab homine latis, si quibus quavis occasione vel causa quomodolibet irretitus existit, quo ad hoc, ut presencium dumtaxat consequatur effectum, absolventes, et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que idem Michael eciam ex quibusvis apostolicis dispensacionibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac dispensacionum huiusmodi tenores eciam presentibus pro expressis habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Michaelem, dummodo in dicta parrochiali ecclesia intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, si quod Andree, Sigismundo et Iohanni predictis suorum obituum temporibus huiusmodi in eadem parrochiali ecclesia, vel ad illam quomodolibet competere poterat, auctoritate nostra surroges, dictumque ius sibi conferas, et provideas eciam de eodem, ipsumque Michaelem ad huiusmodi ius cuiuslibet predictorum defunctorum in eum statum, in quo ipsi tempore eorum obitus huiusmodi erant, et si vixissent, possent et deberent admitti, eadem auctoritate admittas, et admitti facias, ut est moris: et nichilominus si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, neutri Michaelis et Nicolai predictorum in eadem parrochiali ecclesia vel ad illam ius competere, ipsam parrochialem ecclesiam, cuius fructus, redditus et proventus viginti sex marcharum argenti secundum communem extimacionem valorem annuum, ut idem Michael asserit, non excedunt, sive per Andree, Sigismundi et Iohannis predictorum obitus huiusmodi, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam dictorum Andree, Sigismundi et Iohannis, vel alicuius alterius de illa extra dictam Curiam, eciam coram Notario publico et testibus sponte factam resignacionem vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia disposicioni apostolice specialiter vel propter obitum Andree huiusmodi generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos alios lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra illam pendeat indecisa, dummodo tempore date presencium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Michaeli auctoritate nostra prefata conferas et assignes, inducens per te, vel alium seu alios eundem Michaelem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem parrochialis ecclesie, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde dicto Nicolao et quolibet alio detentore, ac faciens ipsi Michaeli de predicte parrochialis ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. eciam predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitucionibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus prefatum Michaelem in assecucione dicte parrochialis ecclesie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecucionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Archiepiscopo Gneznensi pro tempore existenti, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem, seu quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter

vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLIII. septimo Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. de Curia Tom. XLVI. fol. 276.

CXXXVII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Sdeborn de Swyradzicze Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLIII. Kal. Novembris. Anno VII.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Petro de Pniewy Cantori ecclesie Poznaniensis, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam in ecclesia Gneznensi, quos Iohannes Electus Gneznensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLIII. Id. Octobris. Anno VII.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Woyschik Custodi ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Confert ipsi custodiam in dicta ecclesia. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLIII. XIV. Kal. Novembris. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XLIII. fol. 111, 134. et Tom. XLIV. fol. 13.

CXXXVIII.

Iacobo de Dominicovicz canonicatus in ecclesiis Gnesnensi et Vladislaviensi conferuntur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Geroslai de Dominicovize, Canonico Gneznensi, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Hinc est, quod nos tibi, qui ut accepimus, de nobili genere ex utroque parente procreatus, et in vicesimo primo tue etatis anno constitutus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideracione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, cui dilectus existis, horum intuitu specialem graciam facere, et presentes ac si sub data decimo octavo Kal. Iulii Pontificatus nostri anno primo litteras valere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate unum Gneznensis, et alium Wladislaviensis ecclesiarum canonicatus cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis eciam providemus, unam vero Gneznensis et aliam Wladislaviensis ecclesiarum predictarum prebendas, ac dignitatem, personatum, administracionem vel officium seu cum cura beneficium alterius earundem, eciam si parrochialis ecclesia fuerit, et ad dignitatem, personatum, administracionem vel officium seu beneficium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem non existat, si que, si qui, vel si qua vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint, quas, quos seu que tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacacio illarum vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas, acceptandos vel acceptanda, conferendas, conferendos seu conferenda tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus ac pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Gneznensi et Episcopo Wladislaviensi, ac dilectis filiis dictarum ecclesiarum Capitulis, ac illi vel illis, ad quem vel quos in prefatis ecclesiis prebendarum ac dignitatum, personatuum, administracionum vel officiorum seu beneficiorum huiusmodi collacio, provisio, presentacio, electio seu quevis alia disposicio communiter vel divisim pertinet, ne de prebendis ac dignitate, personatu, administracione vel officio seu beneficio huiusmodi, interim eciam ante acceptacionem eamdem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illas, illos vel illa nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus Constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum iuramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in prefatis ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus, personatibus, administracionibus vel officiis ipsarum ec-

clesiarum, vel huiusmodi aut aliis beneficiis generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, Aut si Archiepiscopo, Episcopo, Capitulis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de administracionibus vel officiis dictarum ecclesiarum, vel huiusmodi aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem, electionem seu quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, Seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum solita iuramenta, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesias ipsas accesseris, corporaliter illud prestes, Aut quod tu ad obtinendum dignitatem, personatum, administracionem vel officium seu beneficium cum cura huiusmodi etatis premisse defectum pateris, in illius anno predicto constitutus, ut prefertur, Seu si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis in dictis ecclesiis litteras nostras duxerimus concedendas, Nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus, quacunque constitucione apostolica contraria non obstante. Ceterum nos, qui dudum cupientes aliquos familiares nostros in quodam cancellarie apostolice libro descriptos apostolicis prosequi graciis et specialibus fulcire prerogativis, motu proprio voluimus, ac eis apostolica auctoritate concessimus, quod singuli ipsorum in assecucione quorumcunque Canonicatuum et prebendarum, ac dignitatum, personatuum, administracionum et officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, que vigore graciarum expectativarum sub data decimo octavo Kal. Iulii Anno primo huiusmodi per nos eis concessarum acceptarent, et de quibus eis provisum foret, omnibus et singulis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus vel condicionis existerent, omnino preferrentur, nec antelacionum prerogative vel indulta apostolica, eciam cum quibuscunque verbis vel clausulis derogatoriis, adversus voluntatem et concessionem huiusmodi alicui suffragarentur etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, Septimo Kal. Augusti Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. Tom. XVII. fol. 104.

CXXXIX.

Ioanni de Brczezye altare portatile et Stanislao de Pleschewo duo canonicatus conceduntur.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Luthkonis de Brczezys utriusque iuris doctori et sacri palatii apostolici causarum auditori, Capellano nostro, salutem etc. Concedit ipsi altare portatile etiam in locis ecclesiastico interdicto suppositis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLIIII. Octavo Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno VIII.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Nicolai de Pleschewo Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Kazimiri Regis Poloniae, cuius dilectus existit, unum Gneznensis et alterum Poznaniensis ecclesiarum canonicatus et prebendas. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLIIII. Kal. Augusti. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XVII. fol. 101.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

CXL.

Iacobo de Dambus de canonicatibus et praebendis in ecclesiis Vladislaviensi et Cracoviensi providetur.

Calistus episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobo Mathie de Dambus Canonico Wladislaviensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui per Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ad nos ambassiator destinatus fuisti, premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, motu proprio, non ad tuam nec alicuius alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate canonicatum ecclesie Wladislaviensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo eciam providemus, prebendam vero ac dignitatem, personatum, perpetuam administrationem vel officium dicte ecclesie, necnon beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus et prebenda, dignitas, personatus, administratio vel officium in cathedrali vel collegiata ecclesia fuerit, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo aliqua dignitatum earundem in Wladislaviensi vel Cracoviensi post pontificalem maior, seu in collegiata ecclesiis huiusmodi principalis non fuerit, cuius predicti beneficii fructus, redditus et proventus, si cum cura aut dignitas vel personatus, vigintiquinque, si vero sine cura nec dignitas vel personatus fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem Ven. fr. nostri Epi ac dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli singulorum Canonicorum et personarum ecclesie Cracoviensis etiam ratione dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, que in illa obtinent, communiter vel divisim pertinentes, si qua vacant ad presens, aut cum simul vel successive vacaverint, que tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illorum innotuerit, duxeris acceptanda, conferenda tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Wladislaviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in dicta Wladislaviensi ecclesia prebendarum et dignitatum, personatuum, administrationum vel officiorum collatio, provisio, presentatio, electio seu quavis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de prebenda, dignitate, personatu, administratione vel officio inibi, necnon eisdem Episcopo Cracoviensi, Preposito, Decano, Capitulo, Canonicis et personis, ne de beneficio huiusmodi ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit,

quod tu vel procurator predictus illa nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernimus exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis etc. infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, duodecimo Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. XX. fol. 232.

CXLI.

Andreae Lumpe ecclesia parochialis, archipresbyteratus nuncupata, oppidi Heilsberg Varmiensis dioecesis confirmatur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree Lumpe Rectori, Archipresbitero nuncupato, parrochialis ecclesie, Archipresbiteratus nuncupate, opidi Heilsberg Warmiensis diocesis, Scriptori et familiari nostro, salutem etc. Grata devotionis et familiaritatis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, nec non vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experiencia, quam eciam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem felicis recordationis Martinus papa V. predecessor noster inter cetera cum decreto irritante voluit et ordinavit, quod parrochiales ecclesie in diocesi Warmiensi consistentes, et habentes parrochianos Theotonicum et Prutenicum communiter, vel alterum illorum pro minori parte loquentes, per personas utrumque ydeoma huiusmodi perfecte loqui scientes regi dumtaxat debere et etiam gubernari, nec alteri quam utrumque ydeoma huiusmodi perfecte loqui scienti tales parrochiales ecclesie, dum vacarent pro tempore, quacunque auctoritate conferri valerent, aut de illis etiam provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de constitutione, statuto et ordinatione huiusmodi mentionem. Et deinde parrochiali ecclesia, Archipresbiteratu nuncupata, opidi Heilsberg predicte diocesis, quam quondam Andreas Schonalb, litterarum apostolicarum scriptor, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Andree, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, vacante, pie memorie Eugenius papa IV. eciam predecessor noster de ipsa ecclesia sic vacante dilecto filio Wichardo Heilsberg, Canonico Warmiensi, constitutione, statuto et ordinatione premissis non obstantibus, per suas litteras mandavit provideri, prout in constitutione, statuto, ordinatione et litteris premissis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Et subsequenter, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, prefatus Wichardus, possessione dicte ecclesie per eum habita, illam cum dilecto filio Caspare Bols, clerico dicte diocesis, in partibus pro certa vicaria perpetua tunc expressa permutavit: successive vero idem Caspar collationis et provisionis sibi de dicta parrochiali ecclesia ordinaria auctoritate factarum obtentu in illius pacifica possessione existens, ipsam parrochialem ecclesiam ac tu Canonicatum et unam ex minoribus prebendis ecclesie Warmiensis, in qua nonnulle minores et quedam alie prebende fore noscuntur, nec non parrochialem ecclesiam opidi Resil dicte Warmiensis diocesis in manibus dilecti filii Arnoldi Dattely Prepositi ecclesie Warmiensis, per te vigore quarundam litterarum et facultatis resignandi beneficia, que tunc obtinebas et imposterum obtinebis, per bone memorie Nicolaum papam V. eciam predecessorem nostrum tibi concessarum, prout ex earum forma poteras, electi extra Romanam Curiam ex causa permutationis sponte et libere resignastis, ipseque Prepositus, resignationibus predictis per eum extra predictam Curiam vigore litterarum et facultatis huiusmodi admissis, tibi parrochialem ecclesiam opidi Heilsberg, nec non prefato Caspari Canonicatum et minorem prebendam, ac parrochialem ecclesiam opidi Resil huiusmodi apostolica auctoritate contulit, et de illis eciam providit, tuque collationis et provisionis tibi factarum huiusmodi obtentu parrochialem ecclesiam opidi Heilsberg predictam assecutus, illam extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides pacifice de presenti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tam idem Caspar quam tu collationum et provisionum vobis de ipsa parrochiali ecclesia opidi Heilsberg factarum huiusmodi temporibus ydeoma Pruthenicum non intelligeretis neque loqui sciretis, tuque illud ad presens nescias neque intelligas et propterea a nonnullis asseratur, tam tibi quam ipsi Caspari factas collationes et provisiones predictas nullas fuisse et esse: Nos igitur, ne dicta parrochiali ecclesia opidi Heilsberg premissorum occasione remaneas destitutus, providere ac te, cui nos hodie de uno predicte Warmiensis, in qua maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, ac alio Wratislaviensis ecclesiarum Canonicatibus cum reserva-

tione totidem inibi eciam maioris in dicta ecclesia Warmiensi, necnon dignitatis, personatus, perpetue administrationis vel officii alterius earundem ecclesiarum, eciam si ad illum, illam vel illud consuevisset quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum, dummodo dignitas ipsa in aliqua predictarum ecclesiarum post pontificalem maior non existeret, vacantium tunc vel vacaturorum seu vacaturarum per alias nostras litteras gratiose duximus providendum premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu, gratioso favore prosequi volentes, necnon te a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine latis, quibus quavis occasione vel causa quomodolibet irretitus existis, quo ad hoc, ut presentium dumtaxat consequaris effectum, harum serie absolvendum, et absolutum fore consentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, ac decernimus et declaramus, quod collatio et provisio tibi de ipsa parrochiali ecclesia predicti opidi Heilsberg, ut premittitur, facte ab earum data valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant perinde in omnibus et per omnia, ac si tecum necnon cum prefato Caspare collationum et provisionum vobis de eadem parrochiali ecclesia factarum huiusmodi temporibus, ut illam recipere et retinere libere et licite possetis, per litteras apostolicas facientes plenam et expressam, et de constitutione, statuto et ordinatione premissis mentionem, dispensatum fuisset, et eciam si dicta parrochialis ecclesia, cuius parrochiani pro maiori parte ydeoma Theotonicum locuntur, et fructus, redditus et proventus sexdecim marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive per obitum Andree Schonalb, aut per predictas Wichardi aut Casparis, seu alicuius alterius de illa in dicta Curia vel extra eam eciam coram notario publico et testibus sponte factas resignationes, vel per constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. eciam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, et insuper tecum, ut dictam parrochialem ecclesiam opidi Heilsberg, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, constitutione, statuto et ordinatione premissis, quodque tu ydeoma Pruthenicum ignores, et aliis constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, apostolica auctoritate tenore presentium de speciali gratia dispensamus, proviso quod eadem parrochialis ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre absolucionis, voluntatis, concessionis, constitutionis, declarationis et dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, duodecimo Kalendas Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. XXII. fol. 216.

CXLII.

Iudicibus, ut contra Prutenos fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum rebelles excommunicationis et interdicti sententias promulgent.

Calistus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Zamorensi et Wratislaviensi Epis, ac dilecto filio Preposito ecclesie sanctorum Petri et Pauli Goldinensis Caminensis diocesis, salutem etc. Refrigescente caritate multorum iniquitas adeo abundavit, ut quorumdam succensa velut ignis impietas adversus ecclesiasticas personas et dei ministros tanto validius inflammetur, quanto rariores, qui personas et ministros tuentur, eosdem reperit protectores. Nos igitur, qui pro reprimenda impietatis huiusmodi insolencia singulis iusticie ministerio, et illi adhibende oportune execucionis presidio ex debito adesse tenemur officii pastoralis, ibi contra malignorum incursus forcius insurgere cogimur, ubi persecucionis immanitas periculosius exardescit. Sane dudum ad audienciam felicis recordationis Nicolai pape V., predecessoris nostri, dilectorum filiorum Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani insinuacione deducta, quod nonnulle Communitates ac plerique Nobiles parcium Prusie temporalis dominii eorundem Magistri et fratrum adversus eos, quorum regimini [administracioni] et gubernacioni abolim ex dominio sanguine fratrum hospitalis huiusmodi ab infidelium manibus ac alias iusto titulo acquisito suberant, prout ipso iure subsunt, in rebellionem insurgentes, iura dominii, regiminis et gubernacionis huiusmodi sibi usupare niterentur, et ad hoc quasdam colligaciones et conspiraciones inter se fecissent, et illas iuramentorum interposicione vallassent, eorumque pretextu Magistri et fratrum predictorum ac prelatorum parcium earundem iura, consuetudines, privilegia nec-

non ecclesiasticam libertatem temere violassent: idem predecessor ea, que ex premissis scandali fomitem nutrirent, de medio tolli volens, venerabilem fratrem nostrum Ludovicum Portugalensem tunc Silvensem Episcopum ad partes ipsas suum et apostolice sedis Nuncium destinavit, ut super eisdem premissis inquisita per eum diligencius veritate, si ita esset, colligaciones et conspiraciones huiusmodi aut concordie medio aut ecclesiasticarum censurarum rigore dissolveret, ac Communitates et Nobiles ipsos, ut dictis Magistro et fratribus debitis obediencia et subiectione intenderent, ut iustum fuerat, constringeret. Sed cum prefatus Epus ad eiusdem predecessoris reversus presenciam premissa omnia veritate subniti, dictosque Communitates et Nobiles monita et mandata sua penitus sprevisse, et in sua rebellione pertinaciter insistere retulisset, post alias eciam moniciones et requisiciones legitimas Commissariorum suorum super hoc in partibus illis deputatorum in id ipsum factas, quas simili sub contemptu duxerunt, dilecto filio nostro Ludovico tituli sancti Laurencii in Damaso presbitero Cardinali, Camerario nostro, commisit, ut eos sub formidabilibus tunc expressis penis, quas secus faciendo eo ipso incurrerent, moneret, quatinus infra certum peremptorium tunc expressum terminum a rebellione huiusmodi desisterent, ac colligaciones et conspiraciones predictas dissolverent et dirumperent, alioquin eos penas huiusmodi incidisse declararet: et licet iidem colligati per dictum Cardinalem iuxta commissionem predecessoris huiusmodi super hiis legitime moniti fuissent, ipsi tamen eciam eiusdem Cardinalis monita simili et clariori obstinacia contempserunt. Postmodum vero cum Communitates et Nobiles prefati causam premissorum occasione inter ipsos ac Magistrum et fratres predictos coram Carissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum Imperatore semper Augusto in iudicium deduxissent, et idem Imperator, suspenso per predictum predecessorem ad ipsius Imperatoris preces dicti Cardinalis processu, de consensu eiusdem predecessoris in huiusmodi causa procedens, cognitis huiusmodi cause meritis, per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, colligaciones et conspiraciones predictas damnasset et eciam reprobasset, Magister et fratres graviori ad ipsum predecessorem querimonia detulerunt, quod prefati colligati divini humanique iuris federa dissolventes, et adversus moniciones et mandata predecessoris, sentenciamque Imperatoris ac rem iudicatam huiusmodi temere attemptantes, ruptis tocius fidelitatis habenis, mox contra Magistrum et fratres predictos ausu sacrilego in deteriora prosilientes, castra, arces et loca eorundem Magistri et fratrum violenter ceperunt, illa necnon ecclesias in eis constitutas omnibus bonis, eciam vasis sacris spoliarunt, ac nonnullis ex dictis fratribus immaniter interemptis, aliisque in carcere detentis, quedam ex castris et ecclesiis huiusmodi, in quibus divinus cultus semper exhuberare consuevit, demoliri et solo coequari fecerunt, Magistrumque predictum et alios secum remanentes fratres in arcta obsidione castri Marie recluserunt, et ut sub protectione et tuicione Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris colligaciones, conspiraciones et rebelliones huiusmodi manutenere possent, se eiusdem Regis dicioni et dominio subiecerunt in divine maiestatis offensam, christiane religionis dispendium et exiciale exterminium status et religionis, Magistri et fratrum eorundem. Cum itaque predecessor predictus, qui colligaciones et conspiraciones predictas eciam suis litteris dampnavit et reprobavit, ac inherentes et utentes eisdem contra prohibicionem suam excommunicationis sentenciam promulgavit, quique insolenciis et presumpcionibus Communitatum et Nobilium predictorum reprimendis, ac inter dissidentes ipsos pacis et tranquillitatis successibus promovendis paternis semper intendebat affectibus, antequam ipsos affectus votivo committeret effectui, rebus, sicut altissimo placuit, fuerit humanis exemptus; nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus in dicti predecessoris successionem assumpti, considerantes, quantum sint onuste dispendiis, quantaque secum discrimina in multorum strage, terrarum et locorum depopulacione, aliarumque calamitatum sequela traxerint rebellio et dissensio supradicte, ac divinam animadversionem formidantes, nisi Magistro et fratribus predictis, qui utpote veri Christi pugiles athlete pro fidei tuicione orthodoxe colla sua subigere non tremescunt, ipsorumque religioni floride adversus exicialia, quibus colligati predicti in eos machinantur, dispendia apostolice protectionis et tuicionis auxilio assistamus, et spiritualis gladii vibramine rebellium ipsorum presumpcionem et insolenciam reprimamus, volentesque in hiis, cum premissa adeo sint notoria, sicque ea fama publica divulget, et nociva prothdolor experiencia manifestet, quod nulla possunt tergiversacione celari, ac ex indurata eorum colligatorum obstinacia verisimiliter timeatur, quod excommunicationis sentenciam parvi pendentes antedictam in rebellionis sue precipicio perniciosius insordescant, nisi aliarum ex aggravacione penarum ipsorum temeritas compescatur, officii nostri debitum exequi, ut tenemur, nec-

non litteris per nos nuper super execucione litterarum dampnacionis et reprobacionis colligacionis et conspiracionis predictarum ipsius predecessoris nostri concessis adminicula, quibus earum succedat effectus, adiicere pociora, harum serie auctoritate apostolica statuimus et decernimus, quod nisi Nobiles predicti ac Proconsules, Consules et Gubernatores locorum, Communitatum et universitatum colligatorum huiusmodi et omnes alii, in quorum potestate et assistencia rebellio, presumpcio et colligacio predicte diriguntur, post publicacionem predictarum nostrarum et presencium litterarum in locis publicis et viciuis, de quibus sit verisimile coniectura, quod ad eorum noticiam pervenire valeat, per edictum publicum faciendam, et que quidem publicacio perinde eos arctet, ac si eis presencialiter et personaliter facta foret, ab eorum presumpcione resiluerint, et infra sexaginta dies post publicacionem huiusmodi, quos eis ad peremptorie prefigimus, de parendo predecessoris nostri et nostris litteris predictis, ac illarum vigore habitis et habendis processibus caucionem ydoneam prestiterint, seu super premissis cum dictis Magistro et fratribus se amicabiliter composuerint, extunc eo ipso omnia incolatus ipsorum loca, et ad que declinaverint, strictissimo sint supposita ecclesiastico interdicto, et si dictis sexaginta diebus elapsis, nichilominus in eorum pertinacia insorduerint, omni honore, Nobilitatis titulis et insigniis, necnon iure patronatus, quod communiter vel divisim in quibusvis ecclesiis, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, sive racione personarum sive Consulatus ipsorum officii, aut racione Castrorum, dominiorum et locorum, que tenent vel possident, ac eciam feudis, que ab ecclesia, ac omnibus privilegiis, graciis, concessionibus, libertatibus et indultis, que a sede predicta, vel alias similiter ab ecclesiá seu ecclesiasticis et spiritualibus personis obtinere noscuntur, sint eo ipso perpetuo privati, et ad quoscunque actus legitimos inhabiles, nec ad huiusmodi actus quomodolibet admittantur, sed ab omnibus infames et omni honore privati reputentur, ipsorumque mobilia bona quecunque et immobilia, ita ut ab omnibus libere et licite apprehendi et retineri valeant, sint similiter eo ipso publicata, nullusque salvus conductus eis per quoscunque, cuiusvis eciam excellencie, nobilitatis, status, gradus, preeminencie fuerint, et quibusvis potestatibus vel officiis fungantur, concessus ipsis quo ad hoc debeat in aliquo suffragari, per eos quoque iudicata non teneant, ac eorum sentencie vel ordinaciones, iuramenta quoque et homagia per eorum subditos dictorumque locorum habitatores et incolas, cum iniquitatis fomenta esse non debeant, ipsis Nobilibus, Proconsulibus, Consulibus et Directoribus prestita minime obligent vel coarctent, teneantur eciam extunc Communitates et universitates Civitatum, opidorum et locorum huiusmodi ipsos Proconsules, Consules et Directores ab eorum consularibus et aliis, quibus funguntur, officiis veluti infames et iusticie censura dampnatos abiicere, et alios dicte malicie fermento non respersos in eorum loca surrogare, ipsorumque bona apprehendere, ac in dictorum Magistri et fratrum usus in satisfactionem dampnorum eis irrogatorum convertere, alioquin Communitates et universitates ipse et singuli ex eis, veluti rebellionis et presumptionis predictarum fautores et cooperatores, omnes et singulas penas supradictas eciam ipso facto censeantur incurrisse, et ab omnibus veluti criminum et excesssuum huiusmodi conscii tractentur et eciam iudicentur, heredes quoque et posteri Nobilium, Proconsulum, Consulum, Directorum et aliorum, qui dictas privacionis penas incurrerint, in iure patronatus et feudis huiusmodi nullatenus succedant. Preterea universi et singuli ex clero Civitatum, opidorum, villarum et aliorum locorum quorumlibet dictorum colligatorum, sive seculares sive quoruncunque eciam mendicancium ordinum, quibusvis eciam exemptionum privilegiis communiti regulares, qui colligatis predictis in eorum presumpcionibus huiusmodi adheserint, dictisque litteris et processibus non parendo coram ipsis colligatis, postquam excommunicacionis et interdicti huiusmodi sentencias incidisse declarati fuerint, Missas seu alia divina celebraverint, seu verius prophanaverint, aut eis ecclesiastica sacramenta ministraverint, si seculares, omnibus dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, et si regulares fuerint, ut prefertur, omnibus eorum prelaturis et officiis eciam claustralibus ac provincialibus, prioratus, ministratus, necnon custodiarum et claustralium prioratuum ac guardianatus officiis, ipsorumque monasteria, domus et loca quarumcunque exemptionum, libertatum et immunitatum privilegiis ipsis seu eorum ordini in genere vel in specie quomodolibet concessis, sint similiter ipso facto perpetuo privati, et inhabiles ad quecunque dignitates, personatus, officia, beneficia, prelaturas, claustralia et alia officia supradicta imposterum obtinenda, omnia quoque et singula prelature, dignitates, personatus, officia et beneficia, que per huiusmodi privacionem vacare contigerit, eciam si ius patronatus dictorum vel aliorum laicorum fuerint, sint eo ipso disposicioni apostolice reservata, adiicientes nichilominus premissis, quod nullus adversus ea qualecunque restitutionis beneficium obti-

nere possit, nisi condigna sedi predicte et singulis lesis talibus satisfactione et emenda prestitis, que singulis, ne in similes excessus prosiliant, exemplum prebeant et eos coherceant ab ausu similia committendi. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra sollemniter publicetis, Nobiles, Proconsules, Consules, Directores, Communitates et universitates, necnon Clerum aliosque eis adherentes, ac nobis et dictis mandatis et processibus rebelles moneatis sub penis predictis, quos eciam et nos eorundem presencium serie monemus, quatenus tam presentibus quam dictis processibus, prout id eos concernit, iuxta illorum continenciam in omnibus et per omnia efficaciter pareant et intendant; et nichilominus vocatis per simile edictum, qui fuerint evocandi, omnes et singulos, quos dictas penas incidisse vobis constiterit, illos eis irretitos nuncietis et declaretis, ac faciatis ab omnibus ut tales reputari et arctius evitari, quoscumque etiam alios tam presentibus quam predictis et per vos habendis processibus se opponentes, et alios Contradictores et rebelles quoslibet, dictorumque rebellium fautores, receptores, ac illis auxilium, consilium vel favorem quemlibet publice vel occulte quovis quesito colore prestantes per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, et insuper legittimis per vos habendis servatis processibus illas, quociens expedierit, aggravare curetis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus omnibus, que in primodictis vobis directis litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, octavo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. XX. fol. 192.

CXLIII.

Iacobo de Dambus canonicatus et preabenda ecclesiae Gnesnensis, quos Thomas electus Cracoviensis obtinebat, conferuntur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo de Dambus Decano ecclesie Gneznensis, sal. etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Gneznensis, quos dilectus filius Thomas Electus Cracoviensis tempore promocionis per nos de persona sua ad ecclesiam Cracoviensem, tunc pastore carentem, facte obtinebat, prout obtinet, per promocionem huiusmodi munusque consecracionis sibi impendendum vacare sperentur: Nos volentes tibi, qui ad nos ex parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris ambasiator destinatus, et ut accepimus, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus, cuiuscunque taxe seu annui valoris illi existant, presentibus habentes pro expressis, cum illos, ut premittitur, aut per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, aut alias quovismodo preterquam per ipsius Electi obitum vacare contigerit, conferendos tibi cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Archiepō, et dilectis filiis Capitulo Gneznensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos eorundem Canonicatus et prebende collatio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra reservacionem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, necnon quecunque reservaciones, provisiones, collationes, disposiciones et mandata de providendo de ipsis Canonicatu et prebenda quibuscunque aliis personis, eciam cuiuscunque status, gradus, conditionis vel preeminencie fuerint, eciam simili motu proprio vel alias ad instanciam seu per preoccupacionem vel alias qualitercunque per nos ante promocionem dicti Electi ad prefatam ecclesiam Cracoviensem facta, per promocionem huiusmodi et muneris consecracionis impensionem dicto Electo impendendi vacaturis, et quecunque inde secuta fuisse et esse nulla nulliusque fore roboris vel momenti, que eciam ad habundantem cautelam, ne ullo unquam tempore appareant a nobis in favorem cuiuscumque alterius persone emanasse, simili motu et ex certa sciencia irritamus et annullamus, necnon pro nullis et infectis ab omnibus haberi, censeri et iudicari volumus, ac eciam tam de supplicacionum quam litterarum apostolicarum Registris et aliis quibuscunque locis cassari mandamus per presentes, Non obstantibus premissis ac qui-

buscunque statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Gneznensis contrariis iuramento etc. roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia Gneznensi in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie Gneznensis speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem, reservacionem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dictorum Canonicatus et prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem Canonicatuum et prebendarum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si Archiepiscopo et Capitulo prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie Gneznensis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de ver. ad ver. de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Gneznensis solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli etc. nostre reservacionis, inhibicionis, constitucionis, cassacionis, irritacionis, annullacionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Septimo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Epō Zamorensi, et dilectis filiis Archidiacono Taurinensi ac Decano Poznaniensi, sal. etc. Hodie cum Canonicatus et prebenda ecclesie Gneznensis, quos dilectus filius Thomas Electus Cracoviensis tempore promocionis per nos de persona sua ad ecclesiam Cracoviensem, tunc pastore carentem, (facte) obtinebat, prout obtinet, per promocionem huiusmodi ac munus consecrationis eidem Electo impendendum vacare sperarentur, Nos illos cum ut premittitur, aut per lapsum temporis de consecrandis Epīs a canonibus diffiniti, vel alias quovismodo preterquam per ipsius Electi obitum vacare contingeret, conferendos dilecto filio Iacobo de Dambus Decano dicte ecclesie Gneznensis cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice motu proprio reservavimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam littere huiusmodi vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios Canonicatum et prebendam predictos, cum illos vacare contigerit, ut prefertur, eciam si actu alias quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignacionem dicti Electi vel alicuius alterius de illis extra Romanam curiam, eciam coram Notario publico et testibus sponte factam vacent, eciam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice alias specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum dicti iuris plenitudine ac omnibus iuribus et pertinenciis supradictis eidem Iacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, ac defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes Iacobum vel pro eo procuratorem predictum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia Gneznensi in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Non obstantibus omnibus, que in dictis litteris voluimus non obstare, necnon felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si Venerabili fratri nostro Archiepō et dilectis filiis Capitulo Gneznensibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod etc. Contradictores auctoritate nostra etc. compescendo. Datum ut supra etc.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. IV. fol. 4.

CXLIV.

Nicolao Spiczmer canonicatus et praebenda ecclesiae Cracoviensis, quos Thomas electus Cracoviensis obtinebat, conferuntur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Spyczmer Cantori ecclesie Cracoviensis, decretorum Doctori, salutem etc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos dilectus filius Thomas Electus Cracoviensis tempore promocionis per nos de persona sua ad eandem ecclesiam, tunc pastore carentem, facte obtinebat, prout obtinet, per promocionem huiusmodi munusque consecracionis sibi impendendum vacare sperarentur: Nos volentes tibi, qui apud nos ex parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris ambassiator destinatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus, cuiuscunque taxe seu annui valoris illi existant, presentibus habentes pro expressis, cum illos, ut premittitur, aut per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, aut alias quovis modo preterquam per ipsius Electi obitum vacare contigerit, conferendos tibi cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Epō, et dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus etc. ut in precedenti, mutatis mutandis. Nulli ergo etc. nostre reservacionis, inhibicionis, constitucionis, cassacionis, mandati, irritacionis, annullacionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, septimo Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 282.

CXLV.

Ioanni cardinali sancti Angeli legato de latere in Germania legationis munus ad regnum Poloniae extenditur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni sancti Angeli Diacono Cardinali, ad partes Ungarie et Polonie nostro et sedis apostolice Legato de latere, salutem etc. Cum te adversus impiissimos christiani nominis hostes Turcos ad partes Germanie, Ungarie et loca ipsi Turco subdita et vicina sedis apostolice Legatum de latere presentialiter mittamus: nos sperantes te legationem ipsam eo felicius, dante domino, ad optatum finem speratamque victoriam perducturum, quo plures in tantam tamque necessariam expeditionem Reges et populos poteris convocare, legationem tuam huiusmodi ad regnum Polonie, et dominia omnia ac loca Carissimo in Christo filio nostro Regi Polonie quomodolibet subdita ita extendimus, ut omnibus litteris apostolicis ac facultatibus tibi in prima legatione concessis in hac quoque nuper addita uti possis, ac si pro ipsa Regni Polonie legatione specialiter et particulariter concesse forent. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, v. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. III. fol. 235.

CXLVI.

Derslao de Carnicze canonicatus et praebenda ecclesiae Rinzoloviensis Gnesnensis dioecesis, quos Thomas de Stampino electus Cracoviensis obtinebat, collati, petente imperatore, confirmantur.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Papiensi in Romana Curia residenti, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Derslaus Michaelis de Carnize clericus Poznaniensis diocesis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut honestis petitionibus suis annuentes sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Derslai petitio continebat, quod cum predicti Canonicatus et prebenda ecclesie Rinzoloviensis Gneznensis diocesis, per promotionem dilecti filii Thome de Strampino Electi Cracoviensis ad ecclesiam Cracoviensem, ad quam tunc vacantem per dilectos filios Capitulum eiusdem ecclesie electus fuerat, per nos faciendam et munus consecrationis sibi impendendum vacare sperarentur, ac carissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum Imperator nobis pro dicto Derslao dilecto suo supplicaret, ut ipsi Derslao de predictis Ca-

nonicatu et prebenda, quamprimum vacarent, ut prefertur, providere dignaremur: Nos considerantes promotionem predictam tunc non fore factam nostra propria manu, in eadem supplicatione scripsimus, quod facta promotione provideretur. Et deinde de responsione predicta non memores, eciam ante huiusmodi promotionem de eisdem Canonicatu et prebenda, ut prefertur, vacaturis nonnullis aliis clericis predicte Cracoviensis et Plocensis diocesis per alias nostras litteras mandavimus provideri. Postmodum vero, antequam promotio per nos de fratrum nostrorum consilio facta esset, quandam edidimus constitutionem, per quam inter cetera decrevimus similes impetrationes de beneficiis vacaturis ante promotionem huiusmodi antea faciendas nullius existere firmitatis, ac eadem die, qua promotionem huiusmodi fecimus, de ipsis Canonicatu et prebenda sic vacaturis prefato Derslao providere concessimus, prout in litteris et concessione et supplicatione predictis plenius continetur. Quare pro parte dicti Derslai nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos dicto Derslao, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobile genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que idem Derslaus eciam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac dispensationum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, ipsumque Derslaum a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis tam a iure quam ab homine latis, si quibus quavis occasione seu causa quomodolibet irrititus existat, quo ad hoc, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, absolventes et absolutum fore censentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstanciis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, litteras ipsas prefatis clericis, quorum nomina, cognomina, gradus, nobilitatem, officia et numerum presentibus eciam haberi volumus pro expressis, concessas ac supplicationes, super quibus ille confecte fuerunt, de litterarum et supplicationum ac Camere apostolice registris et alibi, ubicumque reperiantur, cassare, revocare, irritare et annullare, ac cassari et penitus deleri facere auctoritate nostra procures, decernens illis nec non processibus desuper habitis et inde secutis quibuscunque in iudicio et extra nullam prorsus fidem adhibendam fore vel adhiberi debere, ipsisque clericis super eisdem Canonicatu et prebenda perpetuum silentium imponas, ac ipsos ab illorum possessione, si in ea forsan existant, penitus et omnino realiter amoveas; et nichilominus si revocationem, cassationem, annullationem, decretum et silentii impositionem huiusmodi per te vigore presentium fieri contingat, ut prefertur, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus novem marcarum argenti secundum communem extimationem valorem, ut idem Derslaus etiam asserit, non excedunt, cum illos, ut premittitur, vel per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, vel alias quovismodo preterquam per obitum dicti electi vacare contigerit, conferendos ipsi Derslao cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi tue auctoritate nostra reserves, districtius inhibendo Archiepiscopo Gneznensi pro tempore existenti, ac dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie Rinzoloviensis, nec non illi vel illis, ad quem vel ad quos horum Canonicatus et prebende collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra reservationem huiusmodi disponere quoquomodo presumant, preterea Canonicatum et prebendam huiusmodi, cum vacaverint, ut prefertur, etiam si actu quovismodo ex alterius cuiuscunque persona vel per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, seu per liberam dicti electi vel alicuius alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factam resignationem vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum dicti iuris plenitudine et omnibus iuribus et pertinenciis supradictis prefato Derslao eadem auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Derslaum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, ac defendens inductum, amotis exinde prefatis clericis et quibuslibet aliis illicitis detentoribus ab eisdem, ac faciens ipsum Derslaum vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi prebendam in dicta ecclesia Rinzoloviensi

in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, sexto Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. IV. fol. 208.

CXLVII.

Andreae Lumpe derogatio cuiusdam statuti in ecclesia Varmiensi de maiori praebenda optanda conceditur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree Lumpe Canonico Wratislaviensi, Scriptori et familiari nostro, salutem etc. Romanum decet pontificem in singularium ab ipso personis quibusvis, presertim nostris et apostolice sedis insistentibus obsequiis, concessarum pro tempore gratiarum executione dirigenda eo uti moderamine, quo et gratie ipse personis fructui relinquantur eisdem, et apostolice sedis auctoritas suum distendendo vigorem obsequendi materiam pareat universis. Dudum siquidem volentes tibi ob grata devotionis et familiaritatis obsequia, que nobis et dicte sedi eatenus impenderas, et adhuc impendere non desistebas, gratiam facere specialem, tibi de Canonicatu ecclesie Wratislaviensis cum reservatione unius in predicta, ac in Warmiensi, in qua maiores, medie et minores prebende fore noscuntur, ecclesiis alterius ex eisdem maioribus prebendarum prebendis, necnon dignitatis, personatus, perpetue administrationis vel officii alterius earundem ecclesiarum, etiam si ad dignitatem, personatum, perpetuam administrationem vel officium huiusmodi consuevisset quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum, vacantium vel vacaturarum seu vacaturorum per alias nostras litteras sub data duodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo, gratiose providimus, certis tibi desuper executoribus deputatis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, a nonnullis asseratur, felicis recordationis Nicolaum papam V. predecessorem nostrum dudum, videlicet quartodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus sui anno primo, ad instantiam Venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Warmiensis, necnon dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli eiusdem ecclesie Warmiensis asserentium, quod licet illius Canonici, in qua sedecim maiores, et quatuor medie ac etiam quatuor minores prebende fore noscuntur, medias vel minores inibi prebendas obtinentes iuxta laudabiles ipsius ecclesie Warmiensis dudum inibi observatas consuetudines ad maiores prebendas gradatim, et per optionem ascendere debuerint a longis temporibus, propter diversas expectativas cum derogationibus consuetudinum huiusmodi ad prebendas maiores, necnon dignitates ipsius ecclesie diversis personis a sede apostolica concessas gratias, ac de dictis maioribus prebendis ab eadem sede et alias plerisque pro tempore factas collationes et provisiones, necnon negligenciam dicte ecclesie media vel minori prebenda prebendarum prebendatorum Canonicorum maiores, qui pro tempore vacarunt, inibi prebendas optare non curarunt, et alias nullus ex ipsius ecclesie Canonicis medias seu minores prebendas huiusmodi obtinentibus ad aliquam ex dictis maioribus prebendis occasione optionis fuerit admissus, seu illius possessionem assecutus, sed debito in premissis ordine secluso, plures in prefata ecclesia in Canonicos posterius recepti, aliis dudum in ea ante ipsos receptis in maiorum prebendarum assecutione fuerint diversimode antelati, nullaque Canonicis medias vel minores prebendas obtinentibus maiores inibi prebendas assequendi penitus spes resultabat, unde nonnulli ex dictis Canonicis, et presertim minoribus prebendis prebendati propter illarum fructuum, reddituum et proventuum exilitatem ad alia loca se transtulerint, et alii ibidem residentes divinis non curarint officiis interesse, quod si Canonici mediis vel minoribus prebendis prebendati personalem apud dictam ecclesiam Warmiensem residenciam facientes maiores ibidem predendas, seclusis absentibus, optare possent, dictis Canonicis se ab eadem ecclesia absentandi occasio tolleretur, sed apud illam potius residere et dictis officiis insistere devotius affectarent, irrefragabilis constitutionis edicto statuisse et ordinasse, quod postquam eadem statutum et ordinatio in huiusmodi Capitulo publicata forent, extunc inantea perpetuis futuris temporibus nullus vigore sive pretextu quaruncunque gratiarum expectativarum a sede apostolica, vel legatis eius concedendarum, ac processuum desuper habitorum, sub quibusvis verborum formis, etiam motu proprio concepte repperirentur, etiam si talem(?), aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et maioribus prebendis dicte ecclesie in illis partibus spe-

ciales et generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, et quascunque derogatorias vel alias clausulas in se continerent, sive quarumcunque collationum et provisionum quibuscunque desuper faciendarum (vigore) ad aliquam ex maioribus prebendis huiusmodi in dicta ecclesia recipi vel admitti, vel in ea ius sibi acquirere possent, nisi tempore vacationis maioris prebende huiusmodi ipsius ecclesie Canonicus minori, vel media prebenda antea prebendatus existeret, et apud eandem effectualem et realem, quacunque iuris cessante fictione, residentiam faceret personalem, et de minoribus ad medias, et de mediis ad maiores prebendas huiusmodi, et non aliter ipsius ecclesie Canonici gradatim et per optionem ascenderent, ita quod minores ad medias et medias prebendas habentes maiores prebendas huiusmodi optarent, ac possent et deberent sic optare, et in optione quacunque medie seu maioris prebende huiusmodi, quo ad Canonicum optantem, ut utilis et ydoneus foret, expressus Episcopi Warmiensis pro tempore existentis, si in partibus resideret, ac maioris partis dictorum Capituli assensus intercederet, decernendo omnes et singulos processus, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque ecclesiasticas sentencias, censuras et penas, quas contra premissa vel eorum aliquod fieri vel promulgari, necnon totum id et quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri vel attemptari contingeret, nullius subsistere roboris (et) firmitatis, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac gratiis expectativis, privilegiis et indultis quibusvis personis, seu alias generaliter vel specialiter qualitercunque ab eadem sede concessis et concedendis, etiam si de illis et de earum totis tenoribus expressa mentio habenda foret, quibus omnibus derogavit, ac nullius esse voluit roboris vel momenti, et propterea tu predictarum tibi per nos concessarum litterarum dubites frustrari effectu quoad ecclesiam Warmiensem memoratam. Nos igitur volentes te premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et apostolice sedis presidiis prosequi, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines, ac in quibus et ad quevis ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos ac dispensationum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, huiusmodi statutum et ordinationem, quominus predictarum nostrarum tibi, ut prefertur, concessarum litterarum ac processuum desuper habitorum vigore ad maiorem in dicta ecclesia Warmiensi prebendam vacantem vel vacaturam, quam duxeris acceptandam, admitti possis et debeas, nullatenus obstare debere, sed Episcopum, Prepositum, Decanum et Capitulum prefatos, necnon singulares in huiusmodi Capitulo personas te ad admittendum ad maiorem prebendam vacantem vel vacaturam, ut prefertur, aliasque ad parendum et intendendum quo ad hoc litteris nostris et desuper habitis processibus teneri, astrictosque fore perinde in omnibus et per omnia, ac si statutum et ordinatio huiusmodi quo ad premissa nullatenus emanassent, eadem auctoritate apostolica presentium serie litterarum censemus pariter et declaramus, ipsisque statuto et ordinationi, in quantum huiusmodi nostrarum litterarum effectui atque progressui quomodolibet obesse censeantur, etiam ex certa sciencia presentibus derogamus expresse, illis tamen alias in suo robore permansuris, decernentes irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre sanctionis, declarationis, derogationis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, terciodecimo Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. XXIII. fol. 241.

CXLVIII.

Abbati monasterii S. Vincentii Vratislaviensis, ut de novis statutis et decretis capituli Vratislaviensis inquirat, eaque, si ecclesiae Vratislaviensi utilia esse invenerit, auctoritate apostolica confirmet.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Vincencii extra muros Wratislavienses, salutem etc. Apostolice servitutis officium, nobis licet immeritis ex alto commissum, circa ecclesiarum quarumlibet statum in melius, dante domino, prosperandum sedulis exequi solliciti curis, ad ea solertis provisionis intendimus auxiliis, per que ecclesie ipse status sui salubris profectus attingant, votivosque amplectimur eventus, et hiis, que pro eorum felici successu provide gesta fuerint, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis non abnuimus adiici firmitatem. Exhi-

bita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ioannis Duster Prepositi et Capituli ecclesie Wratislaviensis peticio continebat, quod cum nuper eadem ecclesia per obitum bone memorie Petri Episcopi Wratislaviensis pastoris sui regimine destituta fuisset, et ipsi electioni futuri ipsorum Epi intenderent providere, considerantes, quod ex incuria et inconsulto regimine quorundam Episcoporum Wratislaviensium, qui non longe preteritis temporibus dicte ecclesie licet minus utiliter prefuerunt, et sue prudencie, quinymo presumpcioni innitendo, negocia statum dicte ecclesie contingencia absque consilio et consensu dictorum Capituli, in hiis maxime, que in dispendium eiusdem ecclesie vergebant, pro sue voluntatis libitu gesserunt, ecclesia ipsa in dominiis, terris, castris, possessionibus et bonis, in quibus olim opulenta plurimum, venusta et insignis erat, multipliciter diminuta extitit, et ad extremam fere inopiam deducta, diversaque eciam premissorum occasione, et pro eo, quod ipsi Episcopi privilegia, indulta, libertates et immunitates, quibus eadem ecclesia et illius persone tam per sedem apostolicam, quam Romanorum imperatores et reges ac alios principes, ac eorundem Episcoporum predecessores eis concessis gaudebant, et in quorum usu fuerunt, prout adhuc existunt, infringere nitebantur, graves contenciones et discordias inter ipsos Epos et Capitulum fuisse subortas, ac cupientes futuris providere casibus, et ut exinde prefata ecclesia et eius status restaurentur in melius, illis salubri remedio subveniri, antequam ad electionem procederent antedictam, ipsis capitulariter in unum convocatis, inter alia iuramentum per Episcopos Wratislavienses in eorum receptione et admissione primeva prestari solitum ampliando provide statuerunt, quantum in eis erat, et ordinarunt, quod futurus ipsis preficiendus Episcopus corporali per eum prestando iuramento se obliget et astringat, quod velit et debeat privilegia predicta, ac laudabilia et honesta ipsius ecclesie hactenus observata statuta et consuetudines manutenere et inconcusse servare, et contra ea attemptantibus auxilium, consilium vel favorem nullatenus prestare, vectigalia insolita et per predecessores suos a triginta annis citra contra iuris prohibitionem clero Wratislaviensi et dictis personis imposita tollere, nec ea de cetero exigere, ad dignitates eiusdem ecclesie, cum vacant, ipsius ecclesie Canonicos, et non extraneas personas promovere, de feudis ipsius ecclesie, ad eam devolutis, neminem de cetero infeudare, ac castra, redditus et quecunque bona ad Episcopalem mensam Wratislaviensem spectancia nulli perpetuo vel ad tempus donare, appropriare, vendere, impignorare vel sub usura obligare, aut pro aliis bonis permutare absque scitu, consilio et consensu expresso Capituli predictorum; preterea neminem in Capitaneum generalem aut Castellanum Castri alicuius dicte ecclesie recipere, aut alicui Castrum seu fortalicium aliquod committere, nisi Capitaneus, Castellanus seu castri vel fortalicii huiusmodi commissarius sufficienter suis autenticis litteris proprio sigillo sigillatis caveat, quod castrum sive fortalicium ipsum, quando per Episcopum Wratislaviensem pro tempore existentem, et eo non existente, per predictos Capitulum super hoc requisitus fuerit, Episcopo vel Capitulo huiusmodi, qui id requisierint, dolo et fraude cessantibus, sine dilacione et absque ulla contradictione restituat, ipseque Castellanus, si quas expensas fecerit in gubernatione castri seu fortalicii huiusmodi, aut exinde damna susceperit, super illorum extimacione stabit iudicio Episcopi et Capituli predictorum, quodque cum castro huiusmodi Episcopo pro tempore existenti, et Episcopali sede Wratislaviensi vacante, Capitulo prefatis, quousque alius Episcopus per Capitulum ipsum canonice electus fuerit, obediens et fidelis esse velit, et que circa hoc promiserit vel iuraverit, similibus litteris approbet et affirmet, quodque dictus Episcopus quamtocius poterit, ordinet, quod omnes Capitanei sive Castellani castra seu fortalicia dicte ecclesie tenentes coram eisdem Capitulo se presentent, et super eo, quod si ipsum decedere aut capi et captivum detineri contingeret, dicta castra ad manus ipsorum Capituli fideliter teneant et diligenter custodiant, ne aliquem preter Canonicos dicte ecclesie vel personam aliam illa intrandi ab ipsis Capitulo potestatem habentem colligant et intromittant, et si quis ex Capitaneis vel Castellanis ipsis a suo destitueretur officio, successor eiusdem deputandus idem promittat, et que promiserit, similibus suis litteris approbet et affirmet, idem quoque fiat circa castra ipsius ecclesie redimenda vel recuperanda, vel, dante domino, in futurum acquirenda; insuper quod prefatus Episcopus dictis Capitulo et personis paterna benivolentia et affectione preesse, eosque in sua iusticia defendere ac iniuriatoribus eorundem pro posse resistere, et super quemcunque contra iusticiam ipsorum bona invadi et eos diffidari contingeret, per officiarios ac Capitaneos et Castellanos ac alios subditos suos vim vi etiam, si opus fuerit et id iuste fieri poterit, cum simili diffidatione repellere absque eo, quod propterea quicquam ab ipsis Capitulo et personis exigere sive petere possit, dummodo Capitulum et persone huiusmodi contra eos querimoniam depo-

nentibus coram ipso Episcopo velint stare iuri, quodque etiam nullum ex prelatis aut Canonicis dicte ecclesie ex eo fortassis, quod in electione vel postulatione ipsius preficiendi Episcopi in eum votum suum non direxit, odio, indignatione vel rancore seu quavis molestia afficiat vel affici faciat, aut ex quibusvis causis per se vel alium de facto captivare aut suis vel aliis carceribus mancipare, nec alias eos in personis vel rebus eorum offendere, sed si quam causam contra ipsos vel quemquam ipsorum habuerit, illam coram ipsorum iudicibus iuris forma servata prosequi, et debito velit iusticie ministerio remanere contentus, de bonis etiam Prelatorum et Canonicorum ipsorum sive testantium sive ab intestato decedentium se nullatenus intromittere debeat, sed circa ea servet consuetudinem ab olim laudabiliter observatam, nullam denique collectam sive contributionem prefatis Clero absque dictorum Capituli consensu imponat, nec cum illis ipsos Canonicos et Capitulum, cum alias propter mutuam plurium onerum communicationem plurimum graventur, et damna, que ex illis preteritis temporibus passi sunt, ipsos adhuc plurimum afficiant, quomodolibet gravare debeat sive velit; ceterum, quod prefatus Episcopus ad ecclesie sue negotia pertractanda eligere debeat ad hoc utiles de Capitulo consiliarios suos, officialem quoque seu vicarium suum in spiritualibus generalem constituat aliquem ex Canonicis supradictis, nisi iidem Capitulum consenserint in personam aliam ad hoc ydoneam per eum deputandam; debeat quoque ipse Episcopus suis continuis sumptibus et expensis in Curia sua non tenere ultra duodecim equos, inclusis etiam equis de curru, nec ultra viginti quatuor familiares, donec sua Episcopalis mensa ad pinguiorem fortunam pervenerit, cuius successu cum consensu dictorum Capituli seu maioris partis ipsorum iuxta eorum conscientiam et discretionem ampliare poterit suos familiares et equitaturas; debeat etiam omnia ornamenta, paramenta et insignia sua pontificalia presentia et futura, quando illis non utatur, in dispensa in sacrestia dicte ecclesie reponi facere ibidem fideliter et absque diminutione conservanda; insuper, quod ipse Episcopus colligationes et confederationes nullas cum principibus aut potentibus ecclesiasticis vel secularibus personis et communitatibus inire velit absque consilio et consensu Capituli vel maioris partis eorundem. Cavebit etiam idem Episcopus fideliter disponere, quod si intestatus decesserit, bona per eum relinquenda apud prefatam ecclesiam remaneant, contradictione consanguineorum et amicorum suorum et aliorum quorumcunque non obstante, nec testari velit nisi de consensu dictorum Capituli seu maioris partis eorundem, et secundum Sacrorum Canonum instituta, tradetque post electionem suam super hiis dictis Capitulo litteras autenticas suo sigillo communitas, prout hec omnia in instrumento publico inde confecto plenius continentur. Quare pro parte Prepositi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis et ordinationibus huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, eaque inconcusse servanda fore decernere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habemus, huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super premissis et eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea expedire dicteque ecclesie statui restaurando et in melius dirigendo proficere et congruere reppereris, ea omnia auctoritate nostra approbes et confirmes, supplendo omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem; et nichilominus ea perpetuis futuris temporibus per quoscunque futuros Wratislavienses Episcopos inconcusse servanda fore decernas, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon aliis dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Quinto Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIII. fol. 20.

CXLIX.

Iudicibus, ut Prutenos fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum rebelles ab excommunicatione etc. absolvant.

Calistus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Warmiensi et Curoniensi Episcopis, ac dilecto filio Andree Santberg Canonico ecclesie Sambiensis, salutem etc. Etsi antiquus hostis humano invidens generi, non cessans querere, quos devoret, quamplures inducat sepius ad laqueum peccatorum: nonnullos tamen sue fraude deceptos redemptor noster Ihesus Christus quotidie de ipsius faucibus rapit et ad se vocat penitentes. Nos quoque, qui ipsius vices gerentes in terris, claves a beato Petro potestatum et districtionis accepimus, nolentes mortem peccatorum, sed cupientes potius conversionem ipso-

rum ad salutem, misereri eligimus potius quam ulcisci, illisque clementer ignoscere, qui ab errorum precipiciis reviviscentes veniam poscunt de commissis. Dudum siquidem cum nonnulle Communitates ac plerique Nobiles partium Prussie, temporalis dominii Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, adversus eosdem Magistrum et fratres, quorum dominio, regimini et gubernacioni suberant, in rebellionem insurgentes, iura dominii, regiminis et gubernacionis huiusmodi sibi usurpassent, et ad hoc quasdam colligationes et conspirationes inter se fecissent, et illas iuramentorum interpositione vallassent, dictosque Magistrum et fratres terris, dominiis et castris ipsorum spoliassent, et plerisque religiosis personis vulneratis et aliis crudeliter interemptis, aliis etiam in carceres detrusis, quedam ex castris huiusmodi ac eciam quasdam ecclesias illorum temere demoliri fecissent; cumque igitur predicti iniuriatores et in premissis culpabiles excommunicationis sentenciam, et alias censuras ecclesiasticas et penas per litteras et processus apostolicos seu auctoritate apostolica habitos, aut alias de iure irretiti etiam irregularitatis maculam incidissent: Nos intelligentes eosdem sensu reprobo in eorum rebellione induratos, eos, debito iusticie exigente, graviorum tunc expressarum reaggravatione penarum ab eorum pertinacia duximus coercendos. Cum autem, sicut pro parte dictorum Magistri et fratrum exhibita peticio continebat, quidam ex ipsis dolentes ad cor ac obedienciam Magistri et ordinis sunt reversi, et alii in futurum, concedente domino, redire sperantur, si a sentenciis, censuris et penis supradictis misericorditer absolvantur: Nos attendentes, quod pia mater ecclesia veniam indulgere non abnuit cum humilitate ad se redeuntibus post excessum, et ut ipsi excommunicati ad resipiscendum et parendum dictis processibus citius annuant, vobis seu aliis, quos ad hoc loco vestri duxeritis deputandos, quoscunque ex excommunicatis prefatis, qui presbiteros aut clericos vel religiosos non interfecerint aut mutilaverint, ab excommunicationis sentencia, aliisque censuris et penis supradictis in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inde pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, de dictorum Magistri et fratrum consensu absolvendi, interdictum ecclesiasticum relaxandi in locis incolatus, seu ad que ipsi excommunicati absolvendi declinaverint, postquam illos absolveritis, nisi ex culpa aliorum excommunicatorum ibidem observandum fuerit, relaxandi, necnon cum quibusvis ecclesiasticis personis, etiam dicti ordinis, qui habitum professionis sue prefatis guerris durantibus sive coacte sive alias quoquomodo abiecerunt, qui etiam dictis censuris et penis irretiti, non tamen in contemptum clavium, missas et alia divina officia celebraverunt, seu se illis immiscuerunt, super irreguritate per eos inde contracta, ipsis ad tempus, de quo vobis videbitur, a suorum ordinum execucione suspensis, demum suffragantibus eis meritis, alioque non obstante Canonico titulo, ut tam in susceptis quam in suscipiendis per eos ordinibus ministrare, et ad omnes etiam sacros ordines, quos nondum susceperint, promoveri, nec non obtenta retinere, et alias eis canonice conferenda ecclesiastica beneficia quarumcunque qualitatum recipere, et similiter retinere libere et licite valeant, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per eos premissorum occasione contractam abolendi, quibuscunque reservationibus de absolutionibus, dispensationibus et abolicionibus faciendis prefate sedi factis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, mandantes nichilominus vobis predictis et a vobis deputandis, ut ratione beneficii absolutionis huiusmodi, propter quam impetrandam alias remittendi essent ad Curiam nostram Romanam, a quibuscunque personis predictis singularibus, que occasione premissorum venirent absolvendi, certam partem illarum expensarum, de qua discretioni vestre videbitur, loco penitencie exigere debeatis, quas ad eandem Curiam veniendo, et ab ea recedendo necessario facere habuissent, super quo vestram conscienciam oneramus, aliter illis nolumus absolutionis huiusmodi beneficium suffragari, statuentes insuper et ordinantes, quod vos seu per vos deputandi solventium nomina et cognomina, ac pecuniarum quantitates, quas ab unoquoque exegeritis, in uno libro fideliter conscribatis seu conscribi faciatis, omnes et singulas pecuniarum quantitates per vos seu deputandos predictos pro tempore exactas penes unum vel duos probos viros fide et facultatibus ydoneos, aut alias in loco tuto et securo, donec aliud a nobis habueritis in mandatis, fideliter deponatis et conservetis, seu deponi et conservari faciatis. Volumus autem, quod si ullo unquam tempore, quod absit, ab obediencia predictorum Magistri generalis et ordinis tales sic absoluti se subtraxerint, vel illis rebelles fuerint, in predictas penas et sentencias reincidant ipso facto. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Kalendis Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIII. fol. 2.

CL.

Magistro hospitalis B. Marie Teutonicorum certae pecuniae ex absolutione rebellium Prutenorum receptae conceduntur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Ludovico Erlichshausen Magistro generali ordinis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Nuper inclinati supplicationibus tuis facultatem concessimus per nostras certi tenoris litteras Venerabilibus fratribus Warmiensi et Curoniensi Episcopis, ac dilecto filio Andree Santberg Canonico ecclesie Sambiensis absolvendi hac vice dumtaxat omnes et singulas personas utriusque sexus, etiam ecclesiasticas, tibi et tuo ordini subditas aut alias terrarum et locorum vestrorum habitatores, que dudum rebelles et hostibus adherentes ad tuam et dicti ordinis obedienciam impresentiarum reversi sunt, et concedente domino, in futurum revertentur, ab omnibus sententiis, censuris et penis spiritualibus, quas propterea incurrerint, necnon cum ipsis personis ecclesiasticis, que sic ligate divina officia celebrando aut alias immiscendo se divinis irregularitatis maculam contraxerunt, misericorditer dispensandi, aliaque faciendi et exequendi, que in dictis litteris, quarum tenorem hic haberi volumus pro expresso, dicuntur latius contineri. Cum ergo fidedigna relatione sumus informati, quod diuturno et gravi bello tuus ordo prefatus fuerit annis elapsis afflictus, quodque ob hoc ipsi maxima debita in conducendis armorum gentibus fuit necessarium contrahere, ad que dissolvenda tue et ipsius ordinis consumpte vires nequaquam sufficiunt: Nos ad presens propter incumbencia fidei christiane non valentes huiusmodi necessitatibus, sicut vellemus, ex toto recurrere, ut saltem aliqua ex parte propensum animum nostrum declaremus, devotioni tue omnes et singulas pecuniarum quantitates, quas per prefatos Epos et Canonicum, seu eorum substitutos a personis predictis (occasione) impendende absolutionis et dispensationis antedictarum secundum ordinationem nostram exigi et haberi contigerit, que pecunie ad Cameram apostolicam spectare noscuntur, in satisfactionem debitorum predictorum tenore presentium libere concedimus atque elargimur, mandantes expresse in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis pena, quam non parentes ipso facto incurrant, Episcopis et Canonico eorumque substitutis prefatis ceterisque, ad quos spectat vel in futurum spectabit, quatenus hanc nostram concessionem integre et sine diminutione observent, observarique ab omnibus, quorum interest, auctoritate nostra mandent et curent; recepta tamen a te prius ydonea caucione, quod in predictam debitorum satisfactionem, et non aliter prefatas pecunias cum effectu convertes. Nulli ergo etc. nostrorum concessionis, largitionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Kalendis Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIII. fol. 3.

CLI.

Pontifex ordinat, ne ecclesiae et beneficia ad collationem magistri et fratrum B. Mariae Teutonicorum pertinentia ullis sine eiusdem magistri consensu conferantur.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi quibuslibet religiosis personis ac locis ex iniuncte nobis apostolice servitutis officio assistere defensionis presidio teneamur, illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, qui non solum sua, verum etiam semetipsos contra Christi nominis inimicos pro fidei catholice defensione pugnando morti exponere non formidant. Sane pro parte dilectorum filiorum Ludovici de Erlichshusen Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli prefate religionis inimici, qui illam variis calamitatibus et erumnis ac diris guerrarum turbinibus indebite et iniuste afflixerunt, et multa prefati hospitalis loca devastarunt, toto posse conabantur, religionem ipsam tam in spiritualibus, quam in temporalibus penitus supplantare, et occurrentibus vacationibus nonnullarum parrochialium ecclesiarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in patria Prusie constitutorum, que ad predicti et pro tempore existentis Magistri prefati hospitalis de antiqua et approbata, ac etiam a tanto tempore, cuius contrarii memoria hominum non existit, pacifice observata consuetudine presentationem spectare noscuntur, personas Magistro et fratribus predictis minus gratas locorum ordinariis, ad quos institutio Rectorum et beneficiatorum huiusmodi de iure pertinet, de facto presentasse et dictum(?) presentare non formidant in contemptum Magistri, et maximum religionis huiusmodi preiudicium pariter et gravamen: quare pro parte dictorum Magistri et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum indemnitati

super hiis oportune providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur, ad quos pertinet unicuique ius suum illesum preservare, de premissis omnibus plenariam habentes noticiam, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas de predictis ecclesiis et beneficiis, quorum nomina et cognomina, ac civitates et dioceses, in quibus illa consistunt, ipsarum ecclesiarum et beneficiorum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus haberi volumus pro expressis, absque expresso consensu dicti Magistri per quascunque personas, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, preminencie vel nobilitatis, etiam si Regali, Reginali, Archiepiscopali, Episcopali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, factas et imposterum forsan faciendas presentationes, ac per locorum ordinarios subsecutas et subsequendas institutiones de facto processisse et procedere, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse, eisque in iudicio et extra nullam prorsus fidem adhibendam fore et adhiberi debere, ac per presentationes et institutiones easdem, etiam sic presentati et instituti a nobis, vel sede apostolica aut Legatis eiusdem confirmationem, vel novam provisionem cum supplecione defectuum obtinuissent, in dictis ecclesiis et beneficiis, vel ad eas et ea nulli ius cuiquam acquiri potuisse vel debuisse, aut posse vel debere quoquomodo apostolica auctoritate tenore presentium, et ex certa sciencia decernimus pariter et declaramus, ipsasque ecclesias ac beneficia in pristinum et in eum statum, in quo ante presentationes et institutiones, que, ut prefertur, de facto emanarunt, existebant, plenarie restituimus et reponimus, quaslibet predictarum ecclesiarum et beneficiorum demembrationes huiusmodi guerrarum tempore presumptas cassantes et annullantes, volentesque, quod ille dumtaxat persone, quas prefatus pro tempore existens eiusdem hospitalis Magister per eius patentes litteras ad ipsas ecclesias et beneficia vacantes et vacantia, vacaturas et vacatura duxerit presentandas, non per ordinarios predictos durantibus eisdem guerris et calamitatibus, sed per Venerabiles fratres nostros Pomezaniensem ac Sambiensem Episcopos, quibus et eorum cuilibet dictas per Magistrum presentandas personas ad ecclesias et beneficia, ad quos et que presentate fuerint, apostolica auctoritate instituendi, ac eas vel procuratores suos earum nominibus in corporalem possessionem ecclesiarum et beneficiorum huiusmodi, eorumque iurium et pertinentiarum inducendi, et inductas defendendi, eisque vel dictis procuratoribus suis de predictarum ecclesiasiarum ac beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciendi, necnon illos pretextu presentationum et institutionum absque consensu dicti Magistri et de facto occupantes ab eisdem amovendi, ac predictis locorum ordinariis eadem auctoritate sub excommunicationis pena, quam ipso facto incurrant, ut absque dicto consensu institutos eosdem a possessione dictarum ecclesiarum et beneficiorum penitus et omnino amoveant, ac de cetero eisdem guerris durantibus nullum ad predictas ecclesias ac beneficia instituere presumant, inhibendi, omniaque alia et singula in premissis necessaria et oportuna faciendi, disponendi et exequendi, nec non contradictores quoslibet et rebelles etc. non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pp. VIII. etc. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, declarationis, restitutionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. MCCCCLVI. Kalendis Iulii. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXII. fol. 275.

CLII.

Everhardus ecclesiae Revaliensi praeficitur in episcopum, et de more commendatur.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Everhardo Electo Revaliensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, quod ipse circa quarumlibet statum ecclesiarum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, ut per eius prudentiam ecclesiis ipsis pastores accedant ydonei et rectores providi deputentur, per quos ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem ecclesia Revaliensi per obitum bone memorie Henrici Episcopi Revaliensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos cupientes eidem ecclesie per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne eadem ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc eiusdem ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum, et quem dilecti filii Capitulum dicte ecclesie in eorum Episcopum concorditer elegerunt, cuique de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum

donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus nec non concordi te eligentium voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica predicta providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia per tue industrie ac circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino regiminis dicte ecclesie prompta devotione suscipiens, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod ecclesia ipsa fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLVI. VII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo Capitulo, Clero, populo et universis vassallis ecclesie Revaliensis et Archiepo Lundensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIX. fol. 66.

CLIII.

Christierno regi Daciae idem Everhardus electus et ecclesia Revaliensis commendatur.

Calistus episcopus etc. Carissimo in Christo filio [nostro] Cristierno Dacie Regi Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie ecclesie Revaliensi tunc per obitum bo. mem. Henrici Epi Revaliensis etc. Cum itaque, fili Carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro regis eterni gratia (gloria) venerari: Serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Electum et prefatam ecclesiam sue cure commissam habeas pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Electus Celsitudinis tue fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propitio, prosperari, et tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIX. fol. 66.

CLIV.

Eidem Everhardo, ut habitum fratrum hospitalis B. Mariae Teutonicorum Ierosolimitani devotionis causa accipere possit.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Everhardo Electo Revaliensi, salutem etc. Desideriis tuis in his, que ex devotionis fervore prodeunt, ac proprie saluti et ecclesie tue utilitatibus profutura conspexeris, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Cum itaque, sicut nobis exponi fecisti, tu ad religionem fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani sincere geras devotionis affectum, et si id ecclesie tue utile et accomodum fore perspexeris, habitum per fratres ipsos gestari solitum suscipere desideres, et professionem emittere per eosdem fratres emitti consuetam: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut sine preiudicio tue episcopalis preeminencie et dignitatis, ac regiminis et administrationis ecclesie tue Revaliensis, illis in spiritualibus et temporalibus per te gerendis salvis tibi remanentibus, habitum eundem suscipere, et in manibus Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Lundensis, cui ecclesia tua suffraganea esse dinoscitur, professionem ipsam emittere valeas, idemque Archiepiscopus habitum tibi exhibere et professionem huiusmodi a te recipere valeat, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLVI. quarto Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIX. fol. 67.

CLV.

Archiepiscopo Lundensi, ut Everhardo electo Revaliensi, si ecclesiae Revaliensi expedire credat, habitum fratrum B. Mariae Teutonicorum conferat, ab eoque religiosam professionem recipiat.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Lundensi, salutem etc. Ex pastoralis ministerii debito ecclesiarum omnium, quarum nobis est generalis cura commissa, sic cupimus utilita-

tibus salubriter provideri, ut ab illis cuiusvis dispendii fomento semoto, votive prosperitatis successibus iugiter gratulentur. Nuper siquidem de persona dilecti filii Everhardi electi Revaliensis ecclesie Revaliensi, tunc pastoris solatio destitute, de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem nonnulli ex dicti electi predecessoribus Episcopi Revalienses, et aliqui illorum ex dispensatione apostolica, etiam post promotionem ipsorum ad ipsius ecclesie regimen, habitum per fratres hospitalis B. M. Theotonicorum Ierosolimitani gestari solitum susceperint et gestaverint, ac in illius gestatione se fratribus ipsis conformaverint: Nos, qui eciam cum dicto electo (dispensavimus), si habitum huiusmodi non susceperit, exinde oriantur scandala, et dicta ecclesia damnis et dispendiis affici possit, super his oportune providere volentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus prefate ecclesie, suffraganee tue, utilitatibus et profectibus intendens, ut teneris, singulis, que habitus huiusmodi gestationem concernunt, et an illa ipsi ecclesie dispendiosa sint seu profutura, diligenter consideratis, si repereris, quod si ipse Electus dictum habitum non susciperet et gestaret, ut prefertur, scandala exinde suscitari, ac prefatam ecclesiam damnis et iacturis affici, eundem Electum ad habitus huiusmodi receptionem et gestationem auctoritate nostra, appellatione remota, compellas, ipsumque habitum eidem exhibeas, et quatenus dicta professio ipsi ecclesie profutura sit, illam ab eo, sua tamen episcopali preeminencia et dignitate salva manente, auctoritate nostra recipias et admittas; per hoc autem dicte ecclesie statum immutare nolumus, nec circa illum quicquam innovare. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, quarto Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. XXIX. fol. 68.

CLVI.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Culmensi et Vilnensi, ut praedicatorem cruciatae in Polonia habeant commendatum.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi.

Calistus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Gregis dominici in terris curam gerentes, ne ab infidelibus immanissimis Christianus populus laceretur, omni solertia tenemur vigilare, et illatas fidei sacrosancte iniurias toto posse vindicare. Idcirco, cum temporibus nostris Turcorum immanissimus princeps magno cum exercitu et paratu contra Christianos insurrexerit, et prohdolor! Constantinopolitanam urbem, orientale caput et domicilium fidei, aliasque Christianorum provincias et loca impie ac vituperose occupaverit, non sine magna cordis nostri mestitia et animi afflictione in gregem dominicum nobis commissum tot contumelias, totque violentias ac dedecora a tam perfido hoste illatas recordari possumus, quin quantum cum deo possumus, omnes vires et facultates nostras pro huiusmodi ulciscendis iniuriis et fidei orthodoxe defensione et exaltatione exponamus: quamobrem, aliis facultatibus nostris non sufficientibus, Thesaurum sancte matris ecclesie a domino nostro Ihesu Christo nobis commissum benigne aperientes, et gratiose pro ipsius gregis dominice defensione dispensantes, Cruciatam contra ipsos Turcos a felicis recordationis Nicolao papa V. predecessore nostro indictam apostolica auctoritate confirmavimus et de novo concessimus: cuius cum in partibus Lictuanie et in Archiepiscopatu Leopoliensi dilectum filium Marinum de Fregeno deputaverimus executorem et nuncium, fraternitatem tuam hortamur et stricte requirimus, ac etiam per respersionem sanguinis dñi nostri Ihesu Christi, cuius causa agitur, instanter obtestamur, quatenus ipsum Marinum in premissis omnibus et aliis per nos ei commissis suscipias propitius commendatum, ac Carissimo in Christo filio nostro Pollonie Regi illustri, apud quem te plurimum auctoritate posse et gratia scimus, nostra contemplatione velis promovere, ipsique Regi adeo efficaciter persuadere, ut tua opera tuaque industria in predictis locis iuxta tenorem litterarum nostrarum ipsum admissum esse sentiamus; in quo, si ut decet, laboraveris, non dubitamus, quin a prelibato Rege omnia ad votum obtinebuntur: quod sue Serenitati ad maximam gloriam et meritum apud deum et homines ascribetur, et tua fraternitas etiam immortalem coronam laudis consequetur. Commisimus etiam super premissis prefato Marino aliqua tue fraternitati referenda, cui tamquam nobis fidem habebis. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die quarta Aprilis MCCCLVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Aliud Iohanni Litthoni Archiepiscopo Gneznensi, simile Episcopis Culmensi et Vilnensi.

Ex Reg. orig. An. II. Breviorum fol. 79.

CLVII.

Exsecutoribus, ut Paulo de Legendorf decanatum ecclesiae B. Mariae Glogoviae maioris Vratislaviensis dioecesis conferant.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Electensi, et dilectis filiis Bartholomeo Libenwalt Canonico Warmiensi ac Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Grata devotionis et familiaritatis obsequia, que dilectus filius Magister Paulus de Legendorff clericus Culmensis diocesis, scriptor et familiaris noster, nobis et apostolice sedi hactenus impendit, et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, nec non nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam suam tam familiari experiencia, quam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, decanatus ecclesie beate Marie Glogoviemaioris Wratislaviensis diocesis, quam quondam Iohannes Suorche ipsius ecclesie Decanus, dum viveret, obtinebat etc. Nos dicto Paulo, qui, ut accepimus, prefate ecclesie Canonicus ac ex utroque parente de militari genere procreatus existit, premissorum obsequiorum et meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere, ipsumque peramplius in dicta ecclesia honorare volentes, motu proprio, non ad ipsius Pauli vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios decanatum predictum etc. conferatis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. mccccLvii. Tertio Nonas Octobris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XV. fol. 78.

CLVIII.

Regi Poloniae, ut una cum imperatore et rege Hungariae Turcas aggrediatur, et a pace cum iisdem Turcis ineunda abhorreat.

Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri.

Calistus PP. III. Carissime in Christo fili, salutem etc. Delectarunt nos mirandum in modum littere, quas ad nos misisti, ex quibus intelleximus tuam singularem laudandamque devotionem erga nos et apostolicam sedem: offers enim te obsequentissimum ad ea, que nos et sedes apostolica ordinabit(?), maxime si negocia fidei et factum perditissimi perfidique Turchi concernant: ob quod tuam Serenitatem plurimum in domino commendamus eique benedicimus, hortamurque eam, ut in eiusmodi devotione et sancta voluntate firmo constantique sit animo, et deus omnipotens, qui, quos vult, humiliat et exaltat, statum tuum de bono in melius secundabit. Quod impresentiarum a tua Serenitate petendum esse existimamus, duo precipua sunt: unum, ut te omni benevolencia et caritate cum principibus christianis et finitimis, et presertim cum Imperatore et Rege Hungarie te iungas, eosque tibi concilies; secundum, ut pacis seu treugarum faciendarum cum perfido Turcho condiciones nullas acceptes, sed ne verbum quidem de eis faciendis patiaris fieri, idque sub anathematis et maledictionis perpetue pena tue Serenitati precipimus et mandamus. Nam inire federa aut firmari inducias cum hoste christiani nominis nil plane aliud esset, quam formidinem quandam et desperacionem ostendere, ex quo duo christianitati perniciosissima sequerentur: unum, quod idem perfidus Turchus longe altius erigeret cornua sui detestandi furoris, arbitraretur enim se nactum oportunitatem oprimendi christianitatem, ad quod toto posse anelat; nec credendum est, quod alia de causa inducias huiusmodi petat, nisi ut earum obtententu incautos et inopinantes christianos invadat: alterum, quod si christiani potentatus, qui assiduis imploracionibus nostris ad hoc divinum certamen continue magis excitantur, intelligerent, pacem aut inducias cum hostibus fidei initas esse, e vestigio eorum animi relanguerent et torpescerent corda bene disposita. Quocirca, ne tam perniciosa fiant, omni studio et conatu procures obviare, reiectis quibusvis oblacionibus et pollicitacionibus perfidi hostis, qui ut est omni feritate et rabie accensus ad effusionem sanguinis christiani, ita insidiosis illecebris et fallacibus oblacionibus nitit decipere eos, quos suo nefario proposito maxime obstare posse cognoscit. Melius itaque et laudabilius erit, si vires tuas excitaris, et ut catholicum Regem decet, cum Carissimo in Christo filio Rege Hungarie Illustri, ceterisque christianis potentibus unanimi consilio et unitis viribus in hostes fidei viriliter perges, de quibus certissimam victoriam omnipotens concedet. Significabit tue Serenitati nostro nomine hec et alia dilectus filius Io. Cardinalis S. Angeli in partibus illis apostolice sedis legatus. Datum etc. (Rome apud S. Petrum sub anulo piscatoris) die xiii. Maii mccccLviii. Pontificatus nostri Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. VII. fol. 171.

EPISTOLAE PII PP. II.

CLIX.

Iacobus Rooth de Dambus, decanus Gnesnensis a reatu hominicidiorum absolvitur et rehabilitatur.

Pius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobo Rooth de Dambus Decano ecclesie Gneznensis, Salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis indefessa clemencia lapsis ad eam cum humilitate post excessus recurrentibus filiis se propitiam ac benignam exhibere, et tanquam pia mater eorum statui consulere, eosque gratioso favore prosequi consuevit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod pridem cum nonnulli Nobiles et eis adherentes te odio prosequerentur, et eciam in cimiterio consecrato ac inde de nocte in domo, quam tunc habitabas, cum armis invadentes te interficere conati fuissent, et de te interficiendo minas et terrores etiam publice tibi fecissent, necnon in rebus et bonis diversa damna tibi intulissent, et decimas ad te ratione Decanatus ecclesie Gneznensis, quem obtines, pertinentes, diversaque blada et animalia tua occupassent: tu eciam postquam pacem et quietem cum ipsis Nobilibus inire, ac damna tibi lata, et blada necnon animalia et alia bona tua per eosdem Nobiles ablata, ut pacem tecum facerent, remittere, ac fideiussores et pignora de non offendendo eos dare et ad pacem te paratum obtuleras, quadam die dominica per officialem Gneznensem, qui eisdem Nobilibus favebat, ad domum suam, in qua aliqui ipsorum Nobilium cum eis adherentibus existebant, et bis vocatus invitus et contra tuam voluntatem mandatis ipsius officialis obtemperans, ac plurimum ab eisdem Nobilibus interfici et offendi timens, cum tuis familiaribus et aliis te associantibus, et quibus dixeras, quod te a dictis Nobilibus offendi non permitterent, accessisti, et passis ab eisdem Nobilibus iniuriam, et in capite letaliter percussus, gladium ab uno inibi existente accepisti, et duos ex eisdem tibi iniurantibus et cum armis te et societatem tuam invadentibus cum eodem gladio percussisti et vulnerasti, quorum unus, ut tu credis, tam ex aliis per illos de tua societate, quam per te factis vulneribus post aliquos dies expiravit, alius vero, cum tu de partibus eisdem recessisses, periculum mortis subiacere dicebatur, et idem mortuus esse creditur. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu primo percussus et timens ab eisdem inimicis interfici, et pro tua defensione premissa feceris, ac in ipsorum defunctorum morte, de qua doles ab intimis, aliasque, ut premittitur, culpabilis non fueris, cupiasque in presbiteratus et aliis per te susceptis ordinibus ministrare, et pro salute ipsorum defunctorum altissimum exorare, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut te ab excessibus huiusmodi absolvere, aliasque in premissis tibi et statui tuo oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod prefate sedis clemencia non consuevit penitentibus veniam denegare, ac volentes te, qui, ut asseris, felicis recordationis Nicolai pp. V. predecessoris nostri Cubicularius, et ad prestandum obedienciam pie memorie Calisto pp. III.

eciam predecessori nostro, per Carissimum in Christo filium nostrum Cazimirum Polonie Regem Illustrem transmissus fuisti, et pro quo eciam dilectus filius Nobilis vir Albertus Dux Austrie, asserens te dilectum suum fore, nobis super hoc humiliter supplicavit, alias apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gracioso favore prosequi volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que eciam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, redditwum et proventuum veros annuos valores ac dispensacionum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, prefati Ducis ac tuis supplicationibus inclinati, te a reatu homicidiorum et excessibus huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus, teque in pristinum et in eum stutum, in quo ante quam huiusmodi reatus et excessus committeres, existebas, restituimus et repponimus, omnemque inhabilitatem et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam penitus abolemus, et tecum super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxisti, quodque in susceptis etiam presbiteratus ordinibus ministrare, ac ea, que ut prefertur, obtines, retinere, necnon quecunque, quotcunque et qualiacunque alia ecclesiastica beneficia cum cura et sine cura se invicem compaciencia, etiam si dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post pontificales maiores, et Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris vel assumaris, recipere et retinere libere et licite valeas, ipseque tibi concesse dispensationes suffragentur in omnibus et per omnia, ac si reatus et excessus huiusmodi minime commisisses, eadem auctoritate dispensamus, suspendentes te ab huiusmodi Altaris ministerio usque ad annum a data presencium computandum. Preterea tibi concedimus, quod super huiusmodi tuis beneficiis vel aliquo ipsorum nequaquam premissorum occasione molestari possis, decernentes omnes et singulos processus, sentencias, censuras et penas etiam privationis contra te quavis etiam apostolica vel ordinaria auctoritate forsan habendos et ferendas, necnon collaciones et provisiones seu alias dispositiones de tuis beneficiis seu aliquo ipsorum occasione premissorum forsan faciendas irritas, inanes et nullius esse roboris vel momenti, Non obstantibus premissis ac apostolicis, necnon in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus Gueznensis et aliarum ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi sunt vel forsan fuerint, iuramento, confirmacione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli etc. nostre absolucionis, restitucionis, reposicionis, abolicionis, suspensionis, dispensacionis et constitucionis infringere etc. Si quis etc. Datum Senis Anno Incarnacionis dominice M. CCCC. LVIII. Pridie Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Lib. I. Tom. XXXI. fol. 346.

CLX.

Iudici, ut Iodocum episcopum et capitulum Vratislavienses ad VM. flor. Rhen. ecclesiae Varmiensi debitos persolvendos compellat.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Abbati monasterii beate Marie Canonicorum Regularium in Arena extra muros Wratislavienses, salutem etc. Ex debito pastoralis officii nobis divina dispositione commissi tenemur ecclesiarum et prelatorum omnium iura et bona defendere, ipsorumque humilibus et honestis votis, per que litibus et dissensionibus obviari possit, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Magistri Pauli de Legendorff, administratoris ecclesie Warmiensis in spirtualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputati, Notarii nostri, peticio continebat, quod licet quondam Petrus Epus Wratislaviensis summam duorum millium et quingentorum florenorum Renensium, ac dilecti filii Capitulum ecclesie Wratislaviensis etiam totidem pro suis et predicte ecclesie Wratislaviensis necessitatibus, ac bonorum impignoratorum eiusdem recuperatione a bone memorie Francisco Episcopo Warmiensi creditore causa amicabilis mutui receperint, ex quibus adhuc certa summa florenorum predictorum restat persolvenda, nichilominus Venerabilis frater noster Iodocus modernus Episcopus Wratislaviensis et Capitulum prefati eidem Paulo administratori pro eo, quod ipse litteram recognicionis dicti debiti iuxta patrie consuetudinem, in guerris Prusie per occupatores castrorum ecclesie Warmiensis forte surreptam, tempore ultime solucionis huiusmodi summe restituere non posset, solvere hactenus denegarunt, prout denegant de presenti, in magnum ipsius ad-

ministratoris preiudicium atque dampnum. Quare pro parte dicti Pauli administratoris, qui eciam litterarum apostolicarum scriptor existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prefatum debitum ratione Warmiensis ecclesie predicte, quam nos in minoribus constituti in commendam habuimus, prefato administratori vel eius successori libere persolvatur, dictique Epus et Capitulum Wratislavienses in futurum ab aliis pretextu dicte littere recognitionis a quoquam, eciam cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, impeti (non) valeant et molestari, in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si et postquam tibi de mutuo et aliis premissis legitime constiterit, prefatos Episcopum et Capitulum Wratislavienses, solucione integra dicte restantis summe quinque millium flor. Renensium per eos respective, prout coniunctim et divisim tenentur, eidem Paulo administratori aut legitimo suo procuratori facta, quittos et liberos a solucione prefate summe, ac litteram originalem recognitionis debiti huiusmodi cassam, extinctam et inanem, nulliusque momenti existere auctoritate apostolica decernas pariter et declares, ac ipsorum indempnitati, que exinde quovismodo evenire posset, provideas, ac inhibeas etiam sub censuris ecclesiasticis, ne quispiam ipsos Episcopum et Capitulum Wratislavienses super summa sic soluta quomodolibet molestare, seu eos iterato impetere presumat, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Senis Anno Incarnationis dominice MCCCCLVIIII. Idibus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. IV. fol. 217.

CLXI.

Hieronymus ex ordine Praedicatorum ecclesiae Caphensi in episcopum praeficitur.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ieronimo Electo Caphensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Iacobo Episcopo Caphensi regimini Caphensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et idoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Iacobi Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit seu potest, reservatione et decreto obsistentibns supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum predicatorum professorem, in Theologia Magistrum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem ecclesie de eorundem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod dicta Caphensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et

gratiam exinde uberius consequi merearis. Nos enim dilectis filiis Capitulo ecclesie et Clero ac Populo civitatis et diocesis Caphensis, ut te tamquam patrem et pastorem animarum suarum debita honorificencia prosequentes, tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; vassallis quoque ac aliis subditis eiusdem ecclesie Caphensis, ut tibi fidelitatem debitam et consueta servicia ac iura tibi et ibidem ecclesie a se debita integre exhibeant, harum serie districtius iniungimus et mandamus: alioquin sentenciam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habuimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Ferrarie Anno etc. MCCCCLVIIII. duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. V. fol. 161.

CLXII.

Eidem conceditur, ut a quocunque antistite catholico consecrationis munus recipere valeat.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Ieronimo Electo Caphensi, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Caphensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipias iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quamtocius destinare procures; quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepo ..., cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Ferrarie Anno etc. MCCCCLVIIII. IX. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. V. fol. 162.

CLXIII.

Civitati Caphae indulgentia omnibus euntibus ad suam defensionem a Calixto III. concessa usque ad annum prorogatur.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Spectat ad Romani pontificis providenciam dubia, que ex litteris apostolicis oriuntut, declarare, et ea, que pro salute Christifidelium ac defensione religionis christiane a sede apostolica emanarunt, ut illa ad debitum perducantur effectum, provida moderatione prorogare. Dudum siquidem felicis recordationis Calistus papa III. predecessor noster informatus fidedignorum relationibus, quod immanissimi hostes christiane religionis Turci et Tartari unanimi consensu deliberaverant et statuerant, preclaram urbem Caffam aliaque loca orientalia dominio Ianuensi subiecta invadere et occupare, ac fideles Christi ex illis partibus penitus eradicare, volensque de Thesauro Christi salvatoris nostri dilectis filiis Protectoribus Comperarum sancti Georgii Civitatis Ianue, ad quos regimen et cura dictorum Civitatis et locorum pertinet, providere, omnibus Christifidelibus, qui aut personaliter accederent pro defensione Civitatis et locorum huiusmodi, aut certam pecuniarum summam tunc expressam erogarent, plenariam suorum peccaminum in vita semel et in mortis articulo remissionem et indulgentiam, ac varias super hiis facultates per apostolicas litteras sub dat. decimo Kalendas Maii, pontificatus sui anno primo, usque ad triennium ex tunc computandum concessit, et deinde sub dat. quarto Idus Martii eodem anno primo voluit et concessit, quod littere predicte ad omnia et singula Castra Albiganensis, Saonensis et Vigintimiliensis diocesium, etiam si non essent sub predicto dominio constituta, se extenderent; insuper per alias litteras sub dat. quarto Idus Iunii et sexto Kalendas Februarii, pontificatus eiusdem anno secundo, nonnullas alias declarationes et facultates concessit, et successive sub dat. (. . . .) Februarii, pontificatus sui anno secundo, singulas litteras predictas et omnia in eis contenta ad aliud triennium, illo finito, et ultra ad apostolice sedis beneplacitum prorogavit, ac tandem dilectis filiis Loisio de Flisco Archidiacono ecclesie Ianuensis, et Iohanni de Gattis Priori Prio-

ratus sancti Theodori extra muros Ianuenses colligendi pecunias et substituendi, ac contradictores seu reddere rationem nolentes et defraudentes, vel impedientes per censuram ecclesiasticam compescendi et puniendi per alias suas litteras sub dat. septimo Kalendas Iunii, sui pontificatus anno tertio, facultatem concessit, prout in singulis litteris predictis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsorum Protectorum petitio continebat, licet iure cautum sit morte pontificis beneplacitum sedis apostolice non expirare, nichilominus nonnulli per obitum eiusdem Calisti nostri predecessoris asserunt, predictas apostolicas litteras post dictum secundum biennium fuisse et esse peremptas: quare pro parte ipsorum Protectorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dubium huiusmodi declarare et prefatas omnes apostolicas litteras ad alium annum prorogare, a die dat. presentium inchoandum, et ultra ad dicte apostolice sedis beneplacitum, aliasque eorum oportunitatibus in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod hostes predicti eandem urbem Caffam et alia orientalia loca predicta dominio Ianuensi subiecta toto posse occupare nituntur, et sicut accepimus, pro civitatis et locorum huiusmodi defensione predicti Protectores magnas hactenus fecerunt et faciunt expensas et ultra, Christifidelium suffragia sunt plurimum oportuna, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia declaramus, indulgentiam et singulas litteras predictas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis per obitum dicti Calisti predecessoris nostri minime expirasse, sed in suo robore suaque firmitate permansisse et permanere, et nichilominus indulgentias, facultates et singulas litteras easdem cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis usque ad unum annum, a data presentium computandum, et ultra usque ad prefate sedis apostolice beneplacitum eadem auctoritate prorogamus et de novo concedimus. Nulli ergo etc. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIIII. Kalendis Aug. Anno I. **Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. V. fol. 13.**

CLXIV.

Paulus de Legendorf ecclesiae Varmiensis administrator ab anno usque ad alterum triennium etc. constituitur.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Paulo de Legendorff Decano ecclesie Wladislaviensis, ecclesie Warmiensis in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputato Administratori, sal. etc. Super gregem dominicum nostre divinitus vigilancie creditum, prout nobis desuper conceditur, intenti, exercentes speculatoris officium ad ea, per que Cathedralibus ecclesiis suis destitutis pastoribus consulitur, nostri ministerii partes per viam prorogationis, administrationis seu provisionis earundem solercius impartimur. Dudum ecclesia Warmiensi ex eo, quod nos, qui dudum, dum in minoribus et in Cardinalatus honore constituti essemus, illi ex dispensacione apostolica presidebamus, tunc divina disponente clemencia fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, per assumpcionem nostram pastoris solacio dastituta, Nos cupientes tunc eidem ecclesie de persona secundum cor nostrum utili et ydonea providere, provisionem dicte ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice tunc specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis austoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: et deinde ad provisionem ipsius ecclesie solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo ipsi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Canonicum Warmiensem, Notarium, Scriptorem et familiarem nostrum, de nobili genere procreatum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, te administratorem prefate ecclesie in spiritualibus et temporalibus usque ad annum a data aliarum litterarum nostrarum computandum, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio fecimus, constituimus et deputavimus, curam et administrationem ipsius ecclesie interim in eisdem spiritualibus quo ad ea, que iurisdictionis, necnon dummodo illa per aliquem Catholicum antistitem gratiam et communionem sedis apostolice habentem gereres et exerceres, etiam quo ad illa, que ordinis existerent, ac etiam in temporalibus plenarie committendo; et nichilominus quam primum annus huiusmodi elapsus foret, extunc de persona tua ipsi ecclesie de dictorum fratrum consilio voluimus et decrevimus per nos prefata fore auctoritate provisum, tuque absque alterius provisionis amminiculo censereris illi in Episcopum et pastorem, ita quod dicto anno durante de Episcopalis mense ipsius ecclesie fructibus, redditibus et proventibus disponere libere et licite valeres, absque tamen quorumcunque immobilium et preciosorum mobilium bonorum ipsius ecclesie alienacione tibi penitus interdicta, sicuti veri Episcopi Warmienses, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere potue-

runt, ipso vero anno elapso, titulo et nomine Warmiensis Epi, ipsiusque ecclesie regimine et gubernacione fungereris, ac teneris munus consecracionis suscipere proinde, ac si tunc eidem ecclesie te in Episcopum prefecissemus, prout in nostris inde confectis litteris, quarum tenores presentibus pro expressis habentes, plenius continetur. Cum autem, sicut nuper accepimus, annus huiusmodi in brevi instare noscatur, tuque prefate ecclesie possessionem vel maioris partis bonorum eiusdem, diversis tibi impedimentis obstantibus, non potueris pacifice assequi, ymo formides, temporum et perversorum hominum causante malicia, illam ac illa pacifice assequi non posse: ne igitur tempore procedente propter lapsum anni huiusmodi administrationis et provisionis huiusmodi frusteris effectu, administrationem huiusmodi ab illius fine usque ad triennium, a dicto fine computandum, auctoritate apostolica de eorundem fratrum consilio tenore presencium cum omnibus clausulis, modis et formis in dictis litteris contentis prorogamus, teque ex nunc de dictorum fratrum nostrorum consilio in administratorem prefate ecclesie in spiritualibus et temporalibus usque ad triennium a fine dicti anni computandum facimus, constituimus et etiam deputamus, curam et adminiatrationem ipsius ecclesie interim in eisdem spiritualibus, quo ad ea, que iurisdictionis, necnon dummodo illa per aliquem Catholicum antistitem, ut prefertur, geras et exerceas, eciam quo ad illa, que ordinis existunt, ac eciam in temporalibus plenarie committentes; et nichilominus si infra dictum triennium possessionem dicte ecclesie vel maioris partis bonorum, fructuum, reddituum et proventuum eiusdem fueris pacifice et libere assecutus, et si interim minime, aut quam primum triennium huiusmodi elapsum fuerit, ex tunc de persona tua ipsi ecclesie de dictorum fratrum consilio volumus et decernimus per nos fore prefata auctoritate provisum, quodque tu absque alterius provisionis amminiculo censereris illi prefectus in Episcopum et pastorem, ita quod dicto triennio durante de Episcopalis mense ipsius ecclesie fructibus, redditibus et proventibus disponere libere et licite valeas, absque tamen quorumcunque bonorum, ut prefertur, alienacione, prout veri Epi Warmienses, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere potuerunt, seu etiam debuerunt; ipso vero triennio elapso, titulo et nomine Warmiensis Episcopi, ipsiusque ecclesie regimine et gubernacione fungaris, et munus consecrationis huiusmodi suscipere tenearis proinde, ac si in fine dicti triennii eidem ecclesie te in Episcopum et pastorem prefecissemus, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Tu igitur commissam tibi administrationem et post expletum triennium predictum onus regiminis dicte ecclesie a domino tibi impositum prompta devocione suscipiens, curam, regimen et administrationem huiusmodi sic gerere et exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIII. Kalendis Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. V. fol. 318.

CLXV.

Regi Poloniae et fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum, ut discordias inter se concordent.

Regi Polonie.

Pius PP. II. Carissime etc. Misimus ad Regnum Boemie Venerabilem fratrem Ieronimum Archiepiscopum Cretensem nostrum et apostolice sedis ad concordandos inter se ibidem dissidentes nuncium atque oratorem. Quoniam vero non sine tristitia animi accepimus, discordias inter Serenitatem tuam et dilectos filios Magistrum et fratres ordinis beate Marie Teutonicorum pridem exortas in diem continuare, et non mediocribus malis partes illas affligere, cupientes tam diutine pesti aliquando finem imponi, et utrique facultatem liberam dari, ut composita domi pace ad sanctam contra Turcos expeditionem nobiscum et cum ceteris catholicis possint concurrere: dedimus eidem oratori in mandatis, ut si a Serenitate tua et Magistro ac fratribus antedictis requiri eum contingat, ad vos statim accedere et concordare differentias vestras, quantum potest, nitatur. Hoc ideo Sublimitati tue et eidem Magistro significandum putavimus, ut ad bona opera neutri desit facultas, et ambobus sit notum afflictiones vestras cor etiam nostrum affligere, et pacem fidelium nobis in desiderio esse. Datum Mantue XVI. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo. Simili modo Magistro Prussie.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. fol. 79.

CLXVI.

Hieronymus archiepiscopus Cretensis et Franciscus de Toleto mittuntur nuntii, ut inter Georgium regem Bohemiae et duces, clerum et populum Silesiae concordiam et pacem instaurent.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Hieronimo Archiepiscopo Cretensi, ac dilecto filio Francisco de Toleto sacre Theologie professori, in ecclesia Ispalensi Archidiacono de Astigia, nunciis et oratoribus nostris, salutem etc. Si quando intelligimus contenciones esse aliquas inter eos, qui Christi nomen profitentur, angimur vehementer atque dolemus, videntes non solum animarum iacturam fieri, sed partibus bello implicatis nichil ad sancta opera, que totam christianitatem concernunt, per illos posse offerri: et preterea ex pastorali nostro officio meditamur dies et noctes, quibus viis et modis ad pacis et tranquillitatis consilia reducere eosdem possimus. Cum itaque non sine displicentia nostra senserimus inter carissimum in Christo filium nostrum Georgium Boemie Regem Illustrem ex una, et dilectos filios nobiles viros nonnullos duces, et clerum ac universitatem provincie Slesie parte ex altera discordias dudum exortas in diem magis continuare, et illis in hunc modum vigentibus nichil inde ad publicam fidei causam contra impios Turchos opportunum posse sperari: Nos volentes, quantum cum deo possumus, hiis malis, ne gravius invalescant, obviam ire et id agere, ne ad mutuam sanguinis effusionem utrinque deveniatur, cum personaliter ad illos conferre nos non valeamus, ad vos conversi, de quorum fide, diligentia et rerum gerendarum usu atque ad hoc sanctissimum opus ferventi zelo precipuam in domino fiduciam gerimus, ad Regem, duces, clerum et universitatem predictos, sequacesque et adherentes eorum, necnon quoscunque alios, si qui sint in eodem regno inter se dissidentes, nostros et apostolice sedis nuncios et oratores personaliter destinamus, devotioni vestre committentes atque mandantes, ut prefatos omnes et singulos nostro et dicte sedis nomine hiis rationibus et persuasionibus, quas vobis altissimus suggeret et vestra sapientia porriget, ad concordiam et pacem ineundas conemini inducere: Nos enim vobis super quibuscumque discordiis, differentiis, contentionibus et querelis seu guerris inter Regem, duces, clerum et universitatem predictos vertentibus qualitercunque et quandocumque nostro et ecclesie nomine tractandi et componendi, necnon pacem et concordiam perpetuo valituras sub illis capitulis, pactis, modis, conditionibus atque formis, penarum adiectionibus, iuramentis, obsidibus personarum, dispositione, terrarum, castrorum, iurium et bonorum obligacionibus, renunciacionibus, promissionibus, cauthelis, clausulis et solemnitatibus atque modis, de quibus vobis secundum honorem dei videbitur expedire, et inter partes, ad quas pertineat, quomodolibet dissidentes poteritis concordare seu componere, quovismodo confirmandi, validandi, roborandi, observandi et exequi mandandi ac faciendi auctoritate prefata omnia et singula, que inter dictas partes et eis adherentes aut habentes facultatem ab eis firmata vel conclusa per vos fuerint in premissis et circa ea, ac dependencia, emergencia et connexa, omniaque alia et singula gerendi, mandandi, exequendi et faciendi, que pro securitate et observatione inter partes ipsas conclusorum, concordatorum ac dependentium ab illis opportuna vel utilia quomodolibet videbuntur, et super hiis omnibus et quolibet eorundem seu incidentium, dependentium et emergentium quomodolibet a premissis unum vel plura publicum seu publica documenta cum membris et capitulis opportunis confici fieri (?) semel et pluries, quotiens opportere videbitur, ita quod plene de iure subsistant, et omnia ac singula alia in premissis et circa ea, ac pro premissis gerendi, faciendi, exequendi et exercendi, etiam si talia fuerint, que mandatum exigerent speciale et in generali commissione non caderent, que vobis videbuntur opportuna, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, rata et grata proculdubio habituri, quecunque in premissis et eorum quolibet, ac circa ea per vos coniunctim tractata, ordinata, firmata ac alias facta fuerint. Vos igitur pium hoc opus a nobis iniunctum ea fide et diligentia adimplere curabitis, ut dignam laborum vestrorum mercedem celitus possitis accipere, et nos fructus ex profectione vestra speratos ad salutem fidelium percipere valeamus. Datum Mantue anno incarnationis dominice MCCCCLVIIII. Duodecimo Kalendas Octobris. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VI. fol. 5.

CLXVII.

Iisdem nuntiis, ut regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum ad concordiam ineundam inducant.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Hieronimo Archiepiscopo Cretensi, ac dilecto filio Francisco de Toleto etc. nunciis et oratoribus nostris, salutem etc. Si quando intelligimus etc. ut in pre-

cedenti, differt tamen ubi dicit: Inter Carissimum in Christo filium Casimirum Polonie Regem Illustrem ex una, et dilectos filios Magistrum et fratres ordines beate Marie Theutonicorum parte ex altera etc. Sequitur: Necnon omnes et singulos obedientes et concordatos a censuris et penis, quas premissorum et dissensionum occasione hactenus incurrerant, si id humiliter petierint, auctoritate nostra absolvendi et penitentiam salutarem iniungendi, necnon super irregularitate quomodolibet dicta occasione, preterquam ex homicidio contracta, dispensandi, omnemque infamie maculam sive notam abolendi, necnon ad honores quoque et famam restituendi, et ad beneficia, que obtinent et imposterum canonice obtinebunt, reabilitandi, insuper iuramenta quecunque paci vel concordie fiende obstancia libere relaxandi, et ab eis absolvendi, et omnia alia et singula in premissis gerendi etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VI. fol. 5.

CLXVIII.

Iidem nuntii pontificem de omnibus, quae ad pacem inter Georgium regem Bohemiae et clerum civesque Vratislavienses et Namslavienses reconciliandam egerint, insertis utriusque partis litteris ad eundem pontificem datis, certiorem reddunt.

Hieronymus dei et apostolice sedis gratia Archiepus Cretensis, et Franciscus de Toleto etc. sancte sedis apostolice ac sanctissimi in Christo patris et domini, domini Pii divina providentia pape secundi nuncii et oratores ad infrascripta specialiter missi et deputati, ad futuram rei memoriam. Sanctissimus dominus noster sacrosancte Romane ecclesie, quem inscrutabilis divine providentie altitudo universis pretulit ecclesiis, et totius orbis precipuum obtinere voluit magistratum, regimini presidens, curis solicitatur continuis, ut iuxta credite sibi dispensationis officium christianorum omnium paci et commodis inhiet et intendat. Sane cum intellexerit Sanctitas sua inter serenissimum principem et dominum, dñum Georgium Regem Boemie etc. et Clerum et Communitates civitatis Wratislaviensis et opidi Namslaviensis exortum esse bellum gravissimum, quod in magnum scandalum prefati regni provincieque Slesie ad prefatum regnum pertinentis, in qua dicta civitas et opidum constitute sunt, vergere facile posset, necnon in iacturam prefatorum cleri et communitatum, atque etiam in impedimentum memorati domini Regis, ne cum omnibus membris regni sui pro virili parte, ut de ipso sperat, adversum hostes fidei immanissimos Turcos se convertat: Nos ad prefatum Regem, clerum et communitates predictos misit, qui partes sancte sedis apostolice et sue Sanctitatis interponentes ea, que pacis, concordie atque unionis perfecte forent, inter eos tractaremus, dans nobis nichilominus super his omnibus et quibuslibet ex eis emergentibus plenam facultatem, quemadmodum per litteras sue Sanctitatis vera bulla plumbea subimpendenti communitas clare patet: cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Pius episcopus servus servorum dei, Venerabili fratri Hieronimo Archiepiscopo Cretensi, ac dilecto filio Francisco de Toleto sacre theologie professori in ecclesia Ispalensi, Archidiacono de Astigia, nunciis et oratoribus nostris, salutem et apostolicam benedictionem. Si quando intelligimus etc. ut supra Nro. clxvi. pag. 121. Datum Mantue Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno secundo.

Nos vero prefate Sanctitatis mandata omni cum reverentia capescentes, acto diligenter itinere, ad prefatum imprimis Regem, deinde ad Wratislaviam nos contulimus. Et intellectis causis et rationibus belli, nichilominus Clerum et communitates prefatas ad pacem cum prefato dño Rege habendam, obedientiamque illi prestandam exhortati fuimus. At ipsi nostras exhortationes, immo verius sanctissimi domini nostri pape suscipientes, quedam nobis capitula porrexerunt, que sibi a Regia maiestate concedi petebant, et ut nos prefatam Maiestatem ad ea concedenda exhortaremur et parte Sanctissimi domini nostri induceremus, affectuose rogaverunt et supplicaverunt. Cum quibus, quoniam honesta nobis visa sunt, ad Regem redeuntes rogavimus Maiestatem suam, ut omnia et singula pro sua solita clementia acceptaret atque admitteret, que illi in prefatis capitulis cupiebant. Super quibus omnibus et singulis prefata Regia Maiestas nobis benignissime respondens omnia facienda duxit et fecit, quemadmodum per litteras autenticas suoque regio sigillo subimpendenti communitas, in quibus capitula ipsa de verbo ad verbum inserta sunt, patet: quarum litterarum cum insertione capitulorum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Georgius dei gratia Boemie Rex, Moravie Marchio, Lucemburgensis et Slesie dux ac Lusatie Marchio, notum facimus tenore presentium universis, quod pia, quam ad sanctam sedem apostolicam et Romanos pontifices semper gessimus et gerimus gerereque intendimus, devotio et observantia nos

inducunt, ut ea prefate sedis intuitu suisque oratoribus et legatis intervenientibus admittamus, que alias nullo pacto faceremus. Dudum siquidem nobis ad corone Boemie gubernacula regia dignitate sublimitatis, cum omnes prelati, duces, barones et communitates regni prefati et principatuum illi subiectorum debitam obedientiam et fidem prestitissent, soli Capitula maioris et sancte Crucis ecclesiarum Wratislaviensium, clerus et communitates civitatis Wratislavie et opidi Namslaviensis nobis, nescimus quo ausu vel spiritu, restiterunt: quare adversum eos bella movimus, non tamen sine magno nostri cordis dolore, eo quod bellandum nobis esset seviendumque in eos, quos magis, quandoquidem ipsi voluissent, tamquam nostros subditos filios et servitores amplecti, regere et tractare cupiebamus; fecimus tamen, ne prefati Clerus vel communitates, dum nobis ipsis et corone Regni Boemie, quam pro tota nostra potestate tueri illesamque defendere in ipsius felici susceptione promisimus, deesse videremur, in maiores elati ausus pernitiosiora contra nos et coronam prefatam molirentur. Tandem res hec ad aures Sanctissimi domini nostri Pii divina providentia pape secundi delata est: qui cum ea, que pacis et tranquillitatis suorum sunt filiorum, paterna caritate cogitet et exquirat, nuncios et oratores suos ad hoc specialiter deputatos ad nos direxit, Reverendissimum videlicet in Christo patrem dominum Hieronimum Archiepum Cretensem, et Venerabilem sacre theologie doctorem Magistrum Franciscum de Toleto Archidiaconum de Astigia in ecclesia Ispalensi, qui vice ac nomine sedis apostolice ac Sanctitatis sue inter Serenitatem nostram et prefatos Clerum et communitates partes suas interponentes, veram predictorum ad nos obedientiam nostramque ad illos indulgentiam, clementiam et benignitatem procurarent. Cumque prefati domini oratores, postquam nos super his fuerunt alloquuti, et nos eis omni cum reverentia, uti debuimus, sancte sedis apostolice intuitu respondimus, sese in Wratislaviam contulissent, prefatosque Clerum et communitates multis rationibus et exhortationibus ad propositum nobis obediendi induxissent: illi eis supplicaverunt, quatenus pro observantia iurium et privilegiorum omnium suorum, gratiarumque et laudabilium consuetudinum concessorum vel concessarum sibi a dive recordationis ducibus regibusque Boemie predecessoribus nostris, aut etiam a regibus vel imperatoribus Romanorum apud Serenitatem nostram parte Sanctissimi domini nostri pape instarent, necnon aliqua alia a nobis peterent, que secundum exigentiam temporis saluti prefatorum Cleri et communitatum necessitatibusque oportuna sibi videbantur. Quibus per nos concessis, nos in suum, ut debent, Regem ac dominum fideliter accepturi essent, hec omnia nichilominus ad certa capitula redigentes: quorum tenor simul et supplicacionis prefate sequitur et est talis.

Reverendissime in Christo pater, et venerabilis et eximie doctor, domini nostri colendissimi. Nos, qui representamus Prelatos, Canonicos et totum Clerum ecclesiarum Consulesque et Communitates Wratislavienses et opidi Namslaviensis, humillime audivimus et intelleximus universa, que nobis parte Sanctissimi domini nostri Pii divina providentia pape secundi proposuistis, paterna monita, suasiones atque consilia sue Beatitudinis per vestras paternitates ad nos delata cum ea, qua decuit et decet, reverentia et devotione suscipimus et veneramur. Agimus preterea sue Beatitudini, non quas debemus atque tenemur, gratias, sed quas utique nostra parvitas potest, quod inter tam multas atque frequentes curas et sollicitudines suas, quibus pro salute commisi sibi gregis angitur, premitur laboratque in dies, nostri quoque dignata sit recordari. Nos sane, postquam Serenissimus dominus Georgorius Rex Boemie modernus, prout sue Maiestati placuit, bellum contra nos movit, sicut oculi ancille in manibus domine sue, ita oculos nostros levavimus ad misericordissimum imprimis Deum, ac deinde ad suam Sanctitatem, ut misereretur nostri, non quidem quod animum superbe libertatis unquam habuerimus, vel quod dividere nos ab inclita corona regni Boemie cogitaverimus, quemadmodum nonnulli pace sua detractores ac emuli nostri iactitant, neque etiam quod prefatum dominum Regem ob privatas passiones forsitan aliquas nostras aut aliquorum odio recusaverimus: nam regem nos habere volumus, sub rege vivere et cum inclita corona regni Boemie perpetuo inviscerati permanere statuimus. Et nunc quidem quando regem elegi oportuit, propter quedam, que nostras conscientias remordebant, differendam obedientiam esse censuimus. Testem invocamus Deum super istis, qui novit corda hominum et scrutatur renes, ac etiam Sanctissimum dominum nostrum Papam, cui tum per litteras, tum etiam per oratores nostros omnia, que nos movebant, quominus prefato domino Regi obediremus, manifesta fecimus. Nec putamus oblitam esse Sanctitatem suam, que remedia, que et adiutoria petiverimus, atque nos et universam causam istam in pectore suo posuimus, volentes omnino facere, quecumque nobis mandaret, aut etiam faciendum esse suaderet. Extant adhuc litterarum, quas misimus, copie, extat et mandatum,

quod nostro oratori dedimus, ut sileant emuli nostri, contremiscant detractores, quandoquidem pro puritate intentionis nostre testimonium habuerimus non solum scripturas, verum etiam illum, qui tanquam universis pater atque pastor harum et similium causarum indubitatus cognitor et iudex est. Nec mirari debuit Maiestas Regia, si nos aliquid habentes, quod nostras conscientias perplexas faceret, illud imprimis vobis declarari voluerimus. Et quis nos claros fecisset, nisi ille, qui, ut diximus, harum et similium causarum iudex est, vicarius quippe Dei, Successor Petri, qui solus omnium Christianorum in terris universalem primatum tenet, ad quem Salvator noster in persona Petri imperat: Aliquando conversus confirma fratres tuos; hunc nos quesumus, ad hunc scripsimus et misimus, ad quem, ut sanctus Zepherinus inquit, ab omnibus, maxime ab oppressis appellandum et recurrendum est, quasi ad matrem, cuius uberibus nutriantur, auctoritate defendantur et ab oppressionibus releventur. Et certe, si Regie Maiestati placuisset, quemadmodum sibi supplicari fecimus, paululum expectare, donec a Sanctissimo domino nostro, quid nobis agendum esset, potuissemus intelligere, non fuissent inter suam Serenitatem et nos tante verborum factorumque hinc inde late atque illate iniurie. Atque utinam ita fuisset! nam quis, si sanus mente fuerit, huiusmodi contumeliis et offensis delectetur? sed fert ista natura belli, et dum irritantur animi, non solum factis agitur, sed verbis etiam tanquam iaculis decertatur, presertim ubi non unius imperio, sed multorum agitur. At vero, ubi Sanctissimus dominus noster, multis utrinque consideratis, quid agere debeamus, per vestras paternitates hortatur nos, consulit atque suadet, nos, quoniam, ut sanctus Calistus inquit, non decet a capite membra discedere, sed iuxta scripture testimonium omnia membra sequi caput, non modo a regulis Sanctitatis sue atque sedis apostolice, sed nec a suis quidem consiliis et suasionibus quoquomodo intendimus deviare. Deponimus ergo priorem dubitationem et scrupulositatem, et postquam prefato Serenissimo Regi parere atque obedire consulit, quem prefata Sanctitas christianum atque catholicum principem et sue Sedis obedientem, ut decet christianum regem, filium esse credit: nos sua consilia omni cum devotione ac reverentia capescentes, inclinamus capita nostra. Ipse pater noster est, ipse pastor, ipse dominus, et loco Dei supremus in terris princeps atque pontifex, cui nostrarum et omnium Christianarum animarum cura universalis credita est. Parati enim sumus per manus vestras omnia facere, fide, iusticia et honore nostris salvis, ut dignum et iustum est, que prefata Sanctitas per vestras paternitates dignata est nobis suadere. Verum quoniam mos est omnibus civitatibus, que regem novum accepture sunt, ea petere, que ad pacificum et tranquillum statum earum pertinere dignoscuntur; nam ex pace et quiete civitatum pendet pax regni, et ex pace regni, salus et honor regis: volumus mediantibus paternitatibus vestris, immo Sanctissimo domino nostro per vos petere ac supplicare prefato Serenissimo domino Regi singula, que ab omnibus retro regibus Boemie petere et impetrare consuevimus. Et quoniam nove cause nova consilia exigunt et remedia; supplicabimus etiam pro nonnullis, que ad obviandum rancori sue in nos Maiestatis, si quis maneat, vel quorumlibet et aliorum nobis necessaria videntur, et quibus etiam animi populi huius demulceri et pacari possint, ita ut deinceps non timore, sed magis amore illi serviamus, et ipse nos non tam ut subditos, quam ut fideles et status sui amantissimos filios suscipiat et prosequatur. Supplicamus imprimis, quod Regia Maiestas omnem prorsus dignetur animi perturbationem, iram, odium rancoremque deponere, quem adversum nos Capitula maioris et sancte Crucis Wratislaviensium ecclesiarum, necnon universum Clerum et Communitates civitatum Wratislaviensis et Namslaviensis, aut contra aliquem ex nobis vel ex nostris subditis, adherentibus et confederatis occasione premissorum conceperit et habuerit, et remotis omnibus et singulis diffidationibus, guerris, rixis quomodo et qualitercumque contra nos per suam Maiestatem, vel per quoscunque alios suorum subditorum premissorum occasione excitatis, omnia incendia, homicidia, damna, depredationes, spolia, devastationes, destructiones, molestationes et quecumque inde secuta sopita sint, extincta et penitus abolita, ita ut nullus sit unquam prefate Regie Maiestati vindicte cuiuspiam animus, neque possit amplius quis occasione premissorum nos, aut aliquem nostrum nostrorumque subditorum et confederatorum trahere in iudicium, vel quomodolibet aliter in personis et bonis nostris pretextu iniuriarum, vel damnorum quorumcumque in hoc bello illatorum ac receptorum offendere, ledere et molestare, ut, abolitis omnibus, corregnicolis subditis suis in omnibus et per omnia communicemus et convivamus, ac si nichil horum contigisset. Item, quod omnia et singula privilegia, gratias, iura, que ab omnibus et singulis dive recordationis ducibus, imperatoribus regibusque Boemie nobis prefatis consulibus et communitatibus Wratislaviensi et Namslaviensi, consuetudines, ordinationes legitime introductas et a nobis frequentatas et ob-

servatas, necnon dominia et possessiones, cuiuscumque conditionis existant, que nobis et singulis nostris aut alicui ex subditis et confederatis nostris quocunque modo vel titulo iuste acquisite sunt, vel fuerint in futurum, per universam ditionem prefati Serenissimi dñi Regis confirmet, roboret et stabiliat perpetuo duratura, sinatque Maiestas sua nos et quemlibet nostrum gaudere atque potiri prefatis dominiis, possessionibus, et omnibus omnino rebus nostris fructibusque et proventibus earum, quodque nullum vel nullos ex civitate et opido prefatis coram aliquo iudicio vel aliquo modo molestet, trahat, neque trahere aut vexare permittat, sed quemlibet circa iudicium suum conservet: necnon ducatum Wratislaviensem integrum et sine dimembratione aliqua in omnibus iuribus et pertinentiis dimittat, electionem quoque Consulum liberam, prout prefata civitas ex privilegio et consuetudine habet; Thelonea vero, quemadmodum a certis, capitaneatumque, prout a certis retro regibus prefate civitati demissa fuerunt, eidem dimittat. Item, cum officium christiani regis sit, liberam, immunem pacatamque tenere, custodire, defendere et observare matrem ecclesiam, ex qua Christo nati sunt, in capite, in membris, in edibus, in dotibus et quibuscunque bonis, que ad eas quomodolibet spectare dignoscantur, quod idem Serenissimus dominus Rex tanquam verus et catholicus princeps omnia et singula iura, privilegia, gratias consuetudinesque laudabiles, necnon omnia et singula dominia, possessiones, et omnes omnino res stabiles aut mobiles, que ad Episcopatum et ad Capitula maioris et sancte Crucis Wratislaviensium ecclesiarum, et ad alias omnes et singulas ecclesias parrochiales, monasteria, cuiuscumque ordinis vel sexus existant, in civitate et per diocesim Wratislaviensem, sive etiam ad Prelatos Canonicosque prefatorum Capitulorum, aut ad aliquem aliorum clericorum vel religiosorum prefate civitatis et diocesis spectantia, omnia et singula eis et singulis eorum integra, libera absolutaque relinquat, quemadmodum a dive recordationis ducibus et predecessoribus suis Boemie regibus eisdem concessa, confirmata et roborata sunt: que etiam sua Maiestas de novo confirmare et roborare dignetur, supplicamus, et mandare omnibus et singulis officialibus et subditis suis per diocesim predictam, ut censuras ecclesiasticas reverenter suscipiant, et denunciari servarique libere sine perturbatione faciant, et si quando per iudices spirituales contra rebelles quoscumque, cuiuscumque sexus, status, conditionis, auctoritatis, dignitatis et preeminentie spiritualis vel temporalis existant, eos invocatos esse contingat, tum maxime contra quoscumque, qui heresim in prefata civitate vel diocesi dogmatizare presumerent, assistant consilium, auxilium et favorem in omnibus prebendo, quousque executioni ultime demandatum fuerit id, quod prefati iudices per suas sententias pronunciaverint esse iuris. Item, quia populus iste ex variis suggestionibus, scandalis, cedibus et iniuriis hinc inde secutis formidat regiam Maiestatem, cuperetque, antequam homagium prestaretur, repulsis odiis et rancoribus, gratiam regie Maiestatis sibi beneficiis et bonis precedentibus operibus et observantia comparare, ut ex mutua cum Boemis conversatione, exercitiis et continua communicatione animi et mentes ambarum partium ad integram et veram amicitiam convertantur, utque interim fatigata hec civitas impensis gravissimis respiret, et condigne erga Maiestatem suam habere se possit: supplicant prefati domini et Communitates, quod prestatio solemnis homagii ad triennium suspendatur, quod tempore ex nunc sub fide promittent Maiestati prefati domini Regis illud sibi tanquam vero et indubitato katholico et christiano regi Boemie prestare, eidem tamen infra tempus prefatum tanquam Regi nostro ac inclite corone Regni Boemie tamquam subditi obedientes et servientes in omnibus, una cum aliis dominis Principibus et Communitatibus Slesie, eorundem profectui, amplitudini et saluti intendentes, prout a retro actis temporibus superioribus Boemie regibus facere consuevimus, dietis quoque et congregationibus, si que forte pro utilitate et commodo Regni et Serenissimi domini Regis, sive pro Sedis apostolice amplitudine, et conservatione christiane religionis fierent, vocati una cum aliis membris regni interesse, et pro viribus et facultate fideliter consulere, et operari promittunt, salvis semper in premissis omnibus iuribus et privilegiis eorum dominorum Prelatorum et Communitatum tam presentium, quam etiam per Serenissimum dominum Regem predictum eis concedendorum: sique prefati domini et communitates super potestatibus et dominiis ad ipsam coronam regni Boemie pertinentibus, seu pretextu corone impeterentur per aliquem vel aliquos, aut coangustarentur potentia, seu vi opprimerentur, quod tunc prefatus dominus Rex Boemie eos sicut suos defendere et protegere, ac pro eis intervenire debeat et teneatur. Reversi autem cum his prefati domini oratores plurimum nos rogaverunt, quatenus intuitu sancte Sedis apostolice ac Sanctissimi domini nostri Pape capitula prefata cum omnibus suis partibus et clausulis acceptanda duceremus. At nos, licet a prefatis Clero et Communitatibus offensi non parum fuerimus, volentes tamen eos, ut Regem decet,

magis clementia et mansuetudine, quam armis, ut possemus, superare, tum maxime interveniente per prefatos dominos oratores Sede apostolica ct Sanctissimo domino nostro Papa, cuius nos reverentiam ct observantiam animo semper gestamus, in omnibus et singulis duximus annuendum et annuimus, promittentes nichilominus verbo nostro regio prefatis Clero et Communitatibus civitatis Wratislaviensis et opidi Namslaviensis in manibus prefatorum dominorum oratorum, nomine sancte Sedis apostolice ac Sanctissimi domini nostre Pape, Nos omnia et singula capitula prcfata, contentaque in eis omnibus et singulis, ac in eorum parte qualibet, punctis, clausulis et sententiis coniunctim et divisim, prout superius expressa sunt, inviolabiliter tenere et observare, dummodo in obedientia et fidelitate nobis debita persistant, dolo et fraude quibuslibet procul semotis, addentes nichilominus ad capitulum tcrtium, quod de dispositione ecclesiarum in capite et in membris nichil attentabimus, nisi quantum nobis de iure competat; item ad quartum capitulum, ubi de indutiis triennalibus pro prestando homagio mentio fit, quod non solum placet triennium concedere, ut ibidem continetur, sed unum etiam insupcr mensem adiicimus, ita tamen quod huiusmodi indutiarum concessio nobis et successoribus nostris nullum possit preiudicium generare. Ipsi vero Clerus et Communitates tencbuntur ea facere nobis, que de iure et consuetudine regibus Boemie predecessoribus nostris facerc sunt astricti, salvis semper omnibus et singulis capitulis preinsertis et partibus et clausulis eorum, ut premissum est, iuribus, privilegiis et consuetudinibus regni Boemie aut nostris et quibuslibet aliis, quibus quoad premissa dumtaxat ex certa nostra scientia, et spontanea voluntate de plenitudine regie potestatis per presentes derogamus et derogatum esse volumus, non obstantibus quibuscumque. Datum Prage XIII. Ianuarii Millesimo CCCC. sexagesimo. Regni nostri Anno Secundo. Quibus sic, ut premittitur, a prefata regia Maiestate concessis, Venerabiles viri dominus Andreas Wayver sacre theologie Magister, Cancellarius, Petrus Wartemberg decretorum doctor, Canonici ecclesie Wratislaviensis pro parte Cleri, et famosi ac spectabiles viri dominus Wenceslaus Reichil, Antonius Orvyergh, Iohannes Beyer, Filippus Iareor, magistcr Petrus notarius civitatis, Albertus Scherverlein, Nicholaus Gossinger, Filippus Dachs, Michael Foyt et Iacobus Woyssil pro parte Communitatum Wratislaviensis et Namslaviensis, etiam ad hoc specialiter pleno cum mandato totius Cleri et Communitatum prefatorum missi, Regie Maiestati in nostris manibus nomine sancte Sedis apostolice ac Sanctissimi domini nostri Pape promiserunt omnia et singula sibi tamquam Regi Boemie domino suo fideliter observare, ad que prefata Capitula obligantur: quorum quidem videlicet domini Regis ac prefatorum Wratislaviensium sibi subditorum sponsiones promissionesque nos auctoritate predicta in hac parte, ut premissum est, nobis specialiter concessa, accipimus acceptamusque, ratas et gratas habemus et confirmamus, approbatasque et confirmatas esse volumus et perpetuo duraturas. In quorum omnium fidem et testimonium has nostras acceptationis, rati et grati habitationis, confirmationis approbationisque patentes litteras fieri iussimus et mandavimus, alteriusque nostrum, videlicet mei, Archiepiscopi Cretensis, de utriusque tamen consensu, sigilli, quo uti soleo, fecimus appensione muniri. Datum Prage XIII. die Ianuarii Anno a Nativitate domini M. CCCC. et LX. Pontificatus vero Sanctissimi in Christo patris et domini domini nostri Pii divina providentia Papa secundi Anno Secundo.

Sanctissimo ac Beatissimo dño domino nostro Papc.

Sanctissime Pater et Clementissime domine. Post humillima oscula pedum bcatorum. Postquam hic fuimus, de rerum successibus Sanctitati vestre triplicatas litteras eiusdem continentie dedimus, videlicet die XXVI. Decembris per proprium cursorem Rizardo Sarraceno expeditum; die XXVII. per cursorem unum domini marchionis Alberti Brandiburgensis ad Nurumbergam, et ibi eas domino Iohanni Lochner, patri cubicularii Sanctitatis vestre, eidem Sanctitati mittendas commendavimus; die XXVIII. eiusdem mensis per proprium nuncium communitatis Plinensis ad Curiam pro rebus particularibus ipsius communitatis accedentem. Demum ex quinta die Ianuarii super his, que cum maiestate Regis de mittendis oratoribus ad Sanctitatem vestram, deque Turchorum rebus habita sunt, Sanctitati vestre litteras dedimus, quarum postremarum copiam commendatarum domino Uldrico Ritreher, invictissimi Cesaris consiliario, Sanctitati vestre mittendarum hic etiam habebit Sanctitas vestra ad maiorem cautelam, quibus, que usque ad diem illam acta et praticata fuerint, intelliget. Postea venit de Wratislavia magister Franciscus, et cum eo tresdecim oratores nomine cleri et civitatis valde honorifice, et licet super immutatione aliquorum particularium aliquanto contenderint, tandem tanquam boni filii sancte sedis apostolice a consiliis Sanctitati vestre recedere nullo pacto statuerunt: secum cum Rege fuimus, eos publice et

dignissime dulciterque suscepit. Firmata sunt inter eos omnia auctoritate Sanctitatis vestre et apostolice sedis per nos interposita, prout per nostri publici instrumenti copiam, quam cum his mittimus, videbit Sanctitas vestra. Alia etiam media non decrant, quibus rem istam concludere et firmare eadem auctoritate poteramus, fecissemusque, sed ob aliqua intercedentia ita fieri oportuit, credimusque aliquando, cum rem confectam videbamus, tunc ex aliquibus emergentibus facillime turbari atque dissolvi: sed ita Altissimo placuit, ut tandem negocium hoc deduceretur ad votum, forte etiam pro aliquo maiori bono, quod ipse, qui cuncta potest, sua pietate concedat. Die dominica XIII. mensis huius in mane post missarum solemnia pax et concordia ista concluse fuerunt. Rex permaxime letus est, adeo ut continuo abinde citra non cesset cum suis omnibus baronibus et militibus in vehiculis per civitatem totam in signum letitie et iubilationis iuxta morem patrie se vehi facere: gratias infinitas egit ipse et barones cuncti Sanctitati vestre, que eis pacem et tranquillitatem paravit. Et vere, Pater Beatissime, non est mirandum, si et ipse et regnum totum sentiunt se vestre Sanctitati devinctos. Utinam grati sint! quia certe in toto regno et dominio suo non habet Rex dignius, preclarius, nec civilius et urbanius membrum isto. Wratislavienses, postea quam Sanctitas vestra huic tractatui manus apposuit, sperantes auxilia et favores Sanctitatis vestre eis non posse deficere, valde contenti et leti fecere quecunque: quando, auctore Deo, ibi erimus, omnia apertius Sanctitati vestre referemus. Infra biduum, factis instrumentis utrique parti, ad Vratislaviam ibimus; via enim nostra est ad Poloniam: et cum uno nuncio regis reintegrari Clerum in bonis isto bello eisdem ablatis faciemus. Ibi etiam speramus invenire litteras dñi Regis Polonie, quibus, quo velit, ut divertamus, et eum conveniamus, intelligemus: nam cum sua Serenitas in responsione litterarum nostrarum nobis scripsisset, cum in Vratislavia essemus, ut tempus accessus nostri sibi significaremus, quia nos honorifice suscipere et locum, ubi concedere deberemus, nobis declarare intendebat. Statuimus, antequam inde recederemus, eisdem significare, quod sperabamus circa finem huius mensis suam Serenitatem convenire: quare non dubitamus, quod ibi litteras sue Serenitatis habebimus, et de omnibus Sanctitati vestre notitiam dabimus. Serenissimus dñus Rex nobis dixit, quod oratores dñi ducis Alberti Austrie, qui superioribus proximis diebus hic fuerunt, iverunt ad Regem Polonie pro pace tractanda inter eum et Prutenos. Utinam accessus iste sit adiumento rebus nostris tractandis! Verum multum miramur, et unde hoc sit, ignoramus, quod cum ex Nurumberga nuncios proprios fecerimus ab illis ordinis, qui inibi morantur, mitti Magistro ordinis, qui significarent adventum nostrum, et quod ad nos Vratislavie mitteret litteras vel personas, qui nobis successum rerum suarum, et omnia quecumque necessaria essent, declararent, ut oportunis res suas cum Rege Poloniae tractaremus: in toto tempore, quo et Vratislavie et his partibus stetimus, nec hominem suo nomine vidimus, nec verbum audivimus, nec litterulam aliquam habuimus: quod vero considerantes, an ad negligentiam applicemus, an ad ignorantiam, vel quod forte de pace non curet, aut aliud vellet medium, ignoramus; tamen ibimus, et speramus, quod Deus rem pacis non deseret. Videntes nos expost rem istam Vratislaviensem ad concordiam tendere, cum dominus Franciscus ad Vratislaviam pro oratoribus properaret, scripsimus Regi Polonie, quod ad plus circa festum sancti Antonii expediti a negociis hic per Sanctitatem vestram nobis iniunctis recederemus ad suam Serenitatem profecturi: quod fecimus, ut intelligeret, nos nec segnes esse, nec eum in verbis et tempore detinere, nisi quantum negocia ista usque ad ipsorum consumationem nos occuparunt. Expost pro licentia cum Regia Maiestate fuimus et mentem suam circa ea, que alia die reservaverat in facto Turchorum, requisivimus, ut Sanctitati vestre significaremus, et primo quo ad mercedem dandam stipendiariis dicit consuetudinis esse dare in ebdomada equestris ordinis militi florenum unum Renensem, pediti vero medium cum refectione damnorum. Circa partem illam, an personaliter accedere intenderet contra Turchos, respondit, se nil aliud unquam magis optasse, quam pro religione et fide christiana facere aliquod dignum et memorabile. Et hec duo principaliter ex corde desiderat, ut contra Turchos singulare quid faciat, alterum, ut regnum istud cum apostolica et Romana sede componat. Conditionem, quam in exercitu habere intenderet, sciscitati fuimus, qui respondit, se desiderare esse utilem militem, nec formidaret Turchos, speraretque de eis triumphare facile, assistente potissime iusta causa, quam fovemus; sed non posset honeste particulariter locum aliquem aut conditionem petere, cum nec sibi honestum esset, nec quales sint conditiones exercitus, intelligat, quibus consultius posset respondere; tamen oratores suos in omnibus bene instructos mittet ad Sanctitatem vestram, quibuscum hec et alia poterunt contractari. Iterum eum de mittendis oratoribus pro rebus regni componendis hortati pluribus mediis et rationibus

fuimus, qui assertive in proxima dieta eos mittere pollicitus est. Licentiam a sua Maiestate accepimus, qui devotissime et humillime Sanctitatis vestre pedibus nos humillime commendamus, quam felicissime conservare dignetur Omnipotens ecclesie sue sancte. Ex Praga die xv. Ianuarii M.CCCC.LX.

Pedum Vestre Beatitudinis servuli
HIERON. ARCHIEPISCOPUS CRETENSIS.
FRANCISCUS DE TOLETO.

Sanctissimo in Christo Patri et domino dño Pio divina providentia Sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño nostro Clementissimo.

Beatissime Pater et Clementissime domine. Obedientiam cum veneratione ad pedum oscula beatorum. Paterne pietatis viscera, quibus nos et regnum nostrum amore peculiari complectitur vestra Sanctitas, cura specialis populi et regni nostri, qua saluti et amplitudini illius plurimum invigilat Beatitudo vestra, nos inducunt, ut gratias humillimas, non quas debemus, sed quas possumus, vestre Sanctitati habeamus: potissimum autem, cum in re Wratislaviensi nobis et corone subditorum eam curam, diligentiam paternamque exhibuit vestra Sanctitas sollicitudinem, ut ad ovile unum uno pastore regendum oves Slesie in via obedientie errantes congregaret, et membra capiti suo uniret, Vestre quidem Sanctitatis consiliis, quin verius mandatis intervenientibus, suasionibus etiam et exhortationibus perspicacissimis Reverendissimi in Christo patris domini Hieronimi Archiepiscopi Cretensis, et venerabilis Magistri Francisci de Toleto etc. oratorum et nunciorum Sanctitatis vestre, qui ea in re tales se exhibuerunt, ut merito et honore digni et premio amplissimo nostro arbitrio censeantur, quos Sanctitatis vestre plurimum commendamus. Nos vero ob reverentiam Sedis apostolicae et Sanctitatis vestre, quod alias nullo pacto fecissemus, omnem humanitatem atque indulgentiam Wratislaviensibus exhibuimus coram nobis humiliter prostratis, omnisque vindicte culpeque pena digne obliti, sic eos regiis favoribus obedientes prosequimur, ac si nunquam culpa eorum in nos processisset. Nunc, Pater Beatissime, immortali Deo volente, regnamus pacifice et tranquille, nec est, qui resistat Imperio ditionum nostrarum. Unus dumtaxat nobis Lucemburgensis deficit insignis ducatus, quem Regno et corone Boemie incorporatum perpetuo, nescimus quo iure, dux detinet Burgundie, quem etiam, vestre Sanctitatis interveniente patrocinio, facile consequemur: quam Omnipotens ad honorem et profectum ecclesie sancte Dei in dies conservare dignetur. Datum Prage die XVII. Ianuarii, Anno domini M.CCCC.LX. Regni nostri Anno II.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Ad mandatum dñi Regis
PROCOPIUS DE RABESTEIN Cancell.

Devotus filius
GEORGIUS DEI GRATIA BOEMIE REX ET MORAVIE MARCHIO etc.

Sanctissimo in Christo patri et dño dño Pio divina providentia Sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Pontifici Summo, domino nostro Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime Pater et Clementissime domine. Post pedum oscula beatorum. Venerunt ad nos Reverendissimus in Christo pater et dominus, dñus Hieronimus archiepiscopus Cretensis, et venerabilis dominus doctor sacrae theologiae magister Franciscus de Toleto, archidiaconus in ecclesia Hispalensi de Astigia, oratores V. S: quibus per nos auditis et intellectis, cognovimus plane, quanta nos vestra Beatitudo et res nostras benignitate atque clementia suscipiat et prosequatur, que inter tam multas tamque arduas et iuges curas atque solicitudines, quibus in omnem horam pro salute sibi commissi gregis circumsepta est, et nostri quoque dignata est recordari, oculos ad nos suae pietatis convertere, et deprecationes nostras servulorum quippe suorum non despicere, sed exaudire. Nos enim, Beatissime pater, in hac causa, que inter Serenissimum dominum regem Boemiae et nos fuit, et pro qua bellum grave nobis sua maiestas intulit, eius semper mentis fuimus et perseveravimus, ut nullius viventium consiliis aut monitis, nisi vestrae Sanctitatis aurem prebere statuerimus, nolentes neque utique nobis tutum ac conducibile arbitrantes iudicium, quod vestre S. est, quodque sibi soli Salvator noster in terris degens tribuit, ab alio postulari. Significavimus hec abunde satis, ut arbitramur, Sanctitati vestrae per oratores nostros. At vero ubi eadem S. vestra non pro nostris meritis, sed pro sua tantum clementia et dignatione ad nos mittere dignata est, et eos quidem dominos et patres, qui fidei, honori et iusticie nostris non secus, quam si et ipsi cives nostri extitissent, in omnibus consulere voluerunt, nos eos, immo vestram in eis Beatitudinem suscipientes, et cum omni humilitate et observantia venerantes, monita et consilia sua saluberrima suscepimus et amplexati sumus, partes vestre Beatitudinis

pro pace inter Serenissimum dominum regem et nos ineundam non sine multis suis laboribus et vexationibus interposuerunt, media tandem invenerunt, que honori Dei et S. vestre fideique et religioni immaculatae civitatis huius, necnon et utriusque partis consolationi et utilitati plurimum putamus convenire, et ea talibus tantisque promissionum et obligationum nodis construxerunt et innodaverunt, ut certe, Beatissime Pater, vigilantiores ac magis intentos rerum nostrarum consultores atque curatores nunquam desideremus. Sic ergo studio prefatorum oratorum vestre S. atque opera pax nobis parta est, angustie, vexationes, incendia, vastationes et erumpne multe insuper et indeffesse nobis belli impressi sublate sunt. Felices nos! qui, si quando bellum tam grave pati soli debuimus, derelicti a nostris vicinis cunctis et amicis, hoc tempore pati nos divina misericordia tribuit, quocum habemus pontificem dominum atque pastorem, quo fovente atque protegente, longe sumus meliores pacis conditiones nacti, quam qui in benedictionibus pacis nos prevenire se posse crediderunt: pro quibus summis vestre S. beneficiis, quoniam pares gratias impendere non possumus, eas vel rependere duximus, quas valemus. Habet, Pater Beatissime, Maiestas vestra civitatem istam suam, habet nos omnes atque singulos, qui pro felici statu glorie vestre, successuque prospero rerum vestrarum indefesse misericordem invocemus et oremus Deum, quique pro virili parte cum personis rebusque omnibus nostris velimus semper pedibus vestre Beatitudinis adnixi esse, supplicantes nichilominus eam, ut quemadmodum pro sua clementia nobiscum initiata est, ita et agere in futurum et semper velit, habere quippe nos in visceribus misericordie et pietatis. Nam et nos preter commune christianarum urbium debitum, preter quoque professionem, quam in ipso fonte sacri baptismatis quisque christianus facit, hoc vestre S. precipuo in nos munere devincti atque astricti peculiarius pedibus suis herere semper intendimus, scientes quoniam, ea docente, non ignorabimus, ea dirigente, non errabimus, ea fovente, non labemur, eaque postremo protegente, ab illo protegemur, cuius vicem in terris gerit. Super his omnibus prefati domini reverendissimi oratores, cum venerint ad Sanctitatem vestram, amplius singula referent. Conservet misericordissimus Deus pietatem vestram, Beatissime Pater, ad salutem sue sancte ecclesie gloriamque christianitatis feliciter et longeve. Datum die Mercurii sexta mensis Februarii Anno etc. LX.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humiles servi

Clerus, Consules et universa Communitas Civitatis Wratislaviensis.

Sanctissimo in Christo Patri et dño dño Pio divina providentia sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Pontifici Summo, domino nostro Celeberrimo.

Sanctissime pater, domine noster celeberrime. Subiectionis sive intermissionis studia cum humillima recommendatione ad pedum oscula beatorum. Suscepimus humili mente et reverentia debita apostolica scripta et hortationem Beatitudinis vestre, que pro salute sibi commissi gregis et defensione fidei omni hora cogitat, occupatur, angitur et solicita est, quomodo sevissimum Christi nominis inimicum Turchum sanguinem christianorum crudelissime fundentem, et tanquam fera pessima insatiabiliter eundem sitientem refrenare, et collum suum terere valeat, in Mantuana dieta de communi consilio et assensu Romanorum et Alamanie principum exercitum validum congregandum adversus illum conclusit, et ad executionem celerem duas dietas servandas ordinavit, unam videlicet in dominica Invocavit in civitate Nurembergensi, aliam in dominica Iudica in Passione Dñi in curia Imperiali, ad quas Beatitudo vestra nos hortatur et invitat oratores nostros missuros etc. Equum quidem et iustum censemus, Bme Pater, non plus ceteris vestre S. hortationibus, que nobis mandata semper esse debent, parere et studiosissime obedire debere, quanto pre ceteris habundantius misericordiam et clementiam Beatitudinis vestre in nos paternaliter cognoverimus effusas. Nam unde nobis, quod tanta clementia S. vestra nobis tam pie tamque paterne providit, Reverendissimum videlicet patrem et dñum dñum Hieronimum Archiepiscopum Cretensem, et venerabilem dominum doctorem sacre theologie magistrum Franciscum de Toleto archidiaconum in ecclesia Hispalensi de Astigia, oratores et nuncios dignissimos nobis mittens, pacem optatam et vere felicem inter Serenissimum principem et dominum Bohemie Regem dominum nostrum gratiosissimum, et nos maxima eorum prudentia, sollicitudine magna et multis laboribus die noctuque fatigati procurantes, que adeo elongata a nobis fuit, ut nemo viventium, nisi vestra Beatitudo eam nobis restituisset. Et utinam prefatis dominis oratoribus coram Sanctitate vestra condignas gratiarum actiones referre, et eos laudum preconiis, quibus benemeriti sunt, extollere possemus: nam preter meritum Dei, sancte Sedis

apostolice et Sanctitatis vestre gratiam, benedictionem et eternam recommendationem meruerunt; salvi enim studio eorum infiniti homines manserunt, qui alias miserabili nece in bello hoc gravissimo periissent. Quidnam pro istis retribuemus Sanctitati vestre? et eisdem dignissimis dominis oratoribus? Vere nichil condignum nisi ab omnium retributore retributionem, et pro posse proque tota virili parte nostra quantumcumque etiam extreme possumus subesse mandatis et beneplacitis, et ad tam sanctissimum opus pro fide et nomine Christi, pro quibus bellare atque mori nobis gaudium est, consilio et opere adesse, et ad prefatas dietas ad vota Sanctitatis vestre oratores nostros mittere statuimus. Attamen prius voluimus prefatum Serenissimum dominum nostrum Regem Boemie desuper consulere, cuius Serenitas, uti non ambigimus, aliud non suadebit, neque mandabit, quam parere et obedire in his et omnibus tanquam universali patri, pastori et domino nostro, cui persone nostre, omnia bona nostra, oblate sint tanquam proprie et peculiares, nichilominus humillime atque devotissime supplicantes, quatenus Sanctitas vestra initiatam clementiam in nobis suis obedientissimis servitoribus continuare, dirigere, conservare et providere dignetur, ut in ovili et pastorali cura Sanctitatis vestre uti veri catholici recommissi maneamus: quam Altissimus sue ecclesie sancte longe preferat et singularissime nobis in consolamen diutine, felicissime, in cunctis prospere custodiat, et ab omnibus tueatur adversis. Datum Wratislavie die Mercurii sexta mensis Februarii Anno domini M.CCCC.LX.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humiles servitores
CONSULES ET UNIVERSA COMMUNITAS CIVITATIS WRATISLAVIENSIS.

GEORGIUS dei gratia Bohemie Rex, Moravie Marchio, Lucemburgensis et Slesie dux ac Lusatie Marchio, Notum facimus universis, quod nos animo revolventes primatum Sedis sacrosancte apostolice, excellentiam ecclesie Romane, ac Summi Pontificis ei presidentis sublimitatem, nostram obedientiam, qua prefate sedi et presidenti in ea tenemur, habentes insuper plenam certitudinem ac summam experientiam de constanti, probata et firma fide, magna legalitate, sagaci circumspectione, accurata providentia, solerti et eximia industria magnificorum et nobilium Baronum Procopii de Rabensten Cancellarii nostri, et Zdentronis de Poscupicz magistri monete in Montibus Cuthnis, Consiliariorum, strenui Antonii Marini ac honorabilium Wenceslai de Wrben decani ecclesie sancti Appollinaris Pragensis et Wenceslai de Novaplzna artium liberalium magistrorum, fidelium nostrorum dilectorum, non per errorem aut improvide, sed sano et maturo procerum et fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra scientia, auctoritate Regia, meliori modo, via et iure, quibus fieri possit et debet, facimus constituimus et creamus veros, certos et indubitatos oratores, procuratores, negotiorum nostrorum gestores ac nuntios speciales ad prestandam debitam reverentiam, subiectionem atque obedientiam Sanctissimo in Christo patri et domino dño Pio sancte Romane ecclesie summo pontifici, dño nostro Clementissimo, tanquam vero et certissimo successori Petri, vicario dñi nostri Ihesu Christi, ac sacrosancte Romane et apostolice sedi veluti magistre et domine omnium Orthodoxorum fidelium, more, ritu, ordine et consuetudine, quo ceteri reges Bohemie predecessores nostri eidem Sanctissime sedi summoque pontifici fecerunt, facere debuerant et consueverant, nec non ad alias res tractandas, quas eis in mandato dedimus speciali, Committentes nostris iamdictis oratoribus ac plenam eisdem presentibus tribuentes auctoritatem omnia et singula in hoc negotio obedientie, ceterisque ipsius commissis agendi, gerendi, faciendi, tractandi et concludendi, ac si nos hec eadem in persona nostra propria faceremss, etiam si mandatum exigant speciale. Promittimus igitur bona fide et verbo nostro regio, nos gratum, ratum et acceptum habituros, quicquid in materia obedientie, aliis quoque rebus, quarum a nobis auctoritatem habentes, per sepedictos oratores, legatos et consiliarios nostros actum, tractatum, conclusum ac quomodolibet gestum fuerit in premissis. Presentium sub appensione nostri regalis sigilli testimonio litterarum. Datum Prage die VIII. Ianuarii Anno domini M.CCCC.LXII. Regni nostri Anno Quarto.

Ad mandatum domini Regis in Consilio.

Nos itaque ipsius Serenissimi dñi Regis Bohemie vice et nomine hanc sanctam Sedem et Romanam Ecclesiam in matrem, dominam et Magistram omnium aliarum ecclesiarum et universalis ecclesie fidelium, et vestram Sanctitatem eidem presidentem in verum et indubitatum vicarium Ihesu Christi, successorem Petri ac universalis ecclesia dominum et pastorem cognoscimus, venerati sumus, nuncque veneramur atque colimus, idemque caput inclinamus, obedientiam et reverentiam ut summo Pontifici uni-

versali domino prestamus ac exhibemus, ipsius precepta reverenter suscipere ac eis obsequi devote pollicemur et promittimus.

Ex libro membr. diversor. memorabilium pontificat. Pii PP. II. an. II. Arm. IV. Caps. III. fol. 1—14. et 33.

CLXIX.

Episcopo Cracoviensi, ut Simonem monachum suae dioecesis a quodam casu absolvere possit.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Solet sedis apostolice clementia recurrentium ad eam cum humilitate etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Simonis Iacobi monachi monasterii Sancte Crucis Calvimontis ordinis S. Benedicti Cracoviensis diocesis peticio continebat, quod cum ipse olim scolaris in habitu seculari ac in quartodecimo vel circa sue etatis anno constitutus existens, ad puteum quendam in medio civitatis situm pro sua necessitate accessisset, ac laicus quidam ab eodem puteo eundem Simonem reprimere baculoque eum fugare et percutere disposuisset, prefatusque Simon ante laicum aliquantulum fugisset, nec idem laicus desisteret, Simon ipse conversus accepto lapide in eundem laicum iam recedentem, non cum proposito eundem vel alium occidendi, sed dumtaxat prefatum laicum, ne eum ulterius insequeretur, fugando proiecerit, evenit casualiter, quod mulier quedam, prefato Simoni omnino ignota, ad ictum lapidis subito et improviso occurrens, illo aliqualiter percussa extitit, quam postea ex relatu cuiusdam parvi scolaris ibidem per civitatem mendicantis audivit Simon ipse fuisse pregnantem, non tamen scivit, nec scire potuit, an mulier illa abortum vel aliquid exinde passa fuisset, ex quo mox, audita relatione dicti scolaris, de civitate illa discessit: deinde prefatus Simon de premissis dubitans, et in religione ad peragendum penitentiam altissimo famulari cupiens, super hoc auctoritate Concilii Basiliensis ad minores acolitatus ordines iam promotus, ante sacrorum ordinum susceptionem secum dispensari in foro conscientie obtinuit, cuius dispensationis obtentu se promoveri fecit, et ipso promoto missas et alia divina officia annis multis maxima cum devotione celebravit. Deinde prefatus Simon de iuribus huiusmodi dispensationis dubitans, ad felicis recordationis Calistum III. predecessorem nostrum recursum habuit, ut super premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaretur, tacito quod secum auctoritate prefati Concilii dispensatum fuerat, et acolitatus ordinem nondum dicta dispensatione obtenta susceperat: qui quidem predecessor pii patris morem gerens, cum eodem Simone, citra tamen altaris ministerium sola signatura dispensavit, prout in illa plenius continetur: successive vero Simon ipse, cum ad suum rediret monasterium, consilio cuiusdam doctoris tam sacre theologie quam iuris canonici et sui abbatis, nec non adhuc confisus de dispensatione per eum ab eodem Concilio obtenta, per quod secum etiam in altaris ministerio dispensatum fuerat, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, sed bona fide celebravit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Simon propterea dubitet aliquam irregularitatis et infamie maculam sive notam contraxisse, pro parte dicti Simonis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum a premissis et quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis absolvere, et secum super irregularitate quacunque per eum premissorum occasione vel alias quomodolibet contracta, ac quod etiam in altaris ministerio ministrare pro serenitate conscientie sue possit et valeat, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione vel alias quomodolibet contractam abolere, ac alias sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui illius vices gerimus in terris, cuius proprium est misereri semper et parcere, de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi premissa vera esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, eidem Simoni, prout tibi videbitur, eadem auctoritate provideas, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Mantue Anno MCCCCLVIIII. sexto Idus Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VI. fol. 310.

CLXX.

Iodoco episcopo Osiliensi, ut in suae ecclesiae intrusum eiusque complices rigore canonum procedat.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Iodoco Episcopo Osiliensi, salutem etc. Etsi quibuslibet personis ecclesiasticis ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio oportune defensionis

presidio assistere teneamur, prestancius tamen nos invigilare convenit, ut cathedralium ecclesiarum Antistites, qui in partem sollicitudinis pastoralis evocati, nobiscum officii nostri onera partiuntur, in suis iuribus conserventur, et que contra eos perversorum malignitate indebite attemptata fore conspicimus, congrue provisionis remedio succidantur. Dudum siquidem bone memorie Ludulpho Episcopo Osiliensi regimini Osiliensis ecclesie presidente, felicis recordationis Calistus papa III. predecessor noster cupiens eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni sue specialiter reservavit, decernens extunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque quavis auctcritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero predicta ecclesia per obitum eiusdem Ludolphi Episcopi, qui extra Romanam Curiam nature debitum persolvit, vacante, idem Calistus predecessor de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, eidem ecclesie Osiliensi de persona tua duxit auctoritate apostolica providendum, preficiendo te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, omnesque et singulas electiones et postulationes de quibusvis aliis personis ad predictam ecclesiam sic vacantem de facto forsitan factas, et inde secuta cassa et irrita, prout erant, fuisse et esse eadem auctoritate declaravit, ferendas per te sentencias, censuras et penas in subditos et rebelles etiam approbando. Et deinde nos, qui predicto predecessore, sicut domino placuit, rebus humanis exempto, fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, postquam nonnullos nuncios, oratores, advocatos, procuratores ac fautores dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli ecclesie Osiliensis postulantes electionem et provisionem de persona tua factas retractari, et quandam contra reservationem et decretum predicta factam electionem de persona Iohannis Vatelkane, qui se gerebat pro electo, tanquam canonicam admitti et confirmari in consistorio nostro et extra, ac ad partem, quotiens opus fuit, audiveramus, licet peticiones ipsorum rationi et equitati minime convenirent, volentes tamen denegate iusticie amputare querelam, causam inter te et Iohannem predictos super iuribus asserte electionis predicte dilecto filio nostro Guillelmo tituli S. Martini in Montibus presbitero Cardinali, ad ipsius Iohannis instantiam, audiendam commisimus et fine debito terminandam: qui auditis hinc inde productis et allegatis, cognitisque cause meritis et iuribus utriusque partis mature discussis, postquam facto desuper processu, demum nobis super premissis omnibus in consistorio nostro relationem fecerat ex more fidelem: Nos premissis omnibus ac aliis circumstantiis universis, que circa ea fuerant attendende, diligenter consideratis, in prefato consistorio de ipsorum fratrum consilio provisionem et prefectionem de persona tua memorate ecclesie, ut premittitur, factas, eadem auctoritate, exigente iusticia, approbavimus et confirmavimus, et prefato Iohanni super regimine dicte ecclesie perpetuum silentium imposuimus cum certa tunc adiectione penarum, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut fidedignorum nuper relatione accepimus, licet Capitulum, Canonici, vassalli et nonnulli subditi te ad ipsius ecclesie possessionem admiserint et receperint, tibique in personam procuratoris tui obedientiam, fidelitatem, consueta iuramenta ac homagia debita prestiterint, dicte ecclesie possessionem pro magna parte assignaverint, tamen prefatus Iohannes ab eisdem provisione, approbatione, confirmatione et silentii impositione temere et de facto duxerit appellandum, ac in reprobum sensum datus certa castra, possessiones et bona eiusdem ecclesie occupare presumpserit, ac nonnullorum ipsius in ea parte complicium presidio fretus et assistentia te parte possessionis tibi tradite spoliaverit, predisque, incendiis et homicidiis subditos ecclesie predicte invaserit, atque in nos et sedem apostolicam verba maledica et blasphemias proferre non erubuerit, in ferro et ignibus dictam ecclesiam et eius bona devastando, nobilibus quoque et vassallis tibi, ut premittitur, fidelitatis iuramento astrictis, minime resistentibus temerariis ausibus antedictis: Nos attendentes parum esse iura sancire, nisi sit, qui eadem tueatur, et quos in ipsis nostris litteris deputavimus iudices, ad illarum executionem omnimodam minime processisse, ac propterea necnon ex tollerancia et impunitate incendiorum, predarum, homicidiorum, blasphemie et aliorum malorum ac scandalorum huiusmodi Iohannem predictum magis ac magis insanire in dies, in nostrum et sedis predicte vilipendium et contemptum, ac tuum et dicte ecclesie Osiliensis preiudicium, dampnum pariter et iacturam, perniciosumque exemplum et scandalum plurimorum, ac volentes super hiis de oportuno remedio providere, motu proprio appellationem per ipsum Iohannem interpositam huiusmodi, ut prefertur, nullam et invalidam fuisse et esse auctoritate prefata ex certa sciencia declarantes, ac ipsam pro infecta et inefficaci haberi decernentes, et per eam dictum Iohannem nullatenus se protegere aut quovis colore causam contra te agere, vel te, ecclesiam et bona predicta inquietare, invadere aut detinere posse

decernentes, fraternitati tue presentium tenore committimus et mandamus, quatenus predictum Iohannem Vatelkane intrusum et quoscunque alios Canonicos, vassallos et subditos predictos et eorum complices, adherentes ac assistentes et alios tibi fidelitatis iuramento astrictos, qui prefata incendia, homicidia ac predas fieri permittunt, nec illos pro posse propulsant, Contradictores quoque ac eis in premissis auxilium prestantes et impedientes, quominus ecclesiam tuam Osiliensem predictam pacifice assequaris, per edicta publica locis affigenda publicis partibus illis vicinis, de quibus verisimilis sit coniectura, quod ad noticiam monitorum huiusmodi pervenire valeant, quod infra certum peremptorium terminum competentem eis et eorum cuilibet prefigendum, idem Iohannes ab intrusione, detentione et rebellione, Capitulum vero et nonnulli Canonici ac vassalli et subditi eidem adherentes et assistentes ab adhesione et assistentia huiusmodi penitus desistant, permittentes preterea et non propulsantes, ut ecclesiam Osiliensem, illius subditos et bona pro viribus tueantur atque defendant, et pro posse violencias huiusmodi propulsent, tibique pro fidelitate prestitorum iuramentorum adhereant et assistant, Contradictores quoque, auxilium dantes et impedientes huiusmodi a contradictione, auxilio et impedimentis predictis penitus et omnino resipiscant, tibique, prout ad quemlibet spectare videtur, possessionem plenariam dicte tue ecclesie cum suis castris, bonis, rebus et pertinenciis tradant, realiter assignent atque restituant, nec non fidelitatem, obedienciam et reverenciam prestent sub penis et censuris ecclesiasticis, ac privatione beneficiorum, dignitatum, officiorum et feudorum, que obtinent, nec non inabilitate ad illa ac quecunque alia obtinenda, ac mille marcharum argenti expeditioni contra Turchum applicandarum et aliis, de quibus tibi videbitur, penis, quas contrafacientes incurrere volumus ipso facto, cites et moneas, seu moneri et citari facias et procures: et nichilominus si predicti citati et moniti infra terminum huiusmodi premissa adimplere neglexerint aut recusaverint, extunc elapso huiusmodi termino, prefatos citatos et monitos huiusmodi penas incidisse declares, eosque beneficiis, officiis et feudis quibuscunque, que tenent, prives, illaque aliis personis conferenda provisioni nostre reserves, sentencias quoque et censuras aggraves et reaggraves, quotiens tibi visum fuerit expedire, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: super quibus omnibus et singulis exequendis auctoritate apostolica tenore presentium tibi concedimus plenariam potestatem; nostre tamen intentionis existit, quod per premissa predictorum executorum factis et faciendis forsitan processibus in aliquo nullatenus derogetur. Preterea volumus et auctoritate prefata decernimus, quod monitiones per edicta huiusmodi facienda et habendi eorum occasione processus proinde dictos monitos arctent, ac si eis et eorum cuilibet intimate et insinuate personaliter ac presentialiter extitissent, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri, illis presertim quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, ac de duabus dietis in concilio generali et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus tam de iudicibus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alias editis, que possent in hac parte tue iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, Seu si Iohanni Vatelkane prefato et quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIII. Pridie Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VII. fol. 296.

CLXXI.

Eidem, ut complices eiusdem Ioannis intrusi ad cor reversos a censuris ecclesiasticis absolvere possit.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Iodoco Episcopo Osiliensi, salutem etc. Pium Regis misericordis opus exequi non ambigimus, si rigorem mansuetudine temperemus et lapsis exhibeamus veniam post excessum. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli ex Canonicis ecclesie tue Osiliensis ipsiusque vassallis et subditis non attendentes, ex quadam invalida electione dudum de persona Iohannis Vatelkane per dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum eiusdem ecclesie contra apostolica reservationem et decretum facta, et per nos demum cassata et irritata nullum ius eidem Iohanni in regimine dicte ec-

clesie vel ad illud fuisse quesitum, ac de persona tua eidem ecclesie vacanti per felicis recordationis Calistum papam III. predecessorem nostrum de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio provisum fuisse, et demum eodem predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, provisionem et prefectionem de eadem persona tua eidem Osiliensi ecclesie, ut premittitur, factas ratas habuisse et gratas, prout illas ad habundantem cautelam de novo ratificamus et approbamus, iuramentum fidelitatis eidem Iohanni, qui ausu sacrilego se in regimine dicte ecclesie ingerere presumpsit et de facto se intrusit, prestiterint in animarum suarum periculum, ac tuum et eiusdem ecclesie non modicum detrimentum: Nos volentes illa tibi concedere, per que tam illorum, quam aliorum, qui forsan excommunicationis, suspensionis et interdicti vel alias censuras et penas ecclesiasticas per te vel alios premissorum occasione inflictas hactenus, vel imposterum promulgandas, et eorum exigente inobedientia infligendas (incurrerint), si a ceptis resipuerint, animarum saluti valeas providere, fraternitati tue auctoritate apostolica omnibus et singulis eiusdem ecclesie Canonicis, subditis et vassallis iuramentum huiusmodi fidelitatis, si illud prestiterint, ut prefertur, relaxandi et dimittendi, eosque ad illius observanciam non teneri decernendi et declarandi, ac predictos omnes vel illos ex eis, quos huiusmodi sentencias, censuras et penas propter premissa tibi incurrisse constiterit, si hoc humiliter petierint, ab excommunicationis et aliis sentenciis et penis predictis hac vice dumtaxat absolvendi in forma ecclesie consueta, iniunctis eorum singulis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et cum eisdem Canonicis super irregularitate premissorum forsan occasione contracta, dummodo id in contemptum clavium non fecerint, eis tamen prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, dispensandi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIII. Pridie Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VII. fol. 297.

CLXXII.

Paulo de Legendorf administratori ecclesiae Varmiensis absolvendi aliquos excommunicatos suae dioecesis licentia conceditur.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Paulo de Legendorff administratori ecclesie Warmiensis in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputato, salutem etc. Ad hoc omnipotens deus in apostolica sede plenitudinem potestatis posuit, ut Romanus pontifex beati Petri celestis clavigeri successor misericordie rigorem exerceat, misericordie mansuetudinem interponat, prout cause rationabiles persuadent et id in domino conspicit salubriter expedire. Sane sicut nobis nuper innotuit, quod in tua diocesi Warmiensi sint quamplures christifideles, etiam temporali dominio tibi subiecti, qui certe lige seu confederationi facte in terris Prussie adheserunt, seu de liga huiusmodi fuerunt, et propterea excommunicationis aliisque sentenciis, censuris et penis in eos per felicis recordationis Nicolaum papam V. predecessorem nostrum, qui ligam ipsam penitus irritavit, ac suarum et etiam pie memorie Calisti pape III. etiam predecessoris nostri, necnon illarum confirmatoriarum a nobis in forma brevis emanatarum litterarum ac processuum desuper habitorum, quorum omnium tenores atque formas, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, [plenius continetur,] vigore latis innodati, aggravati et reaggravati existunt, et in eis per plures annos insorduerunt: nos saluti animarum dictorum subditorum providere volentes, tibi, qui in sacerdotio constitutus, necnon notarius et scriptor et familiaris noster existis, et de cuius circumspectione in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, omnes et singulos tuos subditos, tam ecclesiasticos quam seculares, ac alios in dicta tua diocesi existentes, et domicilium eorum foventes, qui huiusmodi sententiis innodati existunt, si hoc humiliter petierint, ac ad tuam et pristinam superiorum suorum obedientiam redierint, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti et aliis ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis in eos, ut premittitur, latis et promulgatis, etiam si de illis specialis et expressa mentio habenda foret, auctoritate nostra hac vice dumtaxat in forma ecclesie consueta absolvendi, iniunctis eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ipsosque in pristinum et integrum statum reponendi, reintegrandi et restituendi ac ecclesie reconciliandi, et interdictum ubicumque in Civitate et diocesi Warmiensi premissorum occasione positum, cuius occasione scandala subsequi posse cognoveris, penitus relaxandi, necnon cum presbiteris, si qui missas et alia divina officia coram predictis excommunicatis celebraverint, super irregularitate, quam propterea contraxerunt, di-

spensandi, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eos premissorum occasione contractam penitus abolendi, et quod illa, que possident, retinere, alia vero ecclesiastica beneficia quecunque, si sibi alias canonice conferantur, recipere et retinere libere et licite valeant, concedendi, omniaque alia et singula, que pro salute animarum dictorum tuorum subditorum, et aliorum quorumcunque in dicta tua diocesi commorantium et ad tuam, ut prefertur, obedienciam redeuntium in premissis, et circa ea necessaria noveris, vel alias quomodolibet oportuna faciendi, disponendi et exequendi plenam et liberam facultatem, qua etiam per alium vel alios ad hoc ydoneum seu ydoneos per te deputandum seu deputandos uti valeas, concedimus per presentes, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque etc. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIIII. Quarto Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VI. fol. 321.

CLXXIII.

Capitulo Gnesnensi quaedam ordinationes circa duos magistros decretorum et theologiae legentium in dicto capitulo confirmantur.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito ministerii pastoralis, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, ad ea, per que venustati et decori ecclesiarum earundem precipue cathedralium, ac in illis divinis laudibus deditarum personarum eruditioni atque profectibus cum divini cultus propagatione consulitur, libenter intendimus, et hiis, que propterea processisse comperimus, ut perpetuo illibata persistant, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenio pape IIII. predecessori nostro pro parte bone memorie Alberti Archiepiscopi, ac dilectorum filiorum Capituli Gneznensis exposito, quod olim Archiepiscopus prefatus venustati et statui dicte ecclesie Gneznensis ac illius personarum utilitati intendens, pro Magistro in Theologia unam et doctore in decretis sub certa forma pro tempore assumendis aliam ipsius ecclesie prebendas, illarum canonicatus extinguendo, quorum quilibet iuxta generalis concilii decretum, Magister videlicet in Theologia et doctor predicti in iure canonico, horis congruentibus in prefata ecclesia seu lectorio ad hoc pro tempore deputato duas vel tres lectiones in qualibet ebdomada legere, ac pro salute animarum penitentiariis dicte ecclesie et aliis, necnon ad profectum eiusdem ecclesie consulere tenerentur, reservaverat et deputaverat: idem predecessor nonnulla tam super reservatione et deputatione predictis, quam super nonnullis aliis utilibus rebus edita statuta et ordinationes salubria, in quodam instrumento desuper confecto Alberti Archiepiscopi et Capituli predictorum maioribus sigillis munito contenta, et inde secuta rata habens et grata, ea omnia auctoritate apostolica per alias suas litteras cum ipsius instrumenti insertione ex certa scientia confirmavit, ac sui scripti patrocinio communivit, supplendo omnes defectus, si qui intervenissent in eisdem. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Gneznensis, et Capituli predictorum petitio continebat, ipsi provide attendentes, quod difficile nimium esset repperire doctores, qui ita ad nutum Archiepiscopi possent a prefata ecclesia amoveri, ne tam proficui et laudabilis operis fructus, qui ex premissis provenire speratur, inutiliter perderetur, statuerunt et ordinarunt dictorum duorum ad lecturam huiusmodi assumendorum unum in iure canonico licenciatum, et reliquum Baccallarium in eadem Theologia formatum existere posse, ac dictos doctores aut unum licentiatum in iure canonico et Baccallarium formatum in Theologia, qui tunc erant et pro tempore essent, ipsius ecclesie esse canonicos, necnon omnibus et singulis gaudere honoribus, emolumentis et fructibus, quibus alii canonici dicte ecclesie gaudent et gaudere possunt de consuetudine vel de iure, quodque doctores sive licentiatus et Baccallarius formatus predicti legere et alia facere teneantur et debeant, prout alias in eisdem statutis et instrumento fuerat ordinatum, ita tamen, quod si eorum aliquis ex sui defectu et culpa ea, ad que teneretur, per mensem continuum legitime monitus non servaret, dictis canonicatu et prebenda eo ipso privatus existeret, illique tanquam vacantes per Archiepiscopum prefatum, et in illius absentia per vicarium in spiritualibus generalem, sive Archiepiscopali sede vacante, per administratorem Capituli unacum eisdem Capitulo aut maiori parte ipsorum conferri possent, quodque dicti canonicatus et prebenda ullo unquam tempore sub gratiis expectativis aut reservationibus, unionibus sive alia quavis apostolica concessione vel gratia cadere aut comprehendi non possent, quemadmodum, cum manuales prebende essent, hactenus fuerat observatum, ita etiam, quod doctores sive licenciatus et Baccallarius formatus predictas duas vel tres lectiones qualibet ebdomada legere et pro salute animarum penitentiariis dicte ecclesie

et aliis consulere, ac verbum dei dominicis festivisque diebus populo, et synodis in ipsa ecclesia celebrandis ad Clerum, prout in alio et publico instrumento super posterioribus statuto et ordinatione continetur, nunciare tenerentur: quorum quidem posteriorum statutorum et ordinationum vigore Iohannes Archiepiscopus et Capitulum prefati ad Canonicatum et prebendam Theologicalem tunc vacantes dilectum filium Albertum de Opathow, Baccallarium in Theologia et in medicina Magistrum elegerunt et nominarunt, illosque sibi auctoritate ordinaria contulerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, statuta et ordinationes posterius edita huiusmodi ad maius divini cultus augmentum cedere dinoscantur, pro parte Iohannis Archiepiscopi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis et ordinationibus posterius et aliis in instrumento desuper confecto predictis contentis et inde secutis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pro ecclesiarum omnium precipue insignium et metropolis honore fulgentium incrementis, necnon ecclesiarum et aliarum nobis et apostolice sedi devotarum personarum profectibus et animarum salute partes nostri ministerii efficaciter adhibere curamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta et ordinationes ultimo edita, et prout illa contingunt, in dicto instrumento super eisdem confecto contenta, et inde secuta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes nichilominus ac presenti constitutione perpetuo valitura decernentes, quod nullus, cuiuscunque status, gradus vel conditionis fuerit, per quascunque apostolicas aut sedis vel legatorum eius litteras sub quavis forma vel expressione verborum, datis etiam desuper executoribus, confectas, sive vigore vel pretextu earum, etiam quascunque clausulas derogatorias continentium, sive desuper habitorum processuum pro tempore, etiam si de illis omnibus eorumque totis tenoribus specialis et expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, aliquam vel aliquod ex reservatis duabus prebendis prefatis inantea vacaturam acceptare, seu de illa post acceptationem huiusmodi per aliquem executorum predictorum, seu ab eis pro tempore deputatorum subexecutorum aut alias provideri facere valeat sive possit quoquomodo, decernentes eadem auctoritate prebendas reservatas huiusmodi ac quamlibet ipsarum iuxta continentiam atque formam posterioris instrumenti facti auctoritate ordinaria libere et licite conferri, ac de illis provideri et disponi posse in omnibus et per omnia, ac si apostolice sive sedis vel legatorum predictorum littere seu reservationes nullatenus emanassent, nec fierent tempore procedente, omnes quoque et singulos processus huiusmodi ac in eis contentas pro tempore excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias, aliasque ecclesiasticas penas et censuras, necnon totum id et quicquid contra huiusmodi et nostrorum statuti, ordinationis et constitutionis tenorem fieri vel attemptari contigerit, nullius subsistere roboris firmitate, et aliis non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostrorum confirmationis, communitionis, statuti, constitutionis et decreti infringere. Si quis autem etc. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIIII. Tertio Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia Tom. VIII. fol. 25.

CLXXIV.

Christifidelibus ecclesiam S. Andreae et S. Mariae Magdalenae Wratislav. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante tronum divine maiestatis fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis, ad eorum colenda festiva solemnia eo debent ferventius incitari, quo talium patronorum fulciti presidiis potiora glorie retributionis premia valeant promereri: unde nos more pastoris vigilis oves cure nostre commissas, quas cupimus in loco pascue collocari, ad eorundem sanctorum tradimus libenter obsequia, ut illos in conspectu domini devota veneratione collaudent. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia Sanctorum Andree et Mariemagdalene Wratislaviensis congruis honoribus frequentetur, ac in structuris suis pariter et edificiis honorifice conservetur, et ut Christifideles devotionis causa eo libentius confluant ad eandem, et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem celestis dono gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui in eorundem Sanctorum Andree et Mariemagdalene prefate ecclesie patronorum festivitatibus sive diebus eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad conservationem et manutentionem hedificiorum et

structurarum ipsius ecclesie, necnon ornamentorum ecclesiasticorum acquisitionem manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, seu alias inibi pias elemosinas erogaverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si visitantibus dictam ecclesiam, aut ad eius conservationem vel manutentionem seu ornamentorum ecclesiasticorum acquisitionem manus porrigentibus adiutrices, vel inibi pias elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Quarto Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. XXXVII. fol. 262.

CLXXV.

Iisdem ecclesiam hospitalis S. Spiritus Gedanensis Vladislaviensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is etc. Cupientes igitur, ut ecclesia hospitalis sancti Spiritus intra muros opidi Danczk Wladislaviensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac in structuris suis pariter et edificiis honorifice conservetur, et ut Christifideles devotionis causa eo libentius confluant ad eandem, et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem celestis dono gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui in exaltationis et inventionis sancte Crucis festivitatibus sive diebus eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad conservationem huiusmodi, necnon pauperum Christi in ipso hospitali degentium sustentationem manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, seu alias inibi pias elemosinas erogaverint, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si visitantibus dictam ecclesiam, aut ad conservationem huiusmodi seu pauperum Christi inibi degentium sustentationem manus porrigentibus adiutrices, vel alias inibi pias elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, predicte littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLX. Quarto Nonas Decembris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Lib. VII. Tom. XXXII. fol. 82.

CLXXVI.

Capitulo Cracoviensi Iacobum de Senno ecclesiae Cracoviensi in episcopum praefectum pontifex annuntiat.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Licet supervenientium continua negociorum instantia nos, qui altissimo disponente universalis ecclesie regimini quamquam insufficientibus meritis presidemus, iugiter pulset, et solicitudo frequenter ecclesiarum omnium nostris incumbens humeris, ut gubernatorum utilium fulciantur presidiis, quotidiana meditatio tanto amplius nos perurget, quanto ad id sumus specialius et principalius obligati. Dudum siquidem, cum bone memorie Thomas Epus Cracoviensis regimini Cracoviensis ecclesie, cui, dum adhuc in humanis ageret, presidebat, ex certis rationabilibus causis ad id animum suum moventibus sponte cedere proponeret, ac certis per eum procuratoribus ad hoc specialiter constitutis, nobis humiliter supplicari fecisset, ut cessionem eandem admittere dignaremur, Nosque votis ipsius Thome Episcopi in ea parte annuere cupientes, cessionis causam huiusmodi dilecto filio nostro Bernardo tituli sancte Sabine presbitero Cardinali discutiendam, et nobis in Consistorio nostro secreto, ut moris est, referendam commisissemus: idem Thomas Episcopus, sicut domino placuit, extra Romanam Curiam debitum nature persolvit. Cum itaque dicta ecclesia vacavisset et vacaret tunc, Nos attendentes, quod cum omnium ecclesiarum precipue Cathedralium plenaria dispositio ad Romanum pontificem, in quo potestatis plenitudo consistit, pleno iure pertineat, ipseque in similibus provisionibus quoscunque alios singularis prerogativa potestatis valeat prevenire, ac pro eo, quod nos de ipsius ecclesie provisione duxeramus, ut premittitur, ordinandum, etiam nullus de illa se intromittere poterat vel debebat, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, et cessione predicta ex die commissionis eidem Cardinali, ut prefertur, facta, etiam ad habundantem cautelam pro admissa habentes, necnon inchoatam provisionem ipsius ecclesie

celerem et felicem, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, pronis et solicitis studiis prosequentes, hodie de persona dilecti filii Iacobi de Senno Electi Cracoviensis, tunc notarii nostri, nobis ac Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus ob suorum exigenciam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio duximus providendum, preficiendo ipsum Iacobum eidem ecclesie vestre in Episcopum et pastorem, iura, regimen et administrationem eiusdem ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in litteris desuper conficiendis plenius videbitis contineri, ac sperantes, quod per eius circumspectionem providam et providenciam circumspectam, superni sibi favoris assistente presidio, vestra ecclesia a noxiis preservatur, regetur utiliter et prospere dirigetur, atque grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni vestre auctoritate prefata tenore presencium districtius inhibemus, ne de ipsius ecclesie provisione per electionem, postulationem, nominationem aut quemvis alium modum directe vel indirecte quoquomodo vos intromittere presumatis, decernentes exnunc omnes et singulas provisiones, electiones, postulationes et alia, que contra presentem inhibitionem huiusmodi forsan contingeret attemptari, et quecumque inde secuta nullius efficacie, valoris vel momenti, atque alias, prout est, irritum et inane quicquid in contrarium super hiis per vos vel quoscunque alios quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicte ecclesie, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis etc. infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. Anno mccccLx. octavo Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. XXXVI. fol. 379.

CLXXVII.

Civibus Vratislaviensibus, ut confessorem sibi eligere possint, qui eos a excessibus in controversiis cum Georgio rege Bohemiae commissis, adiectis quibusdam penitentiis, absolvat.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Capitaneis et Proconsulibus ac Consulibus Civitatis Wratislaviensis, sal. etc. Devotionis vestre sinceritas promeretur, ut votis vestris, in hiis presertim, que ad animarum vestrarum salutem spectant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod vestris devotis supplicationibus inclinati, ut vos et illi, qui tempore pacis pridem inter Carissimum in Christo filium nostrum modernum Regem Boemie et Communitatem dicte civitatis facte, Capitanei, Proconsules et Consules dicte civitatis existebant, necnon successores vestri in ipsis officiis vos immediate sequentes, sacerdotem ydoneum secularem vel regularem in vestrum et ipsorum possitis et possint eligere confessorem, qui confessione vestra et eorum diligenter audita, pro commissis per vos et ipsos criminibus, excessibus et peccatis, etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, semel dumtaxat debitam vobis et ipsis absolutionem in forma ecclesie consueta impendere, et penitentiam salutarem iniungere, necnon confessor predictus vel alius, quem duxeritis et duxerint eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis et fuerint, etiam semel dumtaxat in mortis articulo plenariam remissionem vobis et ipsis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestre et ipsorum tenore presentium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis et ipsis per vos et eos, si supervixeritis et supervixerint, vel per alios, si forte tunc transieritis et transierint, faciendam iniungat, quam vos et ipsi vel illi facere teneamini et teneantur, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam sitis et sint, aut reddamini et reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos pontifices, aut in ipsorum mandatorum contemptum seu in apostolice sedis vel ecclesiastice libertatis offensam aliqua commiseritis et commiserint, aut ex confidentia remissionis huiusmodi alia forte committeretis et committerent, quo ad illa predicta remissio vobis et illis nullatenus suffragetur. Quodque per unum annum a tempore, quo presens nostra concessio ad vestram et illorum pervenerit noticiam, computandum singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunetis et ieiunent: et si predictis feriis ex precepto ecclesie, regulari observantia, iniuncta penitentia, voto vel alias ieiunari teneamini et teneantur, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut premittitur, non sitis et sint astricti, ieiunetis et ieiunent, et si in dicto anno vel aliqua eius parte essetis et essent legitime

impediti, anno sequenti vel alias, quam primum poteritis et poterint, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneamini et teneantur. Porro si forsan alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte quomodocunque adimplere commode nequiveritis et nequiverint, eo casu confessor predictus ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum vestrarum et ipsorum saluti viderit expedire, que vos et ipsi pari modo debeatis et debeant adimplere: alioquin presens nostra concessio, quo ad plenam remissionem huiusmodi dumtaxat nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXI. Quarto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. XXXVII. fol. 261.

CLXXVIII.

Pontifex electionem Iacobi episcopi Cracoviensis validam declarat, et animadvertit censuris ecclesiasticis in omnes, qui eandem impugnare audent.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Gregis dominici nostre custodie divina dispositione commissi vigilem curam sollicitamque gerentes, summi pastoris inherendo vestigiis, nostre sollicitudinis (studium) adhibemus, ut ovibus eius commoda pacis adveniant, et errantes, relicto precipiti tenebrarum devio, ad semitas iusticie redeant, per quas gradientes vitam consequantur eternam. Circa illos vero, qui dei timore postposito, ac sedis apostolice ac nostra reverentia prorsus abiecta, calcitrare contra stimulum non verentur, tanquam in se suscipiunt audaciam, ut etiam secularis potestatis extensa manu prelatos per nos ad regimina ecclesiarum in partem nostre sollicitudinis assumptos, eorumque iurisdictionem perturbare moliantur, viam veritatis amplectimur, quia si vox, oculus aut pes sive dextra scandalizaverit manus, a compage corporis precidi mandatur, cum melius sit his membris carere in seculo, quam cum illis in eterna supplicia intrare. Dudum siquidem bone memorie Thoma olim Episcopo Cracoviensi regimini ecclesie Cracoviensis presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attemptari: et deinde ecclesia predicta per obitum eiusdem Thome Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, de persona dilecti filii Iacobi Electi Cracoviensis, tunc Prepositi eiusdem ecclesie Cracoviensis, notarii nostri, ob suorum exigentiam meritorum nobis et fratribus nostris accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesie sic vacanti providimus, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut ad nostrum pervenit auditum, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie post et contra reservationem et decretum huiusmodi temere venientes, et votis eorum in diversa diversis, quidam ex eis Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Wladislaviensem postulaverunt, et aliqui illorum dilectum filium Iohannem de Bizese (Brzezie) Archidiaconum Gneznensem in Epum Cracoviensem elegerunt, ac etiam prefati Capitulum dilectum filium Iohannem de Puyow Archidiaconum Cracoviensem in eiusdem ecclesie Cracoviensis administratorem deputarunt, quamvis nulliter et de facto: Nos intendentes, quod provisio et prefectio per nos de consilio fratrum nostrorum facte huiusmodi, quibusvis sublatis dispendiis, plenum sortiantur effectum, motu proprio et ex certa scientia postulationem, electionem et deputationem huiusmodi ac processus habitos per eosdem, et inde secuta quecunque irrita, cassa et nulla, prout sunt, reputamus, eaque cassamus, revocamus et annullamus, ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse decernimus et declaramus, et nichilominus Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Gneznensem, necnon eius vicarios et officiales ipsosque Episcopum Wladislaviensem et Iohannem de Bizese, ac Iohannem de Puyow et Capitulum predictos illiusque singulas personas, necnon clerum et populum civitatis Cracoviensis et vassallos, feudatarios, subditos, censuarios, arrendatores, procuratores et debitores bonorum ac iurium, omnesque alias et singulas utriusque sexus ecclesiasticas, etiam regulares, et etiam ordinum quorumcunque, etiam Minorum, Cisterciensis et Carthusiensis, exemptas et non exemptas, etiam laicales personas, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminentie sint, etiam si archiepiscopali, episcopali, magistrali vel pontificali, Ducali, Comitatus aut Marchionatus vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, etiam si apostolice sedis legati, aut nuntii seu officiales existant, necnon capitula, conventus, collegia, communitates ac universitates, aliosque omnes

et singulos, quos presens tangit negotium, in virtute sancte obedientie et sub interminatione divini iudicii et aliis penis, sententiis et censuris inscriptis, quas contumacias eo ipso incurrant, primo, secundo, tertio canonice et peremptorie auctoritate apostolica tenore presentium monemus, eosque requirimus, quatenus infra decem et octo dierum spatium a die notificationis presentium per ipsas quomodocumque habite immediate computandorum, quorum sex pro primo, sex pro secundo, reliquos vero sex pro tertio et peremptorio termino et canonica monitione eis assignamus, Archiepiscopum videlicet, eiusque vicarios et officiales, necnon Decanum et Capitulum, ac Clerum, populum et vassallos, Magistratus ceterosque subditos et alios fideles quoscuuque, ut ipsi omnes et singuli, prout ad eos pertinet, prefatum Iacobum recipiant, habeant et teneant in verum Episcopum Cracoviensem, ipsumque tanquam talem grato honore et debita honorificentia prosequantur, ipsique Decanus et Capitulum, clerus et populus prefatum Iacobum Episcopum Cracoviensem tanquam patrem et pastorem animarum suarum admittant, eique ac suis vicariis et officialibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas, vassalli vero, feudatarii, censuarii et alii suprascripti fidelitatem et consueta servitia ac iura sibi ab eis debita exhibeant, eiusque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et adimpleant cum effectu, faciantque et permittant eundem Iacobum Episcopum, seu procuratorem suum eius nomine plena et pacifica regiminis et administrationis bonorum dicte ecclesie possessione gaudere, fructus quoque, redditus et proventus sue mense episcopalis Cracoviensis sibi integre reddant et restituant, nec non predicti et quicunque alii occupatores, si qui sunt, aut tempore intimationis et affixionis presentium, vel etiam postea fuerint, ut ab occupatione huiusmodi cessent, ac possessionem huiusmodi ecclesie, castrorum, villarum, bonorum, iuriumque et pertinentiarum, fructuum, reddituum et proventuum eiusdem prefato Iacobo seu eius legittimo procuratori vacuam, liberam et expeditam dimittant, seu quilibet eorum dimittat, nec de illa aliquatenus se ulterius intromittant, seu alter eorum intromittat, ymo quevis de huiusmodi fructibus illius perceperint, seu impediverint, quominus idem Iacobus illos perceperit, illi plenarie et integre restituant. Quod si forte Archiepiscopus, vicarii, Iudices, magistratus, Iohannes Episcopus Wladislaviensis, Iohannes de Bizese Gneznensis et Iohannes de Puyow Cracoviensis Archidiaconi, Decanus, Capitulum, persone, clerus, populus et vassalli ac alii supradicti, vel aliquis eorum premissa omnia et singula non adimpleverint, aut neglexerint vel distulerint contumaciter adimplere, seu contra ea, vel aliqui ipsorum per se vel alios fecerint vel venerint quoquomodo, vos contradictores quoslibet et rebelles, eis dantes auxilium, consilium et favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, singulariter singulos, predictorum decem et octo dierum canonica monitione premissa, ex nunc prout extunc excommunicationis et anathematizationis sententia innodamus, Capitulum vero predictum suspendimus a divinis, ac predictam ecclesiam Cracoviensem auctoritate apostolica interdicimus in his scriptis, et si, quod deus avertat, ipsi has tremendas censuras per alios decem dies sustinuerint, nos illos ex nunc aggravantes ac reaggravantes, omnesque cum illis participantes similibus vinculis innodantes, omnes et singulas gratias, privilegia et indulta quecunque eis ab apostolica sede concessa, et presertim habendorum altarium portatilium, necnon audiendorum divinorum tempore interdicti concessiones auctoritate et tenore predictis revocamus, cassamus et irritamus, predictosque omnes et singulos ecclesiasticos in premissis quoquomodo culpabiles, contradictores et rebelles omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis aliisque locis ecclesiasticis secularibus vel regularibus, ac magistratibus, dignitatibus, personatibus, officialatibus et administrationibus, aliisque beneficiis ecclesiasticis quibuscunque, quecunque, quotcunque et qualiacunque ac cuiuscunque etiam ordinis fuerint, que in quibusvis Metropolitanis, cathedralibus et collegiatis ecclesiis, aliisve locis ecclesiasticis secularibus vel regularibus ordinum quoruncunque, laicos vero feudis, emphiteosibus, honoribus, bonis et iuribus, que a quibusvis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis ubilibet consistentibus tenent et recognoscunt, necnon iure patronatus, quod super quevis et ecclesiastica beneficia vel loca tenent, privamus, et ad illa et quecunque alia imposterum obtinenda perpetuo inhabilitamus, dictosque Archiepiscopum, (?) Wladislaviensem, si in his fuerint obstinati, a regimine et administratione ecclesie Gneznensis (?) suspendimus, omnium clavium, ordinis et iurisdictionis potestate eis penitus interdicta, ac civitatem in parte, que dicto Episcopo non obediverit, et diocesim Cracoviensem, necnon omnia alia loca, ad que dicti sic ligati declinaverint, ecclesiastico supponimus interdicto, inibi etiam triduo, postquam inde discesserint, districtissime observando, et demum si predicti a tam damnata mente infra alios decem dies immediate sequentes non resilient, nos attendentes, quod filii superbie tradendi sunt Sathane patri eorum, eis omnibus et singulis ita deum eiusque

vicarium spernentibus, sicuti maledicti fuerunt Dathan et Abyron, quos terra sustinere non potuit, sed vivos absorbuit, ita ut descenderint in infernum viventes, et sicut Iudas Scarioth traditor nostri Redemptoris ad mortem, qui etsi penitens abiit, tamen et suspensus crepuit medius, et possedit agrum dei de mercede iniquitatis, ita in eternum maledicimus, nec non ecclesiam, civitatem et diocesim Cracovienses ab omni metropolitana et principali superioritate, iurisdictione et auctoritate sedis et Archiepiscopi Gneznensis eximimus et liberamus, ac volumus et decernimus esse apostolice sedi immediate subiectam, et preterea omnes et singulos has presentes earumque transumpta a locis, ubi per earum executorem affixa fuerint, tollentes, et alias harum executionem impedientes eisdem sententiis et maledictionibus innodamus, et insuper eosdem contumaces etiam nominatim post decem et octo dies, quos a tempore publicationis presentium in earum authenticam affixionem pro earum plena executione sufficere decernimus, et alias viginti dies predictos, nisi huiusmodi nostris mandatis paruerint, idque notorie publicaverint, et se fecisse certificaverint, ut prefertur, ex nunc prout ex tunc excommunicatos, anathematizatos, suspensos, interdictos, privatos, inhabilitatos, degradatos et maledictos esse et pro talibus haberi, evitari et denuntiari, absque ulla desuper vacatione vel cogitatione declaramus, et nuntiari ac publicari volumus et mandamus, absolutionem, relaxationem et reconciliationem censurarum et penarum predictarum nobis et Romano pontifici pro tempore existenti dumtaxat reservamus, decernentes dictos contumaces auctoritate quarumcunque etiam specialium vel generalium litterarum apostolice sedis, vel legatorum eius concessarum absolvi ac reconciliari non posse, nisi de toto tenore presentium et ipsorum rebellium excessibus specialem ipse littere fecerint de verbo ad verbum mentionem. Ut autem presentes littere nostre ad Archiepiscopi Gneznensis, Iohannis Episcopi Wladislaviensis, Iohannis de Bizese, Iohannis de Puyow, Cracoviensium Archidiaconorum, Decani et Capituli ipsius ecclesie Cracoviensis, nec non omnium et singulorum supranominatorum et aliorum, quorum interest, notitiam deducantur, eas valvis ecclesie Cracoviensis, Cathedralis Sandomiryensis, Kelciensis, Lublinensis ecclesiarum collegiatarum Cracoviensis diocesis affigi volumus, et mandamus, quod earum sonoro preconio contenta in illis publicabunt, mandantes Venerabili fratri nostro Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis Raphaeli de Tarw Canonico, ac nobilibus viris Iohanni Castellano Cracoviensi et Iohanni de Melstin armigero motu simili, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, ipse Iohannes Castellanus Cracoviensis, et Iohannes de Melstin per sustractionem bonorum tam ecclesie quam mense capitularis, etiam patrimonialium singulorumque canonicorum rebellium, et huiusmodi sententias nostras incurrentium per potentiam suam secularem per se, alium seu alios, alii vero iudices sub excommunicationis pena, quam ipso facto, si contrafecerint, incurrant, postquam presentes nostre littere eis aut eorum alteri presentate fuerint, illas et in eis contenta solemniter publicari facere debeant, et eas observent ac faciant inviolabiliter observari, ut ipse Archiepiscopus Gneznensis, Iohannes Episcopus Wladislaviensis, Iohannes de Bizese, Iohannes de Puyow, Archidiaconi, Decanus et Capitulum, nec non alii, quorum interest, quod ad illorum notitiam pervenirent, nullam possint excusationem pretendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quod eis existat incognitum id, quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum motu et auctoritate predictis volumus et decernimus, quod transumpto presentium manu alicuius publici notarii subscripto plena fides in iudicio et extra adhibeatur, sicut presentibus litteris exhiberetur, si fuerint exhibite et ostense. Nulli ergo etc. nostre reputationis, cassationis, revocationis, annullationis, constitutionis, declarationis, monitionis, requisitionis, innodationis, suspensionis, interdicti, aggravationis, reaggravationis, privationis, inhabilitationis, suppositionis, maledictionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, decreti, reservationis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. Quarto Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. XIV. fol. 88.

CLXXIX.

Hospitali et ecclesiae S. Spiritus in civitate Cracoviae omnia privilegia hospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe concessa confirmantur.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis nostri sancti Spiritus in Saxia de Urbe, et membrorum eiusdem ordinis sancti Augustini ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentibus, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immuni-

tates tam a felicis recordationis Bonifacio V., Urbano V., Iohanne XXII., Alexandro VI. (?), Innocentio IIII. (?), Martino V., Eugenio IIII., Nicolao V., Calisto III. Romanis pontificibus, predecessoribus nostris, sive per privilegia vel alias indulgencias vobis et dicto hospitali vestro et membris eiusdem, precipue hospitali et ecclesie sancti Spiritus de Cracovia in Regno Polonie consistenti hactenus concessas, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum inserte fuissent, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et principibus et aliis christifidelibus rationabiliter vobis ac prefato hospitali indultas, sicut ea iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem hospitali et membris eius auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis et communitionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXI. Tertio Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. XXXVII. fol. 269.

CLXXX.

Regi et reginae Poloniae altare portatile, et ut missas ante diem etc. sibi celebrari facere possint, conceditur.

Pius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi et Casissime in Christo filie Elisabet Polonie Regine Illustribus, salutem etc. Piis fidelium votis gratum nos decet prebere assensum, ac ea, que divini cultus augmentum respiciunt, ut debito mancipentur effectui, congruis prosequi gratia et favore. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut reverentia et honore debitis altare habeatis portatile, super quo sine iuris alieni preiudicio in locis ad hoc congruentibus et honestis, ac etiam antequam clarescat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore congruentium id exegerit, necnon si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita, vos vel alterum vestrum declinare contigerit, in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, sed submissa voce in vestra, et etiam familiarium vestrorum domesticorum presentia per proprium vel alium sacerdotem ydoneum, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto, nec eius occasione id vobis vel illis specialiter interdici contigerit, missas et alia divina officia celebrari facere licite valeatis, devotioni vestre tenore presentium indulgemus, Proviso, quod quoad celebrationem, antequam dies elucescat, parce utamini concessione huiusmodi, quia cum in altaris officio dominus noster dei filius immoletur Ihesus Christus, qui candor lucis est eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXI. Quinto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XXXX. fol. 341.

CLXXXI.

Eidem regi Poloniae indulgetur, ut missas etiam post meridiem celebrari sibi facere possit.

Pius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Eximie, qua erga nos et Romanam clarere dinosceris ecclesiam, promeretur devotionis integritas, ut que tuarum salutem anime commoditatemque persone respiciunt, petitiones ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ob varias, quibus plerumque distraheris, occupationes vix ante meridiem missam commode audire nequeas, illam tamen audire die qualibet ferventius exoptes: Nos paterno tibi super hiis providere cupientes affectu, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut quotiens tibi id necessarium vel pro tue conservatione sanitatis ac commodo fore prospexeris, de alicuius tuorum consilio confessorum etiam post huiusmodi meridiem, citra tamen horam vesperorum, in tua et trium vel quatuor dumtaxat tuorum familiarium continuorum conventualium (?) presentia, necnon privatis ac congruentibus et honestis, unde propterea verisimiliter scandala prodire non debeant, locis super altare portatile misse per sacerdotes ydoneos celebrari valeant, tibi et eisdem sacerdotibus auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, Quinto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XXXX. fol. 341.

CLXXXII.

Nicolao Tunȝen canonico Varmiensi de canonicatu et praebenda in ecclesia Vratislaviensi providetur.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Tungen Canonico Warmiensi, scriptori et familiari nostro, salutem etc. Grata familiaritatis et devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, etc. Dudum, videlicet sub data viii. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno primo, tibi motu proprio de Canonicatu cum reservatione prebende ac dignitatis, personatus, administrationis vel officii ecclesie Wladislaviensis, necnon beneficii ecclesiastici cum cura vel sine cura, etiam si Canonicatus et prebenda, dignitas, personatus, administratio vel officium in metropolitana seu collegiata ecclesia foret, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consuevissent qui per electionem assumi, eisque cura immineret animarum, ad collationcm, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Gneznensis, ac dilectorum filiorum Prepositi, Decani, Archidiaconorum, Thesaurarii, Cantoris, Custodis, Scolastici et Capituli, singulorumque Canonicorum ct personarum ecclesie Gneznensis communiter vel divisim pertinentis, vacantium tunc aut simul vel successive vacaturorum per alias nostras litteras gratiose providimus, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in illis plenius continetur. Nos igitur litteras predictas ac processus habitos pcr easdem, et quecunque inde secuta, quoad Canonicatum et prebendam ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium, necnon beneficium ecclesiasticum huiusmodi dumtaxat, ac acceptionem et provisionem tuo nomine de aliquo bencficio illarum vigore forsitan factas, id te volente et expresse in hoc consentiente, irritantes ac adnullantes, ipsasque litteras et processus habitos per easdem cum collationis, provisionis, reservationis, inhibitionis, decreti, monitionis, sententiarum fulminationis, subdelegationis aliisque in eis contentis clausulis ab eorum omnium datis ad Canonicatum et prebendam, ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium ecclesie Wratislaviensis, necnon beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ctiam si Canonicatus et prebenda, dignitas, personatus, administratio vel officium in collegiata ecclesia foret, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo aliqua ipsarum dignitatum in Wratislaviensi post Episcopalem maior, aut collegiata ecclesiis huiusmodi principalis non existat, cuius quidem beneficii fructus, redditus et proventus, si cum cura aut dignitas vel personatus, vigintiquinque, si vero sine cura vel dignitas vel personatus fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem venerabilis fratris nostri Episcopi Wratislaviensis, ac dilectorum filiorum Prepositi, Decani, Archidiaconi, Scolastici, Cantoris, Custodis, Cancellarii ct Capituli, singulorumque Canonicorum et personarum prefate ecclesie Wratislaviensis etiam ratione dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, que in illis optinent, communiter vel divisim pertinens auctoritate apostolica committentes, te quoque premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu favore specialis gratie prosequi volentes, motu simili, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate volumus et eadem auctoritate tibi concedimus, quod tu tam predictarum, quas cum dictis processibus, quoad hoc ab eorum omnium datis, quo ad futurum plenarium robur optinere decernimus, quam presentium litterarum vigore Canonicatum et prebendam, ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium dicte ecclesie Wratislaviensis, necnon beneficium ad collationem Episcopi et Capituli Wratislaviensium, ac Prepositi, Decani, Archidiaconi, Scolastici, Cantoris, Custodis, Cancellarii, Canonicorum et personarum predictorum communiter vel divisim pertinens huiusmodi, si qua ex nunc inantea vacare contigerit, acceptare valeas, dictique executores et ab eis deputati pro tempore subexecutores tibi de illis providere, necnon cetera omnia et singula quo ad hoc necessaria et oportuna facere et exequi possint et debeant, tuque in Canonicatus et prebende, ac dignitatis, personatus, administrationis vel officii, necnon beneficii huiusmodi assecutione omnibus et singulis antellationum prerogativis, decretis, declarationibus, exemptionibus, favoribus et indultis aliis scriptoribus et familiaribus nostris quomodolibet concessis, et imposterum forsan concedendis, quibus antea gaudebas, etiam nunc uti valeas pariter et gaudere, alias iuxta predictarum priorum litterarum continenciam atque formam, in omnibus et per omnia etiam perinde, ac si per ipsas priores litteras Canonicatum ipsius ecclesie Wratislaviensis tibi contulissemus, ac prebendam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium inibi, necnon

beneficium ad collationem Episcopi et Capituli Wratislaviensium ac Prepositi, Decani, Archidiaconi, Scolastici, Cantoris, Custodis, Cancellarii, Canonicorum et personarum predictorum communiter vel divisim pertinens huiusmodi vacantia tunc vel vacatura conferenda tibi reservavissemus, et tibi de illis provideri mandassèmus, ipseque priores littere sic desuper expedite ac dictis executoribus presentate, necnon per eosdem executores processus sic desuper decreti fuissent, prout etiam tibi tenore presencium ad habundantem cautelam Canonicatum dicte ecclesie Wratislaviensis conferimus, ac prebendam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium, necnon beneficium huiusmodi tibi conferenda reservamus, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac prefate ecclesie Wratislaviensis statutis, illis presertim, quibus caveri dicitur, quod nullus inibi Canonicatum et prebendam ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium assequi valeat, nisi Magister aut Baccallarius formatus in Theologia vel in altero iurium doctor, aut cum rigore examinationis licentiatus vel arthium seu medicine Magister, aut ex utroque parente de nobili genere procreatus seu diocesanus existat, quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, quo ad te et ad effectum presentium sortiendum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus, que in prefatis litteris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno MCCCCLXI. Quarto Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. XLI. fol. 343.

CLXXXIII.

Civibus Vratislaviensibus terminus praestandi homagii Georgio regi Bohemiae propter eius haeresis suspitionem prorogatur.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Hiis superioribus annis non ignorantes, que Carissimus in Christo filius noster Georgius Bohemie Rex Illustris, cum Regni coronam susciperet, deo salvatori nostro in favorem christiane religionis et Regni Bohemie reformationem iurasset, videntes quoque ex illo tempore frequentes litteras suas, in quibus de se et subditis suis spondere nobis singula videbatur, que ad christiani principis officium pertinerent, misimus ad eum oratores nostros venerabilem fratrem Ieronimum Archiepiscopum Cretensem, et dilectum filium Franciscum de Tholeto Archidiaconum de Astigia, qui dilectos filios nostros proconsules, consules et communitates civitatis Wratislaviensis, et opidi Nampslaviensis, usque ad id tempus ob suspitionem heresis prestare homagium recusantes, ad obedientiam eius reducerent, pacemque et unitatem inter eosdem statuerent. Clerus igitur, Capitanei, proconsules, consules et communitates predicti spei adherentes, que per eosdem oratores de sinceritate Regis dabatur, obedienter acquieverunt nostris consiliis, et cum eodem per capitula convenerunt, quod post triennium et mensem extunc computandum homagium antea recusatum Serenitati sue persolverent, et cetera facerent, que in eisdem capitulis latius continentur. Cum vero Rex ipse, sicut opera ostendunt, et oratores etiam sui ad nos postmodum missi in Consistorio publico declararunt, ad gremium universalis ecclesie nondum rediisset, sed dampnatos diu ab ecclesia ritus observaret, et ut in Regno observentur, facere manifeste appareat; cumque etiam mandata nostra in eodem Consistorio de tollendis hiis ritibus sue Serenitati in vim eius, quam prestabat, obedientie facta implere neglexerit, nec signum in eo ullum melioris mentis cernamus: Nolentes, sicut nec velle debemus, fideles animas in fraudem induci, et per commercia immundorum quod mundum est, inquinari, eiusdem triennii et mensis terminum, ipsorumque capitulorum vim et effectum, que presentibus haberi volumus pro expressis, usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica per presentes suspendimus et prorogamus, decernentes Clerum, Capitaneos, proconsules, consules et communitates predictos ad prestationem homagii huiusmodi, et eorundem capitulorum observationem durante beneplacito eodem nullatenus teneri astrictosque esse. Nulli etc. nostrorum suspensionis, prorogationis et decreti infringere. Si quis autem etc. Datum Pientie Anno etc. MCCCCLXII. octavo Kalendas Octobris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Tom. LI. fol. 132.

CLXXXIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut donationem ordini fratrum Minorum a quondam duce Silesiae in oppido Gorow factam confirmet.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Hiis, que pro divini cultus augmento, religionis propagatione et animarum salute pia fidelium devotione peracta sunt, ut illibata persistant, apostolici muniminis adiici volumus firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Nobilis

viri Przmislai Ducis Teschinensis tue diocesis, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Margarete Ducisse Maiorisglogovie provincie Slesie, nec non Guardiani et fratrum domus opidi Goraw eiusdem diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum olim quondam Wladislaus Dux Slesie prefati Ducis germanus de propria salute recogitans, ob devotionem, quam ad ordinem fratrum minorum gerebat, et ad laudem et gloriam divini nominis, nec non pro sua et parentum suorum animarum salute quendam locum, sive quandam aream in suburbio dicti opidi, in loco arenoso Keveyn nuncupato, consistentem, et ad ipsum Ducem legitime pertinentem, cum piscaria tam lata et longa, sicut ipse eam tenuerat, et agro sibi adiuncto coram eodem Duce cum aratro mensurato pro fundatione et edificatione nove domus dicti ordinis, ac illius patrum usu et habitatione perpetuis de consensu bone memorie Petri Episcopi Wratislaviensis predecessoris tui, ac dilectorum filiorum consulum et habitatorum dicti opidi donavisset, concessisset ac etiam assignasset, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Fratres predicti ex piis fidelium elemosinis in loco, sive area huiusmodi de licentia prefati Episcopi domum dicti ordinis cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio et aliis necessariis officinis erigi, construi et edificari fecerunt, ac illam extunc inhabitarunt, excommunicationis sententiam propterea incurrendo. Quare pro parte moderni Ducis, Ducisse, Guardiani et fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi, concessioni, assignationi, erectioni, constructioni et edificationi predictis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac eos ab excommunicationis sententia, si quam propterea incurrerunt, absolvi mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos ex dictis fratribus, qui prefatam aream sive locum, ut premittitur, receperunt, et ibi domum construi et edificari fecerunt, eamque deinde inhabitarunt, si hoc humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et cum eis super irregularitate, si quam huiusmodi sententia ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut illis se immiscendo incurrerint, eadem auctoritate dispenses; et nichilominus concessionem, assignationem, erectionem, constructionem et edificationem predictas, et quecunque inde secuta auctoritate prefata approbes et confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, nec non domum predictam cum ecclesia, campanili, campana et officinis huiusmodi eisdem fratribus pro eorum usu et habitatione perpetuis eadem auctoritate concedas, Non obstante felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibitione, ne fratres ordinum mendicantium domos sive loca de novo recipere, sive recepta mutare presumant, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque: Nos enim fratribus dicti ordinis, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et indultis aliis domibus et in eis degentibus fratribus dicti ordinis per sedem apostolicam generaliter concessis, et quibus illi utuntur et gaudent, uti valeant pariter et gaudere, auctoritate prefata tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Datum Petrioli Senensis diocesis Anno Incarnationis dominice MCCCCLXII. VIII. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XLIV. fol. 121.

CLXXXV.

Iudicibus, ut Balthassarem ducem Silesie et Sagani contra molitiones Ioannis de Prebus protegant, in eumque suos et complices censuris ecclesiasticis animadvertant.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Magdeburgensi, et dilectis filiis Preposito et Scolastico ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Cum ex officii nobis celitus iniuncti debito unicuique sumus in administranda iusticia debitores, dignum est, ut ea, que per facti evidentiam aut alias probationes legitimas contra ius et bonos mores in aliorum preiudicium perpetrata esse constat, cum presertim per fidelium principum querelas ad apostolice sedis audientiam deducuntur, per ipsius sedis benignitatis auxilium, munitionem, et ubi opus est, graviori censura previa in statum pristinum reducantur. Sane ex gravi dilecti filii nobilis viri Balthasaris ducis Slesie et domini opidi Sagani Wratislaviensis diocesis conquestione accepimus, quod licet ducatus Slesie et dominium Sagani ad eum ex

successione quondam Iohannis ducis Slesie genitoris sui, cuius ipse Balthasar primus genitus extitit, ac alias tunc pertinere noscatur, fuitque in ipsius ducatus et dominii paterna possessione per obitum dicti Iohannis genitoris eiusdem usque ad superiorem annum, videlicet Incarnationis dñice millesimum ccccLXI., tamen dilectus filius nobilis vir Iohannes de Prebus domicellus Misnensis diocesis, ipsius Balthasaris ducis germanus, fretus tam regio quam dilectorum nobilium virorum Henrici de Cretche Melhofen et Frederici Kotwycz ac Nicolay et Gasparis et Mathei Rutshiezer, necnon Henrici Kacheloffen et Gregorii Umwerde ac Gasparis Metzerode, nec non Iohannis Rotenberg ac Iohannis Wathaw ac Georgii Wolf et Leborii Ragke ac Gasparis Nebelstiezer et Georgii Cokeritz ac Nicolay Watelsdorff, necnon Henrici Scribe et Benedicti armorum custodis ipsius Iohannis de Prebus, et Gabrielis Lopte et Iohannis Filez, necnon Benedicti et Iohannis ac Nicolai Rotenberg, necnon Symonis Abbatis et Laurentii prioris ac singulorum fratrum seu canonicorum monasterii Saganensis ordinis sancti Augustini, ac consulum et proconsulum et universitatis dicti opidi Sagani, nec non Henrici de Glogovia et omnium vassallorum et subditorum suorum, nec non universitatis et singularum personarum de Crossen, Freuestadt, Grunnenberg, Sprotrau, Polkevicz, Zolthe, Scrobissen, Loben, Kenten opidorum et locorum dicto Henrico duci subditorum, ac Henrici Rotenberg prepositi ecclesie in Freuenstadt et Merchionis Goren ac Nicolai Sverspach et Nigram Lanczchron, ac Hans Knolf Wsdorff et Iohannis Kotwien ac Otto Kucke, necnon Iohannis de Watenberg, universitatum de Gorlitz, Budessen, Sictav, Cametz, Loben, Lauben ac singulorum nobilium et aliarum personarum earundem, et Petri Dolvicz Sclabat a Gindersicz de Buscovicz et Frederici Sehenberg Capitanei in Haerswerda a Bomisch, Dezviticz, necnon Gasparis et Iohannis Stainpach, ac Gasparis Galgrent et Iohannis Beden militis, ac Bernardi Falkemberg cum filiis suis et Berardi Cristoforo ac aliarum quamplurimum universitatum et singularum personarum tam nobilium, quam burgensium aliorum diversorum opidorum et locorum diversarum diocesum auxilio, consilio et favore prefatum Balthasarem ab eodem ducatu et dominio, nulla causa saltem legitima sussistente, violenter et temere et de facto collectaque plurium armatorum complicum manu expulit et eiecit, ipsumque possessione ducatus et dominii dictorum vi spoliavit, seque in illorum possessionem intrusit, illaque extunc detinuit, prout detinet indebite occupata, fructus, redditus et proventus exinde provenientes percipiendo, et in suos dampnantes usus convertendo, in anime sue periculum, ac dicti Balthasaris preiudicium non modicum et detrimentum: Quare pro parte dicti Balthasaris ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum in huiusmodi violenciis et oppressionibus unicum et singulare remedium sit apostolice sedis subsidium implorare, sibi suoque statui super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos ex officii pastoralis nobis desuper iniuncti debito pertinet, singulorum fidelium nostre cure commissorum saluti et indebitis vexationibus oportunis remediis consulere, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis dicto Iohanne de Prebus et aliis, qui fuerint evocandi, de huiusmodi spolio summarie et de plano, si per notorietatem vel evidentiam facti, aut alias probationes ad hoc sufficientes constiterit, Iohannem de Prebus et alios superius expressos, et quoscunque dicti ducatus et dominii proceres, milites, barones et nobiles, necnon universos officiales et custodes castrorum et arcium, ac subditos et vassallos et ligios, opidorum quoque et villarum ac aliorum locorum infra metas dicti ducatus et dominii consistentium consules et proconsules, et universitates ac singulares ex eis, necnon alias quascunque personas ecclesiasticas et seculares, cuiusvis status, preheminentie, dignitatis, nobilitatis, gradus, ordinis vel conditionis et quorumcunque munerum existant, etiam si regali, reginali, episcopali, ducali, comitali, abbatiali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, qui seu que vobis pro parte dicti Balthasaris ducis nominati fuerint, in specie, reliquos vero omnes et singulos in genere sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon anathematis et maledictionis eterne, ac privationis ecclesiasticorum tam secularium quam regularium honorum, bonorum et officiorum, paternaliumque et aliarum successionum ac feudalium, emphiteoticorum aliorumque bonorum et iurium, que dicte seculares persone a quibusvis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis optineant et recognoscant, necnon ad illa et quelibet alia imposterum obtinenda perpetue inhabilitationis, perpetueque infamie penis, quas Iohannes de Prebus et alii predicti et eorum quilibet, ipsorumque civitates, opida, loca, capitula et collegia, si monitionibus et mandatis huiusmodi realiter et cum effectu non paruerint, ipso facto incurrant, auctoritate nostra, quotiens, ubi et quando expedire videbitur, et pro parte dicti Balthasaris ducis fueritis requisiti, coniunctim et divisim moneatis infra certum perem-

ptorium terminum, quem eis ad hoc prefixeritis, Iohannes de Prebus videlicet, officiales, commissarii quocumque nomine appellati, et ad custodiam castrorum et arcium, necnon opidorum et aliorum locorum deputati, non obstantibus quibuscunque homagiis seu fidelitatis iuramentis per proprium Iohannem de Prebus regi, aut alteri cuicunque potestati ecclesiastice vel seculari, aut per ipsos proceres, barones, milites, nobiles et alios subditos, vassallos et ligios, consulesque et proconsules, universitates, aliasque personas quascunque ducatus et dominii predictorum sub quacunque forma prestitis, et que ad hoc pro insertis haberi debere et ad illorum observanciam eos non teneri declaramus, ab occupatione ducatus, dominii, castrorum, arcium et locorum in ducatu et dominio prefatis consistencium omnimodo desistant, illorumque possessionem vacuam, liberam et expeditam predicto Balthasari cum perceptis, et qui percipi potuerint, fructibus integre relaxent, et omnimode dimittant, et ei in omnibus et per omnia, sicut ante spolium, intrusionem et occupationem huiusmodi obediebant et obedire tenebantur, cum integritate et ab diminutione aliquali pareant et obediant, et iura debita persolvant, ac pristina sua possessione ipsum libere et quiete gaudere, frui et uti, sicut ante debuit et consuevit; alii vero superius nominati et expressi, necnon proceres, barones, milites et nobiles et alii subditi, vassalli et ligii, ac consules, proconsules, universitates, alie persone predicte, qui eidem Iohanni de Prebus in occupatione ducatus et dominii huiusmodi aut illius detentione auxilium, consilium, opem vel favorem aliquem directe vel indirecte, publice vel occulte prestiterunt hactenus, seu prestant vel prestare possent quomodolibet in futurum, ut ab huiusmodi auxilii, consilii, opis et favoris prestatione desistant, quinymo in recuperatione ducatus et dominii predictorum prefato Balthasari duci ope, auxilio, consilio et favore oportunis assistant; Custodes vero castrorum, arcium, opidorum et locorum, nec non proceres et barones, milites, nobiles, vassalli et alii subditi ac ligii, nec non consules, proconsules, universitates et alie singulares persone ecclesiastice et seculares predicte, que vero duci Slesie et domino Sagani huiusmodi pro tempore existenti obedienciam, fidelitatem aut alia quecunque iura exhibere consueverunt et tenentur, ut dicto Iohanni de Prebus tamquam duci Slesie et domino Sagani in nullo prorsus pareant et intendant, quinymo si ipse Iohannes de Prebus infra sibi vigore presentium prefigendum terminum monitioni et mandato huiusmodi non paruerit cum effectu, eum de ducatu et dominio predictis eiiciant, abigant et expellant, neque fidelitatis vel homagii aut alia vero duci Slesie et domino Sagani debita iura quoquomodo persolvant seu impendant, sed dominum Balthasarem in suum verum ducem et dominum recognoscant, et eum in proprio ducatu cum debita fidelitate et obedientia, prout ante huiusmodi spolium, recipiant et admittant: Nos enim, si monitionem et mandatum huiusmodi per vos vigore presentium fieri contigerit, si vero, quod absit, Iohannes de Prebus, Henricus de Vite et alii superius nominati, nec non officiales, custodes castrorum, arcium, opidorum et locorum, nec non proceres, barones, milites, nobiles, vassalli, subditi, ligii, consules, proconsules, universitates alieque persone predicte, vel eorum alique monitionibus et mandatis per vos eis faciendis huiusmodi infra eundem terminum, quem eis prefixeritis, realiter et cum effectu non paruerint, vos seu aliquis vestrum extunc in omnibus et singulis opidis, castris, villis et aliis locis ducatus et dominii predictorum, ac etiam ducatus dicti Henrici ducis Glogovie, nec non in singulis aliis civitatibus atque locis, ad que inhobedientes declinaverint, quamdiu ipsi in illis permanserint, et postea per decem dies duraturi, in universitates quoque et collegia prefata interdicti, preterea in Iohannem de Prebus et alios ex premissis, quos per evidentiam facti aut summariam informationem desuper vos recipiendam eidem monitioni et mandato non paruisse constiterit, excommunicationis, suspensionis, anathematis et maledictionis eterne, nec non beneficiorum, officiorum, studiorum(?), bonorum feudalium et emphiteoticorum ac iurium predictorum privationis penas et sententias eadem auctoritate proferatis, eosque excommunicatos, suspensos, privatos, anathematizatos, maledictos eorumque universitates, opida, castra et loca interdicta, nec non illos omnes et singulos ad honores, dignitates, officia, prebendas quecunque, necnon ab ecclesiis et monasteriis ac aliis ecclesiasticis et piis locis feudalia vel emphiteotica bona, aliaque iura inhabiles et incapaces esse publice nuncietis et declaretis, ac ab aliis in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo conveniret ad divina audienda, per vos declarari et nunciari, ac arcius ab omnibus evitari faciatis, donec ad cor reversi suumque humiliter recognoscentes errorem, Iohannes videlicet de Prebus et alii officia, castra, arces, opida et loca alia eius nomine detinentes et occupantes, a detentione et occupatione huiusmodi destiterint, possessionemque vacuam, liberam et expeditam prefato Balthasari duci dimiserint, alii vero prefati a prestatione auxilii, consilii, opis et favoris dicto Iohanni de Prebus cessa-

verint, et illi ex eis, qui vero duci Slesie et domino Sagani fidelitatem, obedientiam et alia iura debent, profligato quoad hoc contempto dicto Iohanne de Prebus, prefato Balthasari duci ea prestiterint, ipsumque Balthasarem in suum verum ducem et dominum recognoverint, absolutionis ab excommunicationis, suspensionis et anathematis, maledictionis et interdicti sententiis relaxationis beneficium et plenam reconciliacionis gratiam de premissis a sede apostolica, aut eius quoque ad hoc legatis vel subdelegatis meruerint optinere. Volumus autem, quod in illis civitatibus et aliis locis extra ducatus et dominia, que propter adventum ipsorum ecclesiastico interdicto supposita fuerint, ut presertim post decem dies ab ipsorum executorum recessu huiusmodi interdictum sit eo ipso sublatum, et insuper legitimis per vos super premissis habendis servatis processibus, eos, quotiens expedierit, aggravare curetis, Contradictores etc. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ceterum si forsan Iohannis de Prebus et aliorum predictorum presentia pro monitione seu requisitione huiusmodi, vel citatione de ipsis facienda secure vel commode haberi nequiret: Nos vobis requisitionem et monitionem huiusmodi ac citationes quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad notitiam monendorum et citandorum huiusmodi pervenire valeat, faciendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, ac volumus, quod monitiones, requisitiones et citationes huiusmodi perinde ipsos citatos, requisitos et monitos, ut premittitur, artent, ac si eis facte ac insinuate presentialiter et personaliter extitissent, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine sue diocesis trahere presumant, ac de duabus dietis in consilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni atque potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, Aut si Iohanni de Prebus et reliquis predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Tuderti Anno Incarnationis dominice MCCCCLXII. IX. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XLI. fol. 340.

CLXXXVI.

Cives Vratislavienses sub protectione sedis apostolicae suscipiuntur, et a fidelitatis iuramento Georgio de Podiebrad regi Bohemiae in haeresim relapso praestito absolvuntur.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus, salutem etc. Cogit nos gregis dominici humeris nostris insufficientibus cura imposita, ut tanto propensiori studio in heretice pravitatis erroribus exstirpandis invigilemus, quantum illi per humani generis inimici fallacias astucius, etiam sub religionis specie cordibus mortalium immissi, plures trahere poterunt in iehennam. Dudum siquidem inclitum Boemie Regnum, quod christianum et fidelem populum habere consuevit, ad hanc perniciosam Iacobelli et suorum sequacium, in aliquibus partibus Hussitarum nuncupatam, hereticam pravitatem pro magna eius parte prolapsum, ut communionem Eucharistie sacramenti sub utraque specie, vini videlicet et panis, quoad laicos et non conficientes de necessitate fore eterne salutis profiteretur, cum propter obitum felicis recordationis quondam Ladislai novissime Rege careret, Georgium de Podibrath sibi Regem elegit, qui dum se catholicum affirmasset, postmodum dum coronationis reciperet insignia, licet in venerabilium fratrum nostrorum Iauriensis et Waciensis Episcoporum, ac nonnullorum aliorum ecclesiasticorum et secularium virorum notabilium manibus, tactis per eum corporaliter sacrosanctis Evangeliis, publice et sponte promiserit, spoponderit policitusque fuerit atque iuraverit, quod deinceps fidelis et obediens esset sancte Romane ecclesie, et illius pro tempore pontificibus, eisque obedientiam et conformitatem more aliorum catholicorum et christianorum Regum in unitate orthodoxe fidei, quam ipsa sancta Romana catholica ecclesia confitetur, predicat et tenet, fideliter observaret, ac deinceps fidem et ecclesiam ipsam protegeret atque tueretur et defenderet, et populum sibi subiectum ab omnibus erroribus, sectis et heresibus, ac articulis ipsi ecclesie et fidei catholice contrariis revocaret, nec-

non catholice fidei observationem et obedientiam, conformitatem, unionem, ritum cultumque ipsius sancte Romane ecclesie reduceret et restitueret in dicto Regno, licetque etiam dictus Georgius deinde per dilectum filium Iohannem de Rabinstain Notarium nostrum, eius ad nos oratorem, pro se eiusque conthorali et liberis pollicitaretur, ut precepta nostra reverenter susciperet et eis obsequeretur, ac deinde cum se huiuscemodi iuramento astrinxisset ac obligasset, per Carissimum filium nostrum F. Romanorum Imperatorem Illustrem ut talis extitit confirmatus: nichilominus cum ipse Georgius hiis omnibus facta contraria ageret, publicaque et continuata fama adversus ipsum laboraret, quod contra tam solemniter factas suas promissiones et iusiurandum dictam hereticorum sectam foveret et amplectaretur, dilecti filii Clerus, Capitanei, Consules et Communitates Wratislaviensis et opidi Namslaviensis Catholici et veri Christifideles eundem Georgium recipere, sibique homagium prestare debite recusarunt, propter quod Georgius ipse bello illos impugnare temptavit. Nos tunc de hiis certam noticiam habentes, ut tantis incommodis repugnaculo essemus, dictumque Georgium ac ipsum inclitum Bohemie Regnum ad veram obedientiam et unionem apostolice sedis et sancte ipsius Romane ecclesie reducere possemus, venerabilem fratrem nostrum Hieronimum Archiepiscopum Cretensem, et dilectum filium Franciscum de Toleto sacre Theologie Magistrum, et tunc Archidiaconum de Astigia in ecclesia Ispalensi, oratores nostros ad partes illas misimus, et tandem huius homagii suspensio ad triennium et unum mensem per eos facta extitit. Verum duobus deinde fere annis decursis, cum idem Georgius nil de huiusmodi iuratis per eum et promissis se facturum hostenderet, nos tante rei moram esse periculosam censentes, prefatum Georgium, ut promissionibus et iuriiurando suis pretactis satisfaceret, Regnumque prefatum ad unionem sancte matris ecclesie rediret, per certum nuncium nostrum iterum fecimus sollicitari: sic demum Georgius ipse transacto post unius anni spacio solemnes ad nos oratores transmittens, nobis obedientiam prestitit verbalem, ut prius, sed non realem sui et Regni in unitate fidei et ritus communis, quam iuxta iuramentum et promissiones antedicta expectabamus. Cumque tunc propriis suis oratoribus hortati (eum essemus) pro huius rei confirmatione finali, et ut demissa vesania sua atque heretica presumtione super articulum unionis huiusmodi, ipse cum Regno Bohemie se nobis et ecclesie sancte atque aliis Regnis conformaret, dilectum filium Fantinum de Valle utriusque iuris doctorem ad eundem Georgium, Regnum et Marchionatum Moravie et vicina eis dominia transmisimus, qui sibi per nos iniuncta fideliter in conventu ob id per dictum Georgium in festo sancti Laurentii proxime elapso indicto coram prelatis, magnatibus et aliis multis explevit: idem tamen Georgius sathane laqueis ligatus in sua pertinacia obstinatus permansit, nam inibi cum eius conthorali sibi concedente in prelatorum, procerum et magnatorum presentia, postquam, ut intelleximus, in nos et sanctam sedem apostolicam, ipsamque sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam fidelium matrem multis detractionibus, et blasphemiis ore polluto et impudicis labiis inveherat, etiam proferre veritus non est hec vel in effectu similia verba, videlicet ut nemo deinceps de fide et religione mea, coniugis et liberorum meorum dubius existat, nunc palam et publice profiteor, carissimos parentes meos in hac veritate communionis calicis utriusque speciei mortuos esse, meque in ea natum, educatum atque usque in hec tempora vixisse, vivereque et mori velle cum uxore et liberis meis, asserensque rationem illam de necessitate salutis, adiecit deo magis, quam hominibus esse parendum; nec hiis contentus, sed etiam prefatum Fantinum oratorem nostrum post factam per eum confutationem assertorum compactatorum super unione predicta, postque erroris illius declarationem et propositionem eorum, que ipse orator noster a nobis habuit in mandatis, sacrilege in eum manus iniecit, et turpiter durissimis carceribus mancipavit, in dei, huius sancte sedis et Romane ecclesie opprobrium, atque nobis, qui licet immeriti Christi vices in terris gerimus, in vilipendium et contemptum. Nos autem, qui nobis factam iniuriam nichil pendimus, dei tamen et ecclesie sue offensam vindicare tenemur, sic in premissis debite animadvertere volentes, ne error ille sevissimus sub religionis specie amplius serpere valeret, et ne fideles Christi per subiectionem dicti Georgii eius erroribus valeant maculari: Nuper motu proprio ex certa nostra scientia fidelium prospicientes salutem, dictos Clerum, Capitaneos, Consules et Communitates Wratislaviensem necnon opidi Namslaviensis ab observacione concordie predicte auctoritate oratorum nostrorum concluse, omniumque dependentium et connexorum, etiam si eius vigore ad homagium prestandum tenerentur, absolvimus et absolutos fore declaravimus, ut in aliis nostris litteris continetur, quorum tenores presentibus haberi volumus pro expresso; et quamvis pridem Carissimus filius noster Fridericus Imperator, ac nobilis vir Ludovicus Bavarie Dux illustris premissa sentientes nobis supplicarentur, ut ab ulteriori

processu contra dictum Georgium ad tempus ob certas causas abstinere, seu iam factos processus suspendere vellemus, cum dictum Georgium ad ecclesie gremium rediturum sperarent, Nos eorundem et presertim ipsius Imperatoris precibus inclinati, ab ulterioribus processibus adversus ipsum Georgium decernendis usque in presens distulimus. Sed cum iterum post hec dictus Georgius per alium nostrum Nuntium exhortatus ad cor redire, erroresque suos dimittere, et ad ecclesiam Catholicam reverti, et se illius ritui conformare non curavit nec curat, nichilque nobis spei de hoc per Imperatorem aut Ducem predictos hactenus allatum sit, considerantes debitum officii nostri fore hereses extirpare, et Christifideles in observancia, ritu, orthodoxa fide sancte Romane ecclesie confirmare, ne igitur Georgius ipse eius venenum liberius effundat, ac dictos Clerum, Capitaneos, Consules et Communitatem Wratislaviensem ac opidum Namslaviense quovismodo opprimere, contra nostram et huius apostolice sedis prohibitionem vigore dicte concordie ad homagium, et quevis alia prestanda inducere et compellere possit, Motu proprio et ex certa nostra scientia, nostroque mero officio, non ad eorum seu alterius pro eis oblate nobis peticionis instanciam, Clerum, Capitaneos, Consules, Communitatem Wratislaviensem ac opidum Namslaviense prefatos sub nostra et apostolice sedis protectione usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum suscepimus, suscipimusque per presentes, inhibendo apostolica auctoritate dicto Georgio, necnon Ducibus, Marchionibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Comunitatibus et ceterisque(?) quibuscunque ipsi Georgio adherentibus et complicibus, et suis subditis sub excommunicationis late sententie pena, quam in hiis scriptis ferimus, ne se de Clero, Capitaneis, Consulibus, Communitati et opido predictis contra nostram huiusmodi prohibitionem quovismodo intromittant, ac ipsos in rebus seu bonis suis impediant directe vel indirecte, seu bello disturbent, aut ei et suis adherentibus aliquem favorem aut loca receptionis, receptaculum contra eos prebeant, nec etiam predicantes contra prefatam sectam impediant; quinymmo harum serie hortamur, et in virtute sante obedientie per viscera misericordie Ihesu Christi requirimus omnes et singulos carissimos reges christianos, et dilectos filios nobiles viros Duces, Marchiones, Barones, Milites, Militares Communitatesque et Opidanos, ceterosque quoscunque Bohemie Regni et Marchionatus Moravie catholicos, ac Slesie et Lausatie incolas, et alios quoscunque, quatenus dictis Clero, Capitaneis, Consulibus, Communitati et opido omni potencia, auxilio et favore assistant, nec permittant eos per dictum Georgium aut alium ad homagii prestacionem compelli, seu alias eos indebite vexari, seu oppugnari contra auctoritatem nostram sub penis etiam et censuris in aliis nostris litteris contentis, quas contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, iuramento fidelitatis seu homagii dicto Georgio vel quibusvis aliis prestito non obstante, cum eos tenore presentium vigore dicti homagii, quominus nobis in premissis obediant, minime teneri declaramus, aut si aliquibus sit a dicta sede indultum, quod interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Et quia difficile foret has nostras apostolicas litteras ad omnia, ubi de illis forte necesse fuerit, loca perferri: idcirco volumus et dicta auctoritate decernimus, quod earum transumptis sigillo alicuius prelati seu iudicis ecclesiastici cum subscriptione notarii publici sigillato ubique etiam in iudicio et extra stetur et fides adhibeatur, ac si presentes nostre littere originales exhiberentur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo LXIII. Quarto Kal. Aprilis. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Tom. LI. fol. 193.

CLXXXVII.

Archiepiscopi Cretensis et Gnesnensis praedictarum litterarum exsecutores constituuntur.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Cretensi ad Regnum Polonie, terrasque Slesie ac Prusie nuncio et oratori sedis apostolice, ac ... Gneznensi Archiepiscopis, salutem etc. Hodie motu proprio ex iustis ac fidem Catholicam concernentibus causis dilectos filios Clerum, Capitaneos, Consules et Communitatem Wratislavienses, ac Universitatem opidi Namslaviensis ab homagio prestando Georgio de Podabrath ad nostrum, et sedis apostolice beneplacitum absolutos fore declaravimus, ac eos in nostram et apostolice sedis protectionem suscepimus, mandantes singulis christifidelibus, cuiuscunque status sive gradus existant, sub penis et censuris ecclesiasticis, ne prefato Georgio contra Wratislavienses et Namslavienses vigore dicti homagii auxilium, favorem et consilium prestent, quin ymo eis tanquam catholicis et sancte matris Romane ecclesie obedientissimis omni consilio, favore et potencia assistant, prout in nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Quocirca fraternitati vestre per

apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si et postquam dicte littere vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios ipsas litteras, ac omnia et singula in illis contenta in dicti Regni ac aliarum partium vicinarum ecclesiis dominicis et festivis certisque diebus, quando et quotiens vobis videbitur, solempniter publicetis et exponatis, seu publicari et exponi faciatis, ut melius et clarius intelligatur ab omnibus, etiam in vulgari; et nichilominus quaslibet personas, quas excommunicationis sententiam occasione contraveniendi litteris predictis vobis incurrisse constiterit, quotiens vobis oportunum esse videbitur, tam diu dominicis festivisque diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatas publice nuncietis, faciatisque ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, donec a contraveniendo destiterint, et litteris predictis obedierint, ipseque persone excommunicate ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere, Non obstantibus omnibus, que in prefatis litteris volumus non obstare, aut si dictis personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, Contradictores per censuram etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Millesimo quadringentesimo LXIII. Quarto Kalendas Aprilis. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. de Curia Tom. LI. fol. 196.

CLXXXVIII.

Paulo electo Chelmensi conceditur, ut parochialem ecclesiam S. Stanislai in Breyst Vladislav. dioec. retinere possit.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Paulo Electo Chelmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Chelmensi, tunc pastoris solatio destitute, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; et sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, tu ex mense episcopalis Chelmensis, que inter scismaticos et Ruthenos sita est, fructibus, redditibus et proventibus, qui ad summam sexaginta florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum vix ascendunt, statum tuum iuxta pastoralis exigentiam dignitatis tenere non possis, ac tuus predecessor propterea certa ecclesiastica beneficia tunc expressa, que ante suam promotionem obtinuerat, ex dispensatione sedis apostolice, quoad vixit et eidem ecclesie prefuit, tenuit et possedit: Nos volentes te favore prosequi gratie specialis, tuis necnon Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie illustris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate huiusmodi tibi concedimus, quod etiam postquam munus consecrationis susceperis, parrochialem ecclesiam sancti Stanislai in Breyst Wladislaviensis diocesis, cuius quatuor, ac altare sancte Trinitatis in eadem parrochiali ecclesia situm, cuius duarum marcharum argenti secundum extimationem predictam valorem annuum, ut asseris, non excedunt, que obtines, et de iure patronatus dicti Regis existunt, queque per promotionem et munus consecrationis huiusmodi vel lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti minime vacare decernimus, unacum ecclesia Chelmensi predicta, quoad vixeris, retinere, illorumque fructus, redditus et proventus percipere et habere, ac in proprios usus convertere libere et licite valeas, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque, proviso, quod parrochialis ecclesia et altare huiusmodi debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in dicta parrochiali ecclesia nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, Idibus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XLII. fol. 206.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

CLXXXIX.

Nicolaus Spizimiri cantor Cracoviensis collector denarii S. Petri etc. in regno Poloniae constituitur.

Paulus episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Nicolao Spizimiri Cantori ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, apostolice sedis nuntio, denarii sancti Petri ac iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice in regno Pollonie, ac provintia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus Collectori, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti diligentia et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum in domino confidentes, te in regno Pollonie ac provintia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus nuntium apostolicum, et denarii sancti Petri apostoli ac fructuum, reddituum, proventuum, censuum aliorumque iurium quorumcunque nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice inibi debitorum, et debendorum Collectorem ac generalem receptorem usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus ac etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi Collectores et receptores in prefatis regno, provintia, civitatibus et diocesibus per nos aut quacunque alia auctoritate deputatos, aut commissiones omnes super huiusmodi collectorie et receptorie officiis aliis, quam tibi, [nostro et dicte ecclesie et Camere nomine] sub quacunque verborum forma per dictam sedem, aut alia auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores, Succollectores et receptores ab eorum officiis, et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter amovendo, tibique nichilominus per te vel alium seu alios dumtaxat fide et facultatibus ydoneos nostro et dicte ecclesie et Camere nomine a quibuscunque prelatis, collegiis, capitulis et conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, et etiam laicalibus personis, necnon universitatibus et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumlibet regni, provintie, civitatum et diocesum predictorum omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates nobis, ecclesie et Camere predictis debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon denarii sancti Petri, ac etiam oblata et data pro cruciata in subsidium contra Turchum, aut provenientia ex indulgentia Iubilei et quibusvis aliis indulgentiis per nos aut predecessores nostros concessis, fructusque, redditus et proventus quorumcunque beneficiorum vacantium aut de facto occupatorum, ac etiam fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum auctoritate apostolica collatorum et in antea conferendorum, ac omnia et singula iura nobis, ecclesie et Camere predictis in regno, provintia, civitatibus et diocesibus huiusmodi quacunque occasione vel causa debita seu debenda, et ad nos et

easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis servitiis prelatorum ad quarumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis, petendi, levandi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Succollectoribus et receptoribus, necnon inquisitoribus heretice pravitatis et officialibus aliis predicte Camere in regno, provintia, civitatibus et diocesibus predictis deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negotia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad hoc compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi, recipiendi, ac de receptis dumtaxat quitandi, liberandi et penitus absolvendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestrationem aliaque iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendi, necnon contra quoscunque tibi vel Succollectoribus et aliis officialibus tuis iniuriantes, seu te vel alios coniunctim vel divisim in executione negotiorum dicte Camere directe vel indirecte quomodolibet impedientes, auctoritate predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis seu Camerario nostro, aut eius locum tenenti personaliter, vel alias legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores seu precessores tuos, vel eorum Succollectores coniunctim vel divisim latas, et in posterum quomodolibet ferendas, aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, siquam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, divina celebrando vel se illis immiscendo quomodolibet contraxerint, auctoritate apostolica dispensandi, Non obstantibus tam felicis record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri de una et duabus dietis in Concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus habenda esset mentio specialis, seu si aliquibus vel eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem, ita tamen quod de fructibus, redditibus, proventibus, et bonis aliis quibuscunque ipsi Camere debitis, persolvendis ultra annum dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse ultra unum, si vero parve, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Succollectorem non deputes seu constituas, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, ad dictam Cameram clare et distincte transmittas, et singulis biennis de receptis et gestis per te et substitutos tuos in huiusmodi collectorie officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in apostolica Camera coram gentibus ipsius tenearis, necnon quicquid in predictis te recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis aut Camerario nostro vel eius locum tenenti predictis, vel gentibus ipsius, quantocius poteris, transmittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri Episcopi Cracoviensis fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique Succollectores per te deputandi ad idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudentiam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus exinde proveniant, tuque apud nos et sedem predictam non immerito valeas commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, Sextodecimo Kal. Iunii. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. I. fol. 64.

CXC.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, ut Sandivogio Iohannis de Thauczan prepositura S. Iohannis Baptiste in oppido Scarbimiriensi, ad ius patronatus Regis Polonie pertinens, conferatur. Datum Rome Anno etc. mcccclxv. iii. Kal. Octobris. Anno II.

Paulus episcopus etc. Universis etc. salutem etc. Datur littera passus Fabiano Hancko Canonico Wratislaviensi, decretorum doctori et Acolito pontificio, pro nonnullis Romane ecclesie negotiis ad diversas mundi partes misso. Datum Rome apud S. Marcum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXV. XIV. Kal. Februarii. Anno II.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Offitiali Gneznensi, salutem etc. Curet, ut Iacobo de Dominicowicze, clerico Poznaniensis diocesis, ecclesia parrochialis in Buczwina Gneznensis diocesis conferatur. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXV. IV. Kal. Octobris. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. Tom. II. fol. 76. et Tom. V. fol. 19 et 86.

CXCI.

Vincentio electo Culmensi et ecclesiae Pomesaniensis perpetuo administratori, ut praeposituram Vislicieusem et alia beneficia ecclesiastica, quae obtinet, post consecrationis munus retinere possit.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Vincentio Electo Culmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hodie siquidem de eadem persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ecclesie Culmensi tunc vacanti de eorundem fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, et ut statum tuum decentius tenere posses, ecclesiam Pomezaniensem tunc vacantem de ipsorum fratrum consilio tibi, quoad viveres, commendavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu tempore promotionis et commende huiusmodi et prebendam ecclesie Gneznensis obtineres, prout obtines, ac super illis et cancellaria Poznaniensis necnon canonicatu et prebenda Cracoviensis ecclesiarum, de quibus tunc certis modis vacantibus apostolica fuit tibi auctoritate provisum, in Romana curia contra quosdam tuos adversarios litigares, prout litigas, nosque tibi de prepositura ecclesie Vislicensis Cracoviensis diocesis, que inibi dignitas principalis existit, tunc etiam certo modo vacante et antea dispositioni apostolice reservata concessissemus provideri: Nos tibi, qui carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris orator ad nos destinatus existis, et ut asseris, ad hoc, quod inter prefatum Regem et dilectos filios Magistrum et Commendatores hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani pax et concordia subsequerentur, solicitudine indefessa laborasti, prout continuo laboras, quodque tu dictis Culmensi et Pomezaniensi ecclesiis, que in earum castris, villis, possessionibus et bonis propter guerrarum turbines, quibus partes ille prothdolor afflicte fuerunt, damna quamplurima sustinuerunt et quasi devastate sunt, ipsarumque ecclesiarum fructus, redditus et proventus adeo diminuti existant, ut ex eis iuxta episcopalis dignitatis exigentiam statum tuum decenter tenere nequeas, prout nequis, esse poteris valde fructuosus premissorum intuitu, et ut statum tuum decentius tenere ac onera tibi incumbentia facilius perferre valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, teque gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut etiam, postquam possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum utriusque Culmensis et Pomezaniensis ecclesiarum predictarum vigore dictarum litterarum pacificam assecutus fueris, ac munus consecrationis tibi impensum extiterit, preposituram, etiam si ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, cuiusque ducentorum, si tibi vigore litterarum super concessionis gratia huiusmodi conficiendarum conferatur, ac cancellariam, que in dicta ecclesia Poznaniensi dignitas, non tamen maior post pontificalem, nec curata existit, cuiusque quadraginta, etiam si electiva sit, quoad vixeris, necnon Gneznensis, quorum sexaginta, ac Cracoviensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas huiusmodi, quorum octoginta ducatorum auri ungaricalium fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, si illos evincas et pacifice assequaris, ad triennium dumtaxat in commendam retinere, ac ius tibi in eis vel ad illos competens in iudicio et extra prosequi et vendicare, necnon prepositure, cancellarie ac canonicatuum et prebendarum huiusmodi debitis et consuetis supportatis oneribus, de illorum fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti illos pro tempore obtinentes de eis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium prepositure, cancellarie canonicatuumque et prebendarum huiusmodi tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus et tecum super hoc dispensamus, decernentes preposituram, cancellariam et canoni-

catus et prebendas huiusmodi, ac ius tibi in eis vel ad illos quomodolibet competens per promotionem, impensionem et assecutionem predictas, vel per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti interim non vacare, necnon irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinacionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque, Proviso quod propter huiusmodi commendam prepositura, cancellaria ac canonicatus et prebende predicte debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eadem cancellaria, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed illius necnon prepositure ac canonicatuum et prebendarum predictorum congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo etc. nostre concessionis, dispensationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Quarto Nonas Aprilis. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. III. fol. 313.

CXCII.

Iudicibus, ut de quadam compositione inquirant, et certos collectores fructuum ecclesiae Cracoviensis ad eos Iacobo ep̄o Vladislaviensi, qui Cracoviensis episcopus antea nominatus fuerat, solvendos compellant.

Paulus episcopus etc. Dilectis filiis Decano et Scolastico Cracoviensis, ac Archidiacono Sandomiriensis Cracoviensis diocesis ecclesiarum, salutem etc. Decet Romanum pontificem humilibus supplicum quorumlibet, et presertim Cathedralium ecclesiarum prelatorum votis libenter annuere, illaque favoribus prosequi oportunis. Dudum siquidem felicis recordationis Pius papa II. predecessor noster ecclesie Cracoviensi, tunc per obitum bone memorie Thome Episcopi Cracoviensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitute, de persona Venerabilis fratris nostri Iacobi Episcopi Wladislaviensis, tunc apostolice sedis Notarii, primo per quasdam (litteras) providit, preficiendo ipsum Iacobum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, et deinde cum ipse Iacobus regimen et administrationem dicte ecclesie, illorum possessione vel quasi non habita, in manibus ipsius predecessoris sponte et libenter cessisset, Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Gneznensem, tunc Wladislaviensem Episcopum, a vinculo, quo ecclesie Wladislaviensi, cui tunc preerat, tenebatur, de potestatis plenitudine absolvens, ad eandem ecclesiam Cracoviensem transtulit, ipsumque illi prefecit in Episcopum et pastorem, ac prefato Iacobo Episcopo, ne ex cessione huiusmodi nimium dispendium pateretur, pensionem annuam certe tunc expresse quantitatis super fructibus, redditibus et proventibus mense Episcopalis Cracoviensis, eidem Iacobo Ep̄o per dictum Iohannem Ep̄um in certis tunc expressis loco et terminis anno quolibet integre persolvendam, per alias reservavit, necnon dilectis filiis Michaeli in Calvomonte et Nicolao in Andrzeow sancti Benedicti Cisterciensis ordinis Cracoviensis diocesis monasteriorum Abbatibus, ac Nicolao Spizimer Cantori dicte ecclesie Cracoviensis, fructuum et proventuum Camere apostolice in partibus illis debitorum Collectori, et cuilibet eorum in solidum, ut omnes et singulos fructus, redditus et proventus dicte ecclesie Cracoviensis, qui medio tempore post obitum dicti Thome Episcopi obvenerant, et etiam ex ipso Thoma remanserant, in quorumcunque manibus vel potestate consisterent, ad manus eorum reciperent et recuperarent, ac sub bona custodia conservarent, donec ab eodem Pio predecessore aliud haberent in mandatis, quid de illis statueret faciendum, per alias mandavit eis huiusmodi fructus et proventus a quibusvis personis, ad quos forsan pervenissent, cuiuscunque dignitatis, gradus vel conditionis aut preminentie forent, exigendi ac recuperandi, et contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam ac alia iuris remedia ad id compellendi facultatem concedens, et demum ut ipsi Abbates et Cantor omnes fructus huiusmodi per eos forsan tunc collectos, et dicte facultatis vigore deinceps colligendos et exigendos eidem Iohanni Episcopo Cracoviensi, vel cui ipse iuberet, ad omnem ipsius requisitionem absque ulla exceptione seu dilatione integre consignarent, et restituerent ac restitui facerent, reddendo debitam de omnibus per eos circa predicta gestis rationem et computum fidelem, per alias eisdem Abbatibus et Cantori iniunxit. Nosque postmodum eundem Iohannem tunc Cracoviensem Episcopum a vinculo, quo dicte ecclesie Cracoviensi, cui tunc preerat, tenebatur, de simili potestatis plenitudine absolvendum, et ad ecclesiam Gneznensem, tunc certo modo pastore carentem transferendum per alias nostras litteras duximus successive, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Iacobi Ep̄i petitio continebat,

prefatus Iohannes Epus, qui ante translationem de persona sua per nos factam ad ecclesiam Gneznensem, ut prefertur, dum preesset dicte ecclesie Cracoviensi, de pensione predicta per eum dicto Iacobo iuxta dicte reservationis tenorem pro certis temporibus, tunc decursis, debita minime satisfecerit, et vigore reservationis predicte ac processuum desuper decretorum ad illius solutionem etiam post translationem predictam ad ipsius Iacobi instantiam cogebatur, quique collectos per eosdem Abbates et Cantorem fructus predictos ecclesie Cracoviensis nondum ab eisdem Abbatibus et Cantore receperat, volens bonam fidem agnoscere in satisfactionem pensionis predicte tum dicto Iacobo Episcopo debite, omnes huiusmodi fructus ecclesie Cracoviensis ipsi Iohanni Episcopo debitos eidem Iacobo Episcopo consignaverit, et iura sibi pro illorum consecutione competentia cesserit, pro parte dicti Iacobi Epi nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem Abbatibus et Cantori, quod omnes huiusmodi fructus ecclesie Cracoviensis, de quibus colligendis ab eodem predecessore mandatum habuerunt, ut prefertur, et hactenus per eos forsan nondum integraliter collectos, iuxta eis per eundem predecessorem factam commissionem predictam colligant et exigant, et tam per eos collectos et exactos hactenus, quam in futurum colligendos eidem Iacobo Episcopo integraliter consignent et restituant, ac restitui faciant cum effectu, necnon de gestis hactenus per eos et in futurum gerendis circa premissa eidem Iacobo Epo, seu eius legitimo procuratori rationem reddant et computum fidelem, mandare, ac ipsos ad premissa compellere, aliasque in premissis sibi oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis nobis expositis certam noticiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis dictis Iohanne Episcopo, Michaele et Nicolao Abbatibus ac Nicolao Cantore, necnon aliis, qui fuerint evocandi, de premissis per eundem Iacobum Episcopum nobis expositis, ut prefertur, vobis legitime constiterit, eisdem Michaeli et Nicolao Abbatibus ac Nicolao Cantori, et cuilibet eorum, ut forsan nondum collectos per eos hactenus fructus predictos ecclesie Cracoviensis, de quibus colligendis ab eodem predecessore mandatum habuerunt, ut prefertur, iuxta dicti mandati eis facti, et in illo ac litteris predictis dicti predecessoris desuper confectis eis traditam facultatem colligant, exigant et recipiant, mandare, ac eosdem Abbates et Cantorem, ut tam hactenus collectos et exactos ac receptos, quam imposterum recipiendos et colligendos per eos fructus huiusmodi, qui in eadem consignatione et cessione facta, ut prefertur, per dictum Iohannem Episcopum dicto Iacobo Episcopo comprehenduntur, et de quibus eidem Iohanni Episcopo non satisfecerunt, prefato Iacobo Episcopo consignent et restituant, ac restitui faciant cum effectu, et de his, que per eos hactenus et pro tempore gesta sunt in premissis, eidem Iacobo Episcopo, aut eius legitimo procuratori rationem reddant et computum fidelem, cogere et compellere auctoritate nostra curetis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si Iohanni Episcopo, Abbatibus et Cantori prefatis, aut quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. IV. fol. 239.

CXCIII.

Nicolaus de Lipnycza subdiac. Cracov. qui in bello per Turcas captus fidem Christi abnegaverat, ab excommunicatione etc. absolvitur.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Ortano in Romana curia residenti, sal. etc. Solet Apostolice sedis indefessa clementia cunctorum Christifidelium, ecclesiasticarum presertim personarum, quarum oculos et rationis iudicium pater mendacii adeo excecavit, ut fidem christianam, quam professi fuerant, abnegarint, ad eam cum humilitate recurrentium statui libenter consulere, et erga eas cum humilitate poscentibus gremium aperire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Nicolai de Lipnycza subdiaconi Cracoviensis diocesis peticio continebat, quod ipse dudum in bello per christianos iam vigintiquinque annis vel circa decursis contra perfidos Turcos commisso, in quo prohdolor bone memorie Iohannes tituli sancti Angeli presbiter Cardinalis apostolice sedis legatus, et clare memorie Wladislaus Rex Polonie cum multis aliis proceribus corruerunt, prefatus Nicolaus inter alios christianos

per eosdem Turcos captus, et ad partes Asie, (ut) idioma illarum partium disceret, diutius fuit, et tandem metu mortis coactus fidem Christi abnegando, sectam Machumeti metu torturarum professus, ac iuxta illorum ritum circumcisus, et sepius cum eis contra christianos ad pugnandum ire coactus fuit, licet fidem catholicam in corde gesserit, prout gerit, ac nullum christianum, prout verosimiliter credit, manu sua interfecerit aut mutilaverit in conflictis antedictis. Postmodum vero dictis Turcis in Albania existentibus prefatus Nicolaus, prout sepissime speravit, opportunitate captata et relictis rebus ac bonis suis, que habebat, in quadam navi Ianuensi ab inde recessit, et ad urbem Romanam una cum germano suo personaliter advenit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Nicolaus de premissis doleat ab intimis, cupiatque sibi et statui suo super premissis oportune provideri, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et penis, quas propter premissa incurrit, absolvere, ac eum communioni fidelium, participationi sacramentorum et unitati sancte matris ecclesie restituere, necnon secum super irregularitate, quam propter premissa contraxit, dispensare ac alias sibi et statui suo, ut premittitur, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod prefate sedis clementia non consuevit petentibus veniam denegare, sed aberrantes ad semitam veritatis reducere atque animas, satore zizanie et pacis emulo suggerente, qui moliri adversus hominem non desinit, devias et prolapsas deo lucrifacere et salvare, ac volentes ipsum Nicolaum, alias apud nos vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eundem Nicolaum, si hoc humiliter petierit, servatis prius singulis solemnitatibus in similibus servari solitis, et prout qualitas ipsius sceleris requirit, ab excommunicationis et aliis sentenciis, censuris et penis, quas propterea incurrit, necnon ab huiusmodi et aliis quibuscunque et quotcunque gravibus sive enormibus excessibus, delictis, criminibus, negligenciis et peccatis suis omnibus per eum hactenus quomodolibet, etiam in publicis et sacris locis, personis vel temporibus commissis et perpetratis, etiam si talia sint, propter que sedes ipsa sit merito consulenda, et tam in penitenciali consciencie, quam in temporali et contentioso foro per te ipsum auctoritate nostra absolvas hac vice tantum in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi sub virtute prestandi per eum iuramenti, quod de cetero talia non committet, nec committentibus dabit auxilium, consilium vel favorem, et pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ipsumque communioni fidelium et participationi sacramentorum, atque sancte matris ecclesie unitati, et ad omnia iura, statum, formam et honorem, et in eum statum, in quo antequam sic bellaret, aut fidem, ut prefertur, denegasset, aut premissa committeret, quomodolibet erat, restituas atque reponas, et nichilominus secum super irregularitate, quam premissorum occasione contraxit, quodque ad diaconatus dumtaxat ordinem promoveri, et in illo ac aliis per eum ante suceptis ordinibus, eo tamen ad tempus, de quo tibi videbitur, ab illorum executione suspenso, ministrare, necnon quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica sine cura, etiam si canonicatus et prebende, administrationes vel officia in collegiatis ecclesiis fuerint, si sibi alias canonice conferantur, seu presentetur vel assumatur ad illa, recipere et retinere libere et licite valeat, auctoritate nostra dispenses, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam, penitus aboleas, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. MCCCCLXVI (?). decimoseptimo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. III. fol. 113.

CXCIV.

Archiepo Gnesnensi et epo Cracoviensi, ut erectionem domus fratrum Minorum in partibus Prussiae ratam habeant.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi ac Cracoviensi Episcopo, salutem etc. Inter cetera desiderabilia cordis nostri illud potissime intensis desideriis affectamus, ut ubique maiestas altissimi collaudetur in benedictionibus gratiarum, suique gloriosi nominis cultus amplietur, et ad horum promotionem eo libentius humilibus et devotis supplicum votis annuimus, quo sacre religionis illiusque observancie augmentum exinde comperimus provenire. Cum itaque, si-

cut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis Sapyensky domini loci de Sapno Poznaniensis diocesis, carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie illustris oratoris ad nos destinati, petitio continebat, dilecti filii in Thorum, in Danczk et in Elbing Culmensis, Wladislaviensis et Warmiensis diocesum opidorum consules et opidani zelo devotionis accensi, cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commertio commutare, pro eorum ac christifidelium singulorum animarum salute, necnon divini cultus augmento ac eiusdem religionis propagatione de bonis a deo sibi collatis unam domum cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, dormitorio, ortis, ortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis minorum sub regulari observantia degentium in partibus Prusie, vel in aliquo congruo et honesto loco sub dominio ac ditione prefati Regis fundare et edificare plurimum affectarent, si ad hoc sedis apostolice licentia proveniret. Nos igitur, qui ad ordinem huiusmodi singularem gerimus devotionis affectum, consulum et opidanorum eorundem pium propositum et laudabile desiderium huiusmodi plurimum in domino commendantes, ipsius Iohannis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si ita est, et ad hoc ordinarii loci, in quo domus ipsa edificabitur, expressus accesserit consensus, consulibus et opidanis predictis in aliquo loco ad hoc congruo et honesto dictarum partium, vel sub dominio et ditione dicti Regis consistenti, de quo eis videbitur, iuxta morem ipsius ordinis unam domum cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, dormitorio, ortis, ortalitiis et aliis officinis predictis fundandi et construendi seu fundari et construi, ipsisque fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus ecclesiam predictam, postquam constructa fuerit, consecrari faciendi, necnon domum ipsam recipiendi et inhabitandi, iure parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiamini: Nos enim eisdem fratribus, ut ipsi ac domus huiusmodi sub regimine, correctione et obedientia vicarii provincialis Regni Polonie pro tempore existentis, et non alterius subesse teneantur et deberent, quodque omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis et indultis aliis fratribus et domibus ordinis et observantie predictorum per nos, vel sedem apostolicam in genere concessis et imposterum concedendis uti et gaudere libere et licite possint et valeant, concedimus per presentes, Non obstantibus, quod secundum antiquam divisionem provinciarum et ordinis supradicti fratres et domus dicti ordinis in partibus prefatis consistentes sub obedientia et correctione ministri generalis provincie Saxonie subesse teneantur, ac felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua prohibetur, ne fratres eiusdem ordinis in aliqua civitate, castro vel villa aut alio quocunque loco domum de novo construi facere presumant absque sedis apostolice licentia speciali, faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. MCCCCLXVII. Sextodecimo Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. IX. fol. 162.

CXCV.

Rodulpho epo Vratislaviensi, ut omnibus facultatibus sicuti ante translationem a Laventina ad ecclesiam Vratislaviensem uti possit.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Rodulpho Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Cum nos dudum de tuis fide, prudentia ac rerum experientia plurimum confidentes, te in Polonie et Boemie regnis necnon ducatibus, marchionatibus, comitatibus et aliis dominiis ad ea spectantibus, ac in Pruscie, Livonie et Misne partibus auctoritate apostolica nuntium nostrum cum potestate legati de latere constituerimus et deputaverimus, tibique tunc Laventino, nunc vero Wratislaviensi Episcopo, ad obviandum perditionis filio Georgio alias Iersico Podiebrat heretico partis dicti regni Boemie occupatori, sibique adherentibus, ac eum in rectitudinem fidei et obedientiam sancte matris ecclesie reducendum diversas concesserimus facultates, et postmodum te licet absentem a vinculo, quo ecclesie Laventine, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et potestatis apostolice plenitudine absolventes, te ad ecclesiam Wratislaviensem tunc pastoris solatio destitutam duxerimus auctoritate predicta transferendum: Nos ne propter translationem huiusmodi de iuribus facultatum huiusmodi hesitetur, facultatum ipsarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda esset, presentibus pro expressis habentes, tibi motu proprio, non ad cuiusvis instanciam, sed ex certa scientia auctoritate predicta concedimus et volumus, quod

facultatibus predictis libere uti possis et debeas, ac si dicte ecclesie Laventine preesses, et de illa ad ipsam Wratislaviensem ecclesiam translatus non fuisses. Datum Rome apud Sanctum Marcum anno etc. MCCCCLXVIII. v. Kal. Maii. Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. de Curia Tom. II. fol. 32.

CXCVI.

Abbati Mogilensi, ut votis regis Poloniae obsecundans, fratribus ord. Minorum observantiae quasdam domus in Polonia, Lithuania et Russia fundandi et recipiendi licentiam concedat.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Abbati Monasterii Mogilensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Piis fidelium votis gratum nos decet prestare consensum, et ut ea, que religionis propagationem, divini quoque cultus augmentum respiciunt, optatum sortiantur effectum, interponimus solicitudinis nostre partes. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kasimiri Regis Polonie Illustris nobis nuper exhibita peticio continebat, quod in magno ducatu Litwanie et partibus Russie, suo generali dominio subiectis, infidelibus finitimis ingens hereticorum et scismaticorum, ac aliorum infidelium habitat multitudo, illorumque numerus in dies crescit, et de maiori numero extat verisimiliter formidandum, nisi de remedio provideatur oportuno. Et sicut eadem petitio subiungebat, si fratres ordinis Minorum observantie regularis, ad quos Christifideles illarum partium propter uberrimos fructus, quos eorum exemplari vita, predicationibus verbi dei, monitionibus et continuis exhortationibus afferunt populo circa salutem animarum, specialem gerunt devotionis affectum, in partibus illis ac etiam intra regnum Polonie alias domos ultra illas, quas habitant, pro eorum usu et habitatione haberent, profecto, ut creditur, cura, opera et diligentia fratrum, qui illas pro tempore inhabitarent, heretici et scismatici ac alii infideles predicti, qui partes illas incolunt, ab eorum erroribus revocarentur, ac illis a se abdicatis, ad ecclesie unitatem et domini nostri Ihesu Christi veri dei cognitionem converterentur, ipsique fideles in fide ipsa perseverarent firmius, et suarum animarum salutem sectantes, in via salutis plenius instruerentur, et exinde in partibus ipsis non modicum cum animarum salute et orthodoxe fidei propagatione divini cultus succederet incrementum. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in regno duas ac ducatu totidem et partibus Russie predictis reliquas duas domos pro usu et habitatione fratrum eorundem fundandi et construendi, nec non fratribus eisdem, postquam fundate et constructe fuerint, illas acceptandi et perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionem et cultum eosdem nostris potentissime temporibus vigere et augeri intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, eidem Regi de consensu vicarii generalis cismontani eorundem fratrum absque minimo preiudicio alterius in regno duas, et in magno ducatu similiter duas, ac in partibus Russie huiusmodi etiam reliquas duas domos in locis ad id accommodis et honestis cum singulis ecclesiis, campanilibus, campanis, refectoriis, dormitoriis, claustris, hortis, hortaliciis et aliis necessariis officinis cum suis et aliorum illarum partium Christifidelium suffragiis, et piis elemosinis pro usu et habitatione perpetuis fratrum eorundem in illis domibus per vicarium provincie Polonie collocandorum et introducendorum, dummodo ordinariorum locorum ad id etiam expressus accedat assensus, de novo erigendi, construendi et fundandi, seu erigi, construi et fundari faciendi, ipsisque fratribus domos ipsas, postquam constructe fuerint, inhabitandi, auctoritate nostra licentiam largiaris: Nos enim, si concessionem huiusmodi per te vigore presentium fieri, et domos easdem erigi, construi et edificari contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis et favoribus prefato ordini et ipsius domibus, necnon personis eorundem in genere concessis uti et gaudere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne fratres ordinum Mendicantium in aliqua civitate vel villa, vel claustro(?) aut alio loco ad inhabitandum quascunque domos seu loca de novo recipere, vel recepta mutare presumant absque sedis apostolice licentia speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et aliis constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate roboratis contrariis quibuscunque, iure tamen parrochialium ecclesiarum, infra quarum limites ipse domus edificabuntur, et alterius cuiuslibet in omnibus semper salvo. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. MCCCCLXVIII. x. Kal. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VI. fol. 121.

CXCVII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis Benedicto Furmani Canonico Gneznensi ac Officiali Gneznensi, salutem etc. Mandatur eis, ut Nicolao de Xancz Canonico Cracoviensi villam capitularem de Byozanawo in beneficium ecclesiasticum assignari curent. Datum Rome apud S. Marcum Anno etc. mccccLxvii. xvi. Kal. Februarii. Anno Quarto.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Goslup Archidiacono ecclesie Poznaniensis, decretorum doctori, salutem etc. Confert ipsi, de nobili genere ex utroque parente procreato, consideratione regis Polonie, cuius in Curia Romana negotiorum sollicitator existit, dictum Archidiaconatum. Datum Rome apud S. Marcum Anno etc. mccccLxviii. iii. Kal. Augusti. Anno Quarto.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iohanni Pintor Capellano nostro et causarum palatii apostolici auditori, salutem etc. Ut Iohannem de Lukorov Canonicum Poznaniensem in pacifica possessione parrochialis ecclesie in Dolsko Poznaniensis diocesis contra Iohannem de Dombrova et Iohannem de Gyloroyecz, qui eam iniuste detinent, protegat. Datum Rome apud S. Marcum Anno etc. mccccLxviii. v. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Paulus episcopus etc. Dilectis filiis Cantori et Petro Pyiewsky ac Paulo de Orlow Canonicis ecclesie Plocensis, salutem etc. Ut Martino Grustzinfen presbitero Gneznensis diocesis Scolastriam ecclesie Plocensis, vacantem per obitum Lazari de Crisko, conferri curent. Datum Rome apud S. Marcum Anno etc. mccccLxviii. ix. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VI. fol. 2 et 276 et Tom. VII. fol. 120 et Tom. X. fol. 134.

CXCVIII.

Lucae Eysenreich capitano Vratislaviensi insigne gentilicium pontifex concedit.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Luce Eysenreich Capitaneo Civitatis Wratislaviensis, salutem etc. Multiplicium grandiumque virtutum congeries, quibus personam tuam percepimus insignitam, nec non sincere devotionis affectus, quem erga nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, merito nos inducunt, ut eandem personam tuam et propter illam alios etiam iure sanguinis tibi coniunctos spiritualibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui ut accepimus, nostra ac apostolice sedis mandata contra iniquitatis filium Iersicum de Podiebrat hereticum, qui se regem Boemie appellat, pro tua virtute studuisti prosequi, nec non dilectis filiis Petro Rziebil, Nicolao Popel et Andree Popel laicis Wratislaviensis diocesis, consanguineis tuis, vestrisque heredibus, ut pro armis et insigniis vestris unicornu, cuius anterior coloris aurei sive crocei, posterior vero pars ad instar scaccorum alba et nigra in campo rubeo cum galea, cuius cornua pro medietate scilicet alba et nigra scaccata, et ab illorum medio sursum aurea sive crocea existant, prout in presentibus manu artificis clarius depicta sunt, deferre, et illis in campis seu exercitiis militaribus ac alias in sigillis signetis, et ubi tibi ac dictis consanguineis tuis vestrisque posteris seu heredibus legitimis placuerit, uti possitis, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccLxix. sextodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. VIII. fol. 291.

CXCIX.

Nicolai electio in episcopum Varmiensem declaratur canonica, et Vincentius episcopus Culmensis, qui se in eandem ecclesiam intruserat, ab ea sub comminatione censurae ecclesiasticae expellitur.

Paulus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Suscepti regiminis solicitudo nos admonet et ordo rationis exposcit, ut provisiones per nos ex Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesie Cardinalium consilio ad ecclesiarum Cathedralium regimina de personis benemeritis, ac nobis et sancte sedi apostolice devotis, tunc precipue, cum earundem canonica precessit electio, rite factas conservemus illesas, et ut ille suum debitum sorciantur effectum, perversorum obviemus maliciis, ac alias, prout expedire conspicimus, oportune provisionis remedium celeriter adhibeamus. Dudum siquidem electionem per dilectos filios Capitulum ecclesie Warmiensis, que nobis et sancte sedi apostolice iure fun-

dacionis et dotacionis immediate subiecta existit, de persona Venerabilis fratris Nicolai Episcopi Warmiensis canonice celebratam, auctoritate apostolica de dictorum fratrum nostrorum consilio confirmavimus et approbavimus, ipsumque Nicolaum eidem ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut fidedignorum relatibus intelleximus, ad nostrum non sine admiratione pervenit auditum, Venerabilis frater Vincentius Epus Culmensis et ecclesie Pomezaniensis administator in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputatus, ad regimen prefate Warmiensis ecclesie ambitiose aspirans, post et contra predictam electionem, ac illius per nos, ut premittitur, canonice factam confirmationem et prefectionem predictas, variis et exquisitis modis solicitaverit, nonnullosque ex ipsius ecclesie Warmiensis Canonicis, et presertim quosdam Bartholomeum Libenwald, Arnoldum Clunder, Marcum de Wolkow, Wernerum Medderich, Stefanum Neydenburg et Iohannem Dactelen, quos contra propria eorum vota, que in eligendo prefatum Nicolaum Episcopum et ex post concorditer prestiterant, muneribus et promissionibus, subditos vero et quosdam alios Canonicos eiusdem ecclesie sibi adherere merito recusantes, per impressionem et minas, quas suis, et ut dicitur, sub nomine Regio confictis et sigillatis litteris eisdem Canonicis et subditis imposuit, sibi adsciverit, eorumque assistentia fretus in prefata ecclesia Warmiensi se de facto intrudens, de regimine et administratione bonorum, necnon occupatione quorundam locorum eiusdem ecclesie Warmiensis damnabiliter intromiserit, ordines etiam sacros extra tempora a iure statuta celebrare, ac alia pontificalia absque sedis prefate licentia, nec illa obtenta vel petita exercere, prefatumque Nicolaum Episcopum, quominus pacificam possessionem assequi valeret, non modo multipliciter impedire, verum eciam tam ipse, quam Canonici adherentes predicti persuasionibus et promissis illicitis corrupti, una cum quodam Fabriano de Mowlen milite et nonnullis aliis complicibus, obedientie iuramentorum per eos prestitorum immemores, electionem ac confirmationem et prefectionem nostras predictas detestabili rebellione parvi pendere atque contemnere non verentur, ipseque Vincentius Epus, licentia dictorum Canonicorum suorum complicum, ut dicitur, obtenta, quedam clenodia argentea etiam sacra, vel mitram et baculum pastoralem, ac alia ad predictam ecclesiam legitime spectantia, sub colore mutui simulati extra diocesim Warmiensem secum asportare presumpsit, et tam suis, quam confictis litteris Regiis prohibitiones publicas de non recipiendo, neque admittendo litteras illuc a Romana Curia in favorem prefati Nicolai Episcopi destinandas, nec etiam ipsum Episcopum Nicolaum vel eius amicos fieri et publicari curavit, in sue ac dictorum complicum animarum grave periculum, necnon ecclesie Warmiensis predicte preiudicium non modicum, pernitiosum exemplum et scandalum plurimorum: Nos itaque attendentes tam graves et enormes excessus, maxime in prelatis et personis ecclesiasticis, quorum opera elucere debent, ne prava a subditis in exemplum trahantur, nullatenus impunitos esse relinquendos, ac volentes, prout tenemur, huiusmodi abusibus temerariis obviare, nostroque et dicte sedis honori ac prefati Nicolai Episcopi et ecclesie sue indemnitatibus super hiis oportune prospicere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed equitatis et iusticie cultu suadente, omnes appellationes per Vincentium Episcopum et complices supradictos in presenti negotio forsitan interpositas, seu interponendas ex certa scientia annullantes, ac illas cum inde secutis nullas, frivolas et inanes fore decernentes, necnon Vincentio Episcopo et complicibus prefatis super illis perpetuum silentium imponentes, eosdem Vincentium, Canonicos et complices ac universos et singulos prefate ecclesie Warmiensis subditos, necnon arrendatarios, censuarios et debitores fructuum, bonorum et iurium eiusdem ecclesie, et alios quoscunque utriusque sexus ecclesiasticas seculares et ordinum quorumcunque regulares, exemptas et non exemptas, ac etiam laicales personas, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, conditionis vel preeminentie fuerint, ipsum Nicolaum Episcopum, quominus pacificam dicte ecclesie, ac omnium bonorum, iurium et locorum eiusdem assequatur possessionem, quomodolibet impedientes, aut impedientibus auxilium, consilium vel favorem tacite vel expresse, directe vel indirecte, seu quovis alio quesito colore prestantes, in virtute sancte obedientie, et sub excommunicationis maioris pena, necnon divini obtestatione iudicii atque aliis censuris et penis infrascriptis apostolica auctoritate presentium tenore monemus, quatinus infra spatium dierum sexaginta post publicationem seu affixionem presentium in maiori, ac parrochialibus sanctarum Elisabeth et Marie Magdalene Wratislaviensis, necnon beate Marie opidi Franchfordensis Lubucensis diocesis ecclesiis, seu in alio loco propinquo, ubi executio tute fieri poterit, faciendam, quorum sexaginta dierum viginti pro primo, viginti pro secundo et reliquos viginti dies pro ultimo et peremptorio termino, ac monitione ca-

nonica eis et omnibus ipsorum assignavimus, Vincentius videlicet a molestiis ac detentione et occupatione castrorum, iurium, bonorum et locorum Warmiensis ecclesie cessasse, illaque vacua et expedita cum bonis ablatis et fructibus inde levatis integre ipsi Nicolao Warmiensi Episcopo restituisse, alii vero Canonici et subditi supradicti eidem Nicolao Episcopo obedientiam et reverentiam debitas exhibuisse, ipsiusque salubribus monitis atque mandatis deinceps parere, eique vel procuratori suo legitimo de singulis tam debitis, quam in futuro debendis fructibus, redditibus, proventibus, censibus, iuribus, emolumentis et obventionibus universis respondere realiter et cum effectu debeant et teneantur; alioquin exnunc prout extunc, si non paruerint, prout ad quemlibet ipsorum pertinet, predictis sexaginta diebus elapsis, videlicet in Vincentium Episcopum interdicti ingressus ecclesie primo, et deinde suspensionis a divinis, ac expost in eundem necnon Canonicos et singulares personas huiusmodi, ac eis auxilium, consilium vel favorem prestantes, ut prefertur, excommunicationis maioris, in Collegia vero et ecclesias, parrochias, Capitula, civitates et loca predicta interdicti ecclesiastici strictissime observandi sententias promulgamus, quas ipsorum singulos, si contra factum fuerit, respective incurrisse volumus ipso facto. Et si (quod absit) eas per triduum postremo animo sustinere indurato pertinaciter contenderint, Vincentium Episcopum sibi commissis ecclesiis prefatis, ac omni officio, honore et exercitio pontificalis dignitatis, alias vero personas, si fuerint ecclesiastice, singulis Canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis, aliisque beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus vel regularibus, que obtinent, si seculares extiterint, omnibus feudis, bonis, honoribus, privilegiis et officiis, que a sede vel Warmiensi ecclesia predictis tenent sive recognoscunt, perpetuo privatos decernimus, et ex privatione huiusmodi illa omnia extunc vacare, ac per eos, ad quos alias pertinet, ydoneis et obedientibus licite conferri posse et debere, ipsumque Vincentium ac Canonicos complices et adherentes, aliosque prefatos ad huiusmodi, et quevis alia beneficia, feuda, bona, iura, privilegia, honores et officia obtinenda etiam perpetuo inhabilitamus, et tam illos, quam alios omnes inobedientes in centum marchis auri Camere apostolice irremisibiliter applicandis condemnamus similiter per presentes, declarantes nichilominus omnes ordines ecclesiasticos per ipsum Vincentium Episcopum deinceps non obtenta a nobis, vel predicta sede licentia et absolutione ac integra restitutione celebrandos, atque sacramenta ecclesiastica per ipsum ministranda, prout sunt, esse nulla nulliusque roboris vel momenti, nostreque intentionis semper fuisse et esse, quod idem Nicolaus Episcopus vigore litterarum nostrarum predictarum, omnibus sublatis impedimentis, pacifica dicte sue ecclesie possessione fruatur. Et insuper Venerabilibus fratribus nostris Wratislaviensi et Lubicensi Epis, ac dilecto filio Preposito ecclesie Wratislaviensis per apostolica scripta simili motu mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedire viderint, solemniter publicantes, ac prefato Nicolao Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, non permittant eum per Vincentium Episcopum, Canonicos et complices, ac singulares personas prefatas vel quoscunque alios super eadem ecclesia Warmiensi indebite molestari, sed quemlibet ex Vincentio et Canonicis aliisque personis huiusmodi, quem sententias prefatas, dictorum sexaginta dierum termino effluxo, ac de effectuali et reali paritione premissorum coram ipsis seu altero ipsorum minime docto eis constiterit incurrisse, quotiens super hoc vigore litterarum huiusmodi pro parte ipsius Nicolai Episcopi fuerint requisiti, tamdiu in ecclesiis suis dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatum et privatum ac aliis huiusmodi penis irretitum, Civitates vero et loca predicta canonico esse interdicto supposita publice nuncient, et faciant ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arcius evitari, donec spiritum resumentes consilii sanioris, prefato Nicolao Episcopo et aliis lesis condignam emendam prestiterint, necnon absolutionis beneficium ab eisdem sententiis et alias integram reconciliationis graciam meruerint obtinere, Contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam etc. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illa presertim que incipit: Statutum, quod circa iudices; et de duabus dietis in concilio generali, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, Aut si Vincentio Epo ac Warmiensi Capitulo, necnon singularibus et aliis personis predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut suis beneficiis, feudis, bonis, honoribus et privilegiis privari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam

et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Preterea, quia difficile foret presentes litteras ad singula, in quibus necessarie forent, loca deferre, prefata auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto alicuius ecclesiastici prelati sigillo munito tanquam eisdem presentibus, si exhiberentur, litteris plena ubique fides adhibeatur, et perinde stetur, ac si eedem presentes littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre annullationis, constitutionis, impositionis, monitionis, assignationis, promulgationis, voluntatis, decreti, inhabilitationis, condemnationis, declarationis, mandati et statuti infringere etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXVIIII. Tertiodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VIII. fol. 259.

CC.

Episcopo Premisliensi, ut Stanislaum Carwyczsky clericum ab irregularitate absolvat.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Przemisliensi, salutem etc. Apostolice sedis indefessa clementia lapsis ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus filiis libenter se propitiam exhibet et benignam, ad illos quoque dextram sue liberalitatis extendit, quos virtutum merita laudabiliter recommendant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Stanislai Carwyczsky clerici tue diocesis petitio continebat, quod olim ipse tunc in minoribus ordinibus constitutus in pluribus guerris, preliis et conflictibus tunc in partibus Prussie vigentibus, in quibus cedes, mutilationes, rapine et depredationes quamplurime facte fuerunt, personaliter interfuit, licet ipse neminem manu propria interfecerit, nec ut quisquam interficeretur, auxilium, consilium vel favorem prestiterit, sed levitate quadam motus ad prelia huiusmodi accessit, et deinde parrochiali ecclesia de Sambor dicte diocesis, que de iure patronatus laicorum existit, tunc certo modo vacante, Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris verus patronus dicte ecclesie, ac existens in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad eandem ecclesiam, dum pro tempore vacat, ipsum Stanislaum, nulla ab huiusmodi excessu absolutione obtenta, nec secum super irregularitate, quam propterea contraxit, dispensato, infra tempus legitimum tibi quamvis de facto presentavit, tuque premissorum forsan ignarus, eundem Stanislaum ad huiusmodi presentationem in rectorem dicte ecclesie ordinaria auctoritate similiter de facto instituisti, prefatusque Stanislaus presentationis et institutionis earundem pretextu possessionem dicte ecclesie apprehendens, illam extunc detinuit, prout detinet indebite occupatam, fructus percipiens ex eadem bona tamen fide. Cum autem secundum premissa presentatio et institutio predicte iuribus non subsistant, et sicut accepimus, ecclesia ipsa adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, pro parte dicti Stanislai nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum ab excessu predicto ac excomunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, si quas premissorum occasione incurrit, absolvere, ac secum super irregularitate, quam, ut prefertur, contraxit, dispensare, aliasque sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos verum et ultimum ipsius ecclesie vacationis modum presentibus pro expresso habentes, ac dictum Stanislaum, qui, ut asserit, de nobili genere procreatus existit, alias apud nos de nobilitate generis, vite et morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore gratioso prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsum Stanislaum, si hoc humiliter petierit, ab excessu necnon excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis predictis auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, secumque super irregularitate, quam propterea contraxit, quodque in susceptis ac suscipiendis per eum ordinibus, preterquam in altaris officio, ministrare libere ac licite valeat, eadem auctoritate dispenses, omnemque aboleas inhabilitatis et infamie maculam seu notam per eum dicta occasione contractam; et nichilominus si absolutionem, dispensationem et abolitionem huiusmodi per te vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus duodecim marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Stanislaus etiam asserit, non excedunt, sive illo, quo ultimo vacavit, sive alias quovismodo, aut ex cuiuscunque persona seu per liberam alicuius de illa extra Romanam curiam etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii

ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et portinenciis suis prefato Stanislao eadem auctoritate nostra conferas et assignes, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium dicte ecclesie sub penis in quadam nostra super hoc edita constitutione contentis sibi penitus interdicta, inducens per te vel alium seu alios eundem Stanislaum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens ipsi Stanislao de predicte ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXVIIII. Octavo Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. IX. fol. 276.

CCI.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Offitiali Posnaniensi, salutem etc. Mandatur ei, ut Iohanni de Lukowo, Canonico Poznaniensi, unam ex maioribus prebendis eiusdem ecclesie, quam Clemens de Drzwycza obtinebat, conferri curet. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXVIII. X. Kalendas Martii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Sdeborii Preposito ecclesie B. Marie Kylcyensis Cracoviensis diocesis, Bachalario in decretis, salutem etc. Confert ipsi dictam Prepositurам vacantem per obitum Raphaelis Skavina. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXIX. XII. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Dignensi, et dilectis filiis Stanislao Swiraczky ac Urieli de Gorka Canonicis ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Mandatur eis, ut Iohanni de Lesozno clerico Poznaniensis diocesis parrochialem ecclesiam in Wawrzynczicze Cracoviensis diocesis vacantem per obitum Petri de Ossowa conferri curent. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXVIII. X. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. IX. fol. 56. et 146. et Tom. XVI. fol. 31.

CCII.

Pontifex prohibet, quominus aliquis in universitate Pragensi propter Bohemorum haeresim studiis incumbat et gradus recipiat.

Paulus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi inter cetera cordis nostri desideria illud in primis exoptemus, ut litterarum studia, per que fides catholica roboratur, publice et private res bene et salubriter gubernantur, ubique floreant, dediti eisdem studiis post susceptos labores et acquisitam scientie margaritam honorum quoque culmina valeant adipisci: illa tamen studia, in quibus cum rosis et lilliis litterarum noscuntur sentes heresum, et inter apparentes flores colubri venenosi latitant, repprimenda potius et eis adimenda preeminentia, quam tolleranda sunt diutius, ne unde salubres sperabantur fructus, inde mors et pernities oriantur. Sane fidedignorum relatione percepimus, quod licet a tempore, quo damnata Ussitarum heresis per regnum Boemie, et presertim intra menia civitatis Pragensis, hoste antiquo humani generis disseminante, irrepsit, usque in hodiernam diem in eadem civitate universitas studii generalis, que antea ibi in quarumcunque bonarum artium studiis florebat, perseveraverit, tamen quoniam plura supposita universitatis predicte adeo in dies maculata fuere, ut vix in illa pauci catholici, qui de fide catholica recte sentiant, reperiri possint. Nos igitur, qui post nonnullos Romanos pontifices predecessores nostros, qui in hac sacra sede a multis annis citra sederunt, omnem diligentiam sedulo patri pro filiorum ab eodem versuto antiquo serpente seductorum liberatione possibilem adhibuimus, ut tam pestifferum virus ex civitate et regno predictis eradicare possemus, attendentes, quod non modo promovendi non sunt, qui de fide catholica male sentiunt, sed de gradibus potius, ad quos promoti erant, et quos heretica labe respersi nullatenus receperunt, deiciendi et deponendi existunt, omnibus et singulis tam legentibus quam studentibus in universitate predicta presentibus et futuris auctori-

tate apostolica, et ex certa scientia tenore presentium districtius inhibemus, ne de cetero legentes ipsi vel alii promovere soliti aliquem in eadem universitate ad bachalariatus, licentie, doctoratus, magisterii vel alium quemcunque gradum promovere quoquomodo presumant, nec aliquis scolaris vel studens inibi se promoveri procuret seu etiam permittat, donec universitatis eiusdem supposita cum tota civitate regnoque predictis, dimissis eorum erroribus, ad gremium sancte Romane et catholice ecclesie redierint, et a nobis vel sede apostolica in pristinum statum fuerit predicta universitas restituta. Nos enim omnes et singulos, si qui forsan ad predictos gradus vel eorum aliquem in universitate predicta contra prohibitionem huiusmodi temere procuraverint vel fecerint, aut permiserint se promoveri tamquam magistros vel doctores aut licentiatos seu bachalarios, vel aliis gradibus huiusmodi insignitos nullatenus reputari debere, nec pro talibus haberi, nec aliqua prerogativa vel preeminentia seu honore, quibus ad ipsos gradus rite graduati potiri solent et possunt, quoquomodo potiri vel gaudere posse seu debere, auctoritate et scientia predictis decernimus, declarantes earundem tenore presentium tam legentes et alios gradus exhibere solitos ad magistrandum, vel gradus huiusmodi impendendum, quam etiam scolares et studentes ad illos recipiendum in universitate predicta esse prorsus inhabiles et incapaces, irritum et inane censentes ex nunc quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper Venerabilibus fratribus nostris Laurentio Ferrariensi et Rodulfo Wratislaviensi in partibus illis nostris et apostolice sedis nuntiis, ac Pataviensi Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras, ubi, quando et quotiens expedire viderint, auctoritate nostra solemniter publicantes, non permittant illos, qui contra prohibitionem huiusmodi se ad aliquem gradum in universitate predicta promoveri facere presumpserint seu etiam permiserint, pro graduatis haberi seu etiam reputari, nec ulla gradus et honoris, quem taliter de facto assumpserint, prerogativa gaudere, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibusvis eidem universitati per sedem predictam aut etiam imperiali auctoritate concessis privilegiis, indultis et litteris, quorumcunque tenorum existant, quibus quoad hoc specialiter derogamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et insuper, ut decretum et declaratio premisse facilius innotescant, cum difficile sit presentes litteras ad singulas illarum partium provincias de proximo transferri, volumus, quod presentium litterarum transumptis manu notarii publici subscriptis, ac alterius episcoporum predictorum sigilli appensione munitis fides indubia adhibeatur, illisque stetur in omnibus et per omnia, ac si ipse presentes littere originales essent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis, decreti, declarationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, septimo Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Curia Tom. II. fol. 81.

CCIII.

Derslaus de Carmeze collector denarii S. Petri etc. in regno Poloniae constituitur.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Derslao Michaelis de Carmeze Scolastico Plocensis et Canonico Cracoviensis ecclesiarum, apostolice sedis nuntio, denarii sancti Petri ac iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice in regno Polonie, ac provintia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus Collectori, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti diligentia et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum in domino confidentes, te in regno Polonie ac provintia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus nuntium apostolicum, et denarii sancti Petri apostoli, ac fructuum, proventuum censuum, aliorumque iurium quorumcunque nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice inibi debitorum et debendorum collectorem, ac generalem receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi Collectores et receptores in prefatis regno, provintia, civitatibus et diocesibus per nos aut quacunque alia auctoritate deputatos, aut commissiones omnes super huiusmodi Collectorie et receptorie

officiis, aliisque sibi sub quacunque verborum forma per dictam sedem aut alia auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores, Succollectores et receptores ab eorum officiis et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter ammovendo, tibique nichilominus per te vel alium seu alios dumtaxat fide et facultatibus ydoneos nostro et dicte ecclesie et Camere nominibus a quibuscunque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcunque, etiam laicalibus personis, nec non universitatibus et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumlibet regni, provintię, civitatum et diocesum predictorum, omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates nobis, ecclesie et Camere predictis debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, nec non denarii sancti Petri, ac etiam oblata et data pro cruciata in subsidium contra Turcum, aut provenientia ex indulgentia Iubilei, et quibusvis aliis indulgentiis per nos aut predecessores nostros concessis, fructus quoque redditus et proventus quorumcunque beneficiorum vacantium, aut de facto occupatorum, ac etiam fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum auctoritate apostolica collatorum et inantea conferendorum, ac omnia et singula iura nobis, ecclesie et Camere predictis in regno, provintia, civitatibus et diocesibus huiusmodi quacunque ratione vel causa debita seu debenda, ad nos et easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis servitiis prelatorum ad quarumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis, petendi, levandi et exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Succollectoribus et receptoribus, nec non Inquisitoribus heretice pravitatis, et officialibus aliis pro dicta Camera in regno, provintia, civitatibus et diocesibus predictis deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negotia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad hoc compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi, recipiendi ac de receptis quitandi, liberandi dumtaxat et penitus absolvendi, nec non Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel preminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem, aliaque iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendi, nec non contra quoscunque tibi vel Succollectoribus et aliis officialibus tuis iniuriantes, seu te vel alios coniunctim vel divisim in executione negotiorum dicte ecclesie directe vel indirecte quomodolibet impedientes, auctoritate predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis seu Camerario nostro aut eius locumtenente personaliter, vel alias legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores seu precessores tuos vel eorum Succollectores coniunctim vel divisim latas, et imposterum quomodolibet ferendas aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, divina celebrando vel se illis immiscendo quomodolibet contraxerint, auctoritate apostolica dispensandi, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, de una et duabus dietis in Concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et earum totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus habenda esset mentio specialis, seu si aliquibus vel eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem, ita tamen quod de fructibus, redditibus, proventibus et bonis aliis quibuscunque ipsi Camere debitis persolvendis ultra annuam dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, si vero parve, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Succollectorem non deputes seu constituas, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, ad dictam Cameram clare et distinte transmittas, et quod singulis bienniis de receptis et gestis per te et substitutos tuos in huiusmodi collectorie officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in apostolica Camera coram gentibus ipsius tenearis, necnon quicquid in

predictis te recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis, aut Camerario nostro vel eius locumtenenti predictis, vel gentibus ipsius, quantocius poteris, transmittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus dilecti filii nostri Marci tituli sancti Marci presbiteri Cardinalis, Episcopi Vincentini, fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique Succollectores per te deputandi idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudentiam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus exinde subsequantur, tuque apud nos et sedem predictam non immerito valeas commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo septuagesimo, quintodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Offic. Tom. II. fol. 40.

CCIV.

Duobus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Borchardo Trupenecht Preposito ecclesie Osiliensis, salutem etc. Confert ipsi dictam Prepositurам vacantem per obitum Godescalci Oppemberge. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. mccccl xix. xiii. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iohanni Francisco de Gavinis, Capellano nostro et causarum palatii apostolici auditori, salutem etc. Ut Iohanni Nasson presbitero Cracoviensis diocesis Cantoriam ecclesie Wratislaviensis conferri curet. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. Tom. XI. fol. 86 et Tom. XIV. fol. 42.

CCV.

Casimiro regi Poloniae, ut oratores ducis Moscoviae Romam venientes benigne tractet.

Paulus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Iohannes Wlodomirie, Muscovie, Novagorodie, Plescovie etc. Magnus Dux, insignis memorie Basilii Magni Ducis natus, nonnullos suos oratores ad nos mittere intendat, cupimus pro debito nostri pastoralis officii, ut ipsi oratores mittendi humane et benigne ubique recipiantur et tractentur: Quare hortamur Serenitatem tuam in domino, velis pro nostra ac apostolice sedis reverentia, etiam pro bonitate tua eis liberum transitum per Regnum tuum Polonie et alia dominia tua dari facere ac benigne tractari, ita ut sine aliquo impedimento ad nos venire, et ad propria redire valeant: quod quamvis te libenter facturum non dubitamus, voluimus tamen Serenitati tue significare hoc nobis gratissimum futurum. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice mcccclxx. pridie Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Brevior. Tom. XII. fol. 14.

CCVI.

Iacobus de Viscel alias Munich collector generalis in Livonia et Prussia constituitur.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo de Viscel alias Munich, Preposito ecclesie Tarbatensis, nostro et apostolice sedis Nuntio, in civitate et diocesi Rigensi, necnon Livonie et Prussie provinciis, preterquam in civitatibus et diocesibus ac locis comprehensis sub collectoria Polonie, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque circumspecta, probitateque et aliis virtutibus pluribus, quibus te dominus illarum largitor insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi committenda duxerimus, solerti et salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te in Rigensi ac Livonie et Prussie provintiis, preterquam in civitatibus et diocesibus ac locis comprehensis sub collectoria Polonie supradictis, generalem fructuum, reddituum, censuum et aliorum iurium nobis et Romane ecclesie et Camere apostolice debitorum et debendorum nostrum et sedis apostolice collectorem, et receptorem usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos collectores, receptores et succollectores inibi hactenus deputatos quacunque auctoritate, et concessiones omnes et singulas super huiusmodi collectorie, receptorie et succollectorie officio aliis, quam tibi, sub quavis verborum forma per quoscunque et quavis auctoritate factas seu con-

cessas penitus revocando, ac tibi per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat, fide et facultatibus ydoneos nostro et dictarum ecclesie et Camere apostolice nomine a quibuscunque Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcunque, ac etiam laicalibus personis, necnon universitatibus et communitatibus civitatum, castrorum, terrarum, villarum et aliorum quorumlibet locorum, omnia et singula pecuniarum summas, fructus, redditus et proventus ac iura, res, census annuos et bona alia, in quibuscunque rebus consistant, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, nobis et eisdem ecclesie et Camere in prefatis civitatibus et diocesibus atque provintiis quacunque ratione vel causa debita et debenda, et ad nos seu easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinentes et pertinentia, aut alias quomodolibet spectantes et spectantia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis servitiis prelatorum dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi et recipiendi, ac solventes de receptis et solutis dumtaxat quitandi, liberandi et absolvendi, rationesque et computa a quibuscunque collectoribus, receptoribus et succollectoribus, necnon inquisitoribus heretice pravitatis et aliis officialibus pro dictis ecclesia et Camera in prefatis civitatibus, provintiis et diocesibus, seu earum aliquibus hactenus deputatis et deputandis, huiusmodi beneplacito durante, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negotia dictarum ecclesie et Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, compellendi et cohercendi, ac contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminentie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, bonorumque suorum sequestrationem et personarum arrestationem, et alia iuris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendi, seu si eorum contumacia id exegerit, quotiens et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis vel Camerario nostro, aut eius locumtenente in dicta Camera apostolica, aut coram officialibus Camere predicte infra certum competentem terminum per te illis prefigendum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis ac ordinum religiosorum quorumcunque et personarum ecclesiasticarum exemptarum invocandi, sententiasque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predecessores tuos inibi collectores, quam per te vel a te deputatos et deputandos latas et ferendas, cum ad obedientiam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, auctoritate predicta in forma ecclesie consueta absolvendi, et cum ipsis super irregularitatibus, si quas sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, eadem auctoritate eis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, a suorum ordinum executione suspensis dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXX. decimo septimo Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Offic. Tom. II. fol. 100.

CCVII.

Iacobo de Dambno capitaneo Cracoviensi ususfructus villae Pobyednyk, ad monasterium monialium de Swyerzwyecz pertinentis, quam e manibus oppressorum in commodum eiusdem monasterii eripuerat, quoad vixerit, confirmatur.

Paulus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice gratitudo exuberans, sicut variis plerumque modis, gratiis et muneribus erga benemeritos se exhibet liberalem, ita hiis, que pro remuneratione eorum alias provide comperit processisse, ut illibata perdurent, libenter, cum petitur, sui muniminis adiicit firmitatem. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Iacobi de Dambno, militis et capitanei Cracoviensis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius Prepositus et dilecte in Christo filie Abbatissa sive Priorissa et Conventus monasterii monialium Swyerzwyecz, per Prepositum et Priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis, provide attendentes, quod alias dum villa Pobyednyk dicte diocesis per eiusdem ville vicinos et quosdam alios adeo oppressa foret et desolata, ut nulla verisimilis spes foret, quod villa ipsa recuperari, aut ex ea aliquid percipi posset, pro monasterio prelibato ipse Iacobus villam ipsam ab oppressione huiusmodi non sine magno dispendio liberaverat, et ad conditionem bonam reduxerat, et volentes pro tantis ab eo receptis muneribus dignum sibi reddere premium, villam ipsam seu illius usumfructum eidem Iacobo, quoad vixerit dumtaxat, censibus et fixis proventibus, quorum valor ad duas marchas argenti secundum communem

extimationem annuatim ascendunt, eisdem Preposito et Abbatisse sive Priorisse ac Conventui reservatis, ita ut ipse Iacobus solummodo cultura terrarum, pratis et herbis aliisque accidentalibus proventibus gaudere deberet, liberaliter et sponte donarunt, prout in quibusdam scripturis autenticis desuper confectis dicitur plenius contineri: Quare pro parte dicti Iacobi, qui, ut asserit, in pacifica possessione vel quasi ville prata et herbas aliosque accidentales proventus huiusmodi percipiendi existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationem predictam pro illius subsistentia firmiori apostolica auctoritate confirmare et approbare, aliasque sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur villam predictam per illius designationes et confinia, ac fructuum, reddituum et proventuum ac censuum predictorum veros annuos valores, dictarumque scripturarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, eiusdem Iacobi, qui Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris Cancellarius, et eiusdem Regis orator ad nos et sedem prefatam pro nonnullis arduis negociis destinatus existit, supplicationibus inclinati, donationem predictam, et prout illam concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, et inde secuta quecunque auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXI. VIII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Tom. XVI. fol. 124.

CCVIII.

Eidem Iacobo, quoad vixerit, fructus quarundam villarum mensae archiepiscopalis Gnesnensis confirmantur.

Paulus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Iniunctum nobis desuper apostolice servitutis officium exposcit, ut ea, que pro ecclesiarum commoditate et personarum benemeritarum condigna retribucione provide facta sunt, ut inconcusse serventur, libenter, cum petitur, apostolico robore solidemus. Sane pro parte dilecti filii Nobilis viri Iacobi de Dambno, Militis, Capitanei Cracoviensis, nobis nuper exhibita peticio continebat, quod bone memorie Iohannes Archiepiscopus Gneznensis provide attendens, quod idem Iacobus eisdem ecclesie et Archiepiscopo plurima grata servitia impenderat, in aliqualem recompensam servitiorum huiusmodi, et ut alii eius exemplo ad alia faciendum allicerentur, de consensu dilectorum filiorum Capituli ecclesie Gneznensis eidem Iacobo liberaliter donavit, et concessit omnes et singulos fructus ac redditus villarum Rudoltowo et Coczawie, ac decimam in Thurzinowo, et proventus ac decimas in dictis villis Gneznensis diocesis ad mensam suam archiepiscopalem Gneznensem spectantes, vigintinovem marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum non excedentes, cum libera facultate illos propria auctoritate, quoad viveret dumtaxat, percipiendi; quodque deinde Venerabilis frater noster Iohannes modernus Archiepiscopus Gneznensis considerans, quod si ipse Iacobus fructus, redditus et proventus predictos sibi, ut prefertur, donatos, mense prefate, cui accommodi erant, dimitteret, et ab illorum ulteriori perceptione desisteret, ipseque Archiepiscopus loco permutationis et cambii eidem Iacobo alios fructus et decimales proventus mense predicte minus accommodos concederet, id in ipsius mense utilitatem cederet, eidem, Iacobo, qui concessioni et donationi predicte cessit, loco permutationis et cambii sub ratihabitione Capituli predictorum dedit, et concessit similiter, ad eius vitam dumtaxat, omnes et singulos fructus et redditus ac decimales proventus villarum Byskupicze, Lgotha et Prussy Cracoviensis diocesis ad mensam predictam legitime eciam spectantes, cum earundem villarum censibus, decimis et obventionibus universis, nec non quendam censum in Suppis Vyslicensi et Bochnensi dicte Cracoviensis diocesis, quorum omnium verus valor summam vigintiquinque marcharum secundum extimationem predictam annuatim non excedit, que omnia postmodum quondam Nicolaus Spiczimiri Cantor ecclesie Cracoviensis, decretorum doctor, ac fructuum et proventuum Camere apostolice in partibus illis debitorum generalis Collector, cui Venerabilis frater noster Rudolphus Wratislaviensis, tunc Laventinus Episcopus, in Boemie et Pollonie regnis ac etiam Alamanie partibus noster, et apostolice sedis Nuntius cum potestate legati de latere in hoc commiserat vices suas, commissionis huiusmodi vigore apostolica auctoritate confirmavit,

prout in quibusdam litteris autenticis desuper confectis, quas diligenter inspici et presentibus annotari fecimus, plenius continetur: Quare pro parte dicti Iacobi nobis fuit humiliter supplicatum, ut posteriores concessionem, permutationem et cambium huiusmodi pro illius subsistentia firmiori approbare et confirmare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem posteriorem sive permutationem et cambium huiusmodi, ac prout illa concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, et inde secuta quecunque auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte Gneznensis ecclesie iuramento, confirmacione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Tenor vero litterarum predictarum autenticarum cum subscriptionibus, omissis caracteribus et signis, sequitur, et est talis. Nicolaus Spiczimiri de Cracovia decretorum doctor, Cantor Cracoviensis, Gneznensis et Wratislaviensis ecclesiarum Canonicus, fructuumque, redditaum et proventuum Camere apostolice, ac census denarii sancti Petri in regno Polonie et provincia Gneznensi et diocesibus dicte provincie subiectis Collector generalis, subconservatorque iurium et privilegiorum alme Universitatis studii Cracoviensis, necnon iudex commissarius et executor unicus ad infrascripta per Rm̃um in Christo patrem et dñum, dñum Rudolphum dei gratia Episcopum Laventinum, sacrosancte sedis apostolice in Bohemie et Pollonie regna, ac certis Alamanie partibus cum potestate legati de latere legatum missum, specialiter deputatus, universis et singulis, ad quos nostre littere presentes pervenerint, publice significamus, quomodo in nostra constitutus presentia magnificus dñus Iacobus de Dambno, regni Pollonie Thesaurarius et Capitaneus Cracoviensis, exhibuit et presentavit nobis litteras commissionis prefati Revm̃i in Christo patris dñi Rudolphi legati in pergameno scriptas, eius vero sigillo in pensula pergameni subappendente sigillatas, (quas) ea, qua decuit, reverentia et honore recepimus, et quarum tenor inferius insertus est; nec non alias litteras Rñdi in Christo patris dñi Iohannis dei gratia Archiepiscopi et Venerabilis Capituli ecclesie Gneznensis ipsorum sigillis subappensis roboratas, quandam donationem in vim specialis gratie certarum villarum et bonorum temporalium ad tempora vite, cum decimis manipularibus et eius emolumentis omnibus sibi domino Iacobo, Thesaurario et Capitaneo Cracoviensi, donatorum et assignatorum in eisdem descriptorum in se continentes, de mensa archiepiscopali per eundem dñum Archiepiscopum de consensu dicti Capituli Gneznensis sub certis modo et forma in eisdem descriptis factam: quarum quidem litterarum commissionis et donationis tenores in hunc modum sequuntur. Rudolphus dei gratia Episcopus Laventinus, sacrosancte sedis apostolice in Boemie et Pollonie regnis ac certis Alamanie partibus cum potestate legati de latere legatus missus, Venerabili in Christo nobis sincere dilecto Nicolao Spiczimiri decretorum doctori, Cantori et Canonico Cracoviensi, salutem in domino et in commissis diligentiam debitam adhibere. Cum dudum bone memorie Iohannes Archiepiscopus Gneznensis certas villas et decimas manipulares mense sue archiepiscopalis magnificis et spectabilibus dñis Iacobo de Dambno regni Pollonie Vicethesaurario et Capitaneo Cracoviensi, Eustachio de Sbrowa Castellano Radomiensi, et Dobeslao de Zyrowy Castellano Primislyensi domicellis, et cuilibet eorum respective ad tempora vite eorum, consensu Capituli sui Gneznensis ad hoc accedente, donaverit dederitque atque inscripserit, et prout peticio nobis oblata continebat, Rm̃us pater dñus Iohannes modernus Archiepiscopus Gneznensis donationem et inscriptionem, sicut premittitur, de villis et bonis huiusmodi per predecessorem suum factas ratas et gratas habens, quandam permutationem predictarum villarum et bonorum pro aliis villis et bonis cum prefato domino Iacobo de Dambno similiter cum consensu Capituli Gneznensis sui fecit atque inscripsit, prout in litteris desuper confectis plenius et latius contineri dicitur: unde pro parte prefatorum exponentium nobis extitit humiliter supplicatum, ut donationem, inscriptionem et permutationem predictas cum inde secutis auctoritate nostre legationis approbare et confirmare dignaremur. Nos vero, de premissis plenam noticiam non habentes, de legalitate vestra plurimum confisi, auctoritate nostre legationis, qua fungimur, vobis per hec scripta committimus, quatinus constito vobis legitime de donatione, inscriptione et permutatione predictis, et eis diligenter examinatis, eas cum inde secutis auctoritate nostra approbetis, prout utilius noveritis expedire. Datum Vratislavie in hospitio nostre solite residentie sub nostro sigillo, anno domini MCCCCLXVII. die vero decima septima mensis Decembris, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia pape II. Anno Quarto. Iohannes dei gratia

sancte ecclesie Gneznensis Archiepiscopus et Primas ac regni Polonie Cancellarius significamus tenore presentium, quibus expedit, universis horum noticiam habituris, quomodo exigente non mediocri necessitate et oportunitate, quibus propter donationem villarum Rudoltowo et Coczyawe cum decimis in eisdem villis ac in Turzinovo similiter villa, nec non maldratis et aliis redditibus sive quibuscunque proventibus per Rm̃um in Christo patrem olim dominum Iohannem antecessorem nostrum, magnifico dño Iacobo de Dambno regni Pollonie Thesaurario ac Cracoviensi, Sandecensi, Beczensi, Oswyancziniensi et Predeczensi Capitaneo in gratiam sub ratihabitione Venerabilis Capituli nostri Gneznensis factam movemur, ducimur et inclinamur, ac quod dicte ville eundo Lanciciam et reddeundo pro descensu nostro competenti consistant, conditionem nobis et ecclesie nostre Gneznensi meliorem facere cupientes, memorato magnifico dño Iacobo pro eisdem villis Rudoltowo et Cocziawe decimis, maldratisque et quibuscunque fructibus, proventibus et utilitatibus eidem per prefatum Revm̃um in Christo patrem dñum Iohannem, sicut premittitur, datis et donatis villas Byskupicze, Lgotha et Prussy mense nostre archiepiscopalis in terris Cracoviensibus sitas, ex premissis respectibus et causa permutationis cum omnibus et singulis dictarum villarum alodiis, prediis, curiis, domibus, decimis, laboribus, exactionibus, honoribus, angariis, censibus, redditibus, utilitatibus, usibus, necnon agris, pratis, pascuis, graminibus. graminetis, argulis, arvis, silvis, borris, nemoribus, indaginibus, quercetis, rubetis, piscinis, piscaturis, fluviis, fluminibus, rivis, rivulis, stagnis, paludibus, molendinis et eorum emolumentis, melificiis factis sive fiendis, ceterisque pertinentiis et obventionibus universis cum omni iure, et dominio et proprietate ita late longe, prout dicte ville diutius sunt distincte et limitate, nichil pro nobis aut successoribus nostris ibidem reservando, aut quibusvis excipiendo, ac vigintiquinque marchas latorum grossorum monete Pragensis et numeri Polonicalis consueti, quadraginta videlicet octo grossos in quamlibet marcham computando, de censibus nostris ex zuppis utriusque salis pro mensa nostra Archiepiscopali solvi consuetis et debitis, non per errorem aut improvide, sed ex certa nostra sciencia ac Venerabilis Capituli nostri subratihabitione in gratiam damus et donamus, ac largimur et conferimus per ipsum dominum Iacobum tenendum, habendum, usufruendum, obtinendum (sic) pacifice et legitime ad usque ipsius dñi Iacobi tempora vite possidendas, ipso tamen, sicut deo placuit, vita functo, dictarum villarum ac decimarum et prefatarum vigintiquinque marcharum possessio ad nos et mensam nostram Archiepiscopalem revertetur pleno iure, per presentes litteras, quibus testimonio litteris nostrum et prefati Capituli nostri Gneznensis sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in Capitulo generali in festo sancti Adalberti in mense Aprili, anno domini MCCCCLXVI. presentibus Venerabilibus dominis Iacobo de Dambno Decano, Andrea Opporowsky Archidiacono, Alberto de Gay Custode, Nicolao de Glamboczecz, Petro Pnyewsky, Iohanne Nepos, Iohanne Grandsky, Petro de Uspynek, Nicolao Xanszky, Petro Barzesky, Iohanne Xanszky, Benedicto Furman, Martino Grusczinsky decretorum doctore, Stanislao Brudewsky, Alberto de Lyssyecz iuris canonici, Alberto de Oppathovia in medicina doctoribus, Paulo Czansthcowsky, Benedicto de Lopyenno et Andrea Grusczinsky Prelatis et Canonicis ecclesie Gneznensis. Post quarum quidem litterarum tam commissionis, quam eciam donationis prescriptarum presentationem et receptionem nobis, et per nos, ut premittitur, factas fuimus instantius per prefatum magnificum dominum Iacobum Thesaurarium et Capitaneum Cracoviensem principalem requisiti et petiti, quatinus predictam donationem certarum villarum ac decimarum manipullarium, ac bonorum temporalium sibi, ut premittitur, factam auctoritate legationis prefati Revm̃i domini Rodulphi legati, seu alias approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Nos tandem Nicolaus Spiczimiri decretorum doctor, Cantor Cracoviensis necnon iudex et executor memoratus, requisitionibus predictis ipsius dñi Iacobi Thesaurarii et Capitanei Cracoviensis utpote iustis et rationi consonis annuentes, et annuere volentes, mandata prefati Revm̃i dñi Rodulphi legati, seu verius apostolica exequi cupientes, ut tenemur, litteris citationum nostris in forma solita et consueta, ante omnia contra omnes et singulos sua quomodolibet adversa interesse putantes, ad videndum prefatam donationem approbari et ratificari, publice premissis, et in contumaciam eorundem non comparentium, nec aliquam causam, cur premissa minime fieri debeant, allegantium, nonnullis testibus ydoneis coram nobis productis et receptis ad iurandum admissis; sigilla quoque dictorum dominorum Archiepiscopi et Capituli medio iuramento fuisse et esse vera, illisque, quorum esse debentur, verificantibus et recognoscentibus et pro recognitis eadem habentibus, prefatam donationem villarum et decimarum ac bonorum in premissis litteris descriptorum memorato dño Iacobo de Dambno, Thesaurario et Capitaneo Cracoviensi, ut premissum est, factam, ac omnia et singula in

eisdem litteris donationis descripta et contenta auctoritate prefate legationis admisimus, ratificavimus, approbavimus et confirmavimus et roboravimus, ac in nomine domini in omnibus et singulis clausulis et conditionibus suis admittimus, approbamus, ratificamus et confirmamus per presentes, decernentes donationem huiusmodi et omnia in ea contenta iusta, rata et legitima fuisse et esse, ac robur obtinere perpetue firmitatis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras litteras admissionis, donationis et confirmationis instrumentum in se continentes, per Notarium nostrum publicum, causarum factique huiusmodi coram nobis scribam subscriptum, subscribi et publicari mandavimus, nostrique sigilli appensione iussimus et fecimus communiri. Actum et datum Cracovie in domo nostre solite residentie anno a Nativitate domini MCCCCLXVIII. Indictione prima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dñi Pauli divina providentia pape II. anno ipsius quarto, die vero Saturni XVIII. mensis Martii, presentibus ibidem Venerabilibus et discretis dominis Iohanne Iuniore Dlugosch Cracoviensi, Valentino Cruschviciensi Canonicis, Nicolao de Schydlowycz Vicecapitaneo Cracoviensi, Iohanne de Wieszelow nobilibus et aliis testibus plurimis fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Petrus Blasii de Mechow, clericus Cracoviensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, et coram prefato Rñdo patre dño Nicolao Spiczimiri decretorum doctore, Cantore Cracoviensi, ac Commissario et executore ad supradicta, factorum omnium et facti presentis scriba, quia predictis litterarum commissionis et aliarum preinsertarum presentationi, exhibitioni et positioni, petitioni, requisitioni, citationis premissioni et recognitioni, transumptioni et exemplationi ac decreti appositioni, aliisque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ac in notam sumpsi: Ideo hoc publicum presens instrumentum de mandato dicti dñi Commissarii et executoris transumpsi et transcripsi, ac in publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum Rñdi patris dñi Nicolai Spiczimiri, Cantoris Cracoviensis et Commissarii, sigilli appensione de mandato eius speciali manu propria consignavi in fidem et testimonium premissorum rogatus et requisitus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXI. VIII. Kalendas Iunii. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Tom. XVI. fol. 146.

CCIX.

Episcopo Varmiensi, ut in negotiis suae ecclesiae supersedendis acquiescat.

Episcopo Warmiensi.

PAULUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Deliberavimus supersedendum esse in negotiis istius Warmiensis ecclesie, quod equo animo ferre debes: communis (reipublice) christiane utilitas ad hanc nos deliberationem induxit. Monemus igitur tuam fraternitatem in domino, ut tam in fulminatione censurarum, processuumque et possessionis capiende prosecutione, quam in reliquis aliis ad eas res spectantibus omnino debeas supersedere, quousque a nobis aliud habueris in mandatis, persuasumque tibi habeas, nos rationem tui et habere et habituros esse, adeoque de nobis merito conquiescere et consolari poteris. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. die III. Iulii MCCCCLXXI. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Brev. Tom. XII. fol. 166.

CCX.

Archiepiscopo Gnesnensi Fabianus de Montepolitiano nuncius apostolicus commendatur.

Archiepiscopo Gneznensi.

PAULUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Mittimus latorem presentium dilectum filium Fabianum de Montepolitiano nuntium nostrum, nostre apostolice Camere clericum, ad Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Polonie Regem Illustrem pro nonnullis arduis negociis, que in presenti occurrunt apud eius Regiam Maiestatem pertractandis. Exponet ipse fraternitati tue aliqua nomine nostro: eius igitur dictis velit ipsa fidem habere indubiam, et assistendo eidem ipsius actiones adiuvare studeat, sicut de prefate fraternitatis tue integritate plene confidimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. die XVIII. Iulii. MCCCCLXXI. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Simili modo quatuor credentialia ad Prelatos et quatuor ad Laicos mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. VII. Brev. Tom. XII. fol. 177.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

CCXI.

Ioanni episcopo Cracoviensi per sex menses anni beneficia ecclesiastica conferendi privilegium conceditur.

Sixtus episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Exigunt merita tue devotionis, quam ad nos et apostolicam sedem gerere comprobaris, ut personam tuam specialibus favoribus prosequentes, illam tibi gratiam liberaliliter concedamus, per quam te valeas aliis reddere gratiosum. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et prebendis, necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, secularibus et regularibus, ad tuam divisim et coniunctim dilectis filiis Capitulo (?) ecclesie Cracoviensis collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, que deinceps Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contigerit, dummodo dispositioni apostolice generaliter reservata non fuerint, etiam si presentationes, nominationes vel electiones ad illa, que salve sint, in talibus ibidem procedere consueverint, videlicet ad tuam tibi soli, et alia beneficia predicta ad tuam et ipsorum Capituli coniunctim collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem huiusmodi pertinentibus, absque eorum licentia perinde, ac si alique a nobis vel a sede apostolica, aut eius legatis expectative gratie, aut super illis reservationes nullatenus emanassent, seu imposterum emanarent, quamdiu eidem ecclesie prefueris, libere disponendi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, ita tamen quod alia, quam pridem prelatis, aliisque beneficiorum ecclesiasticorum collatoribus super conferendis beneficiis ecclesiasticis in certis mensibus tunc expressis generaliter concessimus, facultate deinceps non utaris, decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, pridie Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. fol. 38.

CCXII.

Indulgentia plenaria visitantibus et adiuvantibus ecclesiam Leopoliensem in Russia conceditur.

Sixtus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Inter cetera divine maiestatis placida valde pium et meritorium reputantes ecclesiarum fabricis oportunis subvenire suffragiis, vota illa libenter admittimus, per que ecclesie in suis structuris et edificiis

instaurari et refici valeant, earumque et reipublice christiane opportunitatibus provideri, necnon Christifidelium animarum salus procuratur. Sane, ut accepimus relatione fidedignorum, ecclesia metropolitana Leopoliensis inter scismaticos in Russia situata et non diu erecta, ad quam Christifideles partium illarum singularem devotionis affectum gerere dicuntur, in suis structuris et edificiis instauratione et reparatione indiget non modicum sumptuosis, ad quas faciendas nulle eiusdem ecclesie subsistunt facultates, sed ipsorum Christifidelium suffragia sunt ad id quamplurimum opportuna. Nos igitur cupientes, ut ecclesia huiusmodi in suis structuris et edificiis quamtocius instauretur et reparetur, ac fideles ipsi eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam confluant, et ad illius instaurationem et reparationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam predictam a primis vesperis usque ad occasum solis die festivitatis sancte et individue trinitatis proxime future devote visitaverint, et ad instaurationem, reparationem et refectionem ecclesie predicte, si nobiles et potentes seu cives notabiles, quantum per decem, si mediocres, quantum per septem, si vero inferiores fuerint, quantum per quinque dies cum omni sua domestica familia communiter exponere solent, in numerata pecunia ibidem pie erogaverint, omnium peccatorum suorum, de quibus ore confessi et corde contriti fuerint, plenariam remissionem auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer elargimur. Et nichilominus, ut fideles ipsi indulgentiam et peccatorum remissionem huiusmodi deo propitio facilius et commodius valeant consequi, dilectis filiis Andree Rosa preposito Lancitiensi, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie et provinciis eiusdem Collectori, Cubiculario et nuntio nostro, ac Archidiacono necnon Officiali generali dicte Leopoliensis ecclesie presbiteros seculares ac ordinum quorumcunque regulares, ad id tamen sufficientes et idoneos, de quibus ipsis videbitur, qui fidelium predictorum a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis predicte, necnon per triduum, tam ante quam post, confessiones audire, eisque diligenter auditis pro commissis per eos criminibus, delictis et peccatis omnibus, etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, preterquam rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani pontificis, vel sedem predictam absolutionem debitam dicta auctoritate impendere, ac penitentiam salutarem iniungere, votaque per eos emissa, ultramarino, liminum predictorum Petri et Pauli ac Iacobi in Compostella apostolorum dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, deputandi, et super huiusmodi absolutionibus, etiam in mortis articulo, similiter contribuentibus, ut prefertur, testimoniales litteras sub sigillo dicti Andree Rosa volentibus concedendi plenam et liberam eadem auctoritate concedimus facultatem. Et similiter omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus, qui pre nimia senectute impotentes, aut infirmitate detenti, aut ex voto vel alias legitimo impedimento prepediti, adeo ut prefatam ecclesiam, ut premittitur, personaliter visitare nequiverint, dum tamen iuxta modificationem prescriptam, et alias prout ipsorum devotio dictaverit, necnon expensas, quas eundo, stando et redeundo verisimiliter facturi essent, ibidem pia largitione persolvant, easdem indulgentias et peccatorum remissiones auctoritate concedimus memorata, presentibus post lapsum dicte festivitatis minime valituris, Volentes, quod statim exacta festivitate predicta ab hiis et aliis nostris sub data presentium de reponendis in unam capsam vel plures oblationibus per nos desuper concessis litteris plumbum amoveatur, quodque si quisquam lapsa festivitate predicta litteras et indulgentias huiusmodi publicare, aut publicari facere, sive ulterius illis uti presumpserit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat, a qua, preterquam a nobis vel successoribus nostris, excepto mortis articulo, absolvi nequeat, non obstantibus huiusmodi indulgentiarum suspensionibus per nos vel predecessores nostros hactenus factis, seu interim faciendis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, (Kalendis Iulii.) Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. Tom. I. fol. 102.

CCXIII.

Conrado, Boleslao et Ianussio Masoviae ducibus, ut Iuliano cardinali in consequenda praepositura ecclesiae Plocensis faveant.

Dilectis filiis nobilibus viris Conrado, Boleslao et Ianuszsio fratribus Mazovie ducibus.

Sixtus PP. IV. Dilecti filii, salutem etc. Dilectus filius Dreslaus Michaelis, fructuum camere apostolice in regno Polonie collector noster, cardinalis sancti Petri ad Vincula, nostri secundum carnem

nepotis, ad capiendam possessionem prepositure Plocensis, quam nuper ipsi Cardinali apostolica auctoritate contulimus, procurator requiret nobilitatem vestram pro favoribus opportunis: plurimum enim in vestra devotione confidimus. Quocirca hortamur ipsam vestram nobilitatem paterna in domino caritate, ut pro nostra et apostolice sancte sedis reverencia velitis ipsum Dreslaum circa hoc benigno auxilio presidioque complecti, ut omni sublato impedimento pacificam et expeditam antedicte prepositure, iuriumque et pertinenciarum eius nomine ipsius Cardinalis nepotis nostri consequatur possessionem: (sic) feceritis nobis rem longe gratissimam, Cardinalemque ipsum, qui vestris negociis semper poderit propicius, vobis non mediocriter obligabitis. Datum Rome etc. die xxviii. Iulii mccccLxxii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. I. fol. 340.

CCXIV.

Casimiro episcopo Plocensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Kazimiro episcopo Plocensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Preposituram istius Plocensis ecclesie, que prima post pontificalem dignitas est, certo modo vacantem et nostre dispositioni reservatam, dilecto filio nostro Iuliano tituli sancti Petri ad Vincula presbitero Cardinali, nostro secundum carnem nepoti, contulimus, prout in apostolicis litteris desuper confectis plenius continetur. Cupientes huiusmodi nostram provisionem persone benemerite ac dignissime factam debito demandari effectui, fraternitatem tuam, de cuius singulari prudentia ct probitate fiduciam in domino gerimus singularem, per presentes paterna caritate hortamur, ut pro nostra et sancte sedis apostolice reverentia velis dilectum filium Dreslaum Michaelis, fructuum camere apostolice in regno Polonie collectorem nostrum, nomine ipsius cardinalis nepotis nostri, cuius est procurator, ad liberam, pacificam et expeditam possessionem antedicte prepositure, iuriumque et pertinenciarum eius admittere, ac nobiles fratres tuos oportunis suasionibus velis adducere, ut circa hoc favores prebeant oportunos. Hoc si feceris, ut confidimus, Cardinalem prefatum perpetuo tibi et nobili domui tue amore devincies; apud nos vero uberem commendationem consequeris. Datum Rome etc. die xxviii. Iulii mccccLxxii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. I. fol. 339.

CCXV.

Clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Arnolpho Miezynecz Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui decretorum doctor de nobile genere ex utroque parente procreatus, et per Kazimirum regem Polonie ad sedem apost. nuntius destinatus est, unum Cracoviensis et alium Plocensis ecclesiarum canonicatus cum prebendis. Datum Rome apud S. Petrum etc. mccccLxxi. Kal. Ianuarii. Anno I.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Petro de Radochonicze Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi, qui nobilis viri Martini de Wroczemonicze militis nepos existit, unum Gneznensis et alium Wladislaviensis ecclesiarum canonicatus cum prebendis. Datum Rome ut supra.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Paulo Martini de Wroczemonicze Clerico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi duo beneficia in ecclesia Cracoviensi. Datum Rome ut supra.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Syrpowo Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi, petente Adamo de Dambrova regis Polonie apud sedem apostolicam oratore, canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome ut supra.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Paulo Sulislai rectori ecclesie parrochialis ecclesie S. Vincentii in Swacynyecz Plocensis diocesis, salutem etc. Concedit, ut duas parrochiales ecclesias vel dignitates in Cathedralibus post pontificales maiores, seu in Collegiatis ecclesiis principales insimul retinere valeat. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice mccccLxxi. vii. Id. Martii. Anno I.

Ex Reg. An. I. Expectativ. fol. 214, 256, 308, 311. et Bull. divers. Tom. XIV. fol. 207.

CCXVI.

Cum Gregorio de Ludbrancz dispensatur, ut omnes ordines et beneficia ecclesiastica recipere possit.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Gregorio de Ludbrancz clerico Vladislaviensis diocesis, salutem etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter

se propiciam exhibet et benignam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tu mandato Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris, ac omnium consiliariorum tam spiritualium quam secularium ipsius Regis persuasione compulsus contra tuam voluntatem, sed prefati Regis, sub cuius dominio bona tua paterna, de quibus vivis, habes, et cuius secretarius existens, illius obsequiis insistis, indignationem incidere timens, quondam Georgium assertum Regem Bohemie postea depositum invitus quater adiisti, nichil tamen ibi egisti vel locutus fuisti, nisi quod unioni religionis christiane conformacionique communi et paci Bohemie et Polonie Regnorum pertinebat, scripsisti eciam citaciones, per quas dilecti filii consules et seniores artificiorum civitatis Cracoviensis ad comparendum iuri arctabantur, neminem tamen ex eisdem in citatorio specialiter appellando, qui ad huiusmodi citacionem minime iuri paruerunt, unde successu temporis metu principis illius patrie post omnes contumacias, quas incurrerant non comparendo, ipsi consules Cracovienses aliquos ex illis ultimo supplicio statuerunt et pronunciarunt tamquam reos criminis, qui postmodum decollati fuerunt, quorum tamen morti non favisti, et successive tu inter ordines armatorum in bellis licitis stetisti non proposito predandi aut occidendi aliquem, nec stipendiario nomine, sed ad honorandum dominum tuum et pro pace communi et defensione pauperum christianorum, quos hostes lacerabant, et aliquando inter pugnantes stetisti armatus, neminem tamen occidisti, nec de occisis hostibus tibi constitit in exercitu, in quo armatus stetisti, aliquique ceciderunt, et aliquos vinctos et captivos abduxerunt, propter quod dubitas irregularitatem contraxisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu de premissis doleas ab intimis, ac illis aliter quam, ut prefertur, culpabilis non extiteris, cupiasque ex magno devotionis fervore ad omnes etiam sacros ordines promoveri et in illis altissimo deservire, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus et prefati Regis secretarius, ut prefertur, existis, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi, teque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensacionum tenores presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam, quam premissorum occasione quomodolibet contraxisti, auctoritate apostolica harum serie abolentes, tecum super irregularitate, si quam premissorum occasione quomodolibet incurristi, quodque ad omnes eciam sacros ordines promoveri, et in illis eciam in altaris ministerio ministrare, necnon quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura se invicem compacientia, eciam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administraciones vel officia in cathedralibus, eciam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipse in cathedralibus, eciam metropolitanis, post pontificales maiores, aut collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad illas ac personatus, administraciones vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, presenteris vel assumaris ad illa, recipere et retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quociens tibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile aut similia vel dissimilia beneficium vel beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica se invicem, ut prefertur, compacientia recipere et retinere, insuper eciam, ut ad quamcunque cathedralem, eciam metropolitanam ecclesiam eligi et postulari, illique prefici et preesse libere et licite valeas, dicta auctoritate dispensamus, ac te ad omnes honores et dignitates eciam seculares restituimus et in statum, in quo eras ante premissa, reponimus, Non obstantibus premissis necnon constitucionibus etc. Nulli ergo etc. nostre absolucionis, abolicionis, dispensacionis, restitucionis et reposicionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXII. Undecimo Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. divers. Tom. II. fol. 207.

CCXVII.

Ioannes de Dambrova ab omnibus censuris, si quas incurrerit, absolvitur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Dambrova Canonico Gneznensi, Bacallario in decretis, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem tibi de uno Gneznensis et alio Cracoviensis ecclesiarum canonicatibus cum reservatione totidem inibi prebendarum ac dignitatis, personatus, administrationis vel officii alterius earundem ecclesiarum vacantium tunc, aut vacaturorum per alias nostras litteras gratiose providimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur, ut dictarum litterarum celerius consequaris effectum, te premissorum meritorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, teque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, quo ad hoc dumtaxat, ut presentes littere et tibi predictarum aliarum litterarum nostrarum vigore faciende deinceps collationes et provisiones plenum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod tu in prebendarum ac dignitatis, personatus, administrationis vel officii in dictis litteris comprehensorum assecutione omnibus et singulis, ac illis prorsus similibus antelationum prerogativis, decretis, declarationibus, exceptionibus, privilegiis, gratiis, favoribus et indultis, quibus nonnulli familiares nostri continui commensales in certis litteris nostris de mandato nostro descripti in assecutione beneficiorum, que vigore gratiarum expectativarum per nos eis concessarum duxerint acceptanda, gaudent, pociuntur et utuntur, seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet infuturum, ad illorum instar pariformiter et absque ulla differencia, sine tamen eorundem familiarium preiudicio uti, potiri et gaudere libere et licite valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si unus ex eisdem familiaribus in dictis litteris descriptus esses, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, voluntatis et concessionis infringere etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, sexto Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. divers. Tom. VI. fol. 145.

CCXVIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis etc. providetur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Thome Kinast Rectori parrochialis ecclesie in Szedlinowo Gneznensis diocesis, sal. etc. Conceditur, ut duas parrochiales ecclesias in dicta diocesi insimul retinere possit. Dat. Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice mcccclxxii. xiv. Kal. Aprilis. Anno II.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iohanni Francisco de Panvinis, Capellano nostro et causarum palatii apostolici auditori, salutem etc. Ut Petrum Petri de Chorzemycze Canonicum Cracoviensem in pacifica possessione sui Canonicatus contra intrusos Petrum Wapowsky, Thomam de Trampeczino et Iohannem de Lesczino defendat, quem Canonicatum Iohannes iunior Dlugosch extra Romanam Curiam defunctus obtinebat. Dat. Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Anno etc. mcccclxxiii. vi. Id. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao de Palcadze Clerico Gneznensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatus et prebendas Gneznensis et Wladislaviensis ecclesiarum, quos Sbigneus electus Wladislaviensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. Tom. XIII. fol. 60. et Tom. XV. fol. 160, 165.

CCXIX.

Pontifex suae dispositioni beneficia, quae Sbigneus ante suam electionem ad ecclesiam Vladislaviensem obtinebat, reservat.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, de beneficiis ecclesiasticis pro sua voluntate disponit, et nonnunquam circa illorum vacationes et provisiones statuit et decernit, prout rationabilibus suadentibus causis in domino conspicit

salubriter expedire. Dudum siquidem inter alia voluimus et decrevimus et ordinavimus, quod quecunque collationes et provisiones pro tempore faciende de quibusvis beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus, que per promovendos vel assumendos ad quascunque prelaturas inter dictarum vacationum et huiusmodi promotionum vel assumptionum tempora simpliciter vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contingeret, cum inde secutis pro tempore essent casse et irrite nulliusque roboris vel momenti. Et deinde Venerabilem fratrem nostrum Iacobum, nuper episcopum Vladislaviensem, in Archiepiscopum Gneznensem electum a vinculo, quo prefate Vladislaviensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Gneznensem tunc vacantem per quasdam transtulimus, preficiendo ipsum Iacobum eidem Gneznensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, ac dicte Vladislaviensi ecclesie propterea pastoris solacio destitute de persona dilecti filii Sbignei electi Vladislaviensis per alias nostras litteras duximus auctoritate apostolica providendum, ipsumque Sbigneum eidem Vladislaviensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Nos igitur intendentes de Scolastria ac canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos dictus Sbigneus electus tempore vacationis prefate Gneznensis ecclesie obtinebat, persone ydonee providere, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate et deliberatione ac ex certa nostra scientia et potestate predicta omnes et singulas resignationes de eisdem Scolastria, canonicatu et prebenda tam in manibus nostris, quam alias per ipsum Sbigneum seu eius procuratores simpliciter vel ex causa permutationis, ac provisiones, collationes et dispositiones de illis quibusvis personis quacumque dignitate et auctoritate fungentibus post vacationem dicte Gneznensis ecclesie quomodolibet factas, cum inde secutis nullius roboris vel momenti fuisse et esse, dictosque canonicatum et prebendam ac Scolastriam per eandem promotionem, per nos factam de persona ipsius Sbignei electi ad prefatam Vladislaviensem ecclesiam, apud sedem predictam eo ipso extunc vacavisse et vacare, nullumque de illis preter nos hac vice disponere potuisse sive posse, auctoritate apostolica presentium tenore decernimus, mandantes, ut per quoscunque auditores et iudices tam in Romana Curia quam extra sententiari et iudicari debeatur, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et mandati infringere etc. Siquis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXIII. XVI. Kalendas Ianuarii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Bullar. Lib. XI. Tom. XVI. fol. 3.

CCXX.

Episcopo Vilnensi suisque collegis, ut sententias Innocentii VI. et Martini V. pro ecclesia Rigensi contra fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum latas exsequendas curent.

Sixtus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Tarbatensi et Vilnensi Episcopis, ac dilecto filio Decano ecclesie Osiliensis, salutem etc. Solicitudo pastoralis officii nos excitat et inducit, ut circa ea, que statui prospero ecclesiarum, presertim metropolitanarum, ac illis presidentium et aliarum personarum in illis divinis obsequiis mancipatarum profutura fore conspicimus, apostolici favoris presidium extendamus, et hiis, que propterea prodiisse comperimus, ut illibata persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici mandamus adiici muniminis firmitatem. Dudum siquidem felicis recordationis Innocentio pape VI. predecessori nostro pro parte bone memorie Vromoldi Archiepiscopi Rigensis, et dilectorum filiorum prepositi et Capituli ecclesie Rigensis exposito, quod licet civitas Rigensis ad Archiepiscopum pro tempore existentem et ecclesiam Rigensem iure dominii vel quasi pertinuisset, prout pertinebat, tamen Magister, preceptores, commendatores et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani per Livoniam constituti, pretendentes dictam civitatem ad se pertinere, civitatem ipsam occupaverant et detinuerant, prout detinebant tunc indebite occupatam: ortaque propterea inter Archiepiscopum, prepositum et capitulum ex una, ac Magistrum, preceptores, commendatores et fratres predictos super dicta civitate et illius dominio, quam quilibet illorum ad se pertinere asserebant, partibus ex altera materia questionis, idem Innocentius predecessor causam huiusmodi, cum partes ipse in Romana curia presentes existerent, bone memorie Francisco tituli sancti Marci presbitero cardinali ad instanciam dictorum Magistri, preceptorum, commendatorum et fratrum audiendam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii commiserat, et fine debito terminandam, ipseque Franciscus car-

dinalis in causa huiusmodi rite procedens, diffinitivam, per quam decrevit et declaravit dictam civitatem iure dominii vel quasi, et in spiritualibus ac temporalibus pleno iure ad Vromoldum Archiepiscopum et ecclesiam prefatos pertinuisse et pertinere, ac predictos Magistrum, preceptores, commendatores et fratres ab illius possessione et detentione fuisse et esse amovendos, prout sentencialiter amovit, ipsosque ad dimittendum dictis Archicpiscopo et ecclesie prefatam civitatem liberam et expeditam condemnavit, necnon eisdem Magistro, preceptoribus, commendatoribus et fratribus super premissis perpetuum silentium imposuit, sentenciam promulgavit, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, non intendens tamen ipse Franciscus cardinalis per huiusmodi sentenciam ordinationi, compositioni seu transactioni olim per bone memorie Wilhelmum episcopum Mutinensem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, factis quomodolibet derogare, nec dictis Magistro, preceptoribus, commendatoribus et fratribus super eorum redditibus, bonis et iuribus aliis, si qua eis forsitan in civitate predicta competerent, dominium tamen ipsius civitatis non concernentibus, aliquod preiudicium generari: postmodum vero idem predecessor huiusmodi sentenciam utpote provide latam, ratam habens et gratam eam auctoritate apostolica confirmavit, illamque, salvis certis compositionibus et declarationibus per prefatum cardinalem ex speciali ipsius Innocentii predecessoris commissione factis, executioni debite demandari, et eosdem Archiepum, prepositum et capitulum in corporalem possessionem dicte civitatis induci, inductosque defendi, amotis exinde Magistro et preceptoribus, commendatoribus et fratribus predictis, prefatisque Archiepiscopo, preposito et capitulo de ipsius civitatis fructibus et emolumentis ad eius dominium pro tempore pertinentibus integre responderi suis litteris mandavit, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Silvestri Archiepiscopi Rigensis peticio continebat, licet ipse et predecessores sui sentencie huiusmodi ac processuum desuper habitorum vigore post varias concordias et suspensiones, inter ipsum Silvestrum Archiepiscopum et predecessores predictos ac prepositum et capitulum dicte ecclesie, necnon Magistros, preceptores, commendatores et fratres predictos occasione executionis sentencie et processuum eorundem sub certis modis tunc expressis, citra tamen iuris cuiuscunque preiudicium, pro bono pacis initas et factas, fuerint in pacifica dicte civitatis illiusque iuris dominii vel quasi possessione, nichilominus ab uno anno citra vel quasi Magister, preceptores, commendatores et fratres predicti, assertis sibi nonnullis ex dicte civitatis proconsulibus, consulibus et civibus, eosdem ac alios dicte civitatis proconsules, consules et homines ad prestandum eis fidelitatis iuramentum viis et mediis exquisitis induxerunt, et ab ipsis iuramentum huiusmodi contra sentenciam et rem iudicatam, necnon concordias et suspensiones antedictas temere extorserunt, in maximum dicti Silvestri Archiepiscopi ac ecclesie Rigensis predicte preiudicium, damnum et gravamen: quare pro parte dicti Silvestri Archiepiscopi, asserentis propterea timere se et ecclesiam suam Rigensem predictam iure dominii antedicto, procedente tempore, omnino spoliari, ac desuper amplius turbari posse, licet ipsis Archiepiscopo et ecclesie circa premissa, necnon super ulteriori sentencie huiusmodi et litterarum dicti Innocentii predecessoris executione per bone memorie Martinum papam V., eciam predecessorem nostrum, certis ipsius desuper concessis litteris dudum provisum extiterit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sentenciam predictam per prefatum Franciscum cardinalem, ut prefertur, latam eciam approbare et confirmare, aliasque sibi suoque et dicte ecclesie sue statui in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam de premissis vobis legitime constiterit, sentenciam predictam auctoritate nostra approbantes et confirmantes, per vos vel alium seu alios ad ulteriorem et plenariam illius executionem iuxta predictarum Innocentii et Martini, predecessorum prefatorum, litterarum continenciam et tenorem eadem auctoritate procedere curetis, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, octavo Idus Decembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. divers. Tom. XIX. fol. 232.

CCXXI.

Paulo de Cizuwa clerico Rutheno Kioviensis dioecesis, ut sacramenta ecclesiastica per sacerdotem latinum sibi ministrari possint.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Paulo Samonis de Cizuwa clerico Kyoviensis diocesis, salutem etc. Devotionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, non indigne

meretur, ut votis tuis, illis presertim, ex quibus anime tue salutem provenire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, licet Ruthenus existas ac Grecorum ritum hactenus observaveris, tamen inter Latinos frequenter versari ac morari consuevisti, ac causa visitandi limina Apostolorum Petri et Pauli, necnon pro consequendis indulgentiis huius Anni iubilei ad Urbem te personaliter contulisti, ut quilibet presbiter ydoneus latinus secularis vel regularis, quem in tuum confessorem duxeris eligendum, confessione tua diligenter audita, pro commissis per te criminibus, excessibus et peccatis, dummodo talia non sint, propter que esset sedes apostolica merito consulenda, debita tibi in fide catholica merito persistenti absolutionem iuxta formam, quam in hiis predicta Romana servat ecclesia, quociens oportunum fuerit, impendere et penitenciam salutarem iniungere, necnon ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite valeat, apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, pridie Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. divers. Tom. XIX. fol. 235.

CCXXII.

Iudicibus, ut fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et alios ad satisfaciendum de certis pecuniis et aliis bonis Scholasticae et Barbarae ducissis Saganensibus per censuras ecclesiasticas compellant.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Magdebugensi et Wratislaviensi ac Lubicensi Episcopis, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Scolastice Ducisse Saganensis in Slesia et Barbare eius sororis, pauperum orphanarum, petitio continebat, quod licet dilecti filii Magister generalis et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum eisdem sororibus ratione successionis hereditarie quondam Radolphi, earum fratris germani, quorum (cuius) legitime heredes existunt, in summa vigintimillium florenorum Ungaricalium, et Fridericus Wrismaister Undertmarck, Gaspar Walman, Iohannes Scuster, Paulus Grosz et Ludovicus eius frater, ac Nagel et quidam alii mercatores opidi Francvorde Lubicensis et Communitas Saganensis Wratislaviensis diocesum, et quilibet eorum in diversis pecuniarum summis ratione amicabilis mutui eis facti sint efficaciter obligati, nichilominus Magister, fratres et mercatores predicti, quamvis super hoc debite requisiti fuerint, summas predictas eisdem sororibus hactenus persolvere, et de illis satisfacere indebite recusarunt et de presenti recusant, necnon dilecta in Christo filia nobilis mulier Margareta de Aldenberg Ducissa Saxonie nonnulla clenodia, pecuniarum summas et alia bona mobilia ad quondam Agnetem earundem Scolastice et Barbare sororem, cuius ipse Scolastica et Barbara legitime heredes similiter existunt, dum viveret, spectantia detinet indebite occupata, non curans ea ipsis sororibus restituere, in animarum Magistri et fratrum, communitatis, mercatorum et Margarete predictorum periculum, dictarumque sororum preiudicium non modicum et gravamen: Quare pro parte Scolastice, que, ut asserit, ad Romanam curiam propter premissa non sine magnis laboribus, periculis et expensis personaliter se contulit, et Barbare predictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis asserentibus, quod supradictos mercatores et communitatem a iudicibus, sub quorum iurisdictione ipsi communitas et mercatores consistunt, nequeant consequi iusticie complementum, in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vobis summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de debitis et detentione aliisque premissis legitime constiterit, Magistrum, fratres, communitatem ac mercatores et Margaretam prefatos auctoritate nostra sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis sentenciis et censuris, ac etiam pecuniariis, de quibus vobis videbitur, penis moneatis et requiratis, ut infra aliquem competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie prefixeritis, pecuniarum summas, iocalia, clenodia et alia bona predicta eisdem sororibus realiter et cum effectu persolvant et restituant: et si infra eundem terminum id non fecerint cum effectu, ex tunc ipsos et quemlibet eorum, quem monitoribus et requisitoribus vestris huiusmodi non paruisse constiterit, excommunicationis et alias sentencias, censuras et penas etiam pecu-

niarias huiusmodi incurisse eadem auctoritate declaretis, ipsosque per vos vel alium seu alios excommunicatos publice nuntietis, et faciatis ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari, donec de per eos debitis huiusmodi eisdem sororibus fuerit integre satisfactum, ipsique sic excommunicati ab eadem excommunicationis sentencia meruerint absolutionis beneficium obtinere; et nichilominus vocatis Magistro et fratribus, ac communitate, mercatoribus et Margareta prefatis, et aliis, qui fuerint evocandi, causam et causas, quam et quas sorores predicte contra Magistrum, fratres, communitatem ac mercatores et Margaretam prefatos occasione premissorum tam coniunctim, quam divisim movere intendunt, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiatis, et appellatione remota, fine debito decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali editis, necnon de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si Magistro et fratribus dicti hospitalis seu communitati, mercatoribus et Margarete prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ipsi seu dicti hospitalis persone extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi, aut suspendi, excommunicari, seu ipsi aut dicti hospitalis seu communitatis loca interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quo ad hoc ipsis nolumus aliquatenus suffragari: Nos enim vobis et cuilibet vestrum, constito vobis etiam summarie, quod ad eosdem monendos, requirendos et citandos pro monitionibus, requisitionibus et citationibus huiusmodi faciendis tutus non pateat accessus, monitiones, requisitiones et citationes huiusmodi per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad eorundem monendorum, requirendorum et citandorum noticiam pervenire possint, faciendi, necnon processus per vos super premissis habendos, quotiens vobis videbitur, aggravandi, omniaque alia et singula in premissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet oportuna faciendi et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et insuper volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod monitiones, requisitiones et citationes predicte, sicut premittitur, facte perinde dictos monitos, requisitos et citatos arctent, ac si eis presentialiter et personaliter facte fuissent, Non obstantibus premissis et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXV. decimo Kalendas Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. Tom. XXVI. fol. 12.

CCXXIII.

Uriel de Gorka praepositus Gnesnensis collector generalis in Polonia constituitur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Urieli de Gorka Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuncio, denarii sancti Petri ac iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie, ac provincia Gneznensi eiusque Civitatibus et diocesibus Collectori, sal. etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti diligentia et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum in domino confidentes, te in Regno Polonie ac provincia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus nuncium apostolicum et denarii sancti Petri Apostoli, ac fructuum, proventuum, censuum aliorumque iurium quorumcunque nobis et Romane ecclesie, ac Camere apostolice inibi debitorum et debendorum Collectorem, ac generalem receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi Collectores et receptores in prefatis Regno, provincia, civitatibus et diocesibus per nos aut quacunque alia auctoritate deputatos, ac commissiones

omnes super huiusmodi collectorie et receptorie officiis aliis, quam tibi, sub quacunque verborum forma per dictam sedem aut alia auctoritate factas penitus revocundo, ipsosque Collectores, Subcullectores et receptores ab eorum officiis et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter amovendo, tibique nichilominus per te vel alium seu alios, dumtaxat fide et facultibus ydoneos, nostro et dicte ecclesie et Camere nominibus a quibuscunque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcunque, et etiam laicalibus personis, necnon universitatibus, communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumlibet Regni, provincie, civitatum et diocesum predictarum omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates nobis, ecclesie et Camere apostolice predictis debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon denarii sancti Petri, ac etiam oblata et data pro Cruciata in subsidium contra Turchum, aut pro indulgentia Iubilei et quibusvis aliis indulgentiis per nos aut predecessores nostros concessis, fructus quoque, redditus et proventus quorumcunque beneficiorum de facto occupatorum, ac etiam fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum auctoritate apostolica collatorum et in antea conferendorum, ac omnia et singula iura nobis, ecclesie et Camere predictis in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus huiusmodi quacunque ratione vel causa debita seu debenda, ad nos et easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et servitiis prelatorum ad quarumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis, levandi, petendi et exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Succollectoribus et receptoribus, necnon inquisitoribus heretice pravitatis, et Officialibus aliis pro dicta Camera in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus predictis deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negocia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit ad hoc compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi, recipiendi, ac de receptis quitandi, liberandi dumtaxat et penitus absolvendi, necnon Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem aliaque iuris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, necnon contra quoscuunque tibi vel Succollectoribus et aliis Officialibus tuis iniuriantes, seu te vel alios coniunctim vel divisim in executione negociorum dicte Camere directe quomodolibet impedientes auctoritate predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis seu Camerario nostro aut eius Locumtenente personaliter, vel alias legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores seu precessores tuos, vel eorum Succollectores communiter vel divisim latas, et imposterum quomodolibet ferendas aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, divina celebrando, vel se illis immiscendo quomodolibet contraxerunt, auctoritate apostolica dispensandi, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et duabus dietis in Concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus habenda esset mentio specialis, seu si aliquibus vel eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem; ita tamen quod de fructibus, redditibus, proventibus et bonis aliis quibuscunque ipsi Camere debitis persolvendis ultra annuam dilationem dare nequeas, et quod in singulis Civitatibus et diocesibus infra tuam Collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, si vero parve, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Succollectorem non deputes seu constituas, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina statim, cum illos deputaveris, ad dictam Cameram clare et distincte transmittas, et singulis bienniis de receptis et gestis per te et substitutos tuos in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in apostolica

Camera coram gentibus ipsius tenearis, necnon quicquid in predictis te recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis aut Camerario nostro vel eius Locumtenenti predictis, vel gentibus ipsius, quantocius poteris, transmittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri Latini Epi Tusculani, Camerarii nostri, fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique Succollectores per te deputandi idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudentiam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus exinde subsequantur, tuque apud nos et sedem predictam non immerito valeas commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, duodecimo Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Offic. Tom. II. fol. 181.

CCXXIV.

Rationes denarii S. Petri etc. per praedictum Uriel de Gorka in Polonia collecti ab an. MCCCCLXXVI. usque ad an. MCCCCLXXXIV.

In nomine domini amen. Sub anno Nativitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, Ego Uriel de Gorka, Gneznensis et Poznaniensis ecclesiarum Prepositus Regnique Polonie Cancellarius, de gratia et liberalitate Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providentia pape quarti, anno ipsius quinto, necnon dominorum et patrum Clericorum Camere creatus fui et constitutus in generalem Collectorem et receptorem fructuum, reddituum et proventuum dicte Camere quovismodo pertinentium, necnon denarii sancti Petri in Regno Polonie, ac provincia et civitate Gneznensi aliisque civitatibus, diocesibus, decanatibus illis subiectis, ut ex litteris apostolicis desuper confectis evidentius apparet. Anno vero domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto applicui in Regnum Polonie, et ut moris est, litteras apostolicas creationis mee die vicesima mensis Februarii in ecclesiis Metropolitana Gneznensi ac Cathedralibus Cracoviensi, Poznaniensi aliisque ecclesiis presentavi, vigore quarum litterarum apostolicarum ad dictum officium exequendum admissus et receptus fui. Verum quidem anno videlicet septuagesimo quinto ad receptionem fructuum Camere apostolice retentorum pervenire minime potui, obstante appellatione frivola, quam fretus spe Maietstatis Regie Rosza antecessor meus interposuit, immo vix aliquam partem de districtu Cracoviensi et aliis huiusmodi particularibus districtibus habui, et illud quamvis in magna parte in expensis nunciorum, procuratorum et notariorum expositum fuit, illud tamen, quod supererat, ad recepta anni per numerum Millesimi quadringentesimi septuagesimi sexti iunxi.

Anno igitur eodem quo supra, qui fuit Millesimus quadringentesimus septuagesimus sextus, et die Solis decima quinta Maii ego Uriel de Gorka etc. recepi a venerabili domino Iheronimo plebano in Thorun, succollectore denarii sancti Petri in civitate Gdanensi et decanatibus Pomerianie, centum quinquaginta sex marcas et grossos tredecim monete et numeri Prutenicalis, viginti grossos in marcam quamlibet, et solidos tres in grossum, denarios vero decem et octo computando, quorum grossorum triginta sex tunc fecerunt florenum unum Hungaricalem. Faciunt ergo predicte centum sexaginta sex marce in solidis florenos nonaginta Hungaricales et grossos tredecim in solidis.

Anno igitur eodem quo supra, qui fuit millesimus quadringentesimus septuagesimus sextus, et die undecima mensis Septembris recepi ab Alexandro, fructuum Camere apostolice et denarii sancti Petri in civitate et provincia Gneznensi succollector, florenos quadraginta quinque Hungaricales.

Item anno et die eisdem recepi ab eodem de tribus decanatibus, videlicet Calischiensi Unieoviensi et Wycluniensi marcas quadraginta monethe et numeri Polonicalis, quadraginta et octo grossos in marcam quamlibet computando, et in grossum quemlibet duos medios grossos, ternarios sex, denarios vero sive Pyczulinos decem et octo: que quadraginta marce faciunt florenos sexaginta, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die duodecima Augusti recepi a domino Lanka Canonico Lanciciensi de collecta denarii sancti Petri dicti decanatus marcas viginti quatuor, grossos octo numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos triginta septem, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Residuum vero rapuit dominus Rosza, et dum plebanos in censuras auctoritate mei officii involvi, instituerunt Rmus dominus Archiepiscopus Gneznensis ceterique domini Episcopi et Prelati pro absolutione, exponentes defectum et paupertatem ipsorum, ac ipsius Rosze collusionem: quos tandem

post multas fatigas et odia, videns ipsorum proterviam, absolvi, et actio simul cum aliis contra Roszam (alias Rosam, Rossam) cessit.

Item anno quo supra, die vicesima quarta mensis Septembris recepi a venerabili domino Nicolao de Scudla Archidiacono Srzemensi, in ecclesia Poznaniensi denarii sancti Petri succollectore, marcas triginta septem in mediis grossis, in minuta vero pecunia marcas triginta tres numeri et monethe Polonicalis, que simul iuncte faciunt marcas septuaginta. Faciunt dicte septuaginta marce florenos Hungaricales centum et quinque, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die vicesima septima mensis Septembris recepi per manus dñi Syrzpowsky, capellani nostri, nomine domini Georgii de Wiramby succollectoris Ploczensis marcas viginti sex in mediis grossis et florenos sex in auro. Allegavit tunc idem succollector, quod multe sunt adhuc ecclesie deserte in decanatibus propter bellum Prussie, que usquemodo respirare non possunt. Faciunt dicte viginti sex marce florenos triginta novem Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando. Erit igitur summa florenorum, iunctis sex suprapositis, quadraginta quinque.

Item anno eodem die vicesima septima mensis Octobris recepi a dño Mathia de Grodzyecze, vicario perpetuo ecclesie Cracoviensis, necnon fructuum Camere et denarii sancti Petri dicti districtus unico succollectore, successive in monetha minuta ac mediis et Bohemicalibus grossis, quorum viginti quatuor faciunt florenum unum: reducendo igitur monetham in aurum facit summa florenos trecentos Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis, ut supra dictum est, computando ad rationem monethe Polonicalis.

Item anno eodem die vicesima octava mensis Octobris recipi per manus filii domini Walthek, civis et mercatoris Cracoviensis, nomine domini Kyczka succollectoris Wratisleviensis florenos ducentos sexaginta iuxta computum et monetham patrie illius.

Item anno eodem die vicesima septima Februarii recepi per manus Ulrici Fisscher, civis et mercatoris Warschoviensis, ex parte succollectoris dicte civitatis et dictrictus florenos vigintiocto Hung.

Item anno eodem die vicesima sexta Maii recepi per manus Alexandri succollectoris Gueznensis de collecta denarii sancti Petri in diocesi Wladislaviensi florenos Hungaricales sexaginta quatuor cum medio.

Hic iam predicti anni, videlicet Millesimi ccccLxx.sexti, secuntur exposita.

Exposita anni predicti.

Et primo die vicesima nona Octobris personaliter dedi domino Mathie de Grodzyecze, vicario perpetuo et unico succollectori Cracoviensi, pro laboribus et fatigis suis, quos in exigendis dictum denarium sancti Petri fere in triginta decanatibus fecit, necnon pro salariis nunciorum, quos misit ad dictos decanatus contra non solventes dictum denarium, ac etiam pro salariis et attinenciis scribentium dictos processus florenos triginta sex cum medio.

Item nuncio, qui pro portandis huiusmodi pecuniis in dicto districtu collectis diversis ivit vicibus per sexaginta miliaria de nostris sive leucas, dedi pro expensis florenos sex.

Item anno eodem die decima septima Maii dedi succollectori per nuncium meum in civitate Gdanensi cum aliis decanatibus similiter pro laboribus suis, (expensis) nunciorum et processuum florenos duodecim Hungaricos.

Item anno eodem die duodecima mensis Septembris dedi Alexandro, (succollectori) fructuum Camere et denarii sancti Petri in civitate et provincia Gneznensi, etiam pro laboribus suis et expensis nunciorum et processuum florenos septem cum medio.

Item anno eodem die decima quarta Augusti dedi domino Lanka succollectori particulari, videlicet Lanciciensis decanatus, similiter pro laboribus suis, nunciis et processibus florenos quinque.

Item nuncio, quem illuc pro pecuniis misi, pro expensis itineris florenos tres Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima sexta mensis Septembris dedi similiter dño Nicolao de Scudla, Archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi et succollectori, pro laboribus suis, processibus scribendis et nunciis mittendis (magna enim et lata est provincia et plures in se continet decanatus) florenos decem et octo Hungaricales.

Item anno quo supra, die vicesima sexta mensis Septembris dedi domino Preposito sancti Nicolai in Calisch de tribus decanatibus, videlicet Calischiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi, pro laboribus suis, nunciorum et processuum florenos quatuor.

Item anno quo supra, die vicesima quarta Septembris dedi domino Georgio de Wyrambi, unico succollectori in civitate et diocesi Ploczensi, etiam pro suis laboribus et fatigis, processibus et nunciis florenos septem cum medio Hungaricales.

Item anno quo supra, ultima mensis Octobris dedi domino Kyczka succollectori Wratislaviensi pro laboribus suis et fatigis, quas in dicta civitate et triginta quatuor decanatibus eidem subiectis habuit, necnon pro expensis nunciorum et processuum, cartis et aliis amminiculis pertinentibus florenos triginta Hungaricales.

Item dedi mercatori, qui michi attulit pecunias de dicto succollectore, de quibus feci mentionem in posta receptorum pro recambio florenos quatuor.

Item anno quo supra, vicesima octava Februarii dedi succollectori Warschoviensi etiam pro laboribus suis, fatigis nunciorum et laboribus scriptorum florenos quatuor.

Item anno eodem die vicesima octava Maii dedi domino Canonico Wylczynsky et succollectori Wladislaviensi pro laboribus et fatigis suis marcas sex numeri et monethe Polonicalis et duas similes marcas pro cursoribus et processibus, que simul cum sex aliis faciunt florenos duodecim, florenum quemlibet, ut supra, pro triginta duobus grossis computando.

Item nuncio, quem illuc misi pro pecuniis apportandis, pro expensis itineris florenos duos.

Item anno tunc currenti deducendum similiter est salarium meum secundum diu tentam consuetudinem, videlicet pro quolibet die florenum unum, summa facit trecentos sexaginta quatuor florenos, salvo meliori computo: nam isto anno plures labores habui cum antecessore meo equitando personaliter ad diversa loca, et cum eo altricando super ratione reddenda per eum de pecunis Camere receptis, quam usque modo habere non potui. ,,Admissa est.''

ITEM ANNO DOMINI MILLESIMO QUADRINGENTESIMO SEPTUAGESIMO SEPTIMO.

Ego Uriel de Gorka etc. has, que secuntur, recepi de denario sancti Petri in Regno Polonie ac civitate et provincia Gneznensi pecunias. Et primo die Veneris decima sexta mensis Maii recepi a domino Lanka succollectore Lanciciensi de collecta denarii sancti Petri marcas vigintiquinque, grossos duodecim numeri et monethe Polonicalis, quadraginta octo grossos quamlibet in marcam computando: summa florenorum XXXVII. et grossorum XXVIII.

Item anno eodem die secunda mensis Iunii recepi a venerabili dño Nicolao de Scudla, Archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi, de dicta collecta successive in minuta pecunia et mediis grossis marcas septuaginta numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos centum et quinque Hungaricos, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die decima septima mensis Iunii recepi per manus Stanislai Przerzen notarii mei, ex parte domini Ieronimi in Thorun plebani et succollectoris in terris Pomeranie florenos Hungaricales octoginta tres, et marcas decem et septem monethe et numeri Prutenicalis, viginti grossos in quamlibet marcam computando, que marce faciunt florenos novem, florenum quemlibet pro triginta octo grossis in solidis computando. Facit ergo summa florenorum nonaginta duos Hungaricos.

Item anno eodem die decima octava mensis Iunii recepi a domino Simone vicario perpetuo Gneznensi de collecta denarii sancti Petri per manus Przeczen notarii mei triginta marcas numeri et monethe Polonicalis. Domino vero Benedicto de Lopenna dimissa fuit marca una a duabus ecclesiis parrochialibus ob respectum, quia Reverendissimi Archiepiscopi Gneznensis cancellarius fuit et in officio suo michi plurimum utilis. Faciunt ergo dicte triginta marce florenos quadraginta quinque, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die vigesima quarta Iunii recepi a Magistro Georgio de Virambi succollectore Ploczensi marcas viginti sex in mediis grossis, in solidis marcas tres, et in auro florenos duos, faciunt dicte viginti sex marce numeri et monethe Polonicalis florenos Hungaricales triginta novem. Tres vero marce in solidis faciunt florenos quatuor, florenum quemlibet ad rationem monethe Polonicalis pro triginta duobus, Prutenicalis vero sive solidorum pro triginta sex grossis florenum computando. Additis ergo duobus florenis, summa erit quadraginta quinque florenorum Hungaricalium.

Item anno eodem die decima sexta mensis Iulii recepi per manus Mathie Iastrzambsky nomine domini Prepositi sancti Nicolai in Calysch de Archidiaconatibus Kalischiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi marcas triginta novem numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos Hungaricales quinquaginta octo cum medio, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die vicesima octava mensis Iulii recepi per manus domini Pyrzwoschewsky, capellani nostri, nomine dñi Andree de Canczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis successive marcas viginti quatuor et grossos quadraginta numeri et monethe Polonicalis.

Item anno eodem et die decima quinta mensis Decembris recepi ab eodem Pyrzwoschewsky eiusdem succollectoris nomine marcas septuaginta tres in simili numero et monetha, que simul iuncte faciunt marcas centum nonaginta septem et grossos quadraginta. Has igitur marcas ad florenos reducendo, erit summa florenorum ducenti nonaginta sex cum medio floreni, grossi octo, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die decima octava mensis Augusti recepi per manus Stanislai Przeczen, notarii nostri, nomine domini Nicolai Zakrzewsky vicecustodis et succollectoris Wladislaviensis quadraginta octo marcas in solidis monethe et numeri Prutenicalis, que faciunt florenos quinquaginta octo, grossos viginti quatuor in solidis.

Item anno eodem die octava mensis Aprilis recepi per manus Bartholomei de Poznania nomine domini Stanislai succollectoris Warschoviensis florenos viginti octo.

Item anno predicto de succollectoria Wratislaviensi nichil recepi, quia tunc Baltazar de Piscia supervenit, qui, ut asseruit, mandato apostolico et ordinatione manuque potenti Regis Hungarie pecunias dicte succollectorie denarii sancti Petri recepit, et resistente sibi in hoc facto tunc succollectore meo pro tempore existente, procuravit eum dictus Baltazar non solum privari omnibus beneficiis, immo etiam ipsum personaliter a loco exulari, qui ut exulatus et sic beneficiis privatus mortuus est, ut notum est, quampluribus fidedignis personis in et extra Curiam Romanam existentibus. Hanc receptionem dicte collecte ipse Baltazar usque ad annum domini Millesimum quadringentesimum octuagesimum continuavit: constant singula per publicam formam et litteras satis patentes.

Exposita anni eiusdem,

Videlicet Millesimi quadringentesimi septuagesimi septimi. Item primo anno quo supra, die decima septima mensis Maii dedi domino Lanka succollectori Lanciciensi pro serviciis et laboribus suis et pro nunciis mittendis et processibus scribendis florenos quatuor cum medio.

Item anno quo supra, die tertia mensis Iunii dedi domino Nicolao de Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi pro suis laboribus et fatigis, pro nunciis mittendis, processibus et aliis necessariis correquisitis florenos decem et octo Hungaricales.

Item eodem anno die decimaoctava mensis Iunii dedi dño Iheronimo plebano et succollectori in Thorum pro laboribus et fatigis, ac pro nunciis mittendis, processibus rescribendis florenos duodecim.

Item anno eodem vicesima mensis Iunii dedi domino Alexandro succollectori in civitate et diocesi Gneznensi pro laboribus suis et fatigis, et nunciis mittendis, processibus rescribendis florenos septem Hungaricales.

Item anno eodem die vicesimaoctava mensis Iunii dedi domino Georgio de Wirambi succollectori in civitate et diocesi Ploczensi similiter pro laboribus et fatigis suis, processibus scribendis et nunciis mittendis marcas quinque numeri et monethe Prutenicalis: que marce quinque in solidis faciunt florenos septem cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die decimaoctava mensis Iulii dedi domino Preposito sancti Nicolai in Calisch succollectori Calyschiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi pro laboribus et fatigis suis, ac nunciis mittendis et processibus scribendis florenos quatuor.

Item anno eodem die vicesimanona mensis Iulii dedi dño Andree de Kanczuga vicario perpetuo Cracoviensi et succollectori pro suis laboribus et fatigis, et salariis nunciorum et notariorum flor. xxxv.

Item anno eodem, die vero decima mensis Augusti dedi succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis, cursoribus processuum et scriptoribus eorundem florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem, die vero duodecima mensis Aprilis dedi succollectori Warschoviensi pro suis laboribus, fatigis nunciorum ac processibus et eorum attinenciis florenos quatuor Hungaricales.

Item deducendum est similiter hoc anno salarium meum, ut anno supranotato, videlicet die florenus unus, facit summa florenos trecentos sexaginta quatuor. „Admissa est.“

Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus septuagesimus octavus.

In quo anno ego Uriel de Gorka etc. fructuum, reddituum et proventuum ac denarii sancti Petri in Regno Polonie et provincia Gneznensi generalis collector, has de dictis proventibus collegi

pecunias. Et primo anno eodem die decimanona mensis Iunii et successive per alios dies et menses recepimus per manus Pyrzwoschewsky, capellani nostri, nomine domini Andree de Canczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis in diversis monetis, quas ad florenos reducendo (sic), faciunt florenos Hungaricales trecentos unum cum medio.

Item anno eodem vicesima tercia mensis Iunii recepi a domino Dobrogostio de Krzyszanowo Cantore et succollectore Ploczensi vigintiquatuor marcas in solidis, nec tunc plus de illa diocesi habere potui, obstante guerra, que tunc viguit inter Regnum Polonie et Nicolaum Thunghen Electum confirmatum ad ecclesiam Warmiensem, cuius occasione multi plebani depaupertati fuerunt, immo quamplures ad uberiora loca inopia compulsi fugerunt. Faciunt igitur dicte vigintiquatuor marce triginta et duos florenos Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta sex grossis computando.

Item anno eodem die vicesima sexta mensis Iunii recepi per manus Stanislai Przeczen, notarii nostri, ex parte dñi Ieronimi plebani in Thorun succollectoris Pomeranie, tum in monetha Prutenicali, quam etiam successive in auro flor. Hungaricales octuaginta sex, nec tunc eodem anno plus exigi potuit, supradicta guerra obstante, propter quam etiam multi homines violencia stipendariorum oppressi fugerunt.

Item anno eodem die ultima mensis Iunii recepi per manus Mathie, notarii nostri, ex parte domini Lanka succollectoris Lanciciensis marcas viginti unam in monetha et numero Polonicali, quadraginta et octo grossos marcam in quamlibet computando, ut supra dictum est. Eo etiam anno plus habere non potui propter iam dictam guerram, ea ratione quia stipendiarii de Slezia et Hungaria Prussiam transeuntes, illinc viam habentes aliquas villas devastarunt, unde non parum dampni evenit. Faciunt dicte viginti et una marce florenos Hungaricales triginta unum cum medio, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem ultima mensis Iunii, ut supra, recepi per manus Mathie, notarii nostri, nomine Nicolai Zakrzewsky succollectoris Wladislaviensis successive, tam in monetha Prutenicali, quam etiam Polonicali, eo quod utraque est in dicto districtu in communi usu, illas tamen ad florenos reducendo, faciunt quinquaginta quinque. Nam tunc pro illo anno plus exigi non potuit, obstante dicta guerra: quia maior pars illius districtus et maxime Dobrzynensis est in confinibus Prussie.

Item anno eodem die sexta mensis Iulii recepi per manus Alexandri nomine domini Nicolai de Scudla Archidiaconi Srzemensis in ecclesia Poznaniensi, succollectoris ibidem, sexaginta septem marcas numeri et monethe Polonicalis: nec tunc plus haberc potui, quia quamplures plebani non solverunt inopia compulsi, ut idem dominus succollector in ratione reddenda ostendit. Faciunt dicte sexaginta septem marce florenos centum cum medio floreno Hungaricales, quemlibet florenum pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die duodecima mensis Iulii recepi per manus Bartholomei in Slupcza plebani pro parte succollectoris Warschoviensis florenos viginti octo Hungaricales.

Item anno eodem die decimasexta Iulii recepi a domino Alexandro succollectore Gneznensi marcas viginti septem numeri et monethe Polonicalis: tunc enim in dicta diocesi spoliati fuerunt plebani suis decimis et frumentis, quibus vivere debuerunt, et rustici similiter per stipendiarios. Faciunt dicte viginti septem marce quadraginta unum cum medio florenos Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die vicesima Iulii recepi a dicto succollectore Gneznensi Alexandro de tribus decanatibus, videlicet Calischiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi quadraginta marcas numeri et monethe Polonicalis, que faciunt sexaginta florenos Hungaricales.

Item anno eodem de dicta collecta in diocesi Wrathislaviensi nichil recepi, quia tunc Baltazar de Piscia omnia tulit.

Exposita anni predicti.

Item primo anno eodem vicesima mensis Iunii dedi domino Andree de Canczuga succollectori Cracoviensi pro laboribus et fatigis suis, necnon nunciis hinc inde cum processibus mittendis ac dictorum processuum scriptoribus, cartis et aliis attinenciis florenos triginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die decimanona Iulii dedi domino Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus et fatigis suis, necnon processibus et nunciis marcas quinque numeri et monethe Prutenicalis, (que) faciunt florenos tres et grossum unum in solidis; dedi eidem etiam florenos quatuor in auro: facit summa florenos septem Hungaricales.

Item anno eodem die decimaoctava Iunii dedi domino Ieronimo plebano in Thorun succollectori Gdanensi pro suis laboribus, processibus et expensis nunciorum florenos duodecim.

Item anno eodem die tercia Iulii dedi domino Lanka succollectori Lancziczieusi pro suis laboribus, processibus et expensis nunciorum ac fatigis florenos octo Hungaricales.

Item anno eodem quarta mensis Iulii dedi domino Canonico Wylczynsky succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis ac pro nunciis mittendis cum processibus et illis scribendis marcas octo numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos duodecim Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die sexta Iulii dedi Nicolao Scudla archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi pro laboribus suis, et diligentiis processibusque scribendis et nunciis hinc inde mittendis marcas duodecim numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos Hungaricales decem et octo, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem, die vero decimaquinta Iulii dedi succollectori Warschoviensi pro laboribus et fatigis, processibus et nunciis florenos quinque Hungaricales.

Item anno eodem die vicesimaoctava Iulii similiter dedi Alexandro succollectori Gneznensi pro laboribus et expensis nunciorum florenos septem cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die ultima Iulii dedi preposito sancti Nicolai in Calisch de dicto decanatu simul cum aliis duobus, videlicet Unyeoviensi et Wyeluniensi, pro laboribus et fatigis suis, processibus et nunciis florenos quatuor Hungaricos.

Item hoc anno sicut et aliis deducendum est salarium meum, videlicet pro quolibet die florenus unus, facit summa florenos trecentos sexaginta quatuor. ,,Admissa.“

Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus septuagesimus nonus.

Hoc anno nos Uriel dei et apostolice sedis gratia Episcopus Poznaniensis etc. has, que secuntur, collegimus pecunias. Et primo die decimaoctava mensis Iulii a domino Andrea de Kanczyga vicario perpetuo et succollectore Cracoviensi successive in diversis monethis Polonicalibus et Bohemicalibus, quorum (sic) valorem superius expressimus, per manus Pyrzwoschewsky capellani nostri, quas pecunias ad florenos reducendo facit summa trecentos et duos cum medio florenos Hungaricales.

Item anno eodem die vicesimatercia mensis Iunii recepimus per manus familiaris nostri Iohannis, nomine domini Lanka succollectoris Lancziczieusis, marcas viginti quatuor monethe et numeri Polonicalis et unum florenum in auro. Faciunt dicte viginti quatuor marce florenos Hungaricales triginta sex, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando. Iuncto igitur uno ad triginta sex, erunt triginta septem.

Item anno eodem die vicesimatercia mensis Augusti recepimus per manus Stanislai Przeczen notarii nostri successive in auro et monetha tum Prutenicali, tum Polonicali, quas (?) ad aurum reducendo iuxta valorem superius sepe expressum ascendit in summa ad florenos sexaginta quinque.

Item anno eodem, die et mense per manus eiusdem notarii recepimus ex parte succollectoris Warschoviensis florenos viginti octo Hungaricales.

Item anno eodem die duodecima Augusti recepimus per manus dicti Stanislai Przeczen nomine domini Ieronimi plebani in Thorun et succollectoris Pomeranie in summa florenos Hungaricales octuaginta sex et grossos sedecim in solidis.

Item anno eodem vicesimatercia die Iulii recepimus per manus Pyrzwoschewsky, capellani nostri, pro parte dñi Dobrogostii cantoris et succollectoris Ploczensis flor. quadragintaquinque Hungaricales.

Item anno eodem sexta die mensis Septembris recepimus per manus Luthomsky sexaginta quatuor marcas pro parte domini Nicolai de Scudla archidiaconi Srzemensis in ecclesia Poznaniensi succollectoris, quia tunc ecclesie in confinibus Slezie iacentes devastate fuerunt propter bellum, quod dux de Zagano movit contra ducissam Glogovie. Faciunt dicte sexaginta quatuor marce florenos nonaginta sex ad rationem triginta duorum grossorum pro uno floreno computando.

Item anno eodem quo supra recepimus per manus Zakrzewsky, cubicularii nostri, nomine domini Simonis mansionarii Gneznensis de collecta denarii sancti Petri in dicta civitate et diocesi florenos quadraginta tres Hungaricales, grossos quinque cum medio numeri et monethe Polonicalis.

Item anno eodem die decimasexta Septembris recepimus per manus Iastrzambsky, familiaris nostri, nomine domini Prepositi sancti Nicolai in Calisch de tribus decanatibus, videlicet Calyschiensi,

Unyeoviensi et Wyeluniensi quadraginta unam marcas numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos sexaginta unum (cum) medio, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem de diocesi Wrathislaviensi nichil recepimus, obstante Baltizaro de Piscia.

EXPOSITA ANNI EIUSDEM.

Et primo anno eodem die vicesimasecunda mensis Iulii dedimus domino Andree Canczuga, vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi, pro laboribus et diligenciis suis, ac processibus scribendis et nunciis hinc inde mittendis florenos triginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima octava mensis Iunii dedimus domino Lanka pro suis laboribus, fatigis et expensis processuum (et) nunciorum, qui illos exequi procurarunt florenos octo Hungaricales.

Item anno eodem die decimaoctava mensis Iulii dedimus domino Canonico Wylczynsky succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis, processibus ac nunciis florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem vicesimasexta mensis Iulii similiter dedimus succollectori Warschoviensi pro laboribus suis ac processibus et nunciis florenos quinque Hungaricos.

Item anno eodem die decimasexta mensis Augusti dedimus domino Iheronimo plebano Thorunensi et succollectori Gdanensi pro suis laboribus, processibus et nunciis florenos duodecim Hung.

Item anno eodem die decimaoctava Augusti dedimus domino Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus similiter suis et fatigis, processibus scribendis, nunciis mittendis florenos septem Hungaricos.

Item anno eodem die octava mensis Septembris dedimus domino Nicolao de Scudla archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi similiter pro laboribus suis, nunciis mittendis et processibus scribendis et aliis attinenciis marcas duodecim numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos decemocto Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die vicesima Septembris dedimus Alexandro succollectori Gneznensi similiter pro laboribus suis, processibus scribendis et nunciis mittendis florenos septem cum medio.

Item anno eodem vicesima mensis Septembris dedimus Preposito sancti Nicolai in Calisch de dicto decanatu simul cum aliis duobus, videlicet Unyeoviensi et Wyeluniensi pro scribendis processibus et pro laboribus suis ac nunciis mittendis florenos quatuor Hungaricales.

Item hoc anno sicut et aliis annis sunt expense nostre deducende, pro quolibet die unum florenum (sic), facit summa trecentos sexaginta quatuor florenos Hungaricales. „Admissa."

SEQUITUR ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS OCTUAGESIMUS.

Hoc anno nos Uriel de Gorka dei gracia Episcopus Poznaniensis etc. has, que secuntur, de dicta Collecta recepimus pecunias.

Et primo a venerabili domino Nicolao de Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi succollectore marcas septuaginta unam tum in mediis grossis, quam etiam minuta pecunia numeri et monethe Polonicalis, que faciunt centum et sex cum medio florenos Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem decima die mensis Iulii recepimus a domino Lanka succollectore decanatus Lanczicziensis vigintiquinque marcas in mediis grossis, que faciunt florenos triginta septem cum medio, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem vicesimaquarta die mensis Iunii recepimus per manus Mathie Iastrzambsky nomine domini Prepositi sancti Nicolai in Calysch de dicto decanatu cum aliis duobus Unyeoviensi et Wyeluniensi de collecta denarii sancti Petri hoc anno marcas quadraginta numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos sexaginta, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem prima mensis Iunii recepimus per manus domini Mathie de Zalcsyc Canonici Ploczensis nomine succollectoris Warschoviensis florenos viginti et octo Hungaricales.

Item anno eodem die decimaquinta mensis Iulii recepimus per manus Iohannis Zakrzewsky, cubicularii nostri, de collecta denarii sancti Petri in districtu Gneznensi viginti octo marcas et grossos tredecim, que faciunt quadraginta duos florenos Hungaricales et tredecim grossos, quemlibet florenum pro triginta duobus grossis computando, ut tunc moris fuit.

Item anno eodem die septima mensis Octobris recepimus per manus Stanislai Pyczwoschewsky, capellani nostri, nomine domini Kanczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis successive florenos ducentos nonaginta. Nec illo anno plus habere potuimus propter guerram, que mota fuit contra

quoddam castrum reipublice suspectum, videlicet Berwald, occasione cuius belli multe ecclesie devastate fuerunt: fuerunt ergo tunc michi presentati successive, ymmo post multas impensas et fatigas dicti ducenti et nonaginta floreni Hungaricales.

Item anno eodem die quarta mensis Octobris recepimus per manus Alexandri, capellani nostri, nomine domini Dobrogostii Cantoris et succollectoris Ploczensis viginti octo marcas cum media, et uno floreno in auro numeri et monethe Polonicalis: que viginti et octo marce faciunt quadraginta duos florenos et grossos viginti, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando. Iuncto ergo floreno in auro, facit summa quadraginta tres florenos Hungaricales et grossos viginti.

Item anno eodem die septima mensis Septembris recepimus per manus Petri Cluczewsky, notarii nostri, nomine domini Ieronimi plebani in Thorun et succollectoris terrarum Pomeranie florenos sexaginta in auro, et marcas quinquagintaquinque leves sive Prutenicales, viginti grossos solidorum in marcam quamlibet computando, tres vero solidos in grossum: faciunt igitur dicte quinquaginta quinque marce florenos Hungaricales triginta, florenum quemlibet pro triginta sex grossis et solidis duobus computando, quibus triginta florenis iunctis ad sexaginta erit summa totalis florenorum nonaginta.

Item anno eodem die nona mensis Septembris recepimus per dictum Petrum Cluczewsky, notarium nostrum, nomine domini Zakrzewsky succollectoris Wladislaviensis florenos Hungaricales LXIV.

Item adhuc hoc anno de districtu Wrathislaviensi nichil recepimus propter domini Balthizar, ut supra dictum est.

EXPOSITA EIUSDEM ANNI.

Et primo die vicesimanona mensis Iulii dedimus domino Nicolao de Scudla, archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi et succollectori camere et denarii sancti Petri, pro laboribus suis, expensis, pro nunciis mittendis et processibus scribendis ac aliis correquisitis ad illos marcas duodecim, que faciunt florenos decem et octo, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno quo supra, quindecima die mensis Iunii dedimus domino Lanka succollectori Lancziciensi pro suis laboribus, impensis et diligenciis, processibus et nunciis expediendis florenos octo Hungaricales.

Item anno eodem die quindecima mensis Maii dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calysch de dicto decanatu et aliis duobus videlicet Unyeoviensi et Wyeluniensi pro laboribus suis, fatigis, processibus et nunciis expediendis seu mittendis florenos quatuor Hungaricales.

Item anno eodem die sexta mensis Iulii dedimus succollectori Warschoviensi pro laboribus suis ac processibus mittendis et eis scribendis florenos quinque Hungaricos.

Item anno eodem die vicesimaoctava mensis Augusti dedimus Alexandro succollectori Gneznensi pro fatigis suis, diligenciis et processibus mittendis et scribendis, nunciisque expediendis florenos septem cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die nona mensis Octobris dedimus domino Andree Kanczuga, vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi, pro laboribus et fatigis suis florenos vigintiquinque Hungaricales. Item eidem pro processibus et nunciis mittendis ad diversos decanatus marcas septem, que faciunt florenos decem cum medio. Facit ergo summa totalis triginta et quinque florenos cum medio,

Item anno eodem die sexta mensis Septembris dedimus domino Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus suis, ac processibus scribendis et nunciis mittendis marcas quinque numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos septem cum medio.

Item anno eodem die nona Septembris dedimus domino Ieronimo plebano in Thorun et succollectori terrarum Pomeranie pro laboribus suis, processibus scribendis ac nunciis mittendis florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima mensis Septembris dedimus domino Canonico Vylczynsky et succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis et expensis, processibus scribendis et nunciis mittendis marcas octo numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos duodecim.

Item hoc anno sicut et aliis deducendum est salarium meum, pro quolibet die florenus unus, summa facit trecentos sexaginta et quatuor florenos Hungaricales.

SEQUITUR ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS OCTUAGESIMUS PRIMUS.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo nos Uriel de Gorka dei et apostolice sedis gratia Episcopus Poznaniensis, fructuum et reddituum Camere apostolice ac denarii

S. Petri in regno Polonie ac provincia Gneznensi generalis collector, has, que secuntur, tulimus et recepimus pecunias.

Et primo manus per Stanislai Pyrzwoschewsky, capellani nostri, nomine domini Ieronimi plebani Thoruniensis et succollectoris terrarum Pomeranie recepimus florenos Hungaricales septuaginta quinque, et marcas leves sive Prutenicales undecim, que marce faciunt florenos sex similes, florenum quemlibet pro triginta sex grossis et duobus solidis computando. Facit ergo summa totalis florenorum octuaginta unum.

Item anno eodem die ultima Iulii recepimus per manus cuiusdam mercatoris et civis Thoruniensis marcas leves sive Prutenicales viginti unam, que faciunt ad rationem superius dictam florenos undecim, grossos vero duodecim, solidos duos.

Item anno eodem die vicesimanona Iunii recepimus per manus dicti Pyrzwoschewsky nomine Zakrzewsky succollectoris Wladislaviensis florenos Hungaricales sexaginta quinque.

Item anno eodem die ultima mensis Iulii recepimus a domino Custode et succollectore Gneznensi florenos quadraginta quinque Hungaricales.

Item anno quo supra, die octava mensis Iulii recepimus a domino Dobrogostio Cantore et succollectore Ploczensi florenos in auro triginta duos Hungaricales, et viginti duas marcas monethe et numeri Prutenicalis, viginti grossos in marcam quamlibet computando, que faciunt florenos Hungaricales duodecim, florenum quemlibet pro triginta sex grossis et duobus solidis computando. Erit ergo summa totalis florenorum quadraginta duo.

Item anno eodem die vicesima mensis Iulii recepimus per manus Iacobi Glupyewsky nomine Michaelis Michalowsky Canonici et succollectoris Warschoviensis florenos viginti octo Hungaricales.

Item anno eodem die decimatertia mensis Augusti recepimus a domino Lanka, succollectore Lanciciensi, marcas viginti quatuor monethe et numeri Polonicalis, qui faciunt florenos triginta sex Hungaricales.

Item anno et die eodem recepimus per manus Mathie Iastrzambsky, servitoris nostri, de tribus decanatibus, videlicet Calyschiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi marcas quadraginta in mediis grossis monethe et numeri Polonicalis, que faciunt florenos sexaginta Hungaricales, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die quarta mensis Septembris recepimus per manus Petri, notarii nostri, ex parte domini Nicolai de Scudla Archidiaconi Srzemensi in ecclesia nostra Poznaniensi succollectoris nostri florenos Hungaricales centum et sex.

Item anno eodem die vicesima Septembris recepimus per manus domini Pyrzwoschewsky nomine domini Andree de Canczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis successive de collecta dicti anni florenos trecentos et unum cum medio.

Item anno eodem die decimanona Septembris recepimus per manus Zyrowsky notarii nostri de collecta denarii sancti Petri districtus Wrathislaviensis florenos ducentos sexaginta Hungaricos.

Exposita anni predicti.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Iulii dedimus domino Ieronimo plebano in Thorun et succollectori terrarum Pomeranie pro laboribus, fatigis et expensis, pro processibus et nunciis mittendis florenos duodecim.

Item anno eodem die quarta Augusti similiter dedimus succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis et fatigis, expensis nunciorum et processibus mittendis florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Iulii dedimus Alexandro succollectori nostro in civitate et diocesi Gneznensi pro laboribus suis, et expensis nunciorum processuumque expeditione florenos sex Hungaricales.

Item anno eodem quo supra, die duodecima mensis Iulii dedimus domino Dobrogostio Cantori et succollectori nostro Ploczensi pro laboribus suis et expensis, processuum expeditione et nunciis mittendis florenos septem cum medio.

Item anno eodem die duodecima mensis Augusti dedimus succollectori Warschoviensi pro expensis et laboribus suis, processibus et nunciis mittendis quatuor florenos.

Item anno eodem vicesima quarta Augusti dedimus domino Lanka succollectori Lancziciensi pro suis laboribus, expensis et fatigis processuumque et nunciorum expediendis marchas tres numeri et

monethe Polonicalis, que faciunt florenos quatuor cum medio, florenum quemlibet per triginata duos grossos computando.

Item anno quo supra, die quindecima Augusti dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calysch de tribus decanatibus, videlicet Calyschiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi pro laboribus suis et expensis, nunciornm expeditione et processuum missione florenos quatuor.

Item anno eodem die quarta mensis Septembris dedimus domino Nicolao de Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia nostra Poznaniensi succollectori pro laboribus suis et expensis, processuum et nunciorum expeditione florenos Hungaricales decem et octo.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Septembris dedimus dño Nicolao de Canczuga vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi pro laboribus suis et fatigis, processibus scribendis et mittendis nunciis hinc inde per diversos decanatus successive, et pro laboribus notariorum florenos triginta Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Septembris dedimus succollectori Wratislaviensi pro tempore existenti pro suis laboribus, fatigis et expensis processuum et nunciorum expeditione flor. viginti.

Item deducendum est etiam hoc anno salarium nostrum, computando pro quolibet die unum florenum Hungaricalem: Summa facit trecentos sexaginta et quatuor florenos.

Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus octuagesimus secundus.

In quo ego Uriel de Gorka Episcopus Poznaniensis fructuum, proventuum ac reddituum denariique sancti Petri in regno Polonie et provincia Gneznensi apostolice Camere generalis collector recepi has, que secuntur pecunias. Et primo vicesima quarta Maii recepi per manus domini Pyrzwoschewsky, capellani nostri, successive pro parte domini Andree Canczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis de collecta anni supradicti florenos ducentos nonaginta octo Hungaricales.

Item eodem anno die quarta mensis Iunii recepimus per manus dicti Stanislai Pyrzwoschewsky nomine domini Prepositi sancti Nicolai in Calysch, succollectoris dicti decanatus ac aliorum duorum, videlicet Unieoviensi et Wyeluniensi, florenos sexaginta Hungaricales.

Item anno eodem die decimanona mensis Iulii recepimus per manus domini Lukowsky Canonici Poznaniensi nomine domini Nicolai de Scudla archidiaconi Srzemensi in ecclesia Poznaniensi, succollectoris ibidem, marcas septuaginta numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos centum et quinque, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die decimanona mensis Novembris recepimus per manus domini Custodis Gneznensis et succollectoris ibidem florenos quadraginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Novembris recepimus a domino Dobrogostio Cantore et succollectore Ploczensi in diversis monethis, Polonicali videlicet et Prutenicali, quas ad florenos reducendo Hungaricales, faciunt florenos quadraginta quinque cum medio.

Item anno eodem die decimaoctava mensis Iunii recepimus per manus Nicolai notarii nostri nomine domini Iheronimi in Thorun plebani et succollectoris Pomeranie florenos Hungaricales nonaginta.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Iulii recepimus per manus Petri notarii nostri de collecta denarii sancti Petri in districtu Wladislaviensi florenos sexaginta quatuor Hungaricales.

Item eodem anno et die recepimus per manus Petri Cluczewsky nomine domini Lanka succollectoris Lanczicziensis marcas viginti quinque numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos triginta septem cum medio, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno eodem die ultima mensis Iulii recepimus per manus domini Ulrici Fischar civis et mercatoris Warschoviensis de dicta collecta denarii sancti Petri florenos Hungaricales viginti octo.

Item eodem anno die vicesima quarta mensis Octobris recepimus per manus Zyrowsky notarii nostri de collecta denarii sancti Petri Wrathislaviensis florenos ducentos sexaginta Hungaricales.

Exposita anni eiusdem.

Et primo dedimus die vicesima octava mensis Maii dño Andree de Canczuga vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi pro laboribus suis et fatigis, pro salariis nunciorum, quos cum diversis processibus per decanatus misit, ac pro scriptoribus eorundem processuum flor. triginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Maii dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calisch pro laboribus suis et fatigis in eodem decanatu et aliis duobus, videlicet Unyeoviensi et Wyeluniensi, ac nunciis et scriptoribus florenos Hungaricales quatuor.

Item anno eodem die vicesima quarta Iunii dedimus domino Nicolao de Scudla archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi succollectori nostro Poznaniensi pro laboribus suis, ac expeditione processuum et nunciorum ac etiam scriptorum florenos decem et octo Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Novembris dedimus Alexandro succollectori Gneznensi pro laboribus suis, impensis nunciorum ac processuum florenos septem Hungaricales.

Item anno eodem die octava mensis Septembris dedimus domino Dobrogostio Cantori et collectori Ploczensi pro laboribus suis ac nunciis et processibus florenos Hungaricales sex cum medio.

Item anno eodem die decima octava mensis Iulii dedimus domino Ieronimo in Thorun plebano et succollectori Pomeranie pro suis laboribus, nunciis et processibus florenos duodecim.

Item anno eodem die decima octava mensis Iunii dedimus succollectori Wladislaviensi pro laboribus et fatigis suis ac nunciis et processibus similiter florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die sexta Iulii dedimus similiter succollectori Warschoviensi pro laboribus et expensis suis processuumque ac nunciorum expeditione florenos quatuor.

Item anno eodem die ultima mensis Octobris dedimus succollectori Wrathislaviensi pro tempore existenti etiam pro suis laboribus, expensis nunciorum (et) processuum flor. viginti Hungaricales.

Item deducendum est salarium meum, ut ceteris annis, iuxta consuetudinem aliorum collectorum antecessorum meorum, videlicet pro quolibet die unus florenus, facit summa CCCLXIV. flor. Hung.

Restant nunc summe, quas misi per diversos nuntios proprios ac mercatores Romanos mercatoribus Romanam Curiam sequentibus sive bancariis pro apostolica Camera de dicta collecta denarii sancti Petri, quas in locis annorum, in quibus easdem misi, non posui ex eo, quia aliquando pecunie tarde per mercatores date fuerunt, eorumque defectu etiam ultra tempus factorum ipsorum retente fuerunt, prout anno presenti contingit per medium cuiusdam Italici Andreoli nomine, qui socium se retulit habere corresponsalem sibi et Romanam Curiam sequentem Stephanum de Nigronis nomine, et prout intellexi, fidei sue neuter ipsorum satisfecit, unde michi dampnum fere in ducentis emersit ducatis, quittancie etiam michi vix secundo anno aliquando ad manus pervenerunt: Propterea hic omnes summas, [quas] et personas, mediantibus quibus illas misi, designare curavi, referendo me ad quietantias, quas etsi originales non mitto, designo tamen annum expeditionis earundem ac libros et folia, in quibus ille regestrate sunt, specifico, et credo illa pro verificatione sufficere.

Item primo anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, die decima octava mensis Augusti misi per quosdam mercatores Romanos ad bancum de Paziis octingentos florenos auri de Camera ex collecta denarii sancti Petri, prout apparet ex quictancia michi transmissa, de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum de anno a Nativitate domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, indictione undecima, die vicesima Ianuarii, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia pape quarti anno septimo, Regestrata in libro septimo, folio nonagesimosexto, Visa A. de Furlivio, subscripta per Io. Gerones.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo misi ad apostolicam Cameram de collecta denarii sancti Petri in regno Polonie, ac provincia Gneznensi per Martinum Potruciani Canonicum Poznaniensem florenos trecentos auri de Camera, quos ex parte dicte Camere reverendus in Christo pater et dominus Petrus dei et apostolice sedis gratia Epūs Calaguritanus, Sanctissimi domini nostri pape generalis vicethesaurarius, realiter et cum effectu tulit et levavit, ut apparet ex quictancia michi transmissa de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, Indict. duodecima, die vero sextadecima mensis Iunii, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia pape quarti anno octavo, Regestrata in libro nono eiusdem Camere, folio octavo, subscripta per dominum vicethesaurarium prefatum in sinistro cornuplice: Visa Falco, Io. Gerones.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo misi per quosdam mercatores Alemanos ad apostolicam Cameram de collecta denarii sancti Petri, per medium societatis banchi de Rabatis, quadringentos florenos auri de Camera, prout apparet ex quictancia michi transmissa de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum, anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, die vero decima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia pape quarti anno decimo, Regestrata in libro undecimo, folio LXXXIII. Visa L. Agnellus, subscripta Phil. de Pontecurvo.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo misi per quosdam mercatores Alemanos ad dictam apostolicam Cameram de fructibus, redditus, proventibus ac collecta denarii sancti Petri per medium societatis banchi de Rabatis et Ricasulis de Romana Curia florenos auri de Camera ducentos, ut constat ex quictancia michi transmissa de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum, anno a Nativitate domini Millesimo ccccLXXX. secundo, indictione decimaquinta, die decimaseptima Maii, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providencia pape quarti, anno undecimo, Regestrata in libro Camere apostolice videlicet decimo tertio, folio decimosexto, Visa A. de Furlivio, subscripta Io. Gerones.

Item anno quo supra, videlicet Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, dedi domino Urbano de Montesancto decretorum doctori in regno Polonie apostolico nuncio ducatos Hungaricales quadraginta, quos dictus dominus Urbanus reverendo in Christo patri et domino Bartholomeo dei et apostolice sedis gratia Ep̄o Civitatis Castelli, sanctissimi domini nostri pape generali thesaurario, solvit et dedit realiter et cum effectu, ut apparet ex quictancia michi transmissa de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum, sub anno dominice Nativitatis Millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, indictione decimaquinta, die vicesima mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providentia pape quarti, anno duodecimo, et regestrata in libro decimotertio introitus et exitus Camere prefate folio XCIII., signata in sinistro cornu inferioris partis plice per dictum dominum Thesaurarium. Visa A. de Furlivio et subscripta per notarium Camere Marinus in cornu dextro.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo dedi reverendo in Christo patri et domino Urso de Ursinis dei et apostolice sedis gratia Episcopo Theanensi, olim in partibus Polonie legato, ducatus octuaginta (florenos Hungaricales), quos reverendus in Christo pater et dominus Bartholomeus eadem gratia Episcopus Civitatis Castelli, sanctissimi domini nostri pape generalis Thezaurarius, recepit, ut apparet ex quictancia michi transmissa de data Rome apud Sanctum Petrum in Camera apostolica, sub anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio, die vicesima septima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providentia pape quarti, anno duodecimo, Regestrata in libro Camere videlicet quartodecimo, folio undecimo, subscripta per dictum reverendum patrem dominum Thezaurarium in sinistro cornu partis inferioris plice, Visa G. Blundus; in alio vero cornu plice videlicet dextro est manus notarii A. de Campania.

Item anno domini quo supra misi per quendam nuncium proprium ad manus domini Iohannis de Dambrowa Canonici Poznaniensis florenos auri de Camera quingentos, quos reverendus in Christo pater dominus Bartholomeus dei gratia Episcopus Civitatis Castellani, sanctissimi domini nostri pape generalis Thezaurarius, pro eadem Camera recepit, ut apparet ex quictancia michi transmissa de data Rome in Camera apostolica apud Sanctum Petrum, anno a Nativitate domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio, indictione prima, die vicesimaseptima mensis Februarii, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providencia pape quarti anno duodecimo, Regestrata in Camera apostolica libro decimotercio, folio centesimo vicesimo sexto, Visa per A. de Furlivio et subscripta per Io. Gerones.

Secuntur expense, quas feci in recambiis dictarum summarum.

Et primo dedi pro recambio octuagentorum florenorum florenos Hungaricales sexaginta quatuor, pro quolibet centenario octo florenos computando Hungaricales, facit summa florenos sexaginta quatuor.

Item de quadringentis florenis Hungaricalibus pro recambio dedi florenos triginta duos, pro quolibet centenario florenos octo computando. Item pro recambio ducentorum florenorum dedi flor. sedecim.

Item de trecentis florenis, quorum fideicommissarius fuit Martinus Potenciani de Dambrowa canonicus Poznaniensis, dedi florenos viginti quatuor ad rationem octo florenorum pro quolibet centenario.

Item de quingentis florenis, de quibus respondi per manus Iohannis de Dambrowa canonici Poznaniensis, solvi florenos quadraginta.

Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto remissum fuit michi registrum certis respectibus et dubiis, de quibus spero iuxta extremum pro hac vice posse fatisfecisse, potissime de pecuniis cruciate Rhodiane, quas tamen miseram, ut posui in quadam posta, sed usque modo retente sunt: nichilominus nollem nec molestus, nec obnoxius esse Camere, quare nunc et numerum

pono et summam specifico, per cuius manus eam misi. Similiter hoc facio de quadam alia summa, quam recepi de iubileo Rhodiano in ecclesia Pomezaniensi. Obiciebatur michi tunc etiam, quod nullam feci mentionem de annatis, quam nunc facio. Similiter etiam et de omnibus annis annum domini Millesimum quadringentesimum octuagesimum secundum sequentibus facio mentionem, et quantum, ubi, quando et a quo recepi hoc ipsum de missis et expositis pecuniis facio.

Item in primis recepi de Iubileo intra ecclesiam Poznaniensem ultra decretum et velle serenissimi domini Kazimiri dei gratia Regis Polonie, qui prout in aliis ecclesiis recepit, ita et ibi pecunias easdem recipere nitebatur, quamvis etiam et contra nos usque ad privationem episcopatus procedere comminabatur, et odia alia non modica perpessi sumus, ubi lucrum et favores non nos adeo extreme resistendo meruissemus: raptim tamen et clam septingentos florenos, quos in loco et ordine annorum supra non posui ea ratione, quia ut ibidem posuimus, retenti fuerunt michi per mercatorem etiam specificatum mille floreni, ubi dicti septingenti fuerunt et trecenti ad rationem denarii S. Petri, de quibus nullam omnino spem habemus eos rehabere: ne tamen Camera per me quomodolibet dampnificaretur, de aliis ex dei gratia et meis proventibus providi.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio die duodecima Maii nos Uriel dei gratia Episcopus Poznaniensis etc. recepimus per manus domini Pyrzwoschewsky nomine et ordinatione domini Iheronimi succollectoris et plebani in Thorun de Iubileo in ecclesia Pomezaniensi celebrato florenos quingentos.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto recepimus a dño Nicolao Boglewsky Preposito per manus domini Marsalci regni Polonie de mediis fructibus dicte prepositure centum septuaginta et quinque florenos Hungaricales, de quibus ipsum per instrumentum quictavimus.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto die vicesima Septembris recepimus a domino Iablowsky ratione trium prebendarum, videlicet Gneznensis, Poznaniensis et Wladislaviensis, de mediis fructibus florenos septuaginta Hungaricales et quinque remisi.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto die vicesima sexta mensis Februarii recepimus a domino Dambrowsky Canonico Gneznensi ratione dicte sue prebende florenos quadraginta tres Hungaricales.

Item anno dñi Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo die vicesima quinta Marcii recepimus nomine Nicolai Kyanschsky de mediis fructibus ratione prebendarum Gneznensis et Cracoviensis pro se et germano suo domino Alberto ducatos quinquaginta octo Hungaricales, et residuum videlicet novem cum medio florenos non solvit morte preventus.

Item anno dñi Millesimo quadringentesimo septuagesimo (septimo) die vicesima prima mensis Aprilis recepimus a Thoma de Oschkowycze ratione ecclesie parrochialis ibidem de mediis fructibus florenos viginti quatuor, residuum vero videlicet sex florenos dimisimus sibi ad instanciam domini Vicecancellarii regni Polonie, qui ipsius et paupertatem et incuriam censurarum exposuit.

Item anno dñi Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo recepimus a dño Simone de Dzyeczmarowycze de mediis fructibus pro ecclesia sua in Dambrowa florenos undecim Ungaricales.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo recepimus per manus dñi Dobrogostii Cantoris et succollectoris Ploczensis nomine domini suffraganei Ploczensis ratione medii fructus sui suffraganeatus florenos centum Hungaricales.

Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus octuagesimus tertius.

In quo nos Uriel dei gratia Episcopus Poznaniensis fructuum, proventuum, reddituum ac denarii sancti Petri in Regno Polonie ac provincia Gneznensi apostolice Camere generalis collector recepimus has, que secuntur, pecunias. Et primo die vicesima secunda Marcii recepimus per manus domini Stanislai Pyrzwoschewsky, capellani nostri, nomine domini Andree de Canczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis de collecta anni supradicti trecentos florenos Hungaricales.

Item anno ut supra, die decima octava Maii recepimus per manus Nicolai Parisch ex parte domini Prepositi sancti Nicolai in Calisch decanatuum Çalyschiensis, Unyeoviensis et Wyeluniensis succollectoris florenos sexaginta Hungaricales.

Item anno quo supra, die decima Aprilis recepimus a venerabili dño Nicolao de Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia nostra Poznaniensi et succollectore ibidem centum et quinque florenos Hungaricales.

Item anno eodem die duodecima mensis Septembris recepimus per manus dñi Custodis Gneznensis de dicta collecta florenos quadraginta quinque.

Item anno quo supra, die ultima Iulii recepimus a domino Dobrogostio Cantore et succollectore Ploczensi florenos quadraginta quinque cum medio.

Item anno ut supra, die decima octava mensis Iunii misit nobis dñus Iheronimus plebanus in Thorun succollector terrarum Pomeranie per quendam mercatorem de dicta collecta denarii sancti Petri florenos nonaginta Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Iulii recepimus de districtu Wladislaviensi florenos sexaginta quatuor Hungaricales.

Item anno eodem die quinta Iulii recepimus pro parte dñi Lanka succollectoris Lanciciensis florenos triginta octo Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Iulii recepimus pro parte succollectoris Warschoviensis de collecta denarii sancti Petri ibidem florenos Hungaricales viginti octo.

Item eodem anno die vicesima quarta mensis Octobris recepimus pro parte succollectoris Wratislaviensis florenos ducentos sexaginta Hungaricales.

Exposita anni eiusdem.

Et primo die vicesima Iunii dedimus domino Nicolao Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia Poznaniensi et succollectori Camere et denarii sancti Petri pro laboribus suis, expensis pro nunciis mittendis, et processibus scribendis ac aliis correquisitis ad illos marcas duodecim, que faciunt florenos decem et octo, florenum quemlibet pro triginta duobus grossis computando.

Item anno quo supra, die quindecima mensis Iulii dedimus domino Lanka succollectori Lanciciensi pio suis laboribus et impensis, processibus et nunciis expediendis florenos octo Hungaricales.

Item anno eodem die quartadecima Maii dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calysch de ipso decanatu et aliis duobus Unyeoviensi et Wyeluniensi pro laboribus suis ac nunciorum expeditione florenos quatuor Hungaricales.

Item anno eodem die octava Iulii dedimus succollectori Warschoviensi pro laboribus suis, processibus scribendis et eis mittendis florenos quinque Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima nona Augusti dedimus domino Alberto de Gay Custodi et succollectori Gneznensi pro diligenciis suis ac nunciis expediendis flor. septem cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die decima septima Octobris dedimus dño Andree Kanczuga vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi pro suis fatigis, processibus ac nunciis ad diversos decanatus mittendis triginta et quinque cum medio florenos Hungaricales.

Item anno eodem die nona Octobris dedimus dño Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus suis ac processibus scribendis et nunciis mittendis septem cum medio flor. Hungaricales.

Item anno eodem die quindecima Septembris dedimus domino Ieronimo plebano in Thorun et succollectori terrarum Pomeranie pro laboribus suis, ac nunciis cum processibus mittendis florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima prima dicti Septembris dedimus dño Canonico Wylczynsky succollectori Wladislaviensi pro suis fatigis, processibus scribendis ac nunciis mittendis florenos duodecim Hungaricales.

Item hoc anno sicut et aliis deducendum est salarium meum, videlicet pro quolibet die florenus unus, quorum summa facit trecentos sexaginta quatuor florenos.

Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus octuagesimus quartus.

In quo anno nos Uriel Episcopus Poznaniensis ac fructuum et denarii sancti Petri in Regno Polonie ac provincia Gneznensi collector generalis de collecta huiusmodi has, que secuntur, collegimus et recepimus pecunias. Item anno eodem die prima mensis Augusti recepimus a domino Scudla succollectore Poznaniensi florenos centum et quinque Hungaricales.

Item anno eodem die decima Augusti recepimus a dño Custode et succollectore Gneznensi de dicta collecta denarii sancti Petri florenos quadraginta et quinque Hungaricales.

Item anno quo supra, die octava Marcii recepimus per manus Pyrzwoschewsky, capellani nostri, ex parte domini Andree Canczuga succollectoris Cracoviensis de ipsa collecta denarii sancti Petri florenos trecentos.

Item anno eodem die decima Iunii recepimus pro parte dñi Prepositi sancti Nicolai in Calysch ex tribus decanatibus, videlicet Calyschiensi, Unycoviensi et Wyeluniensi succollectoris florenos sexaginta Hungaricales.

Item anno quo supra, die duodecima Iulii recepimus a domino Dobrogostio de Crzyszanewo Cantore et succollectore Ploczensi florenos quadraginta quinque cum medio.

Item anno eodem et die predicta duodecima Iulii recepimus ex parte domini Iheronimi plebani Thoruniensis et succollectoris in terris Pomeranie florenos nonaginta.

Item anno eodem die decima Augusti recepimus de districtu Wladislaviensi florenos LXIV.

Item eodem anno die octava mensis Septembris recepimus pro parte domini Lanka succollectoris Lanciciensis florenos triginta et octo Hungaricales.

Item eodem anno recepimus pro parte succollectoris Warschoviensis florenos Hungaricales viginti et octo.

Item anno eodem die nona Augusti recepimus ex parte domini Kyczka succollectoris Wrathislaviensis per quendam marcatorem Wratislaviensem florenos ducentos sexaginta Hungaricales.

Exposita anni predicti.

Item anno eodem decimanona Augusti dedimus domino Lanka succollectori Lanciciensi pro suis fatigis et impensis, processuumque et nunciorum expeditione marcas tres numeri et monethe Polonicalis, que faciunt florenos quatuor cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die decima Augusti dedimus succollectori Warschoviensi pro expensis et laboribus suis, processibus et nunciis mittendis quatuor florenos.

Item anno quo supra, die octava mensis Iulii dedimus domino Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus suis et expensis processuum expeditionis et nunciis mittendis florenos septem cum medio Hungaricales.

Item anno eodem die ultima mensis Iulii dedimus domino Custodi et succollectori Gneznensi pro laboribus suis et expensis, nunciorum processuumque expeditione florenos sex Hungaricales.

Item anno eodem die undecima Augusti similiter dedimus succollectori Wladislaviensi pro laboribus suis et fatigis, nunciorum cum processibus expeditione florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die septima Iulii dedimus dño Iheronimo plebano in Thorun et succollectori terrarum Pomeranie pro laboribus, fatigis, expensis, pro missione nunciorum florenos XII. Hungaricales.

Item anno quo supra, die septima Septembris dedimus domino Nicolao Scudla succollectori Poznaniensi pro suis laboribus et processuum ac nunciorum expeditione florenos decem et octo.

Item anno quo supra, die decima octava Augusti dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calysch de tribus decanatibus, videlicet Calyschiensi, Unyeoviensi et Wyeluniensi pro suis laboribus et expensis ac nunciorum cum processibus expeditione florenos quatuor Hungaricales.

Item anno eodem die decima Septembris dedimus domino Andree de Kanczuga vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi pro laboribus suis et fatigis, processibus scribendis et nunciis mittendis hinc inde per diversos decanatus successive, et pro laboribus notariorum florenos triginta.

Item anno eodem die decima octava mensis Septembris dedimus succollectori Wrathislaviensi pro tempore existenti pro suis laboribus, processuum ac nunciorum expeditione flor. viginti Hungaricales.

Item deducendum est etiam hoc anno salarium nostrum, computando pro quolibet die unum florenum Hungaricalem, summa facit trecentos sexaginta et quatuor florenos.

** (Sequitur annus domini millesimus quadringentesimus octoagesimus quintus.

Item anno eodem domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto nos Uriel dei gratia Episcopus Poznaniensis has, que secuntur, de collecta denarii sancti Petri tulimus et recepimus pecunias. Et primo die decima Augusti recepimus per manus domini Custodis et succollectoris Gneznensis de ipsa collecta denarii sancti Petri ibidem florenos quadraginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die decima mensis Iunii recepimus per manus domini Iohannis Lukowsky Canonici Poznaniensis nomine dñi Nicolai de Scudla, Archidiaconi Srzemensis in ecclesia nostra Poznaniensi, de dicta collecta denarii sancti Petri florenos centum et quinque Hungaricales.

Item anno eodem die quarta mensis Iunii recepimus pro parte domini Prepositi sancti Nicolai in Calysch succollectoris dicti decanatus et aliorum duorum, videlicet Unyeoviensis et Wyeluniensis, florenos sexaginta Hungaricales.

Item anno eodem die duodecima Maii recepimus per manus domini Stanislai Pyrzwoschewsky, capellani nostri, successive pro parte domini Andree Kanczuga vicarii perpetui et succollectoris Cracoviensis de dicta collecta anni supradicti florenos ducentos nonaginta octo Hungaricales.

Item anno quo supra, die decima octava Augusti recepimus per manus Szyrowsky, notarii nostri, de collecta denarii sancti Petri districtus Wratislaviensis florenos Hungaricales ducentos sexaginta quinque Hungaricales.

Item anno eodem die vicesima quarta mensis Iunii recepimus pro parte succollectoris Warschoviensis de collecta denarii sancti Petri florenos Hungaricales viginti octo.

Item eodem anno et die recepimus pro parte domini Lanka succollectoris Lanciciensis florenos triginta septem cum medio.

Item anno eodem die decima mensis Iulii recepimus de collecta denarii sancti Petri districtus Wladislaviensis ex parte succollectoris pro tempore existentis florenos sexaginta quatuor Hungaricales.

Item anno eodem die decima octava mensis Iunii recepimus ex parte domini Ieronimi plebani et succollectoris in Thorun florenos Hungaricales nonaginta.

Item anno eodem die quarta decima Augusti recepimus a domino Dobrogostio Cantore et succollectore Ploczensi de dicta collecta denarii sancti Petri florenos Hungaricales XLV. cum medio.

Exposita anni eiusdem.

Item primo die octava mensis Maii dedimus domino Andree de Canczuga vicario perpetuo et succollectori Cracoviensi pro laboribus suis et fatigis, pro salariis nunciorum, quos cum diversis processibus per decanatus misit, ac pro scriptoribus eorundem processuum florenos triginta quinque Hung.

Item anno eodem die duodecima mensis Maii dedimus domino Preposito sancti Nicolai in Calysch pro laboribus suis et fatigis in eodem decanatu et aliis duobus, videlicet Unyeoviensi et Wyeluniensi, ac nunciis et scriptoribus florenos Hungaricales quatuor.

Item anno eodem die decima mensis Iunii dedimus domino Nicolao Scudla Archidiacono Srzemensi in ecclesia nostra Poznaniensi et succollectori ibidem pro laboribus suis; expeditione nunciorum cum processibus necnon scriptorum florenos decem et octo Hungaricales.

Item anno eodem die decimaquarta mensis Novembris dedimus domino Custodi et succollectori Gneznensi pro laboribus suis, impensis nunciorum et processuum florenos septem Hungaricales.

Item anno eodem die vigesima Augusti dedimus domino Dobrogostio Cantori et succollectori Ploczensi pro laboribus suis ac nunciis et processibus florenos Hungaricales sex cum medio.

Item anno eodem die octava mensis Iulii dedimus domino Ieronimo plebano in Thorun et succollectori Pomeranie pro suis laboribus, nunciis et processibus florenos duodecim Hungaricales.

Item anno eodem die decima octava mensis Iunii dedimus succollectori Wladislaviensi pro laboribus et fatigis suis ac nunciis et processibus florenos duodecim Hungaricales.

Item eodem anno die sexta Iunii dedimus similiter succollectori Warschoviensi pro laboribus et expensis suis processuumque et nunciorum expeditione florenos quatuor.

Item anno eodem die decima mensis Octobris dedimus succollectori Wrathislaviensi pro tempore existenti etiam pro suis laboribus, impensis et expensis nunciorum et processuum florenos viginti Hungaricos.

Item deducendum est salarium meum ut ceteris annis iuxta consuetudinem aliorum collectorum antecessorum meorum, videlicet pro quolibet die unus florenus Hungaricalis, facit summa trecentos sexaginta quatuor florenos Hungaricales.

Restant summe, quas misimus per diversos mercatores Alemanos de societate mercatorum et banchariorum Romanam curiam sequentes tam de collecta denarii sancti Petri, quam etiam Iubileis et mediis fructibus beneficiorum regni Polonie. Et primo anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, die penultima Ianuarii misimus de dicta collecta denarii sancti Petri pro apostolica Camera florenos auri de camera trecentos, qui presentati fuerunt per reverendum patrem dominum Falconem de Sinibaldis prothonotarium apostolicum, prout apparet ex cedula papirea sub nomine et manu domini Nicolai tunc vicedepositarii, extracta ex libro decimo quinto Camere et annotata in folio quadragesimo, quam in maiorem fidem cum presentibus mittimus.

Item anno quo supra, de mense Marcio misimus de dicta collecta denarii sancti Petri pro Camera apostolica florenos auri de camera trecentos, qui presentati fuerunt per reverendum patrem

dominum Falconem de Sinibaldis prothonotarium apostolicum, prout apparet ex quictancia sub titulo et sigillo reverendissimi in Christo patris et domini Raphaelis miseratione divina sancti Georgii diaconi Cardinalis, domini pape Camerarii, de data Rome in Camera apostolica die septima mensis Aprilis anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, pontificatus domini Sixti pape quarti anno terciodecimo, Visa per G. Blundus, subscripta B. de Spello. Patet summa predicta in libro ordinariorum introitum Camere apostolice decimoquinto, folio quarto.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto misimus ad Romanam Curiam et apostolicam Cameram florenos auri de camera quingentos de dicta collecta, quos dictus reverendus pater dominus Falco prothonotarius apostolicus, et sanctissimi domini nostri pape generalis thezaurarius, pro ipsa Camera recepit per manus venerabilis viri domini Iohannis de Dambrowa Canonici Poznaniensis, et sunt missi ad ordinarium introitum eiusdem Camere libro secundo, folio octavo, sub data Rome apud sanctum Petrum in Camera apostolica anno a Nativitate domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, die vero vigesima prima mensis Octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia pape octavi anno secundo, ut apparet ex quictancia nobis transmissa sub titulo et sigillo reverendissimi in Christo patris et domini, domini Raphaelis divina miseratione sancti Georgii ad velum aureum sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, domini nostri pape Camerarii, signata in dextro cornuplice hoc modo: Reverendus Falco protonotarius et thezaurarius generalis; in medio vero et supra sigillum: Visa Sinolfus; et in sinistro cornuplice nomen notarii subscriptum: Phil. de Pontecurvo.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto misimus de dicta collecta ad apostolicam Cameram florenos auri de camera mille novingentos, quos reverendus pater dominus Falco de Sinibaldis prothonotarius apostolicus, sanctissimi domini nostri pape generalis Thezaurarius, per manus venerabilis domini Iohannis de Dambrowa Canonici Poznaniensis recepit, et sunt missi ad ordinarium introitum prefate Camere libro secundo in tribus postis, videlicet foliis XIIII. XVI. et XVII. ut apparet ex quictancia nobis transmissa sub titulo et sigillo reverendissimi in Christo patris et domini, domini Raphaelis divina miseratione sancti Georgii ad velum aureum sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, domini nostri pape Camerarii, sub data Rome in camera apostolica apud sanctum Petrum anno a Nativitate domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, die vero vicesima mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providencia pape octavi anno secundo, in dextro cornuplice subscripta tali modo: Reverendus Falco protonotarius apostolicus et thezaurarius generalis; in medio vero et supra sigillum: Visa P. de Lenis; in sinistro autem cornuplice subscriptio notarii: H. Brunus.

Item anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio misimus de dicta collecta ad apostolicam Cameram florenos auri de camera quingentos, quos reverendus pater dominus Falco de Sinibaldis prothonotarius apostolicus, sanctissimi domini nostri pape vicethesaurarius, die vicesima septima Februarii MCCCCLXXXIII. per manus venerabilis domini Iohannis de Dambrowa Canonici Poznaniensis recepit, et sunt positi ad ordinarium introitum dicte Camere libro decimotercio, folio centesimo vigesimo sexto, ut apparet ex quictancia nobis transmissa sub titulo et sigillo revm̃i in Christo patris et dñi, dñi Raphaelis divina miseratione sancti Georgii ad velum aureum sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, dñi nostri pape Camerarii, sub data Rome in camera apostolica apud S. Petrum anno a Nativitate dñi MCCCCLXXXV. die quindecima mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providencia pape octavi anno primo, subscripta in dextro cornuplice tali modo: Reverendus Falco protonotarius et thezaurarius generalis; in medio vero et supra sigillum: Sinolfus; in sinistro autem cornuplice subscriptio notarii: H. Brunus.) **

SECUNTUR EXPENSE, QUAS FECIMUS IN RECAMBIIS SUPRADICTARUM SUMMARUM.

Et primo dedimus pro recambio trecentorum florenorum spectabili domino Nicolao Wylda civi et mercatori Poznaniensi florenos Hungaricales XXIV, pro quolibet centinario octo florenos computando.

Item dedimus eidem domino Nicolao Wylda civi et mercatori Poznaniensi pro recambio similium trecentorum florenorum in supranotata quictancia designatorum florenos Hungaricales viginti quatuor, pro quolibet centenario octo florenos Hungaricales computando.

Item dedimus domino Wylde pro recambio quingentorum florenorum in supranotata quictancia specificatorum florenos Hungaricales quadraginta, pro quolibet centenario octo florens computando.

Item dedimus eidem domino Nicolao Wylda pro recambio mille novingentorum florenorum in premencionata quictancia designatorum florenos Hungaricales centum septuaginta duos, pro quolibet centenario octo florenos Hungaricales computando, facit summa centum septuaginta (sic) duos florenos.

Item dedimus spectablli Paulo de Ianua mercatori Poznaniensi pro recambio quingentorum florenorum in supranotata quictancia designatorum florenos Hungaricales quadraginta, pro quolibet centenario octo florenos computando Hungaricales.

Verum, Reverendi patres, quia nonnullas expensas feci in nunciis mittendis pro pecuniis apportandis ad diversos decanatus regni Polonie et extra regnum, qui etiam aliquotiens metu latronum cum pecuniis fugiendo et plusquam necessarium fuit equitando velocius, quam ob rem interdum et equos scortigarunt; que tamen michi in dampnum minime reputo, nec etiam aliquos ad hoc officium et ad eius expensas computo familiares, prout forsan aliqui ex predecessoribus meis soliti sunt facere. Quoniam ex gratia omnipotentis dei pro mea commoditate pariter et honestate copia est michi servorum, quorum ministerio ad opus huius officii pro tempore uti possum: quare remitto hunc computum benigne a vestris paternitatibus recipiendum. Valeant felicissime vestre paternitates reverende, quibus me serviciaque mea licet exigua, semper tamen indefessa humillime recommendo. Data patebit per notarium hec sigillantem.

** (MCCCCLXXXVI. die vero ultima Maii Clarissimus vir dominus Coronatus de Urbe advocatus consistorialis, et venerabilis vir dñus Adam de Dambrowa Decanus Poznaniensis, procurator supradicti domini collectoris, de quorum mandato apparet manu domini Gregorii Io. clerici Wladislaviensis diocesis notarii publici inde rogati per publicum instrumentum in Camera apostolica dimissum, exhibuerunt conputa (sic) suprascripta in dicta Camera, et iuraverunt in animam constituentis ea esse vera et non habere diversa ab eis, et promiserunt, se in forma communi obligantes, quod infra sex menses proxime futuros dictus eorum principalis ratificabit in forma etc. et Reverendus dñus vicecancellarius commisit ea reverendis patribus dominis L. de Lenis et S. Blondo apostolice Camere clericis, presentibus domino Gerardo et domino Leonardo etc.

Visis diligenter et examinatis conputis decem annorum, incipiendo a die XX. Februarii anni domini millesimi quadringentesimi septuagesimi sexti, et finiendo ut sequitur in assignatione eius: qui conputus totus continetur in cartis viginti tribus, quarum cartarum prima posta incipit: In nomine domini sub anno nativitatis eiusdem MCCCCLXXV. ultima vero posta incipit: Verum Reverendi patres. Conputis clericis suprascriptis in hoc presenti libro retentis per reverendum in Christo patrem dominum Urielem de Gorka episcopum Poznaniensem ac collectorem Camere in Polonia, et iuratis ac presentatis in Camera apostolica, ut moris est, repertum est introitum omnem eorundem conputorum in hoc suprascripto libro contentorum ascendere ad summam florenorum auri Ungaricalium decem milium septingentorum viginti sex, grossorum tresdecim illius monete Ungaricalis, hoc modo videlicet ex denario sancti Petri novem milia et quadraginta quinque floreni et tresdecim grossi, ex iubileo Rodiano floreni mille ducenti, sicut apparet hic in duabus postis a carte vintidoi (sic), ex annatis floreni quatringenti octuaginta unus, sicut apparet hic in pluribus postis a carte vintitre. Exitum vero, qui continetur in hocmet libro suprascripto et in eisdem viginti tribus cartis, repertum est ascendere ad florenos similes undecim milia trecentos, et sic exitus superat introitum in hoc libro in florenis quingentis septuaginta quatuor, grossis tresdecim. Verum quia in hoc conputo non fuerunt admisse expense, sed tantum fuit admissum salarium domini collectoris, et etiam pecunie exposite pro recambiis, prout supra patet et observatum est semper cum aliis collectoribus, qui quidem expense sic non admisse ascendunt ad summam mille centum quinquaginta sex florenorum, et sic secundum istum verum conputum exitus superat introitum in florenis quingentis octuaginta sex: in quibus quidem quingenti octuaginta sex florenis prefatus reverendus pater dominus collector remanet efficaciter obligatus Camere apostolice, salvo tamen semper calculo veriori, et ita approbamus nos L. de Lenis et S. Blondus Camere apostolice clerici et commissarii suprascripti, presentibus reverendo in Christo patre domino Io. Alimento de Nigris prothonotario et vicecamerario necnon clerico Camere apostolice, ac etiam reverendo patre domino F. de Sinibaldis prothonotario apostolico et generali thesaurario, ac domino Herricho Bruno notario dicte Camere. Rome in Camera apostolica die XIIII. Iunii MCCCCLXXXVI. Pontificatus sanctissimi domini nostri Innocentii pape octavi Anno Secundo.) **

Ita ut suprascriptum est approbo ego L. de Lenis Camere apost. clericus et commissarius mpp.

Collect. Poloniae an. 1476. et seqq. fol. 3 — 31.

CCXXV.

Ioannes Alberti de Sylowecz canonicus Posnaniensis a reatu homicidii absolvitur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Scolastico ecclesie Poznaniensis, salutem etc. Apostolice sedis indefessa clementia lapsis ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus personis, presertim ecclesiasticis, libenter se propitiam et benignam exhibere, et cum id humiliter petierint, eis pietatis gremium aperire consuevit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Alberti de Sylowecz Canonici Poznaniensis petitio continebat, quod cum alias ipse, etiam tunc in sacerdotio constitutus, esset Subcurator, Tenutarius nuncupatus, bonorum temporalium ad Venerabilem fratrem nostrum Andream Episcopum Poznaniensem pertinentium, et signanter in quodam territorio Clavi nuncupato Poznaniensis diocesis, et quadam die nonnullis vassallis, Kametonibus nuncupatis, in villa Balasvia Poznaniensis diocesis, ut ligna pro dicti Episcopi ad domum eiusdem Episcopi adducerent, mandasset, ipsique vassalli, lignis per eos adductis seu apportatis, aut saltem unus eorum stabulum equorum prefati Episcopi intrassent seu intrasset, et capistrum unius equi abstulisset ac recessisset, necnon auriga seu vector dicti Iohannis, comperto, quod capistrum ipsius ablatum extitisset, et dictos vassallos equester insecutus fuisset, volens dictum capistrum ab eisdem repetere, ipsumque capistrum apud unum ex eisdem vassallis laicum repperisset, et eum in capite cum quodam ligno aliqualiter vulnerasset, illumque ad domum dicti Episcopi reducere vellet, nisi ab aliis vassallis predictis id eidem aurige prohibitum fuisset, ipseque auriga ad domum ipsam, in qua dictus Iohannes tunc habitabat, rediiset, et prohibitionem eorundem vassallorum ac defensionem eiusdem laici per eosdem vassallos factas narrasset, dictus Iohannes duobus aliis eius servitoribus, ut post ipsos vassallos currerent, et eos cum dicto laico ad domum reducerent, mandavit, et cum servitores ipsi eidem laico nonnulla vulnera in corpore et signanter in capite per vim cum fustibus et cambucis ferreis seu eneis, absque tamen mandato eiusdem Iohannis et eo inscio, intulissent, et cum ad domum predictum laicum adduxissent, ac prefato Iohanni presentassent, narrando quod capistrum ipsum abstulisset, prefatus Iohannes de aliqua percussione seu lesione priori per ipsos familiares facta inscius, cum ipse Iohannes in lecto quadam infirmitate detentus iaceret, ipsum laicum per dictos suos servitores iuxta delicti exigentiam cum virga seu flagello castigari etiam mandavit, et cum ipsi servitores eundem laicum non tamen enormiter seu atrociter castigassent, et ipse de dicta domo recederet, eo per viam ambulante, sanguis ex prioribus vulneribus per ipsos servitores eidem laico, prefato Iohanne, ut prefertur, inscio, illatis copiose fluxit, adeo quod ipse laicus nona vel decima die post premissa extitit vita functus. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Iohannes de predictis doleat ab intimis, et licet ipse laicus ex dictis ultimis vulneribus, ut creditur, non decesserit, ipseque Iohannes in eius morte aliasque, ut prefertur, culpabilis non exsitat, a nonnullis tamen forsan ipsius Iohannis emulis asseritur, ipsum occasione premissorum irregularitatem contraxisse: quare pro parte dicti Iohannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum a reatu homicidii, si quod premissorum occasione incurrerit, absolvere, et secum super irregularitate per eum dicta occasione forsan contracta dispensare, aliasque sibi et statui suo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod eiusdem sedis clementia non consuevit penitentibus veniam denegare, ac volentes ipsum Iohannem alias apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que ipse Iohannes etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, ipsumque Iohannem a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis auctoritate nostra te diligenter informes, et si ita esse repereris, ipsum Iohannem, si hoc humiliter petierit, a reatu homicidii, si quod, ut prefertur, incurrerit, auctoritate nostra hac vice absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ac secum super irregula-

ritate per eum dicta occasione forsan contracta, quodque in omnibus per eum susceptis etiam sacris et presbiteratus ordinibus, etiam in altaris officio, eo prius ab illo per triennium suspenso, ministrare, nec non illa, que, ut prefertur, obtinet, retinere et quecunque, quotcumque et qualiacunque alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura se invicem et cum premissis compatientia, etiam si canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et dignitates ipse in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, vel collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, ac ad illas necnon personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut ipse eligatur, presentetur vel assumatur ad illa, recipere et retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens sibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica sese, ut prefertur, compatientia similiter recipere, et ut prefertur, retinere libere et licite valeat, dicta auctoritate dispenses, omnemque aboleas ab eo inhabilitatis et infamie maculam per eum dicta occasione contractam, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXV. pridie Nonas Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. Tom. XXIX. fol. 4.

CCXXVI.

Iwani episcopi Revaliensis electio declaratur valida, et censurae ecclesiasticae in fratres hospitalis B. Mariae Theutonicorum, qui quendam Simonem intruserant, infliguntur.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Suscepti regiminis solicitudo nos admonet et ordo rationis exposcit, ut provisiones per nos ex Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio ad ecclesiarum Cathedralium regimina de personis benemeritis ac nobis et sancte sedi apostolice devotis, tunc precipue, cum eorum canonica precessit electio, rite factas conservemus illesas, et ut ille suum debitum sorciantur effectum, perversorum obviemus maliciis, ac alias, prout expedire conspicimus, oportunum provisionis remedium celeriter adhibeamus. Dudum siquidem electionem per dilectos filios Capitulum ecclesie Revaliensis de persona venerabilis fratris nostri Iwani Episcopi Revaliensis canonice celebratam auctoritate apostolica de dictorum fratrum nostrorum consilio confirmavimus et approbavimus, ipsumque Iwanum eidem ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut fidedignorum relatibus ad nostrum non sine admiratione pervenit auditum, dilectus filius Simon van der Borch, pro Canonico Hildesemensi se gerens, ad regimen prefate ecclesie Revaliensis ambiciose aspirans, post et contra predictam electionem ac illius per nos, ut premittitur, canonice factas confirmationem et prefectionem predictas variis et exquisitis modis solicitaverit, subditos vero et quosdam alios Capitulum et Canonicos eiusdem ecclesie sibi adherere merito recusantes, per impressionem et minas, quas suis, ut dicitur, sub nomine dilecti filii Bernardi de Borch Magistri generalis ordinis beate Marie Theutonicorum in Livonia litteris eisdem Capitulo et subditis imposuit, eiusdem Magistri, necnon dilectorum filiorum Commendatoris Revaliensis et Advocati Wesemburgensis aliorumque assistencia fretus, bona et res dicte ecclesie violenter arripiens(?), necnon in quibusdam locis, castris et domo episcopali eiusdem ecclesie Revaliensis damnabiliter se intromiserit in sue ac dictorum complicum animarum grave preiudicium, necnon ecclesie Revaliensis predicte preiudicium non modicum, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum: Nos itaque attendentes tam graves et enormes excessus, maxime in personis ecclesiasticis, quarum opera elucere debent, ne prava a subditis in exemplum trahantur, nullatenus impunitos esse relinquendos, ac volentes, prout tenemur, huiusmodi ausibus temerariis obviare, nostroque et dicte sedis honori, ac prefati Iwani Episcopi et ecclesie sue indemnitatibus super hiis oportune prospicere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed equitatis et iusticie cultu suadente, Magistrum Livonie, Commendatarios ac Simonem et complices prefatos, ac universos et singulos prefate ecclesie Revaliensis subditos, necnon arrendatores, censuarios et debitores fructuum, bonorum et iurium eiusdem ecclesie, et alias quascunque utriusque sexus ecclesiasticas seculares et ordinum quorumcunque regulares, exemptas et non exemptas, ac etiam laicales personas cuiuscunque

dignitatis, status, gradus, conditionis vel preeminencie fuerint, ipsum Iwanum Episcopum, quominus pacificam dicte ecclesie ac omnium bonorum iuriumque et locorum eiusdem assequatur possessionem, quomodolibet impedientes, ac impedientibus auxilium, consilium vel favorem tacite vel expresse, directe vel indirecte seu quovis alio quesito colore prestantes, in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis maioris pena, necnon divini obtestatione iudicii, atque aliis censuris et penis infrascriptis apostolica auctoritate presentium tenore monemus, quatinus infra duodecim dierum spacium post publicationem seu affixionem presentium in maiori Revaliensi, ac etiam Osiliensi et Lubicensi ecclesiis, seu in aliquo propinquo loco, ubi executio tute fieri poterit, faciendam, quorum duodecim dierum quatuor pro primo, quatuor pro secundo et reliquos quatuor dies pro ultimo ac peremptorio termino ac monitione canonica eis et cuilibet ipsorum assignamus, Simon videlicet a molestiis, detentione et occupatione domus Episcopalis, castrorum, iurium, bonorum et locorum Revaliensis ecclesie, ac Magister, Commendatarius et Advocatus ab assistencia dicti Simonis cessasse, illaque vacua et expedita cum omnibus bonis ablatis et fructibus inde levatis integre ipsi Iwano vero Episcopo restituisse, alii vero Canonici et subditi supradicti eidem Iwano Episcopo obedientiam et reverentiam debitas exhibuisse, ipsiusque salubribus monitis atque preceptis parere, eique vel procuratori suo legitimo de singulis tam debitis quam in futurum debendis fructibus, redditibus, proventibus, censibus, iuribus, emolumentis et obventionibus universis respondere realiter et cum effectu debeant et teneantur; alioquin exnunc prout extunc, si non paruerint, prout ad quemlibet ipsorum pertinet, predictis duodecim diebus elapsis, excommunicationis maioris in collegia ipsorum, et ecclesias, parrochias, capitula, civitates et loca predicta interdicti ecclesiastici strictissime observandi sentencias promulgamus, quas ipsorum singulos, si contrafactum fuerit, respective incurrisse volumus ipso facto, et si, quod absit, eos triduum post animo sustinere indurato pertinaciter contenderint, Simonem prefatum aliasque personas, si fuerint ecclesiastice, singulis Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis aliisque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, secularibus vel regularibus, que obtinent, si seculares extiterint, omnibus feudis, bonis, iuribus, honoribus privilegiis et officiis, que a sede vel Revaliensi ecclesia predictis tenent sive recognoscunt, perpetuo privatos decernimus, et ex privatione huiusmodi illa omnia extunc vacare, et per eos, ad quos alias pertinet, ydoneis et obedientibus licite conferri posse et debere, ipsumque Symonem aliasque eccclesiasticas personas atque complices et adherentes, ceterasque prefatas ad huiusmodi et sua alia beneficia, feuda, bona, iura, privilegia, honores et officia obtinenda etiam perpetuo inhabilitamus, et tam illas quam alios omnes inobedientes in centum marchis auri Camere apostolice irremisibiliter applicandis condemnamus, similiter per presentes declarantes nichilominus nostre intentionis semper fuisse et esse, quod idem Iwanus Episcopus vigore litterarum nostrarum predictarum, omnibus sublatis impedimentis, pacifica dicte ecclesie possessione fruatur; et insuper Venerabilibus fratribus nostris Lundensi Archiepiscopo ac Osiliensi et Lubicensi Episcopis per apostolica scripta simili motu mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedire viderint, solemniter publicantes, ac prefato Iwano Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, non permittant eum per Magistrum, Commendatarium, Advocatum et Simonem ac alios complices prefatos, et quoscunque alios super eadem ecclesia Revaliensi indebite molestari, sed quemlibet ex Magistro, Commendatario, Advocato et Simone, ac Canonicis aliisque personis huiusmodi, quem sentencias prefatas, dictorum duodecim dierum termino effluxo, ac de effectuali et reali paritione premissorum coram ipsis aut altero ipsorum tunc docto eis constiterit incurrisse, quociens super hoc vigore litterarum huiusmodi pro parte ipsius Iwani Epi fuerint requisiti, tandiu in ecclesiis suis dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excomunicatos et privatos et alias huiusmodi penis irretitos, civitates quoque et alia loca predicta ecclesiastico esse interdicto supposita publice nuncient, et faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec spiritum resumentes consilii sanioris, prefato Iwano Episcopo et aliis lesis condignam emendam prestiterint, necnon absolutionis beneficium ab eisdem sentenciis et alias integram reconciliationis gratiam meruerint obtinere, Contradictores etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. usque mentionem. Preterea, quia difficile foret presentes litteras ad singula, in quibus necessarie forent, loca deferre, prefata autoritate decernimus, quod ipsarum transsumpto alicuius ecclesiastici prelati sigillo munito tamquam eisdem presentibus, si exhiberentur, litteris plena ubique fides adhibeatur et perinde stetur, ac si eedem presentes littere forent exhibite vel

ostense. Nulli ergo etc. nostre monitionis, assignationis, promulgationis, constitutionis, inhabilitationis, condemnationis, declarationis, mandati, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto (?sexto), Kalendis Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. divers. Tom. VI. fol. 74.

CCXXVII.

Pontifex donationes capellaniae SS. Trinitatis in ecclesia S. Stanislai in oppido Scamotuli factas confirmat.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, per que universarum orbis ecclesiarum singulorumque ecclesiasticorum locorum decor et venustas, ac personarum in eis altissimo deserviencium utilitas divinique cultus augmentum provenire dinoscuntur, ex officii debito pastoralis aciem nostre consideracionis extendimus, et iis, que propterea rite facta fore conspicimus, ne de illorum robore valeat quomodolibet hesitari, libenter cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Andree Svydna domini temporalis opidi Schamotuli Poznaniensis diocesis, ac universorum presbiterorum et clericorum perpetue Capellanie ad altare sancte Trinitatis situm in ecclesia sancti Stanislai dicti opidi peticio continebat, quod olim bone memorie Iohannes Archiepiscopus Gneznensis, et Venerabilis frater noster Andreas Episcopus Poznaniensis, ut presbiteri et clerici ad dictum altare, ad quod dictus Andreas Capellaniam huiusmodi de bonis sibi a deo collatis fundavit et dotavit, divina pro tempore celebrantes officia possent commodius sustentari, decimas manipulares, quas Archiepiscopus in Slawascow et Episcopus prefati in Iastrowyc, Samolanfz, Wizesczyna et Parczkow villis Gneznensis et dicte Poznaniensis diocesum percipere consueverant, et tunc percipiebant, ad Gneznensem Archiepiscopalem et Poznaniensem Episcopalem mensas pertinentes, dilectorum filiorum Gneznensis et Poznaniensis ecclesiarum Capitulorum ad id expresso accedente consensu, Capellanie predicte perpetuo ordinaria auctoritate donarunt, prout tam in Archiepiscopi, quam Epi̅ predictorum litteris inde confectis dicitur plenius contineri: Quare pro parte Andree ac presbiterorum et clericorum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut utrique donacioni huiusmodi pro eorum subsistencia firmiori robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesias et ecclesiastica loca quelibet decorari, divinumque cultum inibi, nostris presertim temporibus, adaugeri summis desideriis affectamus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, utramque donacionem huiusmodi, necnon Archiepiscopi et Episcopi predictorum litteras antedictas, omniaque et singula in eis contenta, prout donaciones huiusmodi concernunt, ac inde secuta quecunque, prout rite facta sunt, ac racionabiliter processerunt, apostolica auctoritate tenore presentium confirmamus et eciam approbamus, ac iuribus subsistere decernimus, supplentes omnes et singulos defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus ecclesiarum predictarum, eciam iuramento confirmacione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis, approbacionis, constitucionis et supplecionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, undecimo Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto (sic). Ex Reg. orig. An. V. Bull. divers. Tom. V. fol. 93.

CCXXVIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Vincentio de Stizalcovo Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi, de nobili genere ex utroque parente procreato, ac Urielis de Gorka, regni Polonie Cancellarii, pro parte Kazimiri Polonie Regis oratoris ad sedem apostolicam destinati dilecto, unum Gneznensis et alium Poznaniensis ecclesiarum canonicatus cum prebendis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice mcccclxxv. Prid. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Gregorio a Lubranicze Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, de nobili genere ex utroque parente procreato, ac eiusdem Urielis de Gorka dilecto, canonicatum in ecclesia Cracoviensi. Datum ut supra.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Lesczno clerico Poznaniensi, salutem etc. Concedit ipsi, ut duas ecclesias parrochiales acceptare, ac Preposituram S. Petri Cruswiczensis et parrochia-

lem ecclesiam in Walvizviczicze Wladislaviensis et Cracoviensis diocesum retinere possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXV. XIII. Kal. Decemb. Anno Quinto.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Iordanowski de Bornchowo Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Amerie Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXVI. VII. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Wapewsky Cantori ecclesie Premisliensis, sal. etc. Concedit eidem, ut possit recipere duas ecclesias parrochiales. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXVII. III. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Laszoczky Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi, qui presbyter est ac Regis Polonie Secretarius, canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXVII. IV. Kalendas Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. divers. Tom. V. fol. 146. Tom. VIII. fol. 314 et 606. Tom. XIII. fol. 246. et Tom. XV. fol. 41.

CCXXIX.

Quaedam litterae per fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum in episcoporum et ecclesiarum Livoniae praeiudicium a Bonifacio IX. et Sixto IV. fraudulenter impetratae annullantur.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Sacrosancta Romana ecclesia de cunctorum christifidelium cura solicita ad ea libenter intendit, per que, pensatis diligenter personarum, rerum, locorum et temporum circumstantiis, ipsorum fidelium, presertim ecclesiasticorum, tranquillitati et paci consulitur, et tam imminentia quam futura discordiarum et alia pericula valeant summoveri. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Iherosolimitani in Livonia nobis exposito, quod olim pro eorum parte tunc quondam Bonifacio pp. VIIII. in sua obedientia, de qua patria Livonie tunc erat, nuncupato, exposito, quod ipsi una cum eorum subditis propter defectum personarum et aliorum necessariorum ad resistendum Saracenis et scismaticis ac aliis infidelibus, eosque pro augmento fidei impugnandum non sufficiebant, eratque dignum, quod illi, qui ab invasione Saracenorum, scismaticorum et infidelium predictorum defendebantur per eos, ad defensionem huiusmodi suis personis et rebus etiam se submitterent; idem Bonifacius eorundem Magistri et fratrum supplicationibus inclinatus, eisdem Magistro et fratribus, quod omnibus et singulis privilegiis et indulgentiis in partibus Livonie uti et gaudere valerent, quibus Magister generalis et fratres dicti hospitalis in partibus Pruscie gaudebant, tunc se gaudere possent quomodolibet in futurum, gratiose concesserat, ac statuerat et ordinaverat, quod subditi et feudatarii et etiam vassalli laici ecclesiarum et Prelatorum per Livoniam, presertim Archiepiscopi Rigensis ac Tarbatensis, Ossiliensis et Curoniensis Episcoporum pro tempore existentium, ad requisitionem dictorum Magistri et fratrum in Livonia ipsis in bonis et rebus eorundem ad resistendum et impugnandum contra eosdem scismaticos, Saracenos et alios infideles subvenire tenerentur, et ad id simili modo compelli possent et deberent, prout subditi, feudatarii et vassalli, laici ecclesiarum et Prelatorum partium Pruscie eisdem Magistro et fratribus in Pruscia subveniebant et subvenire tenebantur et compellebantur, prout in eiusdem Bonifacii litteris desuper confectis plenius dicebatur contineri; nobis humiliter supplicato, ut litteris predictis et in eis contentis robur noster confirmationis adiicere, aliasque eis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos tunc ipsorum Magistri et fratrum in Livonia supplicationibus inclinati, litteras predictas, et prout eos concernebant, omnia et singula in eis contenta auctoritate apostolica approbari, confirmari, supplerique omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, necnon pro potiori cautela eisdem Magistro et fratribus in Livonia, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, voluntatibus, decretis et indultis quoruncunque tenorum existerent, quibus Magister generalis et fratres predicti in Pruscia gaudebant, fruebantur et utebantur, seu uti, frui et gaudere possent, quomodolibet in futurum ad instar illorum absque ulla differentia uti, frui et gaudere libere et licite possent, quodque subditi, feudatarii, vassalli, laici ecclesiarum et Prelatorum partium Livonie, presertim Archiepi et Eporum predictorum, eisdem Magistro et fratribus in Livonia ad resistendum infidelibus, Saracenis et scismaticis predictis, ac impugnandum eosdem personis, rebus et bonis eorum subvenire tenerentur et astricti forent, prout subditi, feudatarii, vassalli, laici ecclesiarum et Prelatorum

partium Pruscie eisdem Magistro et fratribus in Pruscia inde requisiti subveniebant et subvenire astricti erant, concedi, et eosdem subditos, feudatarios et vassallos, laicos ecclesiarum et Prelatorum Livonie ad resistentiam et impugnationem prefatas cum eisdem Magistro et fratribus in Livonia sub ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis etiam pecuniariis cogi et compelli, mandari concessimus gratiose, prout in eadem concessionis gratia plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, ecclesie, Prelati et persone ecclesiastice partium Livonie, et presertim Rigensis et Tarbatensis civitatum et diocesum, que Ruthenis scismaticis sunt vicine, se et suos terminos sepe etiam absque adiutorio Magistri et fratrum suorum defendunt, et continue defensionibus huiusmodi invigilare compelluntur, prout evidentia facti ostendit, illorumque ac Ossiliensis et Curoniensis ecclesiarum et prelatorum vassalli, feudatarii et alias subditi ad defendendum patriam Livonie ab ipsorum scismaticorum et infidelium occupatione et oppressione, eosdemque infideles impugnandum, ad fidei propagationem proportionabiliter, et eorum qualitate et facultatibus attentis, non minus laborent et intendant principaliter per se ipsos, quam faciant Magister et fratres predicti in Livonia, quibus subiecti non sunt, huiusmodi novo onere pregravari, dictique Magister et fratres in Livonia, qui prelatis prefatis illarum partium diversimode longo tempore fuerunt et adhuc sunt infesti, premissa querant non in fidei favorem, sed ut sub colore defensionis et impugnationis huiusmodi sibi vendicare valeant superioritatem in subditos, vassallos et feudatarios predictos, et illos, prout eis videbitur, variis laboribus et expensis fatigare, sicque ecclesias et personas ecclesiasticas ac prelatos predictos debilitare, et debilitatos opprimere, ecclesiasticamque libertatem, pro cuius defensione fratres milicie Christi a prelatis illarum partium ab initio revocati, et demum cum Magistro et fratribus predictis Pruscie apostolica auctoritate uniti fuerunt, conculcare commodius possint, et alias, dum exortis premissorum occasione gravibus discordiis inter Episcopum et Clerum Tarbatenses ac prefatos Magistrum et fratres in Livonia, post gravissima damna hinc inde illata ad concordiam deventum extitit, Magister et fratres in Livonia voluerint et convenerint, quod eiusdem Bonifacii littere et privilegium huiusmodi in omnibus suis clausulis et punctis, in quibus tangebat seu seu tangere poterat preiudicium dictarum ecclesiarum Livonie, deberet omnino mortuum et invalidum esse et reputari, promiserintque nunquam tale aut simile privilegium impetrare, et si impetrarent, non uti, fuerintque desuper autentice littere confecte, et per Magistrum et fratres predictos tam in Livonia quam in Pruscia approbate et roborate. Nos enim, qui curam ecclesiarum quarumlibet et ecclesiastice libertatis ex iniuncto nobis apostolice servitutis munere gerimus, ac contemptionibus et scandalis, quantum cum deo possumus, obviamus, quique, dum dicta concessionis gratia a nobis emanavit, de premissis exortis et eiusdem Bonifacii concessione [scandalis], et illius litteris et concessioni facta renunciatione et promissione de non impetrando simile privilegium, et impetrato non utendo nullam penitus noticiam habebamus, et superioribus mensibus fidedigna relatione intelleximus, quam gravia damna Magister et fratres predicti in Livonia ecclesie, Archiepiscopo, Capitulo et Clero Rigensibus intulerunt, vi, armis, ferro et igne castra et loca fere omnia temporali dominio ecclesie Rigensis subiecta occupantes et de facto detinentes, nolentes, quod Magister et fratres predicti in Livonia pretextu dictarum nostre concessionis gratie ac Bonifacii et nostrarum litterarum forsan desuper expeditarum, et quas contingeret expediri, in dies maiora moliantur in Clerum illarum partium, et illos vassallos, feudatarios et subditos, et litteris predictis Bonifacii, quibus renunciaverunt, utantur, providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate peticionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia gratie concessionem predictam, ac litteras forsan desuper expeditas, et quas expediri contingeret in futurum, surrepticias et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse auctoritate apostolica presentium tenore declaramus, ac volumus et mandamus eandem gratie concessionem sive supplicationem per nos desuper signatam de libro supplicationum, in quo registrata apparet, deleri et cassari, ac ex toto aboleri per magistrum eiusdem registri; et nichilominus venerabilibus fratribus Archiepiscopo Upsalensi et Lubicensi ac Vilnensi Episcopis motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa, ubi, quando et quociens expedire cognoverint, et fuerint desuper legitime requisiti, solemniter publicantes, et Archiepiscopo, Episcopis et Clero, vassallis, feudatariis et subditis efficaci defensionis presidio assistentes, non permittant dictos vassallos, feudatarios et subditos Archiepiscopi, Episcoporum et Cleri Livonie predictorum per Magistrum et fratres predictos pretextu contentorum in eiusdem Bonifacii litteris et dicta nostra concessione quomodolibet molestari, Contradictores etc. Non obstantibus premissis etc. Nulli

ergo etc. nostre declarationis, voluntatis, mandati et publicationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo, pridie Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Bull. Tom. XXII. fol. 353.

CCXXX.

Epo Vladislaviensi suisque collegis, ut archiepum et ecclesiam Rigensem contra fratres hospit. B. Mariae Teutonicorum defendant.

Sixtus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Vladislaviensi et Tarbatensi ac Ossiliensi Epis, necnon dilecto filio Decano ecclesie Ossiliensis, salutem etc. Ad universas orbis ecclesias, presertim nobis et apostolice sedi immediate subiectas, illarumque prelatos nostre dirigentes considerationis intuitum, illa libenter concedimus, per que prelati ipsi, eis iniuste obsistentium elata cervice digna correctione calcata, possessionem vel quasi regiminis et administrationis ac bonorum ecclesie, quibus presunt, assequi, eaque debita cum integritate potiri valeant pariter et gaudere. Sane ecclesia Rigensi Romane ecclesie immediate subiecta per obitum bone memorie Silvestri Archiepiscopi Rigensis extra Romanam curiam, dum per Magistrum et fratres militie beate Marie Theotonicorum Iherosolimitane per Livoniam consistentes detineretur, defuncti vacante, Nos venerabilem fratrem nostrum Stephanum tunc Episcopum Troianum a vinculo, quo ecclesie Troiane, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad prefatam Rigensem ecclesiam sic vacantem transtulimus, ipsumque Stephanum eidem ecclesie Rigensi prefecimus in Archiepum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, prefatus Stephanus dubitet, ne Magister et fratres predicti, qui dudum falso pretendentes in civitate Rigensi, temporali dominio dicte Rigensis ecclesie subiecta, ius habere non solum a predecessoribus eorum extortum a proconsulibus, consulibus et civibus Rigensibus fidelitatis iuramentum, ad cuius relaxationem condempnati erant, relaxare recusarunt, etiam desuper apostolica auctoritate moniti, sed etiam novum iuramentum fidelitatis et homagii huiusmodi a nonnullis proconsulibus et consulibus, qui tunc erant, ac civibus dicte civitatis de novo extorquere, et apostolicis mandatis predictis obtemperare nolentes, contra dictum Silvestrum arma sumere, et eum de possessione civitatis et castrorum temporali dominio dicte Rigensis ecclesie subiectorumvi et armis expellere, et plurima horrenda in eiusdem Rigensis ecclesie detrimentum committere, et tam eundem Silvestrum Archiepiscopum captivare, et iuramenta fidelitatis et homagii huiusmodi iterato a proconsulibus, consulibus et civibus, ac universis fere vassallis ipsius Rigensis ecclesie extorquere presumpserunt, ipsum Stephanum, quominus possessionem regiminis et administrationis prefate Rigensis ecclesie assequi, illaque plene potiri et gaudere valeat, impedire presumant: Nos, quorum interest super hiis adhibere vigilantie nostre curas, cupientes huiusmodi conatibus congruis remediis obviare, ac sumentes de cuiuscunque vestrum circumspectione, industria et virtutibus in domino fiduciam specialem, sperantesque, quod ea, que vobis committenda duxerimus, probe et laudabiliter exequi procurabitis, motu proprio, non ad prefati Stephani vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa nostra scientia vos et vestrum quemlibet nostros et apostolice sedis nuncios ad partes illas impresentiarum destinamus ac etiam deputamus, ut videlicet vos aut tres vel duo seu unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Stephanum Archiepiscopum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem vel quasi regiminis et administrationis, ac bonorum omnium dicte Rigensis ecclesie auctoritate nostra inducatis, et defendatis inductum, amotis exinde Magistro et fratribus predictis et aliis detentoribus quibuscunque, faciatisque sibi ab ipsius ecclesie Rigensis Suffraganeis, Capitulo, Clero et populo obedientiam et reverentiam congruentes, a vassallis vero predictis et aliis dicte Rigensis ecclesie temporali dominio subiectis consueta servicia et iura ab eis debita integre exhiberi. Nos enim vobis et cuilibet vestrum nostro et apostolice sedis nominibus Magistrum et fratres predictos, ut ab occupatione ecclesie et civitatis Rigensis, castrorum et bonorum omnium eiusdem ecclesie, que iuris beati Petri et Romane ecclesie, cui dicta ecclesia Rigensis immediate subesse dinoscitur, desistant, illaque omnia tam mobilia quam immobilia, qualiacunque sint, et pecuniarum summas, quas de bonis dicti Archiepiscopi habuerunt, vobis integre et sine diminutione restituant et consignent, extorta iuramenta predicta antiqua et nova relaxent, et factas per eos vassallis dicte ecclesie de novo eorum nominibus bonorum, que ab ecclesia predicta recognoscebant, et ad eosdem Magistrum et fratres non pertinebant, infeudationes et obligationes quas-

cunque illas quomodolibet concernentes cassent, irritent et annullent, ac de facto emanasse, ac effectum sortiri non posse, nec debere recognoscant, requirendi ac declarandi Suffraganeos, Prepositum, Decanum, Capitulum, Canonicos et personas ecclesie Rigensis, necnon proconsules, consules et cives, ac incolas et habitatores civitatis Rigensis, ac castrorum et locorum temporali dominio ecclesie predicte Rigensi subiectorum, ac alios quoscunque vassallos et subditos dicte Rigensis ecclesie, quocunque nomine appellentur, ad observationem promissionum, obligationum et iuramentorum huiusmodi non teneri [declarandi], eosque ab illis, quatenus expediat, prout de facto processerunt, absolvendi et liberandi, inhibendi quoque eisdem Magistro, Preceptoribus et fratribus per Livoniam constitutis, ne deinceps proconsules, consules, cives, incolas et habitatores ac subditos quoscunque dicte Rigensis ecclesie, a quibus huiusmodi promissiones et iuramenta qumodolibet extorserunt, quos, ut bona, que in feudum a dicta ecclesia obtinebant, se ab eisdem Magistro et fratribus in feudum tenere recognoscerent, induxerunt, eorum vassallos iuratos, feudatarios et subditos nominare seu reputare et pro talibus tenere et tractare, et ne pretextu iuramentorum, promissionum, obligationum et infeudationum huiusmodi directe vel indirecte ad iuramentorum, promissionum et obligationum huiusmodi observationem compellere, aut alias inquietare quomodolibet presumant, sub excommunicationis late sentencie et aliis censuris et penis ecclesiasticis, de quibus vobis videbitur, inhibendi, necnon eisdem Suffraganeis, Preposito, Decano, Capitulo, Canonicis, personis, proconsulibus, consulibus, civibus, incolis, habitatoribus, vassallis et subditis, ne iuramenta, promissiones et obligationes, necnon eis et quibusvis aliis, ne in preiudicium dicte ecclesie Rigensis initas confederationes et ligas observent, neve pro vassallis et subditis Magistri et fratrum predictorum se gerant, aut illorum mandatis obtemperent, et alium quam prefatum Stephanum et pro tempore existentem Archiepiscopum Rigensem in eorum dominum et superiorem recognoscant, sub similibus censuris et penis, etiam perditionis et privationis bonorum quorumlibet, que a dicta Rigensi ecclesia quomodolibet obtinent, iniungendi, et non parentes requisitioni et mandatis eius censuras et penas predictas incurrisse declarandi, ac legitimas super hiis habendis servatis processibus illas iteratis vicibus aggravandi, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alias iuris remedia oportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, compescendi, et generaliter omnia et singula, que in premissis et circa ea necessaria vobis videbuntur, faciendi, mandandi et exequendi facultatem concedimus per presentes, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus, que in dictis aliis litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque, nos enim sentencias, censuras et penas, quas rite tuleritis in rebelles, ratas habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo, pridie Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Bull. divers. Tom. XII. fol. 355.

CCXXXI.

Pontifex fratres hospitalis B. M. Teutonicorum eorumque complices propter nefarios ausus in archiepiscopum, ecclesiam, clerum et civitatem Rigensem etc. excommunicatos denuo declarat.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Exigit officii nostri debitum, quo ecclesiarum omnium cura nobis imminet et tutela, ut contra facinorosos et impios homines, qui in ecclesiarum earundem, presertim metropolitanarum insignium, prelatos et personas ausu sacrilego manus violentas iniecere, et ecclesiarum earum bona hostiliter invadere, occupare, et igne ferroque vastare non verentur, sic parato ad ultionem divina ordinatione gladio insurgere solerti diligencia curemus, quod tantorum excessuum patratores et alii eorum exemplo ad similia prosilire imposterum vereantur, et earundem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum indemnitati nostre provisionis ope censeatur esse consultum. Sane, sicut accepimus, quamquam orta dudum inter bone memorie Vromoldum tunc Archiepiscopum, Prepositum et Capitulum Rigenses, nec non tunc Magistrum, preceptores et fratres milicie beate Marie Theotonicorum per Livoniam constitutos super civitate Rigensi, quam quilibet earundem partium ad se de iure pertinere asserebant, materia questionis, bone memorie Franciscus tituli sancti Marci presbiter Cardinalis, cui felicis recordationis Innocentius papa VI. etiam predecessor noster causam huiusmodi ad dictorum Magistri et fratrum instanciam audiendam commiserat et fine debito terminandam, in causa ipsa rite procedens diffinitivam, per quam civitatem predictam ad ecclesiam prefatam Rigen-

sem iure dominii vel quasi pertinere, et illi in spiritualibus et temporalibus subiectam fore declaravit, et eosdem Magistrum, preceptores, commendatores et fratres ad illam dimittendam Vromoldo Archiepiscopo, Preposito et Capitulo prefatis, per cos libere possidendam condemnavit, sentenciam promulgasset, et prefatus Innocentius predecessor sententiam predictam confirmans et approbans, illam executioni debite demandari primo per quasdam, et tam ipse Innocentius predecessor per alias, quam cum ad illarum executionem totaliter processum non foret, felicis recordationis Martinus papa V. similiter predecessor noster, instante bone memorie Henningo Archiepiscopo Rigensi, per reliquas suas litteras illud, quod magister, preceptores et fratres predicti a proconsulibus, consulibus, civibus et incolis dicte civitatis fidelitatis extorsisse dicebantur iuramentum, relaxari et illos ad parendum dicto archiepiscopo compelli mandassent, et bone memorie Silvester ac predecessores sui archiepiscopi Rigenses sententie huiusmodi et processuum desuper habitorum vigore post varias concordias et suspensiones inter ipsum Silvestrum archiepiscopum et predecessores, ac magistrum et fratres predictos occasione executionis litterarum et processuum eorundem sub certis modis tunc expressis, citra tamen iuris cuiuscunque preiudicium, pro bono pacis initas et factas, absque apostolice sedis auctoritate fuissent in pacifica possessione civitatis predicte: nichilominus magister, preceptores et fratres predicti ascitis sibi nonnullis ex dicte civitatis proconsulibus, consulibus et civibus, alios dicte civitatis proconsules, consules et cives ad prestandum eis fidelitatis iuramentum viis et mediis exquisitis inducerent; et cum nos ad ulteriorem et plenariam dicte sentencie executionem, iuxta predictarum Innocentii et Martini predecessorum litterarum continenciam, procedi ad dicti Silvestri archiepiscopi instantiam per alias nostras litteras mandavissemus, et illarum vigore ad nonnullas censuras ecclesiasticas contra magistrum et fratres predictos processum foret, et ille sublate seu suspense fore dicerentur per dilectum filium Stephanum tituli sancte Marie in Transtiberim presbiterum cardinalem, pretextu aliarum litterarum nostrarum sibi directarum, et super viribus et efficacia eorum, que virtute tam priorum quam posteriorun litterarum nostrarum gesta erant, lis coram venerabili fratre nostro Oliverio episcopo Albanensi ex delegatione nostra penderet indecisa: iniquitatis filii Bernardus magister et Conrardus de Herizenrode Lantmarscalcus et Theodoricus Vanderlaghe in Velin, ac Iohannes Fridach in Revalia, necnon Gerardus Mellingrode in Goldinge, Gherwinus Boldersein in Ascherode, ac in Dunemunde et Duneborch ac de Wynda, necnon de Dowelen domorum dicte milicie per Livoniam, Iohannes de Zeelbach in Gerwen et Gelbertus Lappe Vanderrure in Kerckusen, Wenmarus Vandewich in Soneborch, Wennemarus Forstemberch in Marienborch, nec non in Caudow et in Bowtzke locorum, Andreas de Rosen, nec non plures alii commendatores, advocati, preceptores et fratres supradicte milicie, eorumque vassalli et familiares suorum predecessorum fratrum dicte milicie, qui ecclesie, archiepiscopo et clero Rigensibus plurimum semper infesti fuerunt, vestigia sequentes, et contra ecclesiam, Silvestrum archiepiscopum, prepositum, capitulum, canonicos et personas, subditos et vassallos crudeliter sevientes, omnia castra temporali dominio dicte ecclesie subiecta, et ad mensam archiepiscopalem et capituli pertinentia vi et armis successive expugnarunt, et diripientes, que in eis erant mobilia bona, edificia eciam ecclesiarum in eis et circa ea tunc consistentia aliqua igne cremarunt, et pro magna parte ruine subiecerunt, illorum incolas et servitores dicte ecclesie ac vassallos partim trucidarunt, partim captivarunt, et partim extra patriam Livonie exire compulerunt, extorto ab eis iuramento de non redeundo in eternum, et cum pervenissent ad munitissimum castrum Swanemborch dicte ecclesie, quod utpote validissimum propugnaculum in finibus Livonie iuxta Ruthenos archiepiscopi Rigenses dudum pro fidelium defensione edificare et muniri facere studuerunt, castrum ipsum pulcherrimum et validissimum ac fidei christiane in partibus illis pernecessarium, et cuncta illius edificia igne cremarunt et subverterunt, et postremo cursu victoriarum elati ad munitissimum castrum Odrenhusen Rigensis diocesis, in quo prefatus Silvester archiepiscopus cum capitulo, canonicis et personis dicte ecclesie et universa sua archiepāli curia, et quam pluribus nobilibus, postquam Rigensi civitate per eosdem Bernardum magistrum, preceptores et fratres spoliatus fuerat, residentiam facere solitus erat, et tunc faciebat, se transferentes, illud hostiliter invaserunt et occuparunt, ac Silvestrum archiepiscopum, canonicos et personas dicte ecclesie captivarunt, ecclesiastica ornamenta divino cultui dedicata ad ecclesiam predictam pertinentia acceperunt et abstulerunt, canonicos predictos, ne capitulariter convenire et oppresse ecclesie predicte consulere possent, ad diversa eorum opida sub fida custodia transmiserunt et detineri fecerunt, ac quendam Henricum nobilem et potentem virum, ex baronum genere procreatum, qui longo tempore ad stipendia Silvestri archiepiscopi et capituli pre-

dictorum pro eorum et dicte ecclesie defensione militaverat, rotis superimponi et in quatuor partes scindi miserabiliter fecerunt, et a canonicis et personis dicte ecclesie Rigensis, et in civitate et diocesi Rigensi degentibus vassallis eiusdem fidelitatis et vassallagii, ac si eorundem magistri et fratrum subditi et vassalli forent, obligationes, promissiones et iuramenta extorserunt, et compulerunt ad recognoscendum se fore vassallos eorundem, et bona, que ab ecclesia predicta obtinebant in feudum, ab eisdem magistro et fratribus eorunque milicia in huiusmodi feudum retinere, et alia plura horrenda et nephanda ac abhominanda scelera perpetrarunt in animarum suarum periculum, prefate ecclesie Rigensis intollerabile detrimentum, apostolice auctoritatis contemptum, ecclesiastice libertatis conculcationem et violationem, perniciosissimum exemplum et scandalum plurimorum. Simon vero episcopus Revaliensis et Henningus Rumor decanus ecclesie Revaliensis, sui status et honoris immemores, deique timore postposito, non solum dicto archiepiscopo auxiliari, ut tenebantur, sed etiam, quod dicere pudet, ipse Simon episcopus, dicti Bernardi patruus, et preceptoris ac fratrum predictorum consultor et fautor, ex commissione, quam ab eodem Silvestro archiepiscopo, ut prefertur, detento sibi fieri procuravit, regimini et administrationi dicte ecclesie Rigensis in spiritualibus se ingerere, ac dilectos filios Georgium Hollant prepositum a prepositura, et Degenhardum Hillebolt canonicum dicte ecclesie Rigensis et archiepiscopi et capituli predictorum in Romana curia procuratorem, causam predictam prosequentem, parrochiali ecclesia sancti Petri Rigensis, ac fructibus et proventibus molendini trans Dunam ad mensam capitularem Rigensem pertinentibus, quibus ex concessione capituli predictorum potiebatur, amovere, et iniquitatis filii Iohannes Lavinci, Adam rector parrochialis ecclesie in Wolmaria Rigensis diocesis, et Bernardus Gendevano et Henricus Malrereyn cives Rigenses in bonis aliis mobilibus et immobilibus ad dictum Degenhardum spectantibus de facto se intrudere, ipsique cives bonorum dicti Degenhardi, Bernardus vero magister mense archiepiscopalis Rigensis fructus, redditus et proventus in proprios usus convertere, ac eundem prepositum, ut parrochiali, plebi nuncupate, ecclesie loci Wolmaria Rigensis diocesis deserviret, et apud illam resideret, compellere, necnon Adam rectorem dicte ecclesie de Wolmaria, plebanum nuncupatum, dicti ordinis fratrem in ipsa ecclesia sancti Petri intrudere, ipsique Simon episcopus et Henningius decanus capitulum et clerum civitatis Rigensis de ipsa civitate violenter expellere, ac prepositure bona predicta occupare veriti non fuerunt in ipsius ecclesie Rigensis irreparabile detrimentum. Nos igitur, qui, dicto Silvestro, dum sic detinebatur per eosdem Bernardum et fratres, postmodum, et ut nonnulli asserunt, non absque detinentium opera extra Romanam curiam vita functo, Venerabilem fratrem nostrum Stephanum a vinculo, quo ecclesie Troiane, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio absolventes, ipsum ad prefatam Rigensem ecclesiam per ipsius Silvestri obitum vacantem transtulimus, preficiendo ipsum Stephanum eidem Rigensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, immensam eorundem Bernardi magistri et fratrum crudelitatem huiusmodi in premissis, que ut ex probationibus receptis de commissione et mandato nostris per prefatum Episcopum Albanensem, dicte cause tunc pendentis inter partes ipsas, ut prefertur, etiam iudicem, evidenter nobis constitit, adeo notoria sunt, notorietate etiam facti permanentis, in partibus illis, ut nulla possint tergiversatione celari, debita meditatione pensantes, et illatam non solum Rigensi, sed etiam Romane ecclesie, que, disponente domino, omnium ecclesiarum caput est et magistra, iniuriam et contumeliam equo animo perferre non volentes, et ut si non caritatis amore saltem pene formidine eisdem Bernardo magistro et fratribus, ac aliis quibuslibet similia perpetrandi de cetero tollatur audacia, ipseque Stephanus archiepiscopus regiminis et administrationis ac bonorum omnium dicte Rigensis ecclesie possessionem vel quasi assequatur, et illa potiatur et gaudeat pacifice et quiete, quantum nobis auxiliante altissimo pro temporis qualitate licet, providere volentes, habita super hiis cum Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus deliberatione matura, et non ad dicti Stephani archiepiscopi vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione auctoritate apostolica ex certa nostra scientia presentium tenore declaramus prefatos iniquitatis filios Bernardum magistrum et nominatim expressos, ac etiam, qui in premissis intervenerunt, non expressos, preceptores et fratres milicie per Livoniam constitutos, ac Simonem episcopum et Henningium decanum, omnesque alios et singulos alios expressos et non expressos, qui eis ad premissa prestiterunt et prestant auxilium, consilium et favorem, eaque grata et rata habuerunt et habent, ac defensant eosdem complices et adherentes eorum, quorum non expressorum nomina et cognomina, ac si exprimerentur, haberi volumus pro expressis, et in presentium pu-

blicatione sigillatim exprimi posse, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, et quacunque ecclesiastica vel mundana dignitate fungantur, premissorum occasione iuxta predecessorum nostrorum, et presertim in Claramontensi et Viennensi conciliis edita constitutiones et decreta anathematis mucrone percussos, a quo ab alio quam Romano pontifice preterquam in mortis articulo nequeant absolutionis beneficium obtinere, feudis, locationibus, officiis et beneficiis spiritualibus et temporalibus, que ab eadem Rigensi ecclesia obtinebant, privatos, et eorum, qui laici sunt, anathematizatorum predictorum filios et descendentes per masculinam lineam usque ad secundam generationem, omni spe dispensationis adempta, inhabiles redditos ipso facto ad ecclesiastica beneficia in civitate et diocesi Rigensi obtinenda, terram temporali dominio eorundem magistri et fratrum subiectam et locum, in quo Silvester archiepiscopus captus detentus fuit, quamdiu detentio ipsa duravit, ecclesiastico subiecta fuisse et esse interdicto, ac obtenta per eosdem Bernardum magistrum, preceptores et fratres a Silvestro archiepiscopo, preposito, capitulo, canonicis et personis ecclesie Rigensis, ac incolis et habitatoribus civitatis et diocesis necnon provincie Rigensium, ipsiusque ecclesie Rigensis suffraganeis et subditis quibuslibet confessiones, promissiones, obligationes et iuramenta fidelitatis, recognitiones quoque bonorum feudalium et infeudationes eorum, et generaliter omnia et singula, que Silvester archiepiscopus, suffraganei, prepositus, capitulum et canonici, vassalli, officiales et subditi, ac alie persone ecclesiastice et seculares ecclesie, civitatis, diocesis et provincie Rigensium predictarum ad commodum et utilitatem Bernardi magistri, fratrum et preceptorum predictorum post factam executionem dictarum priorum litterarum nostrarum, etiam si aliqui eorum sponte prestitisse dicerentur, nullius esse roboris vel momenti, et haberi debere prorsus pro infectis, et quatenus de facto processerunt, cassamus, revocamus et viribus omnino vacuamus: et nichilominus eosdem magistrum, preceptores et fratres, auxiliatores, consultores et fautores eorum, necnon Symonem episcopum, Henningium decanum et plebanum dicte ecclesie loci de Wolmaria, omnesque suffraganeos ecclesie Rigensis, prepositum et capitulum, vassallos et subditos predictos, laboratores et colonos bonorum mense archiepiscopalis Rigensis, et in eisdem regimine, administratione et bonis intrusos, et quos intrudi contigerit infuturum, prefata auctoritate presentium tenore sub infrascriptis censuris et penis requirimus et monemus, ac mandamus eisdem, ut infra sex dies, postquam presentes littere ad eorum pervenerint noticiam, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos pro ultimo et peremptorio termino, canonica monitione premissa, eis assignamus, Bernardus magister videlicet et fratres predicti prepositum, decanum, canonicos et personas ecclesie Rigensis et alios quoscunque per eos premissorum occasione detentos, si qui sunt, relaxent et in pristinam reponant libertatem, civitatem Rigensem, castra et bona eis ablata restituant, et de iniuriis, extorsionibus et exactionibus et dampnis, que eis et dicte Rigensi ecclesie, nobilibus, vassallis et subditis ac familiaribus impie intulerant, et que alias ipsi Silvester archiepiscopus, prepositus, decanus, capitulum, canonici, persone, nobiles, vassalli et subditi ac familiares quomodolibet premissorum occasione incurrerant, Stephano archiepiscopo, decano, capitulo, canonicis, personis, nobilibus, vassallis, subditis et familiaribus debitam satisfactionem impendant, aut super illis componant cum eisdem vel procuratoribus suis, et expulsos post motam litem canonicos, presbiteros et clericos de civitate Rigensi et ecclesiis parrochialibus, quas obtinebant, ad illas restituant, et inibi quiete morari permittant, amotis ab eis intrusis in eis et detentoribus quibuscunque, extorta vel alias prestita promissiones, confessiones, recognitiones, obligationes et iuramenta maxime fidelitatis et vassallagii ab archiepiscopo, preposito, capitulo, canonicis, vassallis et subditis ecclesie Rigensis, civibus et incolis et habitatoribus civitatis et diocesis Rigensis quomodolibet tam ante quam post executionem priorum litterarum nostrarum predictarum, et bonorum infeudationes ac concessiones, quas forsan de novo fecerunt eisdem, revocent, cassent et annullent, ac fateantur et recognoscant non valere, ac de facto emanasse, auxilium vero, consilium et favorem prestantes ab illius prestatione, necnon Simon episcopus Revaliensis a regiminis et administrationis prepositure Rigensis, et plebanus prefati ab ecclesia sancti Petri, predictarum bonorum mense archiepiscopalis Rigensis et earundem prepositure ac ecclesie sancti Petri occupatione, et ipsorum episcopi et plebani in illis intrusione predictis, necnon ipsi magister, preceptores et fratres et quicunque alii in dicta ecclesia Rigensi ac illius regimine et administratione et bonis mense archiepiscopalis eiusdem intrusi, et quos intrudi contingeret, ut ab eorum intrusione huiusmodi respective desistant, suffraganei quoque, prepositus, capitulum, clerus et popolus ecclesie, civitatis et diocesis Rigensium, vassalli, subditi, coloni et laboratores prefatum Stephanum in eorum ar-

chiepiscopum recognoscant, et ei tamquam patri et pastori animarum suarum pareant et intendant, fidelitatis debita iuramenta prestent, et de fructibus, redditibus, proventibus bonorum dicte mense respondeant: alioquin in Simonem episcopum et singulos ex eisdem monitis episcopali et maiori ecclesiastica dignitate fungentibus interdicti ingressus ecclesie, in inferiores vero ab eisdem, qui monitioni huiusmodi in totum vel pro parte non paruerint, aut quominus pareatur, fecerint, suaserint vel alias ad id directe vel indirecte, palam aut occulte auxilium, consilium et favorem dederint, lapsis sex diebus preter illam, qua ligati sunt, ut prefertur, aliam ob non paritionem huiusmodi excommunicationis sententiam auctoritate et scientia predictis ferimus in hiis scriptis, a qua similiter ab alio quam Romano pontifice, preterquam in morte, et tunc etiam nonnisi legitima satisfactione premissa absolvi nequeant. Et si Simon episcopus, Bernardus magister, fratres, auxiliatores, consultores, fautores, complices et adherentes ac plebanus moniti predicti huiusmodi nostram interdicti (et) excommunicationis sententiam per alios sex dies, dictos primos sex dies immediate sequentes animo, quod absit, sustinuerint indurato, exnunc prout extunc pari sentencia et auctoritate civitatem Rigensem et occupata per eos castra et loca predicta, ac alia eorundem magistri et fratrum, auxiliatorum, consultorum et fautorum, complicum et sequacium excommunicatorum predictorum temporali dominio aut alteri cohertioni subiecta, et alia, ad que eos aut aliquem eorum quandocunque declinare contigerit, quamdiu ibidem permanserint, et triduo post recessum eorundem, etiam non subiecta eis civitates, castra, oppida, fortalicia et alia loca quecunque, necnon in eisdem occupatis et subiectis, ac non subiectis civitatibus, castris, oppidis et locis consistentia, ecclesias, capellas, monasteria, prioratus et alia pia et ecclesiastica loca quecunque, exempta et non exempta, ecclesiastico supponimus interdicto, ita ut eo durante inibi in tanti criminis detestationem iuxta antiquorum iurium traditionem, preterquam semel in ebdomada, et tunc dumtaxat pro sacramenti confectione, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, ac submissa voce, ex quovis etiam apostolico privilegio, etiam ordinibus, locis vel personis concesso, misse et alia divina officia nequeant celebrari, eosdemque Simonem episcopum a regimine et administratione ecclesie Revaliensis prefata auctoritate suspendimus, ac Bernardum magistrum et reliquos preceptores ac fratres dicti ordinis aliosque excommunicatos predictos preceptoriis, ecclesiis, prioratibus, monasteriis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, necnon quibuslibet feudis, iuribus, honoribus et eciam mundanis dignitatibus quibuscunque, que eos tunc obtinere contigerit, prefata auctoritate et ex simili scientia privamus, et ad illa ac alia imposterum obtinenda, necnon ad testandum et quosvis actus legitimos faciendum inhabilitamus, et episcopum suspensum, reliquosve monitos predictos privatos et inhabilitatos esse volumus eo ipso. Si vero excommunicati, anathematizati, privati et inhabilitati predicti nolentes in semitis iusticie dirigere gressus suos, et ad cor reverti, ac veniam petere ac penitentiam agere de premissis sub huiusmodi excommunicationis, anathematis, interdicti, privationis et inhabilitationis censuris et penis proterva obstinatione per alios sex dies, dictos secundos sex dies immediate sequentes, permanere non expaverint, exnunc prout extunc lapsis ultimis sex diebus eisdem ex simili scientia et auctoritate eos aggravationis et reaggravationis censurarum et penarum predictarum, ac cum Datan et Abyron, quos vivos terra absorbuit, et Iuda Scarioth traditore domini nostri Iesu Christi maledictionis eterne et perpetue damnationis mucrone ligamus, ac ligatos et irretitos esse decernimus eo ipso, mandantes prefato episcopo Albanensi sub similibus censuris et penis quibuscunque cathedralium, metropolitanarum vel collegiatarum ac aliarum ecclesiarum prelatis, capitulis, canonicis, rectoribus et personis aliis ecclesiasticis et cuilibet eorum, qui desuper pro parte dictorum Stephani archiepiscopi, prepositi, capituli, Degenhardi et aliorum canonicorum et personarum ecclesie Rigensis, vassallorum, subditorum et feudatariorum eiusdem, ac incolarum et inhabitatorum quorumlibet castrorum et locorum occupatorum et deruptorum predictorum fuerint requisiti, in eorum ecclesiis dominicis vel aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis et accensis candelis, ac postmodum in terram proiectis, extinctis et conculcatis, cum crucis vexillo et trina lapidum proiectione, ac aliis in similibus servari solitis ecclesiasticis cerimoniis excommunicatos, anathematizatos, privatos, inhabilitatos, aggravatos et reaggravatos, ac eterne maledictionis et perpetue damnationis sententia ligatos publice denuncient, et ut tales iubeant et mandent ab omnibus arctius evitari, necnon omnibus aliis christifidelibus, ut illos evitent, et eis cuncta necessaria alimenta denegent ministrare, donec compuncti corde spiritum assumentes consilii sanioris, monitionibus et mandatis nostris huiusmodi plenarie obtempera-

verint, et absolutionis ab excommunicationis et suspensionis sententiis ac relaxationis huiusmodi interdicti beneficia, et alias integram reconciliationis gratiam a nobis et sede apostolica meruerint obtinere. Et nichilominus quoscunque illarum et circumvicinarum partium archiepiscopos et Tarbatensem, Ossiliensem, Curunensem, Revaliensem, Warmiensem, Sambiensem, Pomesaniensem ac Culmensem aliosque episcopos, ac magistrum dicte milicie beate Marie Theotonicorum, cui Bernardus, preceptores et fratres predicti Livonie sunt subiecti, aliosque temporales prelatos, reges, principes, duces, comites et barones, nobiles, milites et alios temporales dominos et illorum officiales ac gentium armigerarum capitaneos pro reverentia, quam ad sedem predictam gerere quotidiana experientia comprobantur, hortamur et requirimus, eisdemque archiepiscopis, episcopis et prelatis sub interdicti ingressus ecclesie et a suarum ecclesiarum regimine et administratione suspensionis, principibus vero, ducibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, dominis, officialibus et capitaneis sub similibus censuris et penis, quas si non paruerint, eo ipso incurrant, districte precipiendo prefata auctoritate iniungimus, ut eosdem canonicos et alias detentas personas predictas a detentione huiusmodi liberari facere procurent, et eisdem Stephano archiepiscopo in regiminis et administrationis ecclesie Rigensis ac civitatis Rigensis, castrorum et oppidorum occupatorum et diruptorum, et preposito in prepositura ac Degenhardo in ecclesia sancti Petri huiusmodi possessionis recuperatione, consecutioneque bonorum, damnorum et interesse predictorum pro posse assistant, et opportunos favores, ac que poterunt auxilia, cum fuerint requisiti, ad id prestare non obmittant, et presentes et quascunque alias litteras, quas ad partes illas in favorem et ad commodum Stephani archiepiscopi et mense episcopalis huiusmodi infuturum emanarunt, etiam contra magistrum, preceptores et fratres predictos, cum fuerint desuper requisiti, exequantur et exequi faciant in eorum civitatibus et diocesibus sine mora sub censuris et predictis, quavis excusatione ac indignatione magistri, preceptoris et fratrum predictorum nequaquam obstante. Et nichilominus prefato Albanensi episcopo ac venerabilibus fratribus nostris Wladislaviensi et Lubicensi episcopis scientia et auctoritate predictis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eos ex monitis et requisitis predictis, quos eis, et quibus damna et iniurie predicta illata dicerentur, monitionibus et mandatis huiusmodi etiam ex inhibitione auxilii et favoris ac brachii secularis ad premissa parere non curasse, per ipsius Stephani archiepiscopi iuramentum cum duobus testibus de fama constiterit, censuris huiusmodi irretitos esse publice denuncient et faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, legitimisque super hiis habendis servatis processibus illos iteratis vicibus aggravare procurent, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc auxilio brachii secularis. Et quia hec nostre littere in locis, in quibus magister, preceptores et fratres predicti, eorumque vassalli, subditi, complices, fautores et adherentes, ac alii per nos moniti, ut prefertur, resident, propter eorum potentiam commode publicari non possent, omnibus et singulis locorum vicinorum ordinariis, et in eisdem locis consistentium ecclesiarum quarumlibet cathedralium et non cathedralium, monasteriorum, prioratuum ac locorum religiosorum ordinum quorumcunque, etiam mendicantium, exemptorum et non exemptorum, capitulis, canonicis, abbatibus, prioribus, conventibus, guardianis, fratribus et personis aliis ecclesiasticis quibuscunque et ipsorum cuilibet, ita quod alter alterum in hiis exequendis non expectet, neque alter pro alio se excuset, sub eisdem ecclesiasticis censuris et penis dicta auctoritate mandamus, quatenus ipsi et quilibet eorum, cum pro parte dictorum Stephani archiepiscopi, capituli, canonicorum et personarum ecclesie Rigensis, vassallorum et subditorum eiusdem, necnon incolarum et habitatorum castrorum et locorum predictorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, has nostras litteras seu illarum transumptum autenticum, manu publici notarii subscriptum, in ipsarum ecclesiarum valvis affigant, et alias in eorum sermonibus ad populum predicent in locis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad ipsorum magistri, preceptorum et fratrum aliorumque monitorum predictorum valeant noticiam pervenire, volentes, quod littere et transumptum huiusmodi, earumque publicatio extunc post affixionem et publicationem predictas factas in duobus aut tribus ex eisdem locis vicinis ipsos monitos predictos arctent, ac si eis et eorum cuilibet intimate personaliter extitissent, eidemque transumpto sigillo causarum curie camere apostolice generalis auditoris, aut alicuius prelati sigillo munito et manu publici notarii confecto in iudicio et extra ubique stetur, prout staretur originalibus litteris, si essent exhibite vel ostense, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si magistro, preceptoribus, fratribus et aliis monitis predictis seu quibusvis aliis communiter vel divisim a sede prefata indultum existat, quod inter-

dici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre declarationis, cassationis, revocationis, vacuationis, requisitionis, monitionis, mandati, assignationis, suppositionis, privationis, inhabilitationis, voluntatis, ligationis, constitutionis et iniunctionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo, pridie Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Bull. Tom. XII. fol. 358.

CCXXXII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut Dobrogostium subcollectorem decimarum a quadam excommunicationis sententia obsolvens, eiusdem causam audiat et decidat.

Archiepiscopo Gnesnensi vel Vicario in spiritualibus generali seu Officiali eius.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Relatum est nobis, quod alias bone memorie Kazimirus Episcopus Ploczensis ad suggestionem quorundem Bartholomei de Wydawa et Mathie de Byselszke laicorum Gnesznensis et Ploczensis diocesum asserentium, quod dilectus filius Dobrogostius Crzusawszen, Cantor Ploczensis et succollector apostolicus in partibus illis deputatus, nonnullas iniurias occasione certarum rerum tunc expressarum eis intulerat, commisit dilecto filio Paulo de Orlovo Canonico Ploczensi causam huiusmodi audiendam et terminandam, et licet dictus succollector, ad iudicium sic evocatus allegaret se ratione sui succollectorie officii exemptum esse a iurisdictione Episcopi et eius delegati predictorum, sedique et Camere apostolice solummodo subiici, tamen delegatus ipse contra eum procedere non destitit et eum excommunicavit: unde pro parte eiusdem succollectoris ad nos, ac etiam ad venerabilem fratrem Archiepiscopum Gneznensem loci Metropolitani legitime appellatum, et huiusmodi appellatio coram te seu vicario tuo introducta, ac ad nonnullos actus, citra tamen cause conclusionem, processum extitit. Cum autem rationabile et nostre mentis sit, ut idem succollector exemptione et privilegio debitis gaudeat, et nichilominus iusticiam omnibus ministrari intendamus, presentium causam huiusmodi, cuius statum et omnium, que hic exprimi debuissent, tenores pro sufficienter expressis haberi volumus, ad nos avocantes, fraternitati tue committimus et mandamus, ut dictum succollectorem a dicta sententia excommunicationis ad cautelam absolvens, causam predictam, vocatis eisdem Bartholomeo et Mathia et aliis, qui fuerint evocandi, in ea ulterius procedendo, auctoritate nostra audias et cognoscas, fineque debito termines et decidas summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, partibus ipsis iustitie complementum ministrando, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. xxviii. Septembris mccccLxxx. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. I. fol. 84.

CCXXXIII.

Regi, praelatis et baronibus Poloniae et Prussiae, ut promulgatores indulgentiarum pro Rhodianis commendatos habeant.

Sixtus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Polonie Regi Illustri, ac venerabilibus fratribus Archiepīs, Episcopis et Prelatis eorumque vicariis, necnon dilectis filiis Principibus et domicellis eiusdem Polonie Regni ac provinciarum Prussie et Livonie, salutem etc. Pro subventione Religionis Rhodiane, que hoc tempore obsidionem et plurima damna ab impiissimis Turchis passa est, et magno subsidio indiget, concessimus nonnullas indulgentias in eiusdem religionis favorem pro hoc pio et necessario opere, ad quas quidem indulgentias in partibus istis publicandas dilecti filii Petrus Antonius Benedicti et Marsilius Alexandri de Fregeno latores presentium accedunt. Quapropter vos et quemlibet vestrum in domino exhortamur ac requirimus, ut pro dei honore et christiane religionis causa, ac pro catholica professione vestra velitis eisdem publicatoribus indulgentiarum omnibus oportunis favoribus assistere, ut benigne in loca vestra recipiantur, ac publice publicationem huiusmodi facere, et pia subsidia exquirere ex vestra quoque permissione et gratia facilius valeant. Consequemini apud omnipotentem deum meritum, et apud homines laudem, a nobis vero et hac sede commen-

dationem. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. (sub anulo piscatoris die) XVIII. Octobris MCCCCLXXX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. XIII. fol. 120.

CCXXXIV.

Ludemillae ducissae Silesiae, ut in ecclesia Passionis Christi ord. Carthus. extra muros Legnicenses cum sex mulieribus divina sextis feriis audire possit.

Ludemille ducisse Slesie et domine Legnitz.

Sixtus PP. IV. Dilecta in Christo filia, salutem etc. Humiliter nobis supplicari curasti, quod cum tu pro devotione, quam ad domum Passionis Christi ordinis Carthusiensis extra muros oppidi Legnitz Wratislaviensis diocesis, per duces olim Slesie et Legnitzenses etc. dominos fundatam et erectam, geris, cupias singulis sextis feriis in eius ecclesia missam et divina officia audire, dignaremur tibi desuper licentiam concedere, attento maxime, quod sicut asseris, alie pro tempore Slesie ducisse simili licentia et indulto gavise sunt: Nos piis et humilibus tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, si ita sit, cum sex aliis pro tua comitiva per te cligendis mulieribus singulis sextis feriis missas et alia divina officia in ecclesia prefatc domus Passionis Christi audire possis, et ille possint et valeant, tenore presentium tibi et illis licentiam et facultatem elargimur, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis et statutis domus et ordinis predictorum, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum die XIIII. Octobris MCCCCLXXX. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. I. fol. 112.

CCXXXV.

Nicolao Lathovycz poenitentiario in basilica S. Petri de Urbe, ut quaecumque tria beneficia ecclesiastica in Polonia acceptare possit.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Lathowycz Clerico Posnaniensi, decretorum doctori, Capellano nostro, salutem etc. Grata devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, necnon litterarum sciencia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te, qui in basilica Principis Apostolorum de Urbe etiam minor Penitenciarius nunc existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu gracioso favore prosequi, teque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica sine cura, que obtines, ac cum cura et sine cura, que expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tecum, ut quecunque tria curata, seu alias invicem incompatibilia secularia, vel cum duobus ex eis vel sine illis unum cuiusvis ordinis regulare beneficia ecclesiastica, etiam si secularia, parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie, aut dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, et dignitates ipse in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post pontificales maiores, vel Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut tales mixtim, regulare vero beneficia huiusmodi Prioratus, Prepositura, Prepositatus aut Cellaria, seu Elemosinaria vel Thesauraria, aut dignitas Conventualis, seu personatus, administratio vel officium fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia, ac regulare beneficium huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, presenteris vel assumaris ad illa, et instituaris in eis, et insimul, quoad vixeris, secularia vel in titulum, regulare vero beneficia huiusmodi in commendam retinere, illaque simul vel sucessive, simpliciter vel ex causa permutationis, quociens tibi placuerit, dimittere, et commende huiusmodi cedere, ac loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, tria dumtaxat invicem incompatibilia, dummodo inter ipsa tria plures, quam due parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie non sint, similiter recipere, et insimul secularia in titulum, regulare vero be-

neficia huiusmodi in commendam, etiam quoad vixeris, ut prefertur, retinere, necnon debitis et consuetis ipsius regularis beneficii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, proventibus sicuti illud pro tempore in titulum obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicti regularis beneficii tibi penitus interdicta, disponere libere et licite valeas, generalis concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, in quibus secularia, ac monasterii seu regularis loci, in quo regulare beneficia huiusmodi forsan fuerint, et a quo ipsum regulare beneficium dependere contigerit, et ordinis, cuius fuerit, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, proviso, quod beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, siqua illis immineat, nullatenus negligatur, et ipsius regularis beneficii propter commendam huiusmodi congrue supportentur onera antedicta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et dispensationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXI. Nonis Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Bull. divers. Tom. XVIII. fol. 139.

CCXXXVI.

Stephano archiepiscopo Rigensi legato a latere in Livonia constituto amplae facultates conceduntur.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Rigensi ad patriam Livonie nostro et apostolice sedis cum potestate legati de latere Nuntio et Commissario, salutem etc. Cum nos nuper te ad tuam Rigensem provinciam et Metropolitanam, ac patriam Livonie nostrum et apostolice sedis nuntium et oratorem cum plena potestate legati de latere pro nonnullis arduis nostris et reipublice christiane negotiis duxerimus destinandum: Nos cupientes, ut erga personas ipsarum partium te possis reddere gratiosum, fraternitati tue concedendi triginta personis dicte nationis, de quibus tibi videbitur, ut liceat cuilibet earum habere Altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, sine tamen alieni iuris preiudicio, per se ipsos, si presbiteri sint, vel proprium cappellanum aut alium presbiterum ydoneum in sua et suorum familiarium et domesticorum presentia missas et alia divina officia, etiam ante diurnam lucem celebrare et facere celebrari, et quemlibet ex octo personis nationum predictarum, quas previo deligenti examine ad tabellionatus officium exercendum ydoneas esse repereris, Notarios publicos et tabelliones, ac Iudices ordinarios ad conscribendum publica documenta cum plena potestate exercendi, omnia, que ad huiusmodi tabellionatus officium quomodolibet pertinent de consuetudine vel de iure, creandi, easque in quasi possessionem dicti officii, recepto prius ab eis de illo fideliter et cum debita integritate exercendi solito iuramento iuxta Romane Curie consuetudinem, inducendi, quinque personas de nobili genere ex utroque parente procreatas milites in tua dumtaxat provincia creandi, et eas militaribus insignibus consuetis decorandi, ac dicte provincie quindecim personis ydoneis, adiunctis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus doctoribus, quos ad hoc duxeris eligendos, si in eodem loco eorum copia commode haberi poterit, alioquin per te ipsum in iure canonico et civili coniunctim vel divisim ad baccalariatus aut licentie seu doctoratus gradus in dicta provincia promovendi, et eis legendi, disputandi, interpretrandi et alios actus ad personas in huiusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes faciendi, et ipsorum graduum solita insigna cum omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et indultis, quibus alii baccallarii, licentiati et doctores in generalibus studiis promoti gaudent, auctoritatem concedendi, et cum dicte provincie clericis et laicis, qui fructus, redditus et proventus ecclesiasticos de facto quomodolibet percepissent, super illorum restitutione componendi usque ad summam centum florenorum, et recepta ab eis quantitate, de qua composueris, Camere apostolice fideliter computum reddas, et cum triginta personis dictarum partium, de quibus tibi videbitur, ut quam primum vicesimumtertium eorum etatis annum attigerint, ad presbiteratus ordinem alias tamen rite se facere promoveri, et in illo ministrare, necnon cum qualibet ex quindecim personis earundem partium, de quibus similiter tibi videbitur, unum incompatibile beneficium obtinentibus et cum illo unum aliud, et cum ipsi sic unum incompatibile beneficium obtinentes, illo dimisso, quasi nullum incompatibile beneficium obtineant, quecunque duo curata seu alias invicem incompatibilia beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel in Collegiatis, et dignitates ipse in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post

pontificales maiores, aut Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie, aut talia mixtim fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis alias canonice conferantur aut eligantur, presententur, vel assumantur ad illa, seu instituantur in eis, recipere et insimul, quoad vixerint, retinere, omniaque illa simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens eis placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium vel beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, duo dumtaxat invicem incompatibilia similiter recipere et insimul, quod vixerint, retinere, proviso tamen, quod beneficia ipsa incompatibilia debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in illis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, ac singulis ex quinquaginta personis dictarum partium, ut confessor ydoneus per eos eligendus, eorum confessionibus diligenter auditis, eos a quibusvis excessibus, criminibus et delictis, preterquam sedi apostolice specialiter reservatis, ad tempus tibi placitum vel eorum vitam absolvere possit, indulgendi, et similiter cum vigintiquinque viris et totidem mulieribus nationum predictarum invicem quarto consanguinitatis vel affinitatis gradibus, seu mixtim tam affinitatis quam consanguinitatis huiusmodi quarto gradu coniunctis, ut invicem matrimonium contrahere et in illo, postquam contraxerint, remanere, si iam contraxissent scienter, postquam eos ab excessu huiusmodi ac excommunicationis sententia, quam propterea incurrerint, iniunctis eis, quod de cetero similia non committant, nec ea committentibus prestent auxilium, consilium vel favorem, ac pro modo culpe penitentia salutari, et aliis, que de iure fuerint, iniungenda, duxeris absolvendos, ipsis prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, cum eisdem, ut de novo insimul matrimonium contrahere et in illo, quod sic postmodum contraxerint, remanere, si vero ignoranter contraxissent, ut in huiusmodi sic ignoranter contracto matrimonio etiam remanere libere et licite valeant, susceptam et suscipiendam prolem ex huiusmodi tam scienter quam ignoranter contractis et contrahendis matrimoniis legitimam decernendo, necnon cum viginti personis illarum partium defectum natalium patientibus, ex quoquo damnato seu illicito coytu procreatis, ut ad omnes sacros etiam dictos presbiteratus ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, recipere et retinere libere et licite valeant, dispensandi, supra specialem post missarum solempnia ubicumque locorum nationum predictarum solempnem benedictionem impendendi, et interessentibus unum annum, necnon pro centum ecclesiis illarum partium pro singulis videlicet centum dies illis personis, que in quinque festivitatibus anni per te ad hoc statuendis et ordinandis easdem ecclesias visitaverint, ecclesias quaslibet infra limites partium predictarum eiusdem tue provincie consistentes consecrandi, et quotiens te ad loca aliqua ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate subiecta declinare contigerit, interdictum huiusmodi, quamdiu inibi permanseris, et triduo post discessum tuum relaxandi, generalis ac Lateranensis necnon Pictaviensis conciliorum et aliis apostolicis constitutionibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus incompatibilia et alia beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ac litteris nostris, per quas volumus, quod Nuntii apostolici pretextu quaruncunque litterarum et facultatum eis pro tempore concessarum aliquid facere non possint, nisi certis inibi expressis casibus, quibus, illis alias in suo robore permansuris, quo ad premissa specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXX.secundo, sexto Idus Iulii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Bull. Tom. LXXV. fol. 147.

CCXXXVII.

Pontifex omnes exhortatur, ut Stephano archiepo Rigensi contra Bernardum assertum magistrum hospitalis B. Mariae Teutonicorum in Livonia auxilium ferant, et archiepum Gnesnensem episcoposque Lubucensem et Vilnensem earumdem litterarum exsecutores constituit.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Etsi ecclesiis et personis ecclesiasticis quibuslibet ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio opportunis favoribus assistere, et ne in suis iuribus ledantur, opportune provisionis auxilia adhibere teneamur, ad conservationem tamen iurium Romane ecclesie tanto prestantius invigilare nos convenit, quanto illa specialius cure nostre pre ceteris est commissa. Accepimus siquidem non sine animi molestia, quod licet Civitas et provincia Rigenses ac tota patria Livonie iuris et proprietatis beati Petri Apostolorum principis existant, et huic sancte sedi sancteque Romane ecclesie, que pro earum acquisitione maximos pertulit labores et ingentes fe-

cit impensas, subsint, quemadmodum ex litteris felicis recordationis Gregorii pape X. et aliorum Romanorum pontificum predecessorum manifeste apparet, et in partibus illis notorium est, nichilominus inobedientie et iniquitatis filius Bernardus de Borch, qui se gerit pro Magistro fratrum ordinis beate Marie Theutonicorum Hierosolimitani per Livoniam, ob eius demerita et atrocia in personas tam bone memorie Silvestri Archiepi, quam aliorum Rigensis ecclesie Capitularium impie patrata facinora cum suis complicibus aggravatus excommunicatus et reaggravatus existens, tanquam pacis inimicus et scandalorum seminator, necnon specialis dominii civitatis Rigensis et patrie Livonie predictarum, quod ad Magistrum dicti ordinis per Livoniam pro tempore existentem minus veraciter pertinere asserebat, regalia non a nobis, ad quos utpote supremum dominum civitatis et patrie predictarum spectat, obtinere, sed a Carissimo in Christo filio nostro Frederico Romanor. Imperatore semper Augusto, ac si ad eum civitas et patria predicte illiusque supremum dominium pleno iure pertineret, quibusdam illicitis viis et falsis suggestionibus extorquere non est veritus in anime sue periculum, divine maiestatis et ecclesiastice libertatis offensam, ac intollerabile preiudicium Romane ecclesie antedicte. Nos igitur, qui singulas ecclesias in sua iustitia conservare cupimus, prout ex officio pastorali nobis incumbit, tanto celerius oportet apponere remedia, quam recentiora sunt vulnera, ne ferox et inveterata pestis absque medela procedat in dies ad peiora, universos et singulos Venerabiles fratres nostros Epos ecclesie Rigensis suffraganeos, ac dilectos filios Magistrum generalem et universos commendatores, preceptores et milites militie beate Marie Theutonicorum, aliosque ecclesiarum et monasteriorum prelatos, necnon nobiles reliquasque tam ecclesiasticas, quam seculares personas per provinciam Rigensem et terras Prussie Livonieque ubilibet constitutos hortamur in domino, et per obedientiam, quam nobis et sedi apostolice debent, requirimus, eisque sub interdicti ingressus ecclesie in Epos, et in alios inferiores ab eis excommunicationis late sententie, necnon interdicti in terris et locis eisdem Epis et aliis subiectis, ac privationis honorum et beneficiorum, inhabilitationisque ad ea, amissionisque omnium et singulorum privilegiorum et quorumcunque ecclesiasticorum iurium et feudorum penis, quas contravenientes incurrere volumus eo ipso, districte precipiendo mandantes, quatenus dicto Bernardo asserto Magistro Livonie, sibique adherentibus quocunque nomine censeantur, et quacunque ecclesiastica, etiam episcopali, et mundana dignitate prefulgeant, nullum auxilium, consilium vel favorem, nullumve suffragium verbo, scripto aut opere directe vel indirecte quovis quesito ingenio vel colore impendant aut impendi faciant, quin immo sub eisdem penis Venerabili fratri nostro Stephano Rigensi Archiepiscopo in adipiscenda regiminis et administrationis dicte ecclesie Rigensis, necnon civitatis, oppidorum, castrorum, villarum, locorum et bonorum ad prefatum Archiepiscopum ratione Rigensis ecclesie predicte pertinentium, pacifica possessione omnem favorem et auxilium exhibendo assistant, ac pro salute, honore et conservatione iurium et bonorum eiusdem Rigensis ecclesie illum constantissime et efficaciter iuvent. Et nichilominus Venerabilibus fratribus Archiepo Gneznensi et Lubicensi ac Vilnensi Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa ubi, quando et quotiens expedire cognoverint, solemniter publicantes, illos, quos eis exhortationibus, requisitionibus et mandatis nostris huiusmodi non paruisse constiterit, ipsis etiam si ad eos tutus non pateret accessus, per edictum publicum in locis publicis affigendum, de quibus sit verisimilis coniectura, quod presentes littere ad exhortandorum et requirendorum predictorum notitiam possint verisimiliter pervenire, aut alias legitime citatis auctoritate nostra censuras et penas predictas incurrisse declarent, ac faciant et mandent illis ligatos publice nuntiari, et ut tales ab omnibus arctius evitari, necnon legitimis super hiis habendis formatis processibus, illos eadem auctoritate iteratis vicibus aggavare procurent, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXII. Sexto Idus Iulii. Anno Undecimo. Ex Reg. orig. An. XI. Bull. Tom. LXXV. fol. 135.

CCXXXVIII.

Stephanus archiepus Rigensis in collectoris munere confirmatur, et Stanislao de Wilkanov canonicatus conferuntur.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Rigensi, apostolice sedis cum potestate legati de latere Nuntio in sua provincia Rigensi et in eiusdem civitatibus, prout in aliis nostris litteris plenius continetur, nec non in civitate et diocesi Revaliensi fructuum, proventuum aliorumque iurium apostolice Camere debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXXII. VI. Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Ade de Wilkanowo Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi unum Cracoviensis et alterum Plocensis ecclesiarum canonicatum cum prebenda. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. mccccLxxxi. xviii. Kal. Decembris. Anno XI.

Ex Lib. Officior. An. XI. Tom. IV. fol. 236. et Bull. divers. Tom. XVII. fol. 115.

CCXXXIX.

Fratribus ord. Minorum in Polonia, ut cruciatam contra Turcas praedicent.

Vicario provincie Polonie ord. Minorum de observancia pro tempore existenti et fratri Michaeli Bal.

Sixtus PP. IV. Dilecti filii, salutem etc. Pro defensione fidei catholice et Christifidelium conservatione ordinavimus publicari sanctam cruciatam in partibus istis, pro qua mittimus dilectum filium Bartholomeum de Camerino familiarem et commissarium nostrum: quare cum de probitate et doctrina vestra nobis relatum sit, volumus ac vobis in virtute sancte obedientie mandamus, ut ad requisitionem dicti Bartholomei huiusmodi cruciatam predicare et omnibus notam facere debeatis, ac pecunias ex ea colligendas eidem Bartholomeo consignetis, qui de mente nostra circa hoc plene est informatus. Datum Rome die vii. Novembris mccccLxxxii. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol 231.

CCXL.

Capitaneo Cracoviensi, praelatis et proceribus Poloniae, ut Bartholomaeum de Camerino in promulganda cruciata contra Turcas adiuvent.

Iacobo de Damno alias Dovenizki Capitaneo Cracoviensi.

Sixtus PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. Inter alias nostras occupationes et curas ea nos precipue excitat et movet, que ad defensionem reipublice christiane omniumque Christifidelium conservationem pertinet, quos cum magnis damnis et cladibus affectos ab impiissimis et communibus hostibus Turcis non sine summo dolore sepius viderimus, et in futurum etiam ne afficiantur, timeamus, cogitamus assidue de aliquo providere subsidio ad ipsos nefandos hostes reprimendos. Quare deliberavimus, ut in partibus istis denuo cruciata publicetur, pro qua dilectum filium Bartholomeum de Camerino familiarem et commissarium nostrum mittimus, hortantes et stricte requirentes devotionem tuam, ut ipsi Bartholomeo et eius substitutis in publicatione cruciate ipsius, ceterisque peragendis, que ad tam sanctum et pium opus exequendum pertinebunt, omni oportuno favore et auxilio adesse et assistere velis, in quo rem magni apud deum meriti et plurime apud homines commendationis efficies. Datum Rome die vii. Novembris mccccLxxxii. Anno XII.

Simile Andree episcopo Wladislaviensi, cancellario regni Polonie; Petro episcopo Primisliensi; Iohanni archiepiscopo Leopoliensi; Martino Guastaldo Palatino Throchiensi; domino Olecno Palatino Vilnensi; Andree episcopo Vilnensi; episcopo Chioviensi vel eius locumtenenti, et similia novem ad Episcopos et Nobiles.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 232.

CCXLI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut quemdam priorem errorem emendans eumdem Bartholomaeum commendatum habeat.

Archiepiscopo Gneznensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Alias cum ad nos scripsisses, dilectos filios Petrum Iohannem de Camerino et Urbanum de Urbanis de Montesancto decretorum doctorem nuntios nostros facultatibus eis per nos concessis abuti, et eorum bullas suspitione fraudis non carere: commendavimus per breve nostrum, fraternitatemque tuam laudavimus, quod eos ceperas pecuniasque per ipsos ex cruciata et Rhodianis indulgentiis collectas ademeras, rati ita esse et culpabiles illos existere. Verum cum postea ad nos redierint, bullasque et scripturas per te illis ablatas ostenderint, et ex ordine cuncta retulerint, cognovimus aliter rem se habere, et fraternitatem tuam non satis iustis causis motam talia contra ipsos nuntios nostros tentasse: de quo certe mirati admodum sumus; nam id non sine nostre et apostolice sedis auctoritatis diminutione, et obprobrio ac detrimento non parvo tam pii operis factum est. Hortamur itaque et attente monemus fraternitatem tuam, ut de cetero ab his abstineat, et quod minus honeste fecit, recte factis in hac causa emendet, Bartholomeumque de Camerino familiarem et commissarium nostrum, quem ad publicandam denuo cruciatam ad partes istas mittimus com-

mendatum suscipias, et in ea publicanda et publicari facienda tam ipsi Bartholomeo, quam eius substitutis omni oportuno favore et auxilio assistas, Non obstantibus quavis suspensione et revocatione per litteras nostras tibi vel aliis directas facta, ceterisque contrariis quibuscunque. Quod si tam sancto operi et pro fidei catholice conservatione instituto, prout te decet, favebis, tui boni operis et laborum, quos circa hoc impendes, memores erimus, secus agendo, quod tamen non credimus, graviter ferremus. Datum Rome die VII. Novembris MCCCCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 231.

CCXLII.

Regi Poloniae, ut praedictum Bartholomaeum, qui ipsi quasdam pecunias ex cruciata assignet, commendatum habeat.

Regi Polonie.

SIXTUS PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Ex nuntiis nostris, qui superiore anno in Regno tuo fuerunt, cognovimus Maiestatem tuam continuo cum infidelibus, et presertim Tartaris Regnum ipsum tuum invadentibus et infestantibus bellum gerere. Nos, ut in tam pio et necessario incepto aliquid tue Maiestati subsidium afferamus, mittimus istuc dilectum filium Bartholomeum de Camerino, familiarem et nuncium nostrum, cum potestate pronunciandi et pronunciari faciendi sanctam cruciatam in partibus istis contra ipsos infideles et Tartaros, ut Christifideles spiritualibus muneribus invitati manus tibi porrigant adiutrices ad hostes nefarios debellandos, prout latius in nostris sub bulla plumbea desuper editis litteris continetur, dantes prefato Bartholomeo potestatem et facultatem, ut de pecuniis ex dicta cruciata colligendis unam partem, prout sua conscientia dictaverit, tibi in subsidium belli assignet, prout nos tenore presentium assignamus et elargimur; reliquam vero partem ad Cameram nostram apostolicam pervenire volumus, ut his et aliis pie collectis pecuniis immanibus hostibus christiani nominis Turcis resistere valeamus. Dat. Rome die x. Decembris MCCCCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 233.

CCXLIII.

Eidem Bartholomaeo quasdam pecuniarum collectarum partes istis principibus et praelatis concedendi facultas datur.

Bartholomeo de Camerino familiari et commissario (nostro in Polonia).

SIXTUS PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. De tua fide et industria sepius iam experta confisi, volumus ac tibi tenore presentium concedimus facultatem, quod de omnibus et singulis pecuniis, rebus et bonis omnibus ex quacunque causa et occasione hactenus collectis et reconditis per quoscunque collectores et nuntios apostolicos, et per dominos temporales seu spirituales prelatos, quacunque prefulgeant dignitate, detentis et sequestratis, etiam Rhodanis tibi licitum sit concedere et donare decimam partem seu octavam aut sextam et quartam usque ad tertiam inclusive, prout tibi visum fuerit, et iuxta exigentiam loci videris faciendum, super quo tuam conscientiam oneramus, et similiter de pecuniis colligendis et exigendis nomine sacre cruciate pro defensione catholice fidei, super qua te commissarium nostrum deputavimus per nostras patentes litteras plumbatas, Regibus, Principibus, Ducibus et Baronibus et etiam spiritualibus prelatis eandem partem concedere valeas iuxta necessitatem regnorum, dominiorum et provinciarum eorundem, et illis sic per te datis et concessis auctoritate nostra uti valeant pro eorum arbitrio licito et honesto. Datum Rome die x. Decembris MCCCCLXXXII. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 236.

CCXLIV.

Episcopo Posnaniensi, ut eidem nuntio pecunias per se collectas etc. tradat.

Episcopo Poznaniensi.

SIXTUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Mittimus ad partes istas dilectum filium Bartholomeum de Camerino, familiarem et commissarium nostrum, cum facultate publicandi sanctam cruciatam pro defensione fidei catholice adversus infideles et communes christiani nominis hostes, cui commisimus, ut tue fraternitatis consilio et auxilio in omnibus utatur: quare hortamur te, ut Bartholomeum ipsum benigne recipias, et in his, que a nobis per alias sub plumbo litteras in commissis habet, oportune ei faveas et assistas, ac de omnibus pecuniis tam ratione collectorie tue, quam ex indulgentiis

Rhodianis collectis, et penes te in tua potestate existentibus illi computum et rationem reddas, cui damus plenam facultatem de calculatis et solutis te quitandi et absolvendi, decernentes et tenore presentium declarantes, quod quicquid in premissis per ipsum nuntium nostrum actum seu gestum et ordinatum fuerit, ratum et gratum habebimus, ac censuras et penas contra impedientes et rebelles per eum ferendas, faciemus, auctore domino, inviolabiliter observari. Preterea quoniam, referente dilecto filio Petro Ioanne de Camerino, qui anno elapso de commissione nostra apud te fuit, quod ei nomine nostro sexaginta ducatos hungaros mutuo concessisti, benigneque eum suscepisti, contentamur, quod dictam summam ad computum tuum ponas, et ipse Bartholomeus commissarius ponat. Postremo te commissarium una cum ipso Bartholomeo facimus et deputamus ad cogendum et compellendum auctoritate nostra quoscunque alios collectores et nuncios apostolicos detinentes, et penes se aliquid pecuniarum ad Cameram nostram apostolicam quoquomodo et quavis de causa pertinentium habentes, ut illas, etiam si ex Rhodianis indulgentiis provenissent, vobis consignare debeant, super quo vobis coniunctim et divisim plenam tribuimus potestatem compellendi, brachium seculare, si opus fuerit, invocandi, solventes quitandi et liberandi, aliaque faciendi, que in premissis necessaria videbuntur, hortantes fraternitatem tuam, ut taliter se in his gerat, ut commendationem et gratiam ab hac sancta apostolica sede reportare merearis, prout te confidimus esse facturum. Datum Rome die x. Decembris MCCCCLXXXII. Anno XII.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 234.

CCXLV.

Regi Poloniae, ut Venetos ad pacem cum pontifice ineundam cohortetur.

Regi Polonie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Quibus rationibus Venetos ad communem Italie pacem hortati fuerimus, ex exemplo litterarum nostrarum, quas superioribus diebus ad te misimus, videre potuisti. Cum autem responsum nobis dederint expectationi nostre minime conveniens, alienum ab omni concordia et amicitia, minus religiosum et honestum, per quod aperte profitentur bellum prosequi velle, neque ab impugnatione civitatum S. Romane ecclesie desistere: coacti fuimus iterum eos monere, ut a tam pernicioso incepto desistant, sicuti ex exemplo his incluso videre poteris: quod Maiestati tue innotescere volumus, ut intelligas iustificationem cause nostre, simulque ut et illos pariter horteris ad omittendam huiusmodi provinciam, quam in preiudicium S. Romane ecclesie, in perturbationem totius Italie, in periculum christiane religionis prosequuntur, neque causam prebeant, ut alii christiani principes adversus se concitentur, ne propter eos Italia tantopere exagitetur cum tanto et apostolice sedis et rerum christianarum detrimento. Datum Rome die prima Martii MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno XII.

Simili modo Imperatori et Regibus Hungarie, Dacie, Anglie, Scotie, Francorum etc.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol 393.

CCXLVI.

Ioanni epo Vratislaviensi, ne quasdam pecunias camerae apostolicae debitas solvere postponat.

Iohanni Episcopo Wratislaviensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Scripsimus ad te nuper, ut summam quinque millium et trecentorum ducatorum Hungarorum, in quibus olim Benedicto de Salviatis et sociis mercatoribus Romanam curiam nostram sequentibus, nunc vero sacro Cardinalium collegio et Camere nostre apostolice vigore cessionis dicte summe eisdem collegio et Camere apostolice per prefatos Benedictum et mercatores facte teneris et obligatus existis, solvi curares, vel in civitate Venetiarum Iohanni de Frescobaldis mercatori Florentino, vel hic prefate Camere nostre apostolice, prout tibi commodius foret. Tu vero preter spem et opinionem de te nostram ac preter debitum tuum propositis nonnullis cavillosis exceptionibus et minime bono viro, qualem te esse decet, convenientibus te a solutione pecuniarum huiusmodi conaris eximere, que quidem singula per te excepta, prout sunt, inania et frivola reputantes, tibi tenore presentium in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena, quam te ipso facto, si contrafeceris, incurrere volumus, necnon privationis ecclesie et beneficiorum tuorum, districte precipiendo mandamus, quatenus post receptionem presentium, omni mora ac exceptione remota, prefatas pecunias dicto Iohanni et prefate Camere apostolice, prout malueris, solvi cures

cum effectu, eorum, que solveris, quietanciam inde recepturus: de qua summa, si te quicquam ante noticiam cessionis huiusmodi rite solvisse constiterit, id solutum esse volumus: alioquin si, quod non credimus, premissa facere neglexeris, que tibi scripto comminati sumus, opere complebimus. Quod prius tibi significare voluimus, ut precognitum periculum valeas evitare. Dat. Rome die III. Martii MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Tom. II. fol. 396.

CCXLVII.

Abbati B. Mariae de Arena, ut praedictas litteras eidem episcopo exhibeat.

Abbati monasterii beate Marie de Arena Wratislaviensis.

Sixtus PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. Mittimus ad te cum presentibus litteras nostras ad Venerabilem fratrem Iohannem Episcopum Wratislaviensem, sacri Cardinalium collegii et Camere nostre apostolice in summa quinque millium trecentorum Hungarorum debitorem, vigore cessionis eiusdem summe prefatis collegio et Camere nostre apostolice per Benedictum de Salviatis et socios mercatores Romanam curiam sequentes, quibus in dicta summa ratione Wratislaviensis ecclesie tenebatur, facte: quas quidem litteras, quarum etiam et predicte cessionis instrumenti copias ad te mittimus alligatas. Cum primum receperis, volumus ac tibi mandamus, ut eas prefato Episcopo coram notario publico et testibus reddere atque exhibere, exhibitionisque huiusmodi instrumentum nobis aut Camere nostre apostolice illico cum litteris tuis destinare debeas, ita ut de promptitudine ac diligencia apud nos merito valeas commendari. Datum Rome die III. Martii. MCCCCLXXXIII. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 396.

CCXLVIII.

Episcopo Revaliensi, ut ipse et magister Livoniae concordiam cum archiepiscopo Rigensi ineundam curent.

Episcopo Revaliensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Cum superioribus annis pervenisset ad aures nostras crudele facinus in bone memorie Silvestrum Archiepiscopum Rigensem, et ecclesiam illam admissum et perpetratum, in quo etiam non mediocriter tua fraternitas arguebatur et culpabatur, non potuimus causam illam ex pastoralis officii debito sub dissimulatione preterire; sed in bullis nostris apostolicis certas censuras et penas contra Magistrum Livonie et eius preceptores ac tuam fraternitatem aliosque adherentes tulimus. Nuper vero Carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus per oratorem suum pro absolutione tam Magistri ipsius, quam tua nobis multa exponi fecit, plurimaque in excusationem tuam orator ipse dixit, que nobis summopere placuerunt. Quo minus enim culpabilis in tam gravi et enormi facinore fraternitas tua reperitur, eo magis letamur. Et quoniam venerabilis frater Stephanus eiusdem ecclesie Archiepiscopus nunc presens non fuit, neque honestati convenire visum est, eo non citato, vocato vel audito, aliquid in suum preiudicium statuere, aut ante cause illius cognitionem et compositionem, illo absente, eidem Magistro, tibi et aliis plenam absolutionem impartiri: Nos tamen desiderantes omnes in hac causa noxios et culpabiles ad cor redire, remque aliquo bono modo quietari et componi, commisimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. Romane ecclesie Cardinalibus, ut, auditis partibus, causam principalem cum accessoriis amicabili et honesto aliquo medio studerent decidere et terminare, et eadem ratione certis prelatis facultatem dedimus suspendendi ad quosdam menses censuras tam in ipsum Livonie Magistrum et alios, quam in tuam fraternitatem eiusque adherentes latas. Quare cum noverimus, quantum fraternitas tua operari possit pro sua auctoritate et gratia cum ipso Magistro et preceptoribus pro huiusmodi tractanda concordia, neque dubitemus te id pro boni prelati officio et nostra contemplatione facturum, maxime cum ea de causa et ad effectum talis compositionis censuras ipsas, ut prefertur, suspenderimus: hortamur fraternitatem tuam in domino et attente monemus, ut in tali et de tanta re concordia tractanda fidelem operam studiumque, et exactam diligentiam adhibeas, ut tuo ductu et auxilio pax et quies sequatur, de quo apud nos et hanc apostolicam sanctam sedem gratiam et commendationem, apud deum vero non parvum meritum reportabis, et tibi magno honori et perpetue laudi id futurum est. Datum Rome die XV. Aprilis MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 377.

CCXLIX.

Archiepiscopo Rigensi super concordia inter ipsum et magistrum Livoniae ineunda.

Archiepiscopo Rigensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Multum apud nos institit per oratorem suum Carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, ut Magistrum Livonie et alios declaratos absolveremus, postulationem factam de Revaliensi Episcopo admitteremus, et Bailivam sancti Leonardi, cassata commenda eiusdem, ipsi Magistro Alamanie restitui mandaremus, ac appellationem civitatis Rigensis non admitteremus, aliaque plura faceremus, pro quibus obtinendis fuerunt plures bulle apostolice, et imperialia ac plura alia iura sub autenticis documentis exhibita coram nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sacre Romane ecclesie Cardinalibus, commissariis ad eam rem per nos deputatis. Verum quia tua fraternitas absens erat, respondimus imperiali Maiestati non licere aliquid, te absente, in rebus his statui et decerni, sed ut causa via concordie terminari possit, certis prelatis in partibus commisimus, ut te et ex alia parte Magistro Livonie et aliis interesse habentibus vocatis, studerent et curarent causam huiusmodi de consensu partium terminare et componere, aut receptis legitimis partium documentis ad nos ea mittere deberent, statuendo partibus terminum, infra quem desuper iusticiam in curia reciperent, prout in nostra commissione latius continetur. Et quia forsan hac ratione et per huiusmodi documenta, et circa ea dicta et allegata ecclesia ipsa et patria Livonie pacificari et quietari, sublatis scandalis et seditionibus, possent, pensata maxime temporum et locorum conditione, hortamur fraternitatem tuam, ut omnibus mature discussis, et que accidere possent, previsis et examinatis, si aliqua pacis media honesta et tolerabilia tibi dabuntur, pro tua et ecclesie tue quiete et tranquillitate accipere et acquiescere illis velis, ne propter locorum distanciam et patrie istius dispositionem causa in longius trahatur. Quod si huiusmodi concordia de partium consensu fieri non poterit, te pariter hortamur, ut quantum in te est, cures, quod coram ipsis commissariis vel eorum altero causa plenius instructa ad Romanam curiam remittatur, ut coram nobis vel per nos deputandis (desperata concordia) iusticia desuper ministrari equa lance possit. Dat. Rome die xv. Aprilis mcccclxxxiii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Brev. Tom. II. fol. 378.

CCL.

Clerus et populus oppidi Cubitensis contra insultus Matthaei Slick, qui Wladislao regis Poloniae filio se dedit, et alios fautores quondam Georgii de Podiebrad, qui nominanti denuo declarantur excommunicati, defeuduntur.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ex provisionis nostre debet provenire subsidio, ut ea, per que patratores excessuum reprimuntur, passis iniuriam favorabiliter tribuantur, sicque eorum indempnitati consulere, ut excedentium punita temeritas eos et alios eorum exemplo retrahat ab offensa. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Cleri et universorum incolarum et habitatorum opidi Cubitensis Pragensis diocesis peticio continebat, quod cum olim felicis recordacionis Paulus papa II. predecessor noster damnate memorie Georgium de Constat et Podiebrat, tunc regni Bohemie occupatorem, hereticum omnique honore et dignitate privatum per suam sentenciam declarasset, ac omnes Christifideles sibi vinculo seu iuramento astrictos ab huiusmodi iuramento et homagio sibi prestitis absolvisset, sentenciamque ipsam per bone memorie Laurentium Ferrariensem et Rodulphum Wratislaviensem Episcopos ad predictum et alia illi contigua loca nuntios executioni debite demandari mandasset, ipsique Cubitenses sic astricti processibus exinde emanatis requisiti tamquam filii sancte matris ecclesie eorundem Episcoporum mandatis paruissent, cruce signatos admittentes et eos in dicto opido foventes, ac tandem tam ad Laurentii quam Rodulphi Episcoporum predictorum mandata Carissimo in Christo filio nostro Mathie Ungarie et Bohemie Regi Illustri homagium prestitissent, iniquitatis filius Matheus Slick, domicellus dicte diocesis, exercitum validum congregavit, et opidum ipsum obsedit, sibi homagium prestari postulans ab eisdem: militares autem exercitus sui animadvertentes, prefatos Cubitenses ad homagium et fidelitatis iuramentum eidem Matheo prestandum minime obligari, se ab obsidione dicti opidi quadam inita concordia retraxerunt, ac demum prefatus Matheus in vim processuum memoratorum requisitus coram dilecto filio Francisco sancti Eustachii diacono Cardinali, ad partes illas apostolice sedis legato, et prefato Episcopo Ferrariensi, in manibus oratoris prefati Ma-

thie Regis homagium prestitit, et a civitate Ratisponensi, in qua tunc existebat, ad opidum predictum se contulit, ac prefato Mathia Rege in remotis a dicto opido partibus existente, parrochialem ecclesiam dicti opidi cum illius ornamentis et clenodiis ac Sacratissimo Eucharistie sacramento, et cuncta pene ipsius opidi edificia igni supposuit, combussit et vastavit, et hiis non contentus, revolutis iam annis undecim vel circa in die celebracionis festi beati Remigii quosdam stipendiarios in opido predicto introduxit, et cum illorum favore ecclesiam ipsam de novo calicibus et aliis ornamentis spoliavit, et ex incolis dicti opidi quosdam captivavit, obligaciones cum iuramento, quod ipsum et heredes suos deinceps premissorum occasione nullo modo impeterent, extorquens ab eisdem, et aliorum, qui eiusdem Mathei et suorum ferocitatem timentes, domibus et rebus suis derelictis ad fugam se converterunt, uxores et pueros cunctis rebus spoliatos de dicto opido expulit, ac demum se cum paucis personis ad nutum suum se tenentibus, et ibidem manentibus ad Wladislaum primogenitum Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis illustris se convertit et dedit: ac cum tam spirituales quam seculares persone dicti opidi asserentes, se ex huiusmodi eorum obediencia ad spoliacionem et privacionem bonorum suorum devenisse, postularent a prefato Rodulpho Episcopo, ne lapsu temporum ad maiorem paupertatem devenire et mendicare cogerentur, eis super premissis de oportuno remedio provideri, idem Rodulphus dilectis filiis Procopio Pragensis et Stanislao Luthomisliensis ecclesiarum Archidiaconis per quasdam suas litteras apostolica, qua fungebatur, auctoritate mandavit, ut ipsi aut alter eorum, quando et quotiens per dictos incolas requisiti forent, aut alter eorum requisitus foret, et premissa relata veritate clarerent, prefatum Matheum, necnon Wenczeslaum et Nicolaum ac Ieronimum Slick ac Gasparem eius natos, et alios huiusmodi incendii, depredacionis et expulsionis complices, consortes et participes penas excommunicacionis, anathematis et fautorie heresis incidisse declararent, ac loca temporali dominio dicti Mathei et filiorum suorum subiecta ecclesiastico interdicto supponerent, censurasque huiusmodi iteratis vicibus aggravarent, ac invocarent ad id, si opus foret, auxilium brachii secularis contra eos, donec deo et ecclesie omnibusque lesis satisfecissent cum effectu, absolucionem omnium et singulorum in premissis culpabilium sibi, aut superiori suo, vel cui id specialiter committeret, dumtaxat reservando, prout in eisdem litteris plenius continetur. Ad quarum execucionem dicti Archidiaconi insimul earum forma servata rite procedentes, instantibus Clero et populo prefatis dictos Matheum, Wenczeslaum, Nicolaum et Ieronimum, ac alios complices et sequaces, ut infra certum tunc expressum terminum Clero et populo ac incolis prefatis de damnis, iniuriis et iacturis eis illatis, ut prefertur, satisfacerent competenter, vel interim cum eis super hiis amicabiliter concordarent, per suas certi tenoris litteras monuerunt et mandarunt eisdem, et quia Matheus, Wenczeslaus, Nicolaus, Ieronimus et alii moniti prefati monicioni et mandato huiusmodi minime paruerunt, ut tenebantur, eos excommunicacionis sentencia innodarunt, seu prolatam in eos per eorum litteras monitorias predictas, si non parerent, excommunicacionis sentenciam incurrisse declararunt, et mandarunt ac fecerunt eos excommunicatos publice nunciari, excommunicacionisque sentenciam huiusmodi iteratis vicibus aggravarunt, ac loca, ad que eos declinare, et in quibus residere contingeret, ecclesiastico supposuerunt interdicto, dictusque Rodulphus Episcopus brachium seculare invocavit contra eos, unde Matheus, Wenczeslaus, Nicolaus et Ieronimus et complices predicti falso asserentes ex hiis indebite se gravari, ad sedem appellarunt antedictam, et in causa appellacionis huiusmodi apostolicas ad abbatem monasterii de Gruenhayn Nuembergensis diocesis, eius proprio nomine non expresso, et quosdam alios eius in hac parte collegas litteras impetrarunt, et illarum pretextu Clerum, populum, incolas et habitatores predictos coram dilecto filio Laurentio Abbate dicti monasterii fecerunt ad iudicium evocari: Clerus vero, populus, incole et habitatores ex eo sencientes per predictum Abbatem indebite se gravari, quod ipse Abbas ex arrupto ac de facto, forma dictarum posteriorum litterarum non servata, in huiusmodi causa perperam procedens, Matheum, Nicolaum et Ieronimum et Casparem, ipsorumque complices et subditos predictos ab excommunicacionis et aliis sentenciis, censuris et penis predictis ad cautelam indebite absolvit, ac interdictum predictum relaxavit, ad sedem eandem appellarunt, et super eorum appellacione huiusmodi nostras ad Pataviensem et Olomucensem Episcopos ac Decanum ecclesie Pragensis, eorum propriis nominibus non expressis, litteras impetrarunt, que earum executoribus nondum presentate fuere, quia deferentibus illas, procurantibus dictis excommunicatis, vi ablate extiterant. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, premissa per dictos Matheum, Wenczeslaum, Nicolaum et Ieronimum eorumque complices, hereticorum et scismaticorum fautores monitos predictorum, in fidei orthodoxe contemptum perpetrata non solum in illis

partibus, sed eciam in Romana Curia sint adeo manifesta et notoria, ut nulla possint tergiversacione celari, et eapropter eorundem pro tam manifesta offensa excommunicatorum absolucio ad cautelam, et interdicti relaxacio manifestissimam continent iniquitatem, et nullius sint roboris vel momenti, pro parte eorumdem Cleri, populi, incolarum et habitatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eosdem Matheum, Wenczeslaum et Ieronimum ac Casparem, ipsorumque complices, fautores, consortes et participes, quos singulos prefati Rodulphi Episcopi delegati in eorum litteris expresse nominarunt, videlicet Magistrum et Superiorem Prage ordinis Rubeecrucis cum stella cum omnibus fratribus suis, Abbatem Laurentium in Gruenhain, dñum Wenczeslaum Wend Decanum Cubitensem, ceterosque et singulos presbiteros, vicarios, capellanos, primissarios decanatus et districtus eiusdem, ut videlicet dñum Iohannem plebanum in Cubito cum suis capellanis, dñum Heuricum Slickch vicarium in Falkenaw cum suis capellanis, dñum Augustiuum plebanum in Silkenweid cum dñis Alberto Engelhardo et Andrea suis capellanis, dñum Casparem Stengel plebanum in Czedlicz et Iodocum capellanum suum, dñum Nicolaum Roder plebauum in Lauicz, dñum Nicolaum iu Kunzsperg cum dño Petro capellano suo, dñum Georgium plebanum in Kulbein cum dño Udalriro capellano suo, dñum Erhardum plebanum in Gossengrinen, dñum Martinum primissarium eius, dñum Petrum plebanum in Liechtenstat cum dñis Simone et Nicolao primissariis suis, dñum Iohannem plebanum in Merica, plebanum in Rolaw, dñum Melchiorem plebanum in Pyrck, dñum Michaelem plebanum in Tyergaten, dñum Martinum capellanum dominorum Slickch, dñum Iohannem in Fronaw plebanum clericos Pragensis diocesis, dñum Georgium plebanum in Stain, dñum plebanum iu Sthopach Ratispoueusis diocesis, dñum Henricum Misserl plebanum in Coda et Wenczeslaum Kiemer plebanum in Petscha, insuper nobiles et armigeros dñum Sigmundum Seynshaimum de Swarczburgk, dñum Sigismundum de Seynshaim eius amicum, Georgium de Rosenberg, Erasmum de Rosenberger eius amicum, militem Casparem de Vestenbergh, militem unum de Schavnberg, militem Eberhardum de Pranustain, militem Henricum de Waldenfels, Gocz de Plassenberg, Georgium de Sparnekg, Temifacz de Sparnekg, Karolum de Butenberg, insuper nobiles et armigeros de territorio Cubitensi Ottonem de Sparnekg, Erhardum de Sparnekg filium eius, Iohannem Tannberger cum Iohanne Tannberger filio suo, militem Iohannem Pergler cum filiis suis, Wilhelmum Pergler, Gocz Pergler, Iohannem Herttenberger de Puchtheig, Cristofferum Herttenberg et Henricum Herttenberg filios suos, Mathiam Vairner cum filio suo, Wenczeslaum Hisserl et Matheum filium eius de Drahberg, Egidium Staynpach, Andream Egloben, Limpoldum Hardekcher, Albertum Roder, Cristofferum Deyner, Hainricum de Globeu cum fratre, Eppertum Wolman, Hainricum Hisserl Vonderaych cum filiis suis, Nicolaum Pernstayner, Hilbraudum Plikch alias Entenschnable, Casparem Prantner, Andream Staynpach, Iohannem Plankchuer de Vischern, Iohannem Vorreyter, Laurentium Watsdorfer, Iohannem de Haslaw cum fratribus suis, Iohannem Zcydeler de Hofen, Iohannem et Nicolaum Hofman, Fridericum Plikch, Casparem Cranassawer, Nicolaum et Iohannem Rawssengruener, Georgium et Albertum Meyn cum filiis suis, Iohannem et Nicolaum Casthner et alios illis adherentes, necnon Wenczeslaum Pighaym magistrum civium, Erhardum fabrum, Albertum Cra consules et scabinos opidi Cubitensis, Andream Terosther magistrum civium, Andream Kramer et notarium opidi Slakeuwerd, Matheum Gotfrid, Albertum fabrum, Nicolaum sutorem scabiuos opidi Falkenaw, Nicolaum Rukkuss magistrum civium, Udalricum sutorem iuratos opidi Liechtenstat, Osbaldum Stuntler iudicem et Hainricum Erhardum scabinos opidi Hainrasgruen, Iohannem Wunsthuer, Conradum et Erhardum iuratos opidi Gumsperg, Thomam Raschawer magistrum civium, Erhardum Klug, Iacobum Necker consules et scabinos Balnei naturalis Karali, absolucione sic ex arrupto impensa et interdicti relaxacione predictis nequaquam obstantibus, excommunicatos et loca predicta ecclesiastico interdicto supposita esse publice nunciari maudare, aliasque eis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis et eorum notorietate fidedigna relacione informati sumus, impensam per dictum Abbatem absolucionem et factam ab eo interdicti relaxacionem predictas, utpote notorie iniustas, et litterarum earundem Abbati directarum forma non servata factas, nullius roboris vel momenti fuisse et esse, et illis uon obstantibus, necnon iuramento fidelitatis sibi ac Elbagensi (?) prestito, et ab eis per vim atque metum extorto, a quo Elborgensem (?) tenore presentium absolvimus, tauquam iniuste et illicite facto, et illi nunquam teneri declaramus, eosdem autem Matheum, Wenczeslaum et Ieronimum, complices, subditos et alios monitos et absolutos predictos censuris et penis predictis, quibus antea ligati erant, ligatos et loca predicta iuterdicto huiusmodi supposita semper remansisse, et adhuc existere

auctoritate apostolica presentium tenore declaramus pariter, et decernimus per presentes, ac pro potiori cautela eosdem Matheum, Wenczeslaum, Nicolaum et Ieronimum, complices, subditos, et alios expresse nominatos in litteris Rodulphi Episcopi et Archidiaconorum predictorum censuris predictis irretitos, in pristinas censuras et penas predictas eadem auctoritate reintrudimus [auctoritate predicta], et illis ligamus et innodamus, necnon loca predicta ecclesiastico subiicimus interdicto; et nichilominus Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Magdeburgensi, et Vratislaviensi ac Merseburgensi Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eosdem Matheum, Wenczeslaum, Nicolaum, Ieronimum, complices et subditos eorum singulis diebus dominicis in ecclesiis, dum maior inibi multitudo convenerit ad divina, cum crucis vexillo, pulsatis campanis, et accensis ac demum extinctis candelis et in terram proiectis cum trina lapidum proiectione, et aliis in talibus servari solitis ecclesiasticis cerimoniis, excommunicatos et iteratis vicibus aggravatos et anathematizatos, et loca predicta, ad que pro tempore declinant, et in quibus permanent, ecclesiastico interdicto supposita esse auctoritate nostra publice nuncient, faciantque et mandent ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, donec iuxta dictorum Episcopi et Archidiaconorum processuum continenciam Romane ecclesie et lesis Cubitensibus prefatis satisfecerint competenter, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato eciam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus absolucionibus, relaxacione et aliis premissis, ac constitucionibus et ordinacionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si Matheo, Wenczeslao, Nicolao et Ieronimo, complicibus et subditis prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Nulli ergo etc. nostre absolucionis, declaracionis, constitucionis, reintrusionis, ligacionis, innodacionis, subiectionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Septimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Bull. divers. Tom. XVIII. fol. 468.

CCLI.

Ioannes episcopus Sambiensis a quadam censura absolvitur.

Iohanni Episcopo Sambiensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, quod cum a Venerabili fratre Archiepiscopo Rigensi excommunicatus fueris, ex eo quod partem pecuniarum ex indulgentia ecclesie Pomezaniensi concessa provenientem, que ad Cameram apostolicam pertinebat, consignare noluisti, dignaremur tibi de absolutionis beneficio providere, necnon quibusdam respectibus id fecisti; et paratus es pecunias ipsas solvere. Quocirca tuis in hac parte humilibus supplicationibus inclinati, fraternitatem tuam ab omnibus sententiis, censuris et penis, quas premissa occasione idem Rigensis Archiepūs contra te tulisset, absolvimus et absolutum fore censemus, cum reincidentia tamen, si infra spatium quinque mensium pecunias huiusmodi non solveris Venerabili fratri Episcopo Poznaniensi collectori nostro, declarantes te in ipsas excommunicationis et alias censuras ecclesiasticas statim incurrere, et in illas incidere, nisi in dicto spatio satisfeceris, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Rome die xxx. Augusti mcccclxxxiii. Pontificatus nostri Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Brev. Tom. III. fol. 4.

CCLII.

Episcopo Poznaniensi, ut pecunias, quas Sambiensis episcopus camerae apostolicae debet, Romam mittat.

Episcopo Poznaniensi.

Sixtus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Absolvimus Venerabilem fratrem Episcopum Sambiensem a penis et censuris ecclesiasticis, quas in eum tulit Venerabilis frater Archiepiscopus Rigensis ex eo, quod partem pecuniarum ex indulgentia ecclesie Pomezaniensi concessa provenientem et ad Cameram nostram apostolicam pertinentem consignare ei noluit. Verum declaravimus in brevi nostro super hoc ad ipsum Episcopum Sambiensem directo, quod ipse Episcopus in easdem reincurreret censuras, nisi infra quinque menses huiusmodi partem pecuniarum tibi consignaverit. De quo voluimus fraternitatem tuam facere certiorem, ut casu, quo id non faciat, declares etiam tu eum, elapsis dictis

quinque mensibus, talibus censuris et penis etiam irretitum. Mandamus insuper tibi, ut et has et omnes alias pecunias ad ipsam Cameram pertinentes, si quas habes, per tutam viam, quantocius fieri poterit, ad nos transmittas, nullamque in hoc moram interponas. Datum Rome die XXX. Augusti MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Ex Reg. orig. An. XIII. Brev. Tom. III. fol. 4.

CCLIII.

Universis Christifidelibus hospitale S. Spiritus Cracoviense visitantibus et subsidia impendentibus indulgentiae conceduntur.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Inter cetera pietatis opera, quibus apud misericordem deum peccata nostra facilius expiantur, illud non immerito precipuum fore reputamus, per quod pauperum et infirmorum aliarumque miserabilium personarum, et presertim infantium expositorum omni auxilio destitutorum necessitatibus subvenitur, unde nos qui cunctorum fidelium animarum salutem ferventer expetimus, fideles ipsos ad impendendum eis pia suffragia et caritativa subsidia quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis scilicet et peccatorum remissionibus frequenter invitamus, ut per huiusmodi grata ac accepta deo opera ipsarum indulgenciarum participes effecti, eterne beatitudinis gaudia feliciter assequi mereantur. Dudum siquidem per felicis recordationis Innocentium III. Honorium eciam III. Alexandrum IIII. Celestinum V. Bonifacium VIII. Clementem eciam V. Iohannem XXII. Benedictum XII. Urbanum V. Gregorium XI. Alexandrum V. Martinum V. Eugenium IV. Nicolaum V. Calistum III. Pium II. et Paulum eciam II. Romanos pontifices predecessores nostros accepto, quod in hospitali sancti Spiritus Cracoviensi regni Polonie, hospitali nostro sancti Spiritus in Saxia de urbe ordinis sancti Augustini immediate subiecto, pauperes languidi et infantes clandestine geniti, ut a iugulatione et suffocatione preservarentur, suscipiebantur, ac muliere extra thorum impregnante colligebantur, alieque miserabiles persone senio confecte ad illud pro tempore undecunque confluentes recipiebantur, ac benigne ac caritative tractabantur, et quotidie reficiebantur, ac in octava post festum S. Martini celebritas dedicationis basilice principis apostolorum de dicta urbe magna cum solemnitate inibi peragebatur, nec non quarte ferie maioris hebdomade diebus per Episcopum Cracoviensem, et eius suffraganeos pro tempore existentes per solemnem generalem communionem omnium degentium in singulis locis infirmarie dicti hospitalis magna eciam solemnitas celebrabatur, in qua quamplures Prelati, Rex et Regina Polonie, ac Barones et Nobiles illius patrie, necnon omnis populus civitatis Cracoviensis concurrebat, dictusque Episcopus quandoque sermonem ad populum huiusmodi faciebat, et misse peragebat officium, prefati predecessores et quilibet eorum cupientes propterea ipsum hospitale Cracoviense ab eisdem Christi fidelibus congruis frequentari honoribus, ipsosque ad premissam subventionem impendendam promptiores efficere(?), omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus antedictis vere penitentibus et confessis, qui in octava post festum sancti Martini huiusmodi a primis vesperis usque ad secundas vesperas, nec non quarte ferie maioris hebdomade predicte diebus huiusmodi hospitale predictum illiusque ecclesiam devote visitassent annuatim, et pro sustentatione fratrum et infirmorum ac aliorum predictorum manus porrexerint adiutrices, quod ipsi easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequerentur, quas octava basilicam predictam, nec non quarte ferie diebus eisdem ecclesiam sancte Marie maioris de urbe visitantes, et Pontificali benedictioni Romani pontificis pro tempore existentis, dum Sudarium Salvatoris nostri Ihesu Christi ostenditur, interessentes consequerentur, per diversas ipsorum predecessorum litteras, quas perpetuo valere voluerunt, graciose concesserunt, prout in singulis litteris predictis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus, plenius continetur. Nos igitur, cupientes, ut hospitalitatis onera et alia caritatis et pietatis opera huiusmodi in eodem hospitali, ad quod, sicut accepimus, dilectus filius Nicolaus de Cracovia modernus illius Prepositus singularem gerit devotionis affectum, diligentius exerceantur, ipsique fideles eo promptius ad illa impendenda manus porrigant adiutrices, quo ex hoc specialibus gratiis et muneribus per amplius a nobis fuerint communiti, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, indulgentias predictas, et prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta approbamus, et presentis scripti patrocinio communimus; et nichilominus omnibus et singulis Christi fidelibus antedictis vere penitentibus et confessis, hospitale Cracoviense et illius ecclesiam huiusmodi diebus predictis annuatim devote visitantibus, et pro sustentatione fratrum et pauperum et aliorum predictorum manus porrigentibus

adiutrices, quod ipsi easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas in diebus prenominatis basilicam et ecclesiam sancte Marie Maioris huiusmodi visitantes, necnon benedictioni huiusmodi interessentes consequerentur, concedimus per presentes et eciam elargimur, Non obstantibus similium vel aliarum quarumvis indulgenciarum generalibus vel specialibus revocationibus, a nobis vel sede apostolica ex quavis occasione vel ratione, eciam expeditionis contra christiani nominis inimicos, vel alias sub quacunque verborum forma emanatis hactenus, vel imposterum emanandis, quas, eciam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, ad concessionem indulgenciarum huiusmodi necnon presentes litteras non extendere (?) eadem auctoritate decernimus, ceterisque contrariis quibuscunque, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXIII. VII. Id. Novembris. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Bull. divers. Tom. XVIII. fol. 268.

CCLIV.

Regi Poloniae, ut una cum imperatore et rege Hungariae haereticorum in Bohemia facinora reprimat.

Regi Polonie.

Sixtus PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Immensum dolorem nuper accepimus, teste deo, auditis tot crudelitatibus, quas superioribus diebus gens pravitatis heretice in civitate Pragensi contra fideles exercuit, ingemuimusque valde super populum illum tot diris scandalis agitatum. Timentes, ne ipsa hereticorum immanitas, sicut solet fieri, cum semel pudor ac metus depositi sunt, progrediatur ulterius, maioraque in istis partibus monstra producantur, scripsimus statim, habito cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consilio, ad Venerabilem fratrem episcopum Civitatis Castelli nuntium et oratorem nostrum, iniungentes ei, ut cum Carissimo filio nostro Federico etc. et Mathia Ungarie Rege de enormitate huius rei loquatur, et a Maiestatibus suis consilium requirat, quod fieri oporteat, ne catholica fides illic maiora patiatur detrimenta. Idem facimus cum aliis prelatis circumvicinis ac principibus christifidelibus, hortantes etiam unumquemque ipsorum ad opem pro viribus ferendam, ne incendium istud pervagetur latius. Credimus non defuturos huic negotio quenquam pro virili parte, cum et pium opus sit et sanctum ac salutare, et etiam de communi re omnium Catholicorum agatur. Maiestati tue non propterea scribimus, quia putemus in eadem causa necessarium esse te christianum regem excitare verbis, presertim cum et ibi habeas pignus carissimum, ad quod iuvandum satis Maiestatem tuam excitet paterna charitas: verum has breves dedimus, ut scias causam hanc nobis esse vehementer cordi: et nichilominus te, sicut facimus, hortamur ad provisiones et remedia necessaria adhibenda, ne iste hereticorum oppressio atque iniurie magis contra catholicos invalescant. Nos quecunque intelligemus accommoda fore conducendis ac terminandis ad votum rebus catholice fidei, et hac presertim (occasione) nunquam omittemus efficere, modo et ab ipsa tua Maiestate et ab aliis, quo pacto res se habeat, et quod facto opus sit, certiores reddamur. Datum Rome die IIII. Decembris MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotercio.

Ex Reg. orig. An. XIII. Brev. Tom. III. fol. 87.

CCLV.

Eidem regi et successoribus praesentandi ad certas praepositūram et scholastriam viros gratos et idoneos potestas conceditur.

Sixtus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Magne devotionis et sinceritatis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam non sine magno laudis preconio gerere comprobaris, non indigne meretur, ut votis tuis, illis presertim, per que personis meritis de proventibus ecclesiasticis valeat salubriter provideri, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque tu, sicut nobis nuper per dilectum filium Stanislaum de Buszenyn Canonicum Gneznensem, tuum ad nos oratorem destinatum, exponi fecisti, pro singulari devotione, quam ad Gneznensem et Cracoviensem ac earum Collegiatas ecclesias geris, desideres per sedem apostolicam tibi indulgeri, quod tam tu quam successores tui Polonie Reges Illustres, qui pro tempore fuerint, aliquas personas idoneas, et tibi ac eisdem successoribus gratas et acceptas ad Prepośituram sancti Michaelis in Castro Cracoviensi, que inibi dignitas principalis, ac que inibi eciam dignitas non tamen principalis existit, ad Scolastriam beate Marie Virginis Lancicicnsis Gneznensis diocesis ecclesiarum, cum pro tempore vacabunt, locorum ordinariis respective presentare possis et valeas, ac ipsi tui successores Reges

possint et valeant: Nos attendentes preclara tua merita erga prefatam sedem, et quod tam tu quam iidem successores prefatis ecclesiis et illarum personis poteris et poterunt esse multipliciter favorabiles, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et eisdem tuis successoribus Polonie Regibus, qui pro tempore fuerint, iuspatronatus et presentandi personas idoneas ad dictas Prepossituram et Scolastriam, cum per cessum vel decessum earundem simul vel successive ac deinceps perpetuis futuris temporibus vacaverint, eciam si ex persona seu personis easdem obtinentibus Prepositura et Scolastria predicte dispositioni apostolice specialiter vel alias ex quavis causa generaliter reservate vel affecte sint, seu pro tempore fuerint, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo reservamus, concedimus et assignamus, decernentes exnunc quascunque acceptationes, collationes et provisiones de dictis Prepositura et Scolastria, dum pro tempore vacaverint, absque presentatione seu expresso consensu tuo tuorumque successorum predictorum faciendas, nec non uniones, annexiones et incorporationes de eisdem quibusvis canonicatibus et prebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis, aliisque beneficiis ecclesiasticis forsan iam factas, dummodo suum quo ad talem possessionem earundem sortite non fuerint effectum, et quicquid in contrarium per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti, Non obstantibus quibuscunque generalibus reservationibus per nos vel dictam sedem pro tempore de dignitatibus principalibus in Collegiatis ecclesiis factis et fiendis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod persone per te vel successores tuos Reges predictos pro tempore ad Prepossituram et Scolastriam predictas, ut premittitur, presentande infra sex menses a die institutionum suarum computandos novas provisiones a sede predicta impetrare, litterasque desuper expedire, ac iura Camere apostolice persolvere teneantur, alioquin institutiones huiusmodi nullius firmitatis existant, ipseque Prepositura et Scolastria vacare censeantur eo ipso. Nulli ergo etc. nostre reservationis, concessionis, assignationis, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXIII. Idibus Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Bull. divers. Tom. XVIII. fol. 46.

CCLVI.

Casimiro et Elisabethae regibus Poloniae altare portatile etc. conceditur.

Sixtus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi et Carissime in Christo filie Elisabeth Regine Polonie Illustribus, salutem etc. Preclare devotionis et sinceritatis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam non sine magno laudis preconio gerere comprobamini, non indigne meretur, ut votis vestris, illis presertim, per que animarum vestrarum salutem deo propitio consequi valeatis, et per que, sicut pie desideratis, divinis officiis intenti existatis, ac spiritualis salutis vobis proveniant incrementa, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos devotis vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et unicuique vestrum, ac utriusque sexus filiorum vestrorum cuilibet habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis sine iuris alieni preiudicio, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, ita quod vobis aut sacerdoti taliter celebranti ad culpam nequeat imputari, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, per proprium vel alium sacerdotem idoneum, etiam si ad loca ecclesiastico quavis etiam apostolica auctoritate interdicto supposita vos declinare contigerit, in illis etiam submissa voce, ac excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, in vestra et familiarium vestrorum presentia, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel illi contingat specialiter interdici, missam et alia divina officia possitis facere celebrari, devotioni vestre auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus; proviso, quod indulto celebrandi ante diem huiusmodi parce utamini, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster Ihesus Christus dei filius, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXIII. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Bull. divers. Tom. XVIII. fol. 47.

CCLVII.

Eidem regi Poloniae de dignitate regali duci Moscoviae conferenda pontifex respondet.

Regi Polonie.

Sixtus PP. IV. Carissime fili, salutem etc. Retulit nobis dilectus filius Stanislaus orator apud nos tuus, quemadmodum tua Maiestas ad eum scripsit, se intellexisse, quod dux Moskowie oratores ad nos misit, petiturus a nobis imperialem sive regalem dignitatem in tota Ruthenica natione: ex quo orator ipse tuus Maiestatis tue nomine nos vehementer rogavit, ut quoniam res hec magni momenti et tibi multisque aliis magnum preiudicium afferre posset, velimus expectare oratores tuos, quos pro hoc negotio es missurus, antequam aliquid deliberemus. Novit Maiestas tua paternum nostrum erga se animum, et nos omnia cupere, que ex re et dignitate tua sint: quare persuadeat sibi, si ad nos ille miserit pro huiusmodi impetratione, magna cum consultatione et maturitate nos esse processuros, et oratores tuos libenter in hoc prius intelligemus, quos expectabimus, si in tempore eos ad nos miseris. Datum Rome die vii. Februarii mccccLxxxiv. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Brev. Tom. IV. fol. 27.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

CCLVIII.

Abbas Claraetumbae eiusque collegae archipresbytero et capellano S. Mariae Cracoviensis circa quaedam privilegia a Bonifacio IX. concessa conservatores constituuntur.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Clarecumbe in Mogylia et Copizyffinczyiensi Cracoviensis diocesis monasteriorum Abbatibus, ac Preposito ecclesie sancti Floriani in Cleparz extra muros Cracovienses, Salutem et apostolicam benedictionem. Ad antiquam et solitam Romanorum pontificum, qui in cathedra summi apostolatus pro tempore sederunt, benignitatem et gratiam pertinere consuevit, predecessorum concessiones et privilegia, presertim salutem animarum fidelium et ecclesiarum decorem concernentia, cum opus fuerit, sue defensionis munimine roborare, ne quorumvis malignantium impugnationi subiacerent: quorum vestigia imitari cupientes, votis illis gratum prestamus assensum, per que concessiones et privilegia predicta in suo plenario robore valeant confoveri. Sane pro parte dilectorum filiorum Georgii Schworziurga Rectoris, Archipresbiteri nuncupati, parrochialis ecclesie, Archipresbiteratus nuncupate, sancte Marie Cracoviensis et Iohannis Creudlar de Lublin perpetui Capellani in eadem nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum in dicta Civitate, que in partibus Polonie principalis et admodum insignis existit, prefata parrochialis ecclesia propter cultum divinum, qui inibi continue exhibetur, in magno honore et veneratione habeatur, ipsaque ecclesia a centum annis citra non solum diversis paramentis et ornamentis ecclesiasticis ac clenodiis, sed etiam privilegiis et indulgentiis apostolicis quampluribus munita existit, quorum inter alia duo in primis dicte Civitati grata plurimum sunt et accepta, unum videlicet, per quod felicis recordationis Bonifacius papa VIIII. in sua obedientia, de qua partes ille tunc erant, nuncupatus quondam Nicolao Pyenyasckonis tunc Rectori dicte ecclesie, Archipresbitero nuncupato, eiusque successoribus eiusdem ecclesie Rectoribus, qui forent pro tempore, indulsit, ut ipse et eius successores mitra, anulo, baculo, tunica et dalmatica pastoralibus uti, ac benedictionem solemnem post missarum, vesperarum et matutinorum peracta officia sive solemnia in eadem ecclesia pro tempore dare, necnon in processionibus publicis, quas infra Civitatem predictam et extra eam iuxta consuetudinem in talibus eatenus observatam in futurum fieri contingeret, cum mitra, anulo, baculo, tunica et dalmatica pastoralibus ipsis publice incedere libere et licite valerent, dummodo in benedictionis datione necnon processionibus huiusmodi pro tempore aliquis legatus sedis prefate vel diocesanus loci non fuisset presens, et ut sua dictorumque successorum, qui essent pro tempore, devotio ad eamdem sedem ferventius augeretur, quo per sedem ipsam se dinoscerent specialibus favoribus et gratiis communitos, sibi et successoribus prefatis, quod omnium parrochianorum eiusdem ecclesie in casibus Episcopalibus tantum, et in illis eis

pro tempore sponte confiteri volentium per eos, vel alios sufficientes et ydoneos presbiteros sive Capellanos suos ad id pro tempore deputandos confessiones huiusmodi audire, et eisdem parrochianis, ipsorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis debitam absolutionem impendere, atque iniungere valerent penitentiam salutarem, de uberiori dono gratie plenam et liberam auctoritate apostolica concessit facultatem. Et successive idem Bonifacius cupiens, ut ecclesia predicta congruis honoribus frequentaretur, et ut Christifideles causa devotionis confluerent ad eandem, et ad conservationem ornamentorum huiusmodi manus promptius porrigerent adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspicerent se refectos, vere penitentibus et confessis, qui a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatis Assumptionis ipsius beate Marie Virginis, et per septem dies ipsam festivitatem immediate sequentes predictam ecclesiam devote visitarent annuatim, et ad eius reparationem sive fabricam manus porrigerent adiutrices, illam indulgentiam et remissionem peccatorum concessit, quam visitantes ecclesiam sancti Marci Veneciarum, tunc Castellanensis diocesis, in Ascensionis domini nostri Ihesu Christi consequuntur. Et insuper, ut Christifideles ipsi ad ecclesiam predictam in festivitate et septem diebus predictis, ut preferebatur, propterea confluentes, conscientie pacem et animarum salutem, deo propitio, consequerentur, et indulgentiarum huiusmodi melius et uberius participes esse possent, cum eisdem uberius agere volens, Archipresbitero eiusdem ecclesie, qui tunc erat et pro tempore foret, ut aliquibus aliis presbiteris ydoneis secularibus, quos idem Archipresbiter secundum multitudinem personarum ad eamdem ecclesiam confluentium oportune duceret eligendos, annis singulis eligendis et ponendis, qui confessionem omnium et singulorum Christifidelium festivitate et septem diebus predictis pro huiusmodi indulgentia consequenda confluentium audire, et eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere, atque iniungere valerent pro modo culpe penitentiam salutarem, per diversas eis litteras, quas etiam perpetuis temporibus valere voluit, et pie memorie Sixtus pp. IIII. etiam predecessor noster per alias suas litteras innovavit specialiter, indulsit, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Georgius Rector et Iohannes Capellanus prefati dubitent ex certis causis super concessionibus, privilegiis et indultis huiusmodi per aliquos emulos molestari seu inquietari, eisque etiam violentias et iniurias inferri posse tempore procedente: Nos igitur volentes eisdem Rectori et Capellano super hiis adversus temerariorum ausus de oportuno defensionis remedio providere, prefatorum Georgii Rectoris et Iohannis Capellani, necnon dilectorum filiorum Proconsulis et Consulum Civitatis Cracoviensis, ac prefate ecclesie provisorum nobis super hoc etiam supplicantium in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si et quotiens opus fuerit, et pro parte dicti et pro tempore existentis Rectoris ipsius ecclesie fueritis requisiti, singulas litteras predictas solemniter publicantes, eisdemque Rectori et Capellano pro tempore efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eos per quoscunque quavis auctoritate super privilegiis, indultis, concessionibus et indulgentiis predictis, et eorum usu publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quesito colore contra illorum tenorem impediri, molestari, inquietari seu quomodolibet perturbari, aut eis iniurias vel molestias quomodolibet irrogari, impedientes, molestatores, perturbatores, inquietatores, iniuriatores, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, et alia iuris remedia auctoritate apostolica, appellatione postposita, compescendo, et nichilominus legitimis super impedimentis, molestationibus, perturbationibus, inquietationibus, iniuriis et contraditionibus huiusmodi per vos habendis servatis processibus eosdem impedientes, molestatores, perturbatores, inquietatores, necnon contradictores et rebelles, quotiens opus fuerit, aggravare et reaggravare auctoritate nostra curetis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, Sexto Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. III. fol. 170.

CCLIX.

Georgius Fabri ord. Praedic. inquisitor haereticae pravitatis in Livonia constituitur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Georgio Fabri ordinis fratrum Predicatorum et Theologie professori, salutem etc. Considerantes tue circumspectionis industriam in multis et arduis sepius

approbatam, ac alia grandia virtutum insignia, quibus personam tuam bonorum dator altissimus decoravit, ea, que gravis sunt ponderis, tibi fiducialiter committimus, sperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer in dies intendas, intentum animi dirigas, et operose solicitudinis studio prosequaris. Hinc est, quod nos, qui desideramus et in votis gerimus, ut fides catholica nostris prosperetur temporibus, et hereses ac errores in diocesi Tarbatensi et Livonie partibus de finibus fidelium extirpentur, circa extirpationem eandem salubriter et utiliter providere intendentes, te, qui, ut asseritur, Inquisitor heretice pravitatis auctoritate sedis apostolice deputatus existis, in dicta diocesi necnon Livonie partibus cum omnibus et singulis immunitatibus, privilegiis, gratiis et libertatibus, Inquisitoribus dicte pravitatis a iure vel consuetudine hactenus concessis, in causis heresum Inquisitorem facimus, constituimus et etiam deputamus, dantes et concedentes tibi contra omnes dicte heretice pravitatis credentes, receptatores, fautores et defensores eorum, tam ecclesiasticas quam seculares utriusque sexus personas, exemptas et non exemptas, cuiuscunque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, necnon infamatos vel suspectos de heresi procedendi ac officium Inquisitoris tibi commissum exequendi iuxta canonicas sanctiones, necnon alia faciendi, que de iure vel consuetudine Inquisitores pravitatis predicte quomodolibet facere consueverunt, seu etiam potuerunt, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium facultatem. Per concessionem autem huiusmodi non intendimus potestati ac iurisdictioni aliorum Inquisitorum a nobis vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus deputatorum in aliquo derogare. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, decimo Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bullar. Lib. VI. fol. 195.

CCLX.

Episcopo Culmensi, ut processum de miraculis etc. B. Dorotheae in Marienwerder Romam mittat.

Episcopo Culmensi.

Innocentius PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Commisimus alias quibusdam Prelatis istarum partium, ut de miraculis, vita et moribus beate Dorothee in Marienwerder civitatis Pomesaniensis in Prussia se informarent, testesque et alia documenta reciperent, ac processum desuper formarent, et ad nos mitterent. Cum autem acceperimus huiusmodi processum perfectum esse, et in ecclesia Pomesaniensi conservari, volumus ac tibi mandamus, ut illius transumptum bene et fideliter scriptum, ac tuo autentico sigillo signatum ad nos et sedem apostolicam mittas. Datum Rome apud S. Petrum die xxviii. Ianuarii mccccLxxxvi. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. II. fol. 151.

CCLXI.

Administratori Pragensi, ut episcopum Sancturiensem absolvat et Romam mittat.

Administratori Pragensi.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Advenientibus ad nos et sanctam apostolicam sedem oratoribus Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Polonie etc. Regis Illustris, eorum relatione intelleximus, Augustinum Episcopum Sancturiensem velle ad cor redire, si apud nos venie locum impetrande sperare posset, ac nomine Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Bohemie etc. Regis Illustris nobis, ut oportune super hoc providere dignaremur, supplicarunt. Nos igitur eius locum, qui per prophetam ait, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, tenentes in terris, paterno animo eidem compatientes, si vera est eius ad cor reversio, et talia penitencie signa, quibus ad unitatem sancte matris ecclesie puro et sincero animo redire cupiat, presetulerit, tibi, de cuius prudencia et integritate ac fidei zelo plurimum in domino confidimus, plenam tenore presentium concedimus facultatem, ut eidem nomine nostro plenam et indubiam securitatem prebere possis et valeas, dum tamen ipse recta via, non declinando ad dexteram, neque ad sinistram, ad nos se conferat, super quo tuam conscienciam oneramus. Cum autem ipse ad nos venerit, utemur erga ipsum tali misericordia et pietate, quod de nobis et hac sancta sede merito consolari poterit. Datum Rome apud S. Petrum etc. die xxviii. Iunii mccccLxxxvi. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. II. fol. 438.

CCLXII.

Bulla Cruciatae regi Poloniae contra Turcas et Tartaros concessae.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Catholice fidei defensionem nobis celitus commissam, ac christiane religionis augmentum et animarum salutem supremis desiderantes affectibus, ad ea libenter intendimus, ut debemus, per que perfidissimorum Turcorum crudelissimorum eiusdem fidei hostium et aliorum infidelium ac barbararum nationum nephanda comprimatur iniquitas, et eorum fera ac furiosa compescatur audacia et dominandi libido, et ut eiusdem fidei cultores catholicos Reges et principes Turcorum, barbarorum et aliorum infidelium eorumdem expugnationi, et reipublice christiane adversus eos et eorum impetus defensioni vacantes sequantur congrua cisque ad id possibilia auxilia, et ad tam sanctum et tam pernecessarium tamque immortali deo, cuius causa agitur, acceptum opus prestent, quibusdam allectivis muneribus et thesauris, quos Redemptor noster dominus noster Iesus Christus apostolorum principi ac regni celestis clavigero et eius successoribus concessit, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, exhortamur, ac alias gratias et concessiones, per quas huic sanctissimo operi melius atque libentius vacare possint, eis elargimur. Sane non sine gravi animi nostri displicentia ex litteris Charissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris, ac relatione Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Premisliensis et dilecti filii Nobilis viri Raphaelis de Lyeszno militis Poznaniensis diocesis, Oratorum suorum ad nos et sedem apostolicam pro prestanda nobis et eidem sedi more catholici principis debita obedientia destinatorum, intelleximus, certioresque alias facti sumus et indies magis reddimur, quod seva et perfida ac iniquissima Turcorum et Tartarorum gens christiano nomini inimicissima non cessat quottidie cum magno impetu eiusdem Regis terras, loca atque dominia invadere, illaque igne ferroque vastare, et nil aliud moliri, nisi ut Polonie regnum et alia eiusdem Regis dominia occupent, et in miserabilem servitutem redigant, ac ut christianum nomen ex toto in partibus illis deleant, omnes suos divertunt cogitatus, tantaque est eorum rabies tantaque dominandi libido, tantus extinguende fidei ardor, ut nil aliud die noctuque cogitent, nisi ut sic superatis Polonis et aliis ipsius Regis subditis, alia loca christianorum finitima sue spurcissime secte subiiciant: et licet prefatus Rex et alii predecessores sui Polonie Reges, qui hactenus fuerunt, semper ut vere catholicos principes decet, pro eorum viribus adversus eosdem Turcos et Tartaros restiterint, tamen nisi a Christifidelibus eidem Regi subveniatur adversus tam potentes adversarios, veluti feras rabidas et truculentas in christiano sanguine debacchantes, [per Christifideles] ad tantam rei molem perferendam, ad quam ipsius Regis facultates minime suppetere possunt, verisimile formidandum est, ne brevi (quod Deus avertat) regnum ipsum et alia eiusdem Regis dominia, et illis vicina et coadiacentia terras atque loca occupent et eorum durissime tirannidi subiiciant. Nos igitur attendentes, quod pro huiusmodi defensione, que non ipsius Regis particularis, sed totius reipublice christiane communis existit, expedit nedum ab ipsa Polonia et aliis eiusdem Regis dominiis, sed ab aliarum nationum fidelibus propugnatores et bellatores aliaque auxilia exquirere, ac opus ipsum defensionis plurimum meritorium et pernecessarium ac deo, cuius causa agitur, gratum et acceptum, quique his et aliis reipublice christiane necessitatibus et fidelium ad eandem sedem tanquam universorum periclitantium securum recurrentium portum (et) oppressionibus, quantum nobis pro viribus Romane ecclesie conceditur, iugiter succurramus, cum facultates nostre huiusmodi minime sufficiant ad tanti oneris perferendi necessitatem, et ut prefatus Rex se, Regnum et dominia sua, ymo rem ipsam publicam christianam ab ipsis perfidis Turcis et Tartaris, favente altissimo, defendere possit, Christifidelium eorundem convocato auxilio, quantum in nobis est, operari volentes, auctoritate omnipotentis dei, cuius vices quamvis immeriti tenemus in terris, hortamur, requirimus et monemus universos Christifideles, presertim eiusdem Polonie, ducatus Lithuanie, terrarum Prussie, Mazowie, Russie, Liwonie tociusque Germanie et regni Bohemie, ut eidem Regi ad huiusmodi publicam defensionem ac fidei nostre exaltationem cum bonis et personis suis pro sua possibilitate viriliter et indesinenter assistant, et illius exemplo, qui pro nobis mortem non abnuit, tollant in cordibus suis crucem suam, et illi ex eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei sunt, dictum Regem, imo verius Salvatorem nostrum sequantur, et pro illius nominis gloria, ac Turcorum, Tartarorum et infidelium predictorum fidei hostium depressione mortis periculo se exponere non formident, memores verbi eius, qui dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me; pariter et confidentes in eo, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi; et qui

una nocte per angelum suum centum octuaginta quinque millia hominum ex exercitu Senecharip interemit, et qui alias ecclesiam suam in magnis periculis non dereliquit, neque permisit inimicos eius de eorum impietate gloriari, recepturi exinde premia felicitatis eterne. Et ut fideles ipsi eidem Regi in prosequutione tam sancti tamque pernecessarii operis eo propitius assistere, et eis possibilia auxilia exhibere studeant, quo exinde maiora animarum suarum commoda cognoverint adipisci, et eis pro tam salubri bono portas paradisi ac perhennem gloriam cum sanctis apostolis et gloriosis martiribus reserari, universis fidelibus eisdem, qui ad bellandum contra eosdem Tartaros et Turcos perfidos pro defensione et expugnatione eorum in dicti Regis exercitu in personis propriis se contulerint, et per tempus, quod commissarii ac thezaurarii proventuum sancte huiusmodi expeditionis, qui pro tempore fuerint deputati, ordinaverint, in illo permanserint, confisi de ipsius omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate, ac verbi eius, qui est via, veritas et vita, ac nobis, qui in personam eiusdem beati Petri [Pauli auctoritate], licet meritis non paribus, successores sumus, dixit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis; et eciam de potestatis plenitudine nobis celitus tradita plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgenciam, qualis per predecessores nostros dari consuevit proficiscentibus in subsidium Terre Sancte, et qualis in anno Iubileo visitantibus Basilicas alme Urbis nostre ad id specialiter deputatas per eosdem predecessores concessa fuit, concedimus et elargimur, ac eorundem hominum, quos in hanc sanctam expeditionem proficisci continget, animas sanctorum angelorum consorcio in celestibus et eterna felicitate mansuras perpetuo decernimus collocandas, ita ut si forsan designato tempore non exacto ipsorum aliquos, priusquam iter pro prosecutione tam sancti operis arripuerint, ex hac luce migrare contingat, Indulgenciam huiusmodi nichilominus omnino consequantur. Et si aliquis ex Regno et dominiis dicti Regis existens vel in eis cohabitans, aut ad illa declinans et accedere personaliter quovis respectu volens, vel non volens alium equitem, si commode poterit, sin autem, peditem undecunque suis expensis destinaverit, qui vice sua contra eosdem Turcos et Tartaros, per tempus, ut premittitur, ordinandum pugnet, volumus, quod tam mittens quam si pauper existat, eciam missus eiusdem indulgencie participes existant. Et ut omnis etas omnisque sexus ac cuiuscumque professionis homines huius sancte indulgencie participes esse possint, eciam volumus, quod si Monasteriorum et aliorum Religiosorum locorum, et eciam mendicantium ordinum utriusque sexus presidentes, conventus seu persone pro singulis decem ex eis unum bellatorem iuxta ordinationem predictam miserint ad premissam expeditionem, et ei stipendia necessaria ministraverint statuendo tempore, ut prefertur, decem persone predicte, pro quibus talis mittetur, et si pauper sit, eciam ipse missus pari indulgencia et peccatorum remissione huiusmodi perfruantur: et similiter seculares persone adeo pauperes, ut singule singulos mittere nequeant, convenientes invicem in huiusmodi numero decem vel maiori, prout eorum possibilitas exiget, et mittentes unum bellatorem, ut premittitur, pro omnibus, mittentes, et si pauper sit, eciam missus prefata indulgencia pariformiter potiantur. Et insuper volumus et ordinamus, quod tam ipsi bellatores et mittentes, et si pauperes fuerint, missi, quam eciam quibus bellatores ipsi indigere noscuntur, omnes et singuli medici, aromatarii, sutores, carnifices, ferarii et lignifabri, carpentarii, machinarum directores, et cuiuslibet artificii in eisdem castris oportuni artifices, apotecarii et mercatores, medicinas, victualia et alia necessaria ad dictum bellum deferentes et administrantes, et ut deferantur et administrentur, auxilium, consilium et favorem prestantes, bellatorum obsequiis vel extra ea quomodolibet, ut illi liberius pugnare valeant, insistentes, predicatores quoque verbi dei presentes litteras et indulgencias publicantes ac populo predicantes, missas et alia divina officia in eodem exercitu existentium presentia celebrantes, et eorum confessiones audientes, et alii cuiuscumque artis industrie vel exercicii inibi ad minus per spacium trium mensium existentes, ac eciam mulieres infirmis ac vulneratis tam in dicto exercitu quam extra existentibus servientes, et generaliter omnes et singuli utriusque sexus fideles, qui ad hanc sanctam expeditionem thesaurariis proventuum eiusdem infra triennium a die publicationis presentium computandum, si sancte Romane ecclesie Cardinales, Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Decani, Rex predictus centum, principes et filii Regum ac eorundem principum et filiorum Regum uxores decem, Duces autem, Marchiones, Comites et Vicecomites ac ipsorum Ducum, Marchionum, Comitum et Vicecomitum uxores, nec non miliciarum Magistri decem, et si ab eis inferiores persone ecclesiastice vel seculares, vassallos tamen et in redditibus annuis ducentos ducatos aut amplius habentes, et uxores secularium eorundem duos, si vero in facul-

tatibus et bonis valorem trecentorum ducatorum habuerint, medium florenum auri de Camera, et si alii, quartam unius similis floreni partem, si vero adeo pauperes fuerint, et in bonis ultra valorem sexaginta ducatorum similium non habeant, quantum thesaurariis predictis videbitur, persolverint, seu in truncis, capsis aut cistis ad hos proventus colligendos pro tempore deputatis imposuerint cum effectu in pecunia vel bonis, per se vel alium confessorem idoneum presbiterum secularem, vel cuiusvis ordinis Regularem eligere possint, qui eligentium confessione diligenter audita pro commissis per eligentes excessibus, criminibus et peccatis quibuscumque, quantumcunque enormibus et gravibus, eciam omissionis horarum, simonie, et a censuris et penis quibuscumque, quibus a iure vel ab homine quavis occasione vel causa quomodolibet ligati existerent, sine tamen alicuius preiudicio, eciam in casibus eidem sedi reservatis conspirationis contra Romanum pontificem et sedem predictam, iniectionis manuum violentarum in Episcopos, ac per se vel alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas vel seculares ad Romanam curiam pro causis et negociis quibuslibet recurrentes, illaque in eadem curia tanquam prosequentes aut procurantes, negociorum gestores, advocatos vel procuratores eorum, auditores et Iudices super dictis causis seu negociis deputatos occasione causarum vel negociorum huiusmodi mutilare vel occidere, vel alias verberare aut bonis spoliare, et ne litteris et mandatis eiusdem sedis et legatorum ac nunciorum et Iudicum delegatorum, eiusdem gratiam seu iusticiam concernentibus, decretisque super illis et re iudicata processibus executorialibus, non habito primo eorum beneplacito et assensu, pareant, neve tabelliones et notarii super huiusmodi litteris et processibus executorialibus instrumenta seu acta conficiant, aut confecta parti cuius interest tradant, prohibere, statuere seu mandare, a nostra quoque et pro tempore existentis Romani Pontificis obediencia pertinaciter se subtrahere seu quomolibet recedere, necnon iurisdictionem seu fructus ad ecclesiasticas personas pertinentes usurpare vel rapere, et per se vel alium seu alios directe vel indirecte predicta fieri procurantium, et ad ea seu eorum aliquid consilium vel favorem prestantium, falsitatis litterarum et commissionum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impositionis novorum onerum realium vel personalium ecclesiis vel ecclesiasticis personis, ecclesiasticam quoque libertatem quomodolibet violantium, presentium litterarum publicationem et executionem, aut guerram huiusmodi fieri, et ad expugnationem eorundem Turcorum et Tartarorum venire volentes impedientium, et proponentes se aliquomodo inclinatos ex modis predictis persuasione, verbo vel signo, vel ab huiusmodi eorum proposito et inclinatione retrahentium, aut de emolumentis eiusdem expeditionis aliquid subtrahentium, defraudantium duntaxat criminibus exceptis, semel in vita et in mortis articulo, in aliis dicte sedi non reservatis casibus, totiens quotiens id petierint, eis de debite absolutionis beneficio providere, necnon omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel in vita et semel in mortis articulo plenariam remissionem eis in sinceritate fidei et unitate sancte Romane ecclesie, ac obediencia et devotione nostra et sanctissimorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus impendere, et penitentiam salutarem iniungere ac emissa per eos vota quecumque, etiam visitationis ultramarine, liminum apostolorum, voto castitatis et religionis duntaxat excepto, in huiusmodi sanctam expeditionem commutare, dummodo persone ipse, que sic voverint, medietatem eius, quod in peregrinatione, quam propterea facere deberent, iuxta eorum conditionem exponerent, pro huiusmodi expeditione obtulerint et contribuerint, libere ac licite valeant, et si imminente infirmitate propter periculum mortis absolverentur, et demum mortis periculum evaserint, semper plenaria remissio predicta ad verum mortis articulum reservetur, etiam si id multotiens occurrisset. Et si forsan contingeret personas predictas sine confessione decedere, dummodo aliqua signa contritionis ante obitum eorum in eis apparuerint, etiam plenariam absolutionem et remissionem huiusmodi consequantur, que etiam ad peccata oblita, et que aliis alias sacerdotibus integre confessi fuerint, extendatur, sic tamen, quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam confitenti per eum, si supervixerit, vel per heredes suos, si tunc forte transierit, faciendam iniungat, quam ipse vel illi, ut prefertur, facere teneantur. Et ne propter alias indulgentias Christifideles in hoc sancto opere tardiores existant, omnes similes aut dissimiles indulgentias ac facultates a nobis et eadem sede, vel eius auctoritate quibuscunque ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et piis locis, universitatibus, confraternitatibus et singularibus personis plenarias, temporales ac perpetuas in vita, vel in mortis articulo in Polonie et Bohemie Regnis, ac aliis dominiis eiusdem Regis duntaxat concessas, ad triennium huiusmodi dicta auctoritate de apostolice potestatis plenitudine suspendimus, ita ut ille etiam si clausulas aliquas contra futuram

earum suspensionem in se continerent, quarum tenores et formas pro expressis et presentibus de verbo ad verbum insertis habemus, nemini dicto durante triennio, etiam in mortis articulo, aliquatenus suffragentur, et sub excommunicationis late sententie pena ipso triennio publicari et predicari, et earum pretextu quevis pia suffragia postulari nequeant. Volumus insuper et dicta auctoritate concedimus, quod corpora omnium et singulorum ad bellum accedentium et mittentium pro tempore decedentium, etiam sine confessione, si signa contritionis apparuerint in eisdem adhuc viventibus, etiam stante ecclesiastico interdicto ordinaria vel apostolica auctoritate apposito, dummodo tales causam non dederint interdicto, nec id eis contigerit specialiter interdici, possint in ecclesiis sive cimiteriis, sine tamen solita pompa funerum scpeliri, liceatque omnibus Episcopis et superioribus, reliquis vero personis ecclesiasticis, etiam Religiosis inferioribus absque ipsorum Episcoporum et aliorum superiorum suorum licentia, et si prelature funguntur officio, capituli, collegii sive conventus sui ad id accedente consensu, in expeditionem ipsam sine cuiusvis irregularitatis incursu proficisci et permanere, consulere et adhortari ad pugnandum, dum tamen ipsi a personali pugna abstineant, et quandiu ibidem permanserint, fructus, redditus et proventus mensarum ecclesiasticarum et monasteriorum, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum quorumlibet cum cura et sine cura, etiam si dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus et prebende in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post pontificales maiores, aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad illos, illas vel illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, que interim obtinebunt, cum ea integritate, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, et ad residendum interim in eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli possint, (percipere), ac in castris, territoriis vel aliis locis castrorum eorundem idoneis, prout melius et honestius haberi poterint, missas et alia divina officia, etiam antequam illucescat dies, prout negotiorum ingruentium opportunitas id exegerit, circa tamen diurnam lucem celebrare, et eukaristie aliaque sacramenta ecclesiastica omnibus et singulis in dicta expeditione degentibus, et ad illam accedentibus quocumque tempore, etiam in festo paschali ministrare valeant; et quod tam ecclesiastice quam seculares persone, dum in eodem bello occupate fuerint, si commode vel alias legitime non poterint, ab observatione quorumcumque ieiuniorum et recitatione officiorum, ad que tenerentur ex voto vel professione aut precepto ecclesie, sint penitus excusate, super quibus tamen eorum conscientias oneramus. Et quoniam ea, que pereunt tempore, etiam diebus festis iuxta canonicas sanctiones perfici possunt, cum nichil sit magis necessarium in bello quam opportunitas temporis, quod quibuscumque diebus dominicis et festivis gentes armorum et alie persone ad dictam sanctam expeditionem euntes, et in illa existentes, et similiter omnes prelati et alie persone ecclesiastice seculares et regulares etiam in presbiteratus ordines constitute in rebus concernentibus dictum bellum ad premissa, et alia ad hoc necessaria et opportuna intendere et vacare, et in ordinationibus circa premissa et alia ad hoc interesse, et desuper que eis videbuntur, consulere et hortari libere et licite valeant, dicta auctoritate concedimus. Preterea cum ad tam grandis exercitus manutentionem, et tam necessariam reipublice christiane defensionem magna expedit subire onera impensarum, masse proventuum expeditionis eiusdem dicta auctoritate applicamus quecumque legata, et alias quomodolibet etiam hereditatis titulo et pro male ablatorum etiam restitutione relicta hactenus, ac que legari vel relinqui contigerit in futurum dicto durante triennio in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus per quoscumque, et ubicumque in Regno et dominiis Regis huiusmodi factis, et que dicto durante triennio fierent, quibuscumque incertis ecclesiis et piis locis, aut personis similiter incertis vel absentibus taliter, quod ob eorum absentiam merito de eis notitia haberi non possit, ac etiam ea que restitutioni subiacerent, sed in eis vel ad ea persone, quibus illa fieri debeat restitutio, non exstarent, necnon quecumque in testamentis, donationibus, codicillis et aliis ultimis voluntatibus relicta pro redemptione captivorum, in dictis Regnis et dominiis applicamus. Et ut expeditio huiusmodi tanto maiorem fructum reddere possit, quanto in dictis Regno et dominiis Regis predicti omnes dissensiones cessaverint, ac pax et concordia vigebit, universos Christifideles Regni et dominiorum Regis huiusmodi incolas et habitatores, ac etiam alios extra Regnum et dominium huiusmodi Regis dominos, duces, principes, comites et barones, ac cuiuscunque alterius preminentie, dignitatis et excellentie fuerint, per viscera misericordie dñi nostri Iesu Christi, et per acerbissimam eius passionem, quam immaculatus et innocens agnus, ut nos miseros peccatores ab eterna morte redimeret, dignatus est pati,

per iudicium extremum, in quo ante eius tribunal constitutus quisque secundum opera sua mercedem suscipiet, per spem vite eterne, quam deus repromisit diligentibus se, harum serie enixe monemus atque requirimus, eis nichilominus in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandantes, ut subditi videlicet dicti Regis mutuam inter se charitatem, ac alii extra dictum Regnum aliquas dissensiones et discordias cum dicto Rege habentes pacem et concordiam, vel saltem tempore, quo expeditio predicta durabit, treugas, inducias seu belli moram, quas tenore presentium auctoritate omnipotentis dei et pro securitate tam sancte et laudabilis expeditionis indicimus, ac per Regnum et dominia Regis huiusmodi inter incolas et habitatores illorum servari volumus, observent, arma deponant, et iniuriarum ac offensionum obliti, Christi redemptoris nostri iniurias, offensiones et opprobria ulciscantur, et in hostes, qui christianorum omnium sanguinem sitiunt, ac ewangelicam lectionem delere conantur, arma sumant, nec dicta expeditione durante quovis quesito colore directe vel indirecte, palam et occulte se ac Regem predictum eiusque Regnum et dominia offedant, aut offendentibus prestent auxilium, consilium vel favorem: nos enim omnes et singulos, quos arma sumere, dictumque Regem in expeditione per se aut per suos contra Turcos et Tartaros predictos cum notabiliori exercitus sui parte existentem (turbare), et indictas per nos auctoritate omnipotentis dei inducias huiusmodi violare, et nostris mandato, monitioni, et requisitioni contravenire continget, excommunicationis sententiam, a qua nonnisi a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, preterquam in mortis articulo constituti, et debita satisfactione premissa absolvi possint, incurrere volumus eo ipso. Et ut presentes littere omnibus innotescant, et ex eis proveniant in huiusmodi sancte expeditionis favorem fructus, quos speramus, personas tres seu quatuor per eundem Regem, de consensu tamen ordinariorum locorum Regni et dominiorum suorum, qui in hoc exactissimam curam adhibere teneantur, [ad hoc] ut fraudes, abusus et alia mala et scandala, que retroactis temporibus, tempore aliarum indulgentiarum in subsidium fidei per sedem predictam concessarum, occasione malorum ministrorum evenerunt, evitentur, et obventiones huiusmodi ad alios usus non convertantur cum periculo animarum, et Christifidelium suas pias elemosinas erogantium scandalo ac malo exemplo, eligendas in dignitatibus ecclesiasticis constitutas, litterarum scientia ornatas, deum timentes, obventionum huiusmodi thezaurarios, receptores et Collectores constituimus et deputamus, ac eis per se vel alium seu alios, quibus vices suas duxerint committendas, assumendi et deputandi idoneos verbi dei predicatores clericos seculares aut cuiusvis ordinis regulares et deum timentes et huic negotio fidei affectos in numero, de quo eis videbitur, et assumptos amovendi, et alios eorum loco, quotiens eis videbitur, surrogandi, eisque et cuilibet eorum in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis late sententie pena, etiam nulla superiorum eorundem licentia requisita, iniungendi, ut concessionem indulgentiarum et facultatem eligendi confessorem huiusmodi in quibusvis locis, de quibus eisdem Commissariis et Nunciis ac ab eis substituendis videbitur et placebit, populis fideliter publicent, predicent et declarent, ac eos ad contribuendum huic sancto operi inducant et hortentur; necnon super male ablatis incertis, vel per usurariam pravitatem quesitis, et etiam bonis, que ad aliquorum manus pervenissent, et illa habentes, quibus restitui debeant, ignorant vel dubitant, quamquam male ablata per eos non existant, sed alias illa ad eos pervenerint, ac super debitis incertis personis componendi, ita ut soluta aliqua quantitate pro hoc sancto opere reliquorum male ablatorum, et per usurariam pravitatem extortorum, seu que ad eos alias pervenerunt et cui ea restitui debeant, ignorant vel dubitant, ut prefertur, absoluti existant ab ulteriori restitutione, nec ad id per locorum ordinarios aut quosvis alios cogi aut compelli possint, eis concedendi; simonie in ordinibus vel beneficiis labe polutos ad ipsum opus contribuentes a simonia huiusmodi ac censuris et penis, quas propterea incurrerint, in foro conscientie duntaxat absolvendi, et super irregularitate, si quam sententiis, censuris et penis eisdem ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias illis se immiscendo seu alias quomodolibet, preterquam homicidii voluntarii et bigamie, contraxerint, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam exinde provenientem abolendi, et ut in sic susceptis ordinibus ministrare, et sic quesita beneficia ecclesiastica, que ex tunc de novo eis collata in foro conscientie, ut premittitur, censeantur, et ut perceptos ex eis fructus retinere valeant, eis concedendi etiam in foro conscientie duntaxat, et super illis ac quibusvis aliis, etiam ex quavis alia causa male perceptis, pari modo prout supra de male ablatis incertis vel per usurariam pravitatem quesitis, ut premissum est, componendi; volentes quascumque alias indulgentias per nos, ut prefertur, suspensas predicare et publicare, aut illis quomodolibet uti, ut illas

predicent et publicent, aut eis utantur suspensione predicta durante, sub penis, sententiis et censuris ecclesiasticis inhibendi, et ad id etiam alios compellendi, et tam ipsos, si inhibitioni huiusmodi non paruerint, quam generaliter contradictores quoslibet et rebelles, ac etiam ab eis pro tempore surrogatos commissarios ad veram de per eos receptis rationem reddendam, et debitam satisfactionem faciendam, ac per executores testamentorum heredes ad exhibenda coram eis testamenta per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris opportuna remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, compescendi, ac generaliter omnia et singula in premissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, exequendi et exercendi, necnon dubia, que ex premissis oriri possent, declarandi plenam, liberam et omnimodam dicta auctoritate tenore presentium concedimus facultatem, habituri ratas et gratas censuras et penas, quas prefati Commissarii et ab eis pro tempore deputati rite tulerint in rebelles, et facturi illas, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, et generaliter quicquid per nostros commissarios et deputatos ab eis in premissis fuerit quomodolibet ordinatum, non obstantibus premissis [non modo] felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in generali concilio edita, aliisque apostolicis et in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, quodque persone beneficiate predicte primam in eisdem ecclesiis sive locis non fecerint residentiam personalem consuetam, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, etiamsi de illis servandis et litteris apostolicis contra ea non impetrandis, aut alias impetratis, seu alias quovismodo concessis non utendis dicte persone beneficiate ipsa expeditione durante non residentes per se vel procuratores suos prestiterint hactenus, vel in posterum prestare contingeret forsan iuramentum, seu si locorum ordinariis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede concessum, vel imposterum concedi contingat, quod personas ecclesiarum suarum civitatum et diocesum in dignitate, personatu, administratione vel officiis constitutas per subtractionem proventuum suorum beneficiorum ecclesiasticorum, aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, aut si prefatis ordinariis ac dilectis filiis ecclesiarum predictarum Capitulis, vel quibusvis aliis ab eadem sede sit indultum, vel medio tempore eis indulgeri contingat, quod personis ecclesiarum predictarum, etiam in dignitate, personatu, administratione vel officiis constitutis, non residentibus in eisdem fructus, redditus et proventus suorum beneficiorum ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua(?) cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, necnon quibusvis similium vel dissimilium, aut aliarum quarumcumque indulgentiarum specialibus vel generalibus suspensionibus, vel revocationibus per nos vel sedem eandem etiam quacumque causa vel ratione, etiam si pro quacumque alia expeditione contra eosdem Turcos et Tartaros christiani nominis hostes factis et faciendis, quibus omnibus, illarum omnium ac derogatoriarum in eis insertarum clausularum tenorem, etiam si de verbo ad verbum mentio fieri deberet, et in illis caveretur expresse, quod per quascumque clausulas etiam derogatorias eis non intelligeretur derogatum, pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus autem, quod omnes proventus et obventiones huiusmodi per eosdem Commissarios eidem Regi, expeditionem tamen huiusmodi actu per se vel per suos cum notabiliori exercitus parte procuranti et facienti, realiter et cum effectu tradantur et assignentur, seu per eundem Regem capiantur, et in premissum opus, et non in aliam causam omnino convertantur. Quod si quispiam secus dolum vel fraudem committere voluerit presumseritque, cuiuscumque status, gradus, ordinis, nobilitatis, excellentie et dignitatis, eciamsi Regalis et Reginalis existat, excommunicationis sentenciam incurrat eo ipso, a qua nonnisi a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, preterquam in mortis articulo constitutus, et debita satisfactione premissa, possit absolvi. Verum quia dif-

ficile foret presentes litteras ad singula queque loca, in quibus expediens foret, deferre, voluimus et dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu alicuius publici Notarii fide digni subscriptis, et sigillo alicuius ex Commissariis vel ab eis substitutis predictis, vel alicuius curie ecclesiastice seu Prelati, aut alterius persone in ecclesiastica dignitate constitute munitis eadem prorsus fides in omnibus et per omnia adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si essent exhibite vel ostense, proviso quod propter concessionem percipiendi fructus in absentia beneficia huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de ipsorum beneficiorum proventibus iuxta ordinationem ordinariorum locorum, quorum etiam conscientias super hoc oneramus, necessaria ministrentur, diligenter exerceatur et deserviatur inibi laudabiliter in divinis, et ut omnia debita cum integritate procedant. Eciam volumus, quod notarii ad scribendum literas testimoniales, que tradentur euntibus et mittentibus in huiusmodi expeditionem ac alias consequentibus indulgencias et facultatem eligendi Confessorem huiusmodi, et quascumque scripturas circa premissa necessarias probi et fideles ac ecclesiastici per dictos Commissarios deputentur, ipseque littere eorundem Commissariorum sigillis debeant sigillari, et sine sigillo huiusmodi nullius sint roboris vel momenti, ac illas tradentes ac tradi facientes et consentientes, si secus fecerint, excommunicationis sentenciam eo ipso incurrant. Nulli ergo etc. nostre requisitionis, monitionis, concessionis, elargitionis, constitutionis, ordinationis, supplicationis, mandati, indictionis, deputationis, derogationis, voluntatis, et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Tercio Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 82.

CCLXIII.

Regi Poloniae cruciata, conditione addita, ut quartam partem pecuniae ex eadem collectam Romam mittat conceditur.

Regi Polonie.

Innocentius PP. VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Expediri mandavimus bullam Cruciate, quam petiisti, et licet moris sit semperque fieri consueverit, ut tertia pars proventuum ex similibus concessionibus Cruciate percipiendorum ad Cameram apostolicam perveniant, tamen contemplatione Maiestatis tue, cuius catholicam mentem et optimam dispositionem erga nos et sanctam Romanam ecclesiam magni facimus et gratissimam habemus, de quarta tantum parte contenti fuimus, ut cognoscas nos tibi plurimum tribuere, et que pro te possumus, libenter facere. Hortamur Maiestatem tuam, velit ordinare et efficere, ut quarta huiusmodi pars et portio proventuum et reddituum omnium ex ipsa Cruciata colligendorum et percipiendorum, ad eandem Cameram apostolicam omnino perveniat, sicuti te pro tua religione et equitate facturum speramus. Datum Rome etc. die xii. Iulii mccccLxxxvi. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. II. fol. 466.

CCLXIV.

Episcopo Posnaniensi, ut quartam ex cruciata partem pro camera apostolica colligat et transmittat.

Episcopo Posnaniensi in Regno Polonie Collectori nostro.

Innocentius PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Concessimus nuper Cruciatam contra Turcos in regno Polonie, reservata quarta parte proventuum inde colligendorum Camere apostolice: itaque volumus tibique mandamus per presentes, ut per provincias et loca regni ipsius aliquos succollectores fide et facultatibus idoneos, paucos tamen numero, deputes, qui curam habeant quartam huiusmodi proventuum partem pro Camera ipsa retinendi et reservandi cum fide et diligentia, cures etiam ut expense circa hoc faciende proportionabiliter detrahantur, ne pro quarta huiusmodi parte ultra debitum ipsa Camera gravetur; ita quod ipse expense parve fiant, et annotate descripteque ad nos mittantur, quas si immoderatas reppererimus, admissuri non sumus, sed iuxta equitatem reducturi et resecaturi: Insuper solicitudine et studio uteris, ut quarta huiusmodi reddituum et proventuum pars in pecuniam numeratam redacta, per tutam aliquam viam, prout magis expedire iudicaveris, ad eandem Cameram cito perveniat, Contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum die xii. Iulii. mccccLxxxvi. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. II. fol. 466.

CCLXV.

Episcopo Revaliensi, ut xxx. fratribus ord. Praedicat. in Livonia ad ord. B. Mariae Teutonicorum transeundi det licentiam.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Revaliensi, salutem etc. Exposcit devotionis dilecti filii Iohannis Fridach de Loringhovia, ordinis beatae Mariae Theutonicorum Ierosolimitani in Livonia Magistri, sinceritas etc. Sane pro parte dicti Iohannis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum [in territorio] in dominio eiusdem Livonie, quod in partibus ultramarinis et confinibus Turcorum et scismaticorum est constitutum, omnes domus fratrum Predicatorum, que dudum antea sub regulari observantia non fuerant, per superiores dicti ordinis fratrum Predicatorum reformate fuerint, et aliqui ex fratribus in illis degentibus in eis remanserint, alii vero, qui ante reformationem huiusmodi dictas domos ingressi fuerant, tam propter senium, quam propter corporum debilitatem ab esu carnium abstinere, et sub observantie regularis institutione remanere non valentes, a dictis domibus exiverint, sive coacti fuerint quamplures exire, et totaliter vagari cogantur, in castris et fortalitiis, in quibus Milites dicti ordinis beate Marie contra Christi nominis hostes continue pugnant, se receperunt, eisdem Militibus in divinis officiis, sub habitu tamen dicti ordinis fratrum Predicatorum deservientes. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus ordo beate Marie huiusmodi insufficiens haberi non possit, magisque conveniens existat, dictos fratres ordinis Predicatorum, qui cantando et legendo horas canonicas sub eorum regula vivunt, cum fratribus dicti ordinis beate Marie coniungi, et illos sub illius habitu recipi, quam quod illi hinc inde discurrant apostatando, pro parte eiusdem Magistri nobis fuit humiliter supplicatum, ut triginta ex fratribus predictis ad dictum ordinem beate Marie transire volentibus recipiendi, illisque ad dictum ordinem beate Marie se transferendi licentiam concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, volentes tam ordinis beate Marie, quam fratrum Predicatorum indemnitati paterna caritate consulere, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, triginta ex fratribus predictis ad dictum ordinem beate Marie transire volentibus, et per ipsum Iohannem ac pro tempore existentem dicti ordinis beate Marie in Livonia Magistrum eligendis, et per te acceptandis, ut ad eundem ordinem beate Marie se transferre, ac in illo sub eius regulari habitu perpetuo remanere, dictoque Magistro, ut illos in dicto ordine beate Marie recipere libere et licite valeat, licentiam concedendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus felicis recordationis Martini PP. V. predecessoris nostri, que incipit: Viam ambitiose cupiditatis; ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, v. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. Tom. LXV. fol. 45.

CCLXVI.

Pontifex indulta Casimiri regis Poloniae ad beneficia ecclesiastica nominandi in generali revocatione non comprehensa esse declarat.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Decens reputamus et congruum, ut cum super gratiis, que a nobis presertim in favorem Catholicorum Regum et principum emanarunt, aliqua dubia insurgunt, illa dilucidemus et declaremus, ut sublatis obstaculis universis votivum et debitum consequantur effectum, illa etiam nonnunquam extendendo et ampliando, prout eorundem Regum et principum merita exposcere videntur. Dudum siquidem certis personis ecclesiastica in dignitate constitutis aliis nostris litteris nonnulla beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, tunc certo modo qualificata, usque ad certum numerum tunc expressum in singulis sex Cathedralibus ecclesiis regni Polonie reservandi, et illa personis idoneis per Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum eiusdem regni Regem Illustrem nominandis conferendi, adiectis ad id diversis clausulis, facultatibus, prerogativis et antelationibus, plenam et liberam motu proprio licentiam concessimus et facultatem, prout in nostris inde confectis litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Et deinde nos, certis rationabilibus suadentibus causis, omnes speciales reservationes et reservandi facultates et mandata, non tamen facultates reservandi et providendi nominandis capellanis et dilectis singulorum Regum et principum in genere concessas, revocavimus, cassavimus et irritavimus. Cum autem, sicut accepimus a nonnullis, plusquam oporteat sapere satagentibus, asseratur, facultatem huiusmodi revocatam fuisse, nos ad omnem ambiguitatis du-

bium semovendum motu simili, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia facultatem concessam huiusmodi sub dicta revocatione nequaquam comprehensam fuisse, nec sub quacunque alia, quam imposterum a nobis etiam sub quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis, ex quacunque causa emanari contingeret, comprehendi, sed semper ab illis in mente nostra specialiter et expresse exceptam fuisse, auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, decernentes sic per quoscunque Iudices et Commissarios, etiam causarum palatii apostolici Auditores, in quacunque instantia, sublata eis et cuilibet eorum quavis alia interpretandi facultate, sententiari, diffiniri et iudicari debere, irritum quoque, prout est, et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attemptari. Et nichilominus litteris predictis cum reservandi, inhibendi facultatibus, prerogativis, antelationibus, decretis et declarationibus, omnibusque et singulis aliis in eis contentis clausulis ad dilectum filium Andream Rosa, Prepositum ecclesie beate Marie Lanciciensis Gneznensis diocesis, per eundem Regem ad nos nuper Oratorem destinatum, et per ipsum Regem ultra nominationes per eum vigore dictarum litterarum factas vel faciendas imposterum nominandum in una ex ecclesiis, in quibus nominari potest ad beneficia in eisdem litteris comprehensa et qualificata, que etiam nos exnunc prout extunc nostre et sedis apostolice collationi et dispositioni ad effectum huiusmodi specialiter et expresse reservamus, motu et scientia similibus extendimus pariter et ampliamus, volentes et concedentes, quod dilectus filius Prepositus Collegiate eiusdem beate Marie Kyelciensis Cracoviensis diocesis ad executionem dictarum litterarum, quo ad prefatum Andream, alias in omnibus et per omnia iuxta illarum continentiam et tenorem procedere possit et debeat, perinde ac si etiam predicto Andree specialiter et expresse concesse, et eidem Preposito ecclesie predicte Kielciensis a principio directe fuissent et dirigerentur, quodque littere predicte etiam cum omnibus et singulis prerogativis, antelationibus, decretis, declarationibus, omnibusque et singulis aliis clausulis predictis eidem Andree Rosa etiam in omnibus et per omnia suffragentur, perinde ac si etiam a principio pro eo, ut prefertur, concesse fuissent, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, que in singulis litteris predictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre declarationis, constitutionis, extensionis, ampliationis, voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXXVIII. Sexto Kal. Aprilis. Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. V. fol. 161.

CCLXVII.

Episcopo Cracoviensi, ut Andream canonicum Cracoviensem in pacificam canonicatus possessionem, amoto intruso, inducat.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Vacante alias Canonicatu et prebenda ecclesie tue Cracoviensis per obitum quondam Stanislai de Palensie, familiaris olim bone memorie Cardinalis Mantuani, nos de dictis Canonicatu et prebenda sic vacantibus, et nostre ac sedis apostolice dispositioni dumtaxat pro ea vice reservatis, dilecto filio Andree Petri de Crosezioze, familiari nostro continuo commensali, apostolica auctoritate providimus, prout in aliis nostris sub plumbo desuper editis litteris plenius continetur. Nuper autem accepimus, quod licet huiusmodi littere debite intimate et presentate fuerint, tamen ad possessionem dictorum Canonicatus et prebende admissus non fuit, (impediente) quodam Iohanne Poddlofschy, qui illos detinet indebite occupatos, et regie Maiestati suggeri curavit, quod idem Andreas consensit pensioni desuper auctoritate nostra assignate, licet id a veritate sit alienum, nulla enim pensio desuper constituta reperiatur. Desyderantes itaque provisionem huiusmodi nostram in familiarem, nobis ob merita sua dilectum, factam debito effectui demandari, fraternitatem tuam hortamur in domino, eique in virtute sancte obedientie expresse precipiendo mandamus, quatanus pro nostra et huius sancte sedis reverentia et honore eundem Andream familiarem nostrum, sive eius procuratorem pro eo ad liberam, pacificam et expeditam dictorum Canonicatus et prebende possessionem, amoto iam dicto Iohanne et quolibet alio illicito detentore, admittas, ac admitti et recipi facias iuxta earundem litterarum nostrarum seriem et tenorem: quod erit iustum et officio tuo conveniens, qui tanquam catholicus Prelatus provisiones apostolicas legitime et canonice factas confovere debes, et nobis vero admodum gratum. Datum Rome die III. Maii MCCCCLXXXVIII. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 23.

CCLXVIII.

Simon episcopus Revaliensis nuntius apostolicus ad Casimirum regem et proceres Poloniae mittitur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Symoni Episcopo Revaliensi, ad Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Polonie regem Illustrem eiusque principatus, dominia et loca circumvicina nostro et apostolice sedis nuntio et oratori, salutem etc. Pro humani generis redemptione de summis celorum ad yma mundi descendens unigenitus dei filius Ihesus Christus, ac mortem subiens temporalem, ne gregem sui precio sanguinis redemptum ascensurus post resurrectionem eius ad patrem absque pastore desereret, ipsius curam beato Petro apostolo, ut sue stabilitate fidei ceteros in christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sue accenderet devotionis ardore, commisit: unde nos licet immeriti eiusdem apostoli, disponente domino, successores effecti, et ipsius redemptoris locum quamquam indigni tenentes in terris, circa gregis eiusdem custodiam, ne lupus rapax obrepat, illumque sua versutia ac dolo et fraude dissolvat, nec non a rectitudinis tramite devium comprimat, solicitis vacare vigiliis, et animarum saluti iugis attentione cogitationis intendere, submovendo noxia et augendo profutura, sebemus, ut excusso a nobis negligentie sompno, nostrique cordis oculis sedula diligentia vigilantibus animas deo lucrifacere, ac reipublice christiane utilitati et defensioni providere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Sane cum nobis et Romane ecclesie tam pro fidei catholice, quam ordinis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, terrarumque ac locorum, in quibus ordo ipse viget, a Ruthenis et aliis dcismaticis, terris et locis predictis finitimis, defensione et manutentione nonnulla ardua incumbant negotia, cum consilio, auxilio, presidio et favore Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie regis, aliorumque fidelium regni et principatuum predictorum, ac prelatorum et principum per loca et dominia predicta consistentium peragenda, expediatque omnia cum eisdem Rege, prelatis et principibus, quorum opera in hiis plurimum necessaria fore noscuntur, pertractare: Nos, qui ante omnia dei honorem, fidei catholice defensionem et exaltationem, ac communem totius populi christiani salutem et quietem concernentia supremis desideramus affectibus, cum per nos ipsos ad premissa peragenda progredi non valeamus, eius salvatoris exemplo per alium hoc implendum fore censentes, te, quem in magnis experti sumus, et quem probitate, fidelitate, scientia, morum elegantia et consilii maturitate aliisque pluribus virtutum meritis novimus insignitum, pro laude omnipotentis dei et sedis apostolice ac nostro honore, necnon terrarum et locorum dicti ordinis ab ipsis scismaticis defensione, ac communi christiani populi salute ad huiusmodi necessitates declarandas ad prefatos Regem, prelatos, principes eiusque regni principatus, dominia et loca circumvicina nostrum et sedis predicte Nuntium et Oratorem destinamus. Tu igitur onus hoc pro dei honore et nostro, ac sedis predicte reverentia prompta devotione suscipiens, iuxta exquisitam tibi a domino datam prudentiam rebus in discrimine positis providere et oportune consulere, ac facere et exequi non differas, que necessaria fore et expedire cognoveris. Nos autem, ut fructus, quos inde futuros expectamus, quantotius eveniant, tibi omnes et singulas differentias tam inter Regem et principes prefatos et adherentes hinc inde, quam quosvis alios, quacunque ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, subortas, et que forsan suboriri poterunt, audiendi illasque sedandi et quietandi, necnon quosvis pacis tractatus et confederationes inter quoscunque Reges et principes et adherentes ineundi, et si oportunum tibi visum fuerit, treugas ad tempus vel tempora, de quo vel quibus inter se concordaverint, indicendi, ac huiusmodi pacem, si ad illam tua accurata solicitudine induci poterunt, vel treugas ipsas etiam cum censurarum aggravatione observari faciendi et mandandi, et tam eosdem, quam omnes et singulos Catholicos principes et populos, ut adversus eosdem Ruthenos et scismaticos pro defensione fidei, pro salute patrie et propria, ac aliorum christianorum tuitione se ardenter opponant, eorumque reprobos conatus reprimere studeant, excitandi, omniaque alia et singula circa premissa necessaria quomodolibet et oportuna faciendi, statuendi et ordinandi plenam et liberam harum serie facultatem, licentiam pariter et potestatem concedimus et elargimur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus iniunctum tibi ministerium oneris huiusmodi devote suscipiens, pro nostra et sedis predicte reverentia et tam pii operis actione sic illud utiliter, provide et solerter plenis exequaris affectibus, quod ex tuis laboribus, divina tibi favente gratia, sperati fructus adveniant, tuque nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Nos enim sententias, quas rite tuleris, atque alias penas, quas statueris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad

satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Nos enim omnia et singula, que per te cum eisdem Rege, prelatis et principibus, aut eorum aliquo tractata et conclusa fuerint, rata et grata habebimus et curabimus, auctore domino, firmiter adimplere. Et ut tibi commissa facilius adimplere valeas, ipsos Reges et principes hortamur atque attente rogamus in domino, Archiepiscopis vero, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis et ordinum quorumcunque Prioribus, Preceptoribus, Magistris et Ministris exemptis et non exemptis, Capitulis et Conventibus, atque eorum loca tenentibus, per Regnum, principatus, dominia et loca circumvicina huiusmodi consistentibus in virtute sancte obedientie districte precipimus, ut tibi et deputandis a te circa premissa, quotiens ipsos requiri contigerit, faveant et assistant, ut exinde eis perhennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXXVIII. duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secr. Tom. V. fol. 91.

CCLXIX.

Idem episcopus nuntius apostolicus ad regem Daciae et in Svetiam, Norvegiam, Prussiam, Livoniam et Lithuaniam mittitur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Symoni Episcopo Revaliensi, ad Carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Dacie Regem Illustrem eiusque regna et dominia, ac Pruszìam, Livoniam, Lytwaniam, Swetiam, Norwegiam, civitates opidaque stagnalia et loca circumvicina nostro et apostolice sedis cum plena potestate legati de latere Nuntio et Oratori, salutem etc. Pro humani generis redemptione etc. Sane cum nobis et Romane ecclesie tam pro fidei catholice, quam ordinis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, terrarumque ac locorum, in quibus ordo ipse viget, a Ruthenis et aliis scismaticis, terris et locis predictis finitimis, defensione et manutentione nonnulla ardua incumbant negotia, cum consilio, auxilio, presidio et favore Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Datie Regis Illustris, aliorumque fidelium regnorum et dominiorum suorum, ac prelatorum et principum per regna et dominia predicta, Pruszìam, Livoniam, Lytwaniam, Swetiam, Norwegiam, civitates opidaque stagnalia et loca circumvicina consistentium peragenda, expediatque omnia cum eisdem Rege, prelatis et principibus, quorum opera in hiis plurimum necessaria fore noscuntur, pertractare: Nos, qui etc. ut supra, mutatis mutandis, usque ad adimplere. Et ut tibi commissa facilius adimplere valeas, Reges et principes prefatos hortamur atque attente rogamus in domino, Archiepiscopis vero Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis, et ordinum quorumcumque Prioribus, Preceptoribus, Magistris et Ministris exemptis et non exemptis, Capitulis et Conventibus, ac eorum locatenentibus per regna, dominia, Pruszìam, Livoniam, Litwaniam, Swetiam, Norwegiam, civitates opidaque stangnalia et loca circumvicina huiusmodi consistentibus in virtute sancte obedientie districte precipimus, ut tibi et deputandis a te circa premissa, quotiens ipsos requiri contigerit, faveant et assistant, ut exinde eis perhennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice MCCCCLXXXVIII. duodecimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. V. fol. 93.

CCLXX.

Regi Polouiae et marchioni Brandeburgensi, ut exsecutori cuiusdam senteutiae contra episcopum Caminensem et alios pro fratribus de Binis mercatoribus Florentinis latae faveant.

Kazimiro Polonie Regi Illustri.

Innocentius PP. VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum alias, ut accepimus, Venerabilis frater Benedictus de Valdesten Epus Caminensis, et dilectus filius Franciscus de Monte Sabutis, ordinis Minorum professor, principales, et nonnulle alie persone tam ecclesiastice, quam seculares eorum fideiussores et principales debitores dilectorum filiorum Francisci et Bernardi de Binis, mercatorum Florentinorum Romanam Curiam sequentium, in certa pecuniarum summa ex certis litteris cautionis dictis mercatoribus obligati essent, prout in publicis instrumentis desuper confectis didicitur plenius contineri: Venerabilis frater Petrus de Vincentio Episcopus Cesenatensis, Curie causarum Camere apostolice generalis Auditor, Benedictum Episcopum et Franciscum principales, ac alios fideiussores predictos ad dandam dictis mercatoribus prefatam pecuniarum summam sub excommunica-

tionis sententia condemnavit, et non obedientes postea excommunicavit, ac illis in excommunicationis sententia huiusmodi in ipsorum animarum perniciem animo indurato persistentibus, eos omnes et singulos excommunicatos aggravari et reaggravari, ac fructus bonorum suorum ecclesiasticorum sequestrari, et nisi infra certum tunc expressum terminum prefatis mercatoribus satisfecissent, fructus prefatos distrahi, et ex eorum pretio ipsis mercatoribus satisfieri mandavit, prout in processibus prefati Auditoris plenius dicitur apparere. Nos igitur attendentes, quod tanta contumacia et ecclesiasticarum censurarum contemptus mali exempli fomenta existunt, eorundem mercatorum iustis in hac parte nobis porrectis supplicationibus inclinati, Serenitatem tuam hortamur in domino, et attente requirimus, velit pro sua equitate et iustitie debito efficere, ut processus predicti, ac omnia et singula in eis contenta executioni demandentur, ac favere et assistere, quod dilectus filius Marcus Antonius de Sancto Miniate, clericus Lucane diocesis, dictorum mercatorum procurator, commoditatem habeat ad exequendum in dictis processibus contenta, et alia pro dictis mercatoribus peragenda, ita quod commissas sibi procurationes perficere valeat, quod erit iustum, et nobis admodum gratum. Dat. Rome etc. die ultima Maii MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto. Simile Iohanni Marchioni Brandeburgensi.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 112.

CCLXXI.

Pontifex, rege Poloniae petente, concedit, ut in plumbi fodinis territorrii Illusch Cracov. dioec. diebus dominicis et festivis, exceptis maioribus solemnitatibus, aqua extrahi, et alio modo laborari possit.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis consueta benignitas singulorum fidelium necessitates provida discretione ponderans, rigorem iuris interdum mansuetudine temperat, precipue dum catholicorum Regum id exposcit devotio, et pro eorundem fidelium commoditatibus id salubriter expedire cognoscit. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in territorio opidi de Illusch Cracoviensis diocesis sunt multe plumbi fodine, a quibus, ut plumbum haberi possit, necesse est, ut aqua continue non sine magnis laboribus extrahatur, et si contingat per unum diem ab extractione aque et evacuatione fodinarum huiusmodi cessare, fodine ipse aqua adeo replentur, quod absque magnis laboribus et expensis evacuari non possunt, in maximum damnum et detrimentum illorum, qui circa fodinas huiusmodi laborant. Verum si statueretur et ordinaretur, quod aqua huiusmodi dominicis et aliis festivis diebus extrahi, et alias in huiusmodi opere laborari posset, profecto eorum, qui fodinas huiusmodi pro tempore tenerent, vel in eis laborarent, ac etiam reipublice commodo et utilitati non parum consuleretur. Quare pro parte Kazimiri Regis prefati nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod fodinas predictas pro tempore tenentibus, et in illis laborantibus aquam huiusmodi dominicis et aliis festivis diebus absque alicuius pene vel censure ecclesiastice incursu extrahere, et alios necessarios labores inibi perficere liceat, statuere et ordinare, ac alias super hoc oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus liceat dictas fodinas pro tempore tenentibus, et in illis laborantibus aquam ex illis dominicis et aliis festivis diebus, preterquam in maioribus solemnitatibus, absque aliquarum penarum vel censurarum ecclesiasticarum tam a iure, quam ab homine latarum incursu extrahere et alios necessarios labores inibi perficere, Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod tenentes pro tempore fodinas prefatas ex lucro, quod diebus dominicis et festivis huiusmodi ipsis exinde provenerit, congruam portionem circumvicinis ecclesiis et Christi pauperibus facere teneantur. Nulli ergo etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXXVIII. Tertio Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. X. Secret. Tom. V. fol. 311.

CCLXXII.

Andreae canonico Vladislaviensi et Ioanni de Opporom, Bononiae studentibus, ut ad sacros ordines promoveri possint.

Andree Canonico Wladislaviensi et Iohanni de Opporom fratribus germanis Bononie studentibus.

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecistis, ut cum tu, Iohannes, ad minores, et tu, Andreas, ad sacros et presbiteratus ordines promoveri desideretis, digna-

remur paterna benignitate licentiam vobis desuper impartiri. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, ut tu, Andreas, ad omnes et sacros et presbiteratus, tu vero, Iohannes, ad minores ordines inclusive a quocunque malueritis catholico antistite, gratiam et communionem apostolice sedis habente, Bononie vel alibi residente, aliquibus diebus dominicis vel festivis, et extra tempora a iure statuta simul vel successive vos promoveri facere, dummodo ad id reperiamini idonei, et aliud canonicum non obsistat, super quo vestram et ipsius antistitis conscientiam oneramus, libere et licite possitis et valeatis, vobis licentiam concedimus, et eidem antistiti dictos ordines vobis conferendi facultatem elargimur, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Dat. Rome etc. die XI. Augusti MCCCCLXXXVIII. Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 422.

CCLXXIII.

Ioanni Zanega clerico Gnesnensis dioecesis tempus sacros ordines recipiendi prorogatur.

Iohanni Zanega Rectori parrochialis ecclesie in Thabyeschovicze Gneznensis diocesis.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, ut cum tu, qui servitiis dilecti filii Raphaelis de Lesno Capitanei Lanciciensis continue insistis, non possis in presentia cum animi tui quiete ad sacros ordines, quemadmodum ratione parrochialis ecclesie in Thabyeschovicze Gneznensis diocesis, quam obtines, arctaris, te promoveri facere, dignaremur tibi desuper oportuno adesse remedio. Nos tuis huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ratione dicte parrochialis aut cuius alterius beneficii ecclesiastici sacros ordines requirentis, per te forsan in posterum assequendi, ad biennium a data presentium computandum te promoveri facere minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam quavis auctoritate cogi aut compelli possis, nec propterea dicta ecclesia et beneficia vacare censeantur, tecum de speciali gratia dispensamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis statutis et decretis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die XI. Augusti MCCCCLXXXVIII. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 422.

CCLXXIV.

Decano ecclesiae Pragensis, ut ea indulta, quae Casimiro regi Poloniae de conferendis quibusdam beneficiis concessa sint, pro Wladislao rege in regno Bohemiae exsequi possit.

Decano ecclesie Pragensis.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Dudum Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Polonie Regi Illustri nominandi certum numerum personarum ad beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, tunc certo modo qualificata, vacatura, et certis personis in ecclesiastica dignitate constitutis illa reservandi, et personis sic nominandis conferendi sub certis modis et formis, ac cum certis clausulis et prerogativis et antelationibus motu proprio concessimus facultatem per quasdam primo, et deinde facultatem et litteras predictas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, prerogativis et antelationibus ad quatuor alias personas ecclesiasticas, quas Carissimus in Christo filius noster Wladislaus Bohemie Rex Illustris simul vel successive duceret nominandas, ac ad dilectum filium Georgium Haller presbiterum Ratisponensis diocesis, quem similiter ipse Wladislaus Rex posset nominare ad beneficia cum cura vel sine cura, in dictis litteris qualificata, in expressis iam in illis, vel aliis Cathedralibus et Metropolitanis et Collegiatis, aut aliis secularibus et regularibus ecclesiis per ipsum Wladislaum Regem eligendis, motu simili et ex certa sciencia per alias litteras nostras extendimus pariter et ampliavimus, prout in singulis litteris predictis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, iudices in prioribus litteris predictis deputati longe distent a locis, in quibus idem Wladislaus Rex moram trahit: Nos volentes desuper oportune providere, supplicationibus in hac parte nobis porrectis inclinati, tibi per presentes mandamus, ut ad executionem singularum litterarum predictarum alias in omnibus et per omnia, illarum forma servata, procedas, perinde ac si tibi a principio directe fuissent et dirigerentur, Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, que in singulis litteris predictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die XI. Augusti MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 424.

CCLXXV.

Ioanni Keselyng laico dioec. Cracoviensis indulgetur, ut loca terrae sanctae visitare possit.

Dilecto filio Iohanni Keselyng laico Cracoviensis diocesis.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, ut cum tu zelo devotionis accensus desyderes dominicum sepulchrum et alia pia loca ultramarina visitare, dignaremur paterna benignitate tibi licentiam desuper impartiri. Nos tuis huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut una cum tribus sociis seu familiaribus tuis, quos duxeris eligendos, dominicum et sancte Katherine in monte Sinay sepulchra, ac alia oratoria et pia loca ultramarina visitare, illaque, sine quibus peregrinationes huiusmodi commode adimplere non posses, dummodo a iure prohibita non sint, tecum deferre, ac etiam exhibere libere possis et valeas, tenore presentium concedimus et indulgemus, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die xii. Augusti mccccLxxxviii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. III. fol. 434.

CCLXXVI.

Frederico electo Cracoviensi, ut una cum capitulo alternis mensibus beneficia ecclesiastica conferre possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Frederico ex Regibus Polonie Electo Cracoviensi, salutem etc. Exigunt tue devotionis merita, ut personam tuam singularibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus et prebendis, nec non aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus vel regularibus, ad tuam, tu solus, necnon ad tuam et dilectorum filiorum Capituli Cracoviensis collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter pertinentibus, que, quandiu eidem ecclesie prefueris, in singulis Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contigerit, etiam si presentationes, nominationes vel electiones aliorum, que salve sint, in talibus procedere consueverint, cum eisdem Capitulo, proinde ac si alique a sede apostolica aut eius legatis gratie expectative, aut super illis reservationes, nominationes et indulta non emanassent vel existerent, dummodo dignitates, personatus, administrationes, officia, Canonicatus et prebende ac alia beneficia huiusmodi dispositioni apostolice generaliter reservata, seu ex aliqua apostolica reservatione affecta non fuerint, libere disponendi facultatem concedimus per presentes, ita tamen quod alia, quam prefatis et aliis ecclesiasticis personis super conferendis beneficiis ecclesiasticis in certis mensibus tunc expressis generaliter concessimus facultatem, tu et prefati Capitulum deinceps non utamini: Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mccccLxxxviii. Sexto Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. V. fol. 317.

CCLXXVII.

Gregorio Lubransky praeposito S. Floriani in Cleparz, Vicecancellario regni, altare portatile etc. conceditur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Gregorio Lubransky Preposito ecclesie sancti Floriani in Cleparz extra muros Cracovienses, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, et per quas, sicut pie desideras, conscientie pacem et anime salutem, deo propitio, consequi valeas, ac divinis officiis intentus existas, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos devotis tuis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi, qui, ut asseris, Regni Polonie Vicecancellarius existis, habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, et etiam inter scismaticos, paganos et Iudeos, et in eorum locis, quotiens te in illis sequendo Carm̄um in Christo fil. n. Kazimirum eiusdem Polonie Regem Illustrem esse contigerit, sine iuris alicuius preiudicio, et cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, ita quod id tibi nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam non valeat imputari, et parce huiusmodi concessione celebrandi et celebrari faciendi ante diem utaris, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius Ihesus Christus,

qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce, et si ad loca quoque ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita te declinare contigerit, in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce possis per te ipsum et proprium, vel alium sacerdotem idoneum missam et alia divina officia in tua et familiarium tuorum domesticorum ac amicorum et aliorum advenientium presentia celebrare et facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici; et insuper ut aliquem presbiterum secularem vel religiosum in tuum possis eligere confessorem, qui vita tibi comite in casibus sedi apostolice reservatis, contentis in bulla, que in die Cene domini publicari consuevit, duntaxat exceptis, bis in vita et in mortis articulo, quotiens de illo dubitabitur, etiam si non subsequatur, in aliis vero quotiens fuerit oportunum, confessione tua diligenter audita, pro commissis tibi debitam absolutionem impendat, et iniungat penitentiam salutarem, quodque idem vel alter confessor idoneus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, etiam semel in vita et in eodem mortis articulo, vel quotiens de illo dubitabitur, ut prefertur, plenariam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostris vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere, et vota quecunque per te pro tempore emissa, ultramarino, visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella, continentie et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeat, quodque visitando aliqua altaria per dictum confessorem deputanda aut per te eligenda, et ante illa quinquies orationem dominicam et totiens salutationem angelicam devote dicendo, quotiens id feceris, omnes et singulas illas indulgentias et peccatorum remissiones consequaris, quas consequereris, si ecclesias et basilicas dicte Urbis et extra eam, in quibus stationes celebrantur et alie indulgentie huiusmodi sunt concesse, diebus, quibus ille concesse fuerint, visitares, ac omnia alia faceres, que ad consecutionem indulgentiarum huiusmodi quomodolibet requiruntur, devotioni tue tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis suspensionibus et limitationibus similium concessionum, indulgentiarum et facultatum per nos et sedem predictam, etiam cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, et ex quacunque causa pro tempore factis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostri indulti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXVIII. Sexto Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. V. fol. 321.

CCLXXVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut Nicolaum Czepel canonicum in pacificam possessionem canonicatus, amotis intrusis, inducat.

Archiepiscopo Gneznensi.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Pro parte dilecti filii Nicolai Czepel Canonici Gneznensis, decretorum doctoris, cubicularii nostri, fuit nobis nuper expositum, quod cum alias lite in Romana curia coram Venerabili fratre Antonio Episcopo Tyburtino, locum unius ex palatii apostolici causarum auditoribus de mandato nostro tenente, inter dictum Nicolaum et quondam Albertum de Pyotrawyn, tunc in humanis agentem, ac dilectos filios Nicolaum de Lathowicz et Iohannem de Crothoschmo, necnon Andream Petri de Crestzyze, qui se gerunt pro clericis, super certis Canonicatu et prebenda ecclesie vestre Gneznensis indecisa pendente, dictus Albertus, tunc in possessione eorundem Canonicatus et prebende existens, apud sedem apostolicam fuisset vita functus, dilectus filius Stanislaus Gruszynsky, qui se gerit pro clerico, in eisdem Canonicatu et prebenda, super quibus minime litigabat, se intrusit. Et deinde dictus Nicolaus Czepel contra Nicolaum de Lathowicz et Iohannem ac Andream prefatos litigando diffinitivam pro se, et contra Nicolaum de Lathowicz ac Iohannem et Audream predictos, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, sententiam reportavit, litteris executorialibus desuper in forma solita decretis, et licet littere ipse tam vobis, et forsan eidem Stanislao intimate fuerint, vosque illarum vigore pro parte ipsius Nicolai Czepel fueritis debite requisiti, ut ipsum vel procuratorem suum eius nomine ad possessionem dictorum Canonicatus et prebende admitteretis, sibique de illorum fructibus responderetis, et eundem Stanislaum a possessione huiusmodi amoveretis, nichilominus sumpta per vos occasione, quod dicta sententia contra eundem Stanislaum lata et littere ipse contra eum nominatim decrete non fuerint, quamvis contra Nicolaum de Lathowicz, Io-

hannem et Andream predictos, ac etiam intrusos et intrudendos in genere decrete extiterint, id facere hactenus indebite recusastis et recusatis, in eiusdem Nicolai Czepel damnum et preiudicium non modicum, de qua re profecto non parum miramur, cum id in contemptum sedis apostolice et eius mandatorum factum fuisse negari non possit. Quocirca discretioni vestre in virtute sancte obedientie, et sub interdicti ab ingressu ecclesie, ac excommunicationis in singulos vestrum censuris et penis, quas nisi mandatis huiusmodi nostris cum effectu parueritis, vos et vestrum singulos eo ipso decernimus incurrisse, districte precipiendo mandamus, quatenus receptis presentibus eundem Nicolaum Czepel vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dictorum Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum suorum universorum iuxta tenorem dictarum litterarum executorialium inducatis, et defendatis inductum, dictumque Stanislaum et quemlibet alium eorundem Canonicatus et prebende detentorem seu occupatorem, si quis fuerit, ab illis realiter et cum effectu amoveatis, ac eidem Nicolao Czepel vel eius procuratori de dictorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre respondeatis, et quantum in vobis fuerit, faciatis ab aliis responderi, Non obstantibus premissis ac Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque, consuetudinibus et privilegiis dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, necnon quibusvis appellationibus forsan a premissis interponendis, quas pro nullis et frivolis reputamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die XXVIII. Augusti MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 468.

CCLXXIX.

Laurentio canonico Posnaniensi, ut causam inter cantorem ecclesiae Pragensis et Bartholomaeum de Vidava vertentem componat.

Laurentio Gredzynbry Canonico Posnaniensi.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Dabregostii Crzyzansvosky, Cantoris ecclesie Pragensis, petitio continebat, quod cum ipse vigore certi monitorii coram Venerabili fratre Episcopo Cesenatensi, Curie causarum Camere apostolice moderno Auditore, ad instantiam dilecti filii Bartholomei de Vidava tractus fuerit in causam, idem Bartholomeus absolutoriam pro se et contra eundem Dabregostium cum expensarum condempnatione sententiam reportavit, que in rem transivit iudicatam, litteris executorialibus desuper decretis, ob quarum non paritionem ipse Dabregostius declaratus, et successive aggravatus et reaggravatus ac interdictus fuit. Proinde cum idem Dabregostius cupiat cum dicto Bartholomeo super premissis amicabiliter componere, et ab huiusmodi censuris dicta occasione per eum incursis absolvi, nobis, ut sibi desuper adesse et oportune providere de benignitate apostolica dignaremur, humiliter supplicari curavit. Quare nos, qui discordias et lites omnes e medio tolli, et unumquemque in mutua caritate et benivolentia vivere cupimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi harum serie committimus et mandamus, quatenus ipsum Dabregostium, postquam cum dicto Bartholomeo super premissis amicabiliter composuerit, ab huiusmodi censuris de consensu dicti Bartholomei, recepto tamen prius ab eodem iuramento de parendo mandatis sancte matris ecclesie, iniunctaque eidem pro modo culpe penitentia salutari, absolvas ac fidelium participationi restituas, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Rome etc. die III. Septembris MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. III. fol. 487.

CCLXXX.

Duobus clericis canonicatus et protonotariatus confertur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Eius precibus annuens confert Iacobo de Saleszyc clerico Gueznensi, in Artibus et Medicina Magistro, de nobili genere ex utroque parente procreato, suo familiari et continuo commensali, canonicatum in ecclesia Plocensi. Datum Rome apud S. Petrum etc. MCCCCLXXXVIII. v. Idus Iulii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Bernardo Lubransky Canonico Cracoviensi, salutem etc. Recipit eum, qui Iohannis Lubransky frater existit, in Referendarium et S. Sedis prothonotarium. Datum Rome apud S. Petrum etc. MCCCCLXXXVIII. VI. Kal. Septembris. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. V. fol. 130 et 318.

CCLXXXI.

Iudicibus, ut Ioannem Runow presbiterum Vladislaviensem a reatu homicidii absolvant et rehabilitent.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Nucerino et Wladislaviensi ac Warmiensi necnon Caminensi Episcopis, salutem etc. Solet apostolice sedis copiosa benignitas recurrentium ad eam post excessum cum humilitate filiorum statui libenter consulere, eosque gratioso favore prosequi, quos ad id alias propria virtutum merita laudabiliter recommendant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Runow presbiteri Wladislaviensis diocesis petitio continebat, quod cum ipse olim quadam die quondam Nicolao Richenbach laico dicte diocesis sororio suo, cui quamdam pecunie quantitatem, non tamen restitutam, mutuo concesserat, certam aliam pecunie quantitatem sibi etiam mutuo concedi petenti denegasset, dictus Nicolaus id egre ferens, quadam alia die nescitur quo nisi maligno spiritu ductus, dum dictum Iohannem ad cenandum cum ipso invitatum haberet, ipsum in quadam camera, stuba nuncupata, domus sue cum una amphora stannea hec verba proferendo: Adhuc feram te Romam et diu non vives; percutere comminatus fuit, et peracta cena ipse Nicolaus constitutus apud quosdam dicte camere, ne dictus Iohannes inde discederet, eum cum dicta amphora in faciem enormiter etiam usque ad sanguinis effusionem percussit et vulneravit, et deinde mensam, super qua cenam fecerant, in pectus suum evertit, que sentiens prefatus Iohannes et considerans se dicto Nicolao viribus debiliorem fore, ac dubitans dictam cameram exire et mortem sibi, ut apparuit, comminatam evadere non posse, furore accensus se defendendo et vim vi repellendo, dictum Nicolaum cum quodam cultello, quo ad scindendum panem interdum usus fuerat, non tamen animo eum interficiendi adeo percussit et vulneravit, quod ex huiusmodi percussionibus et vulnerationibus prefatus Nicolaus, sicut domino placuit, expiravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Iohannes eundem Nicolaum tamquam sororium suum dilexerit et nullam aliam inimicitiam cum eo habuerit, et ab omnibus sibi in gradu proximioribus eiusque universalibus heredibus veniam reportaverit, ac de morte ipsius Nicolai ab intimis doleat, cupiatque pro illius ac aliorum fidelium animarum salute in omnibus per eum susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio, preces altissimo effundere, pro parte ipsius Iohannis asserentis, quod si ipse furori, quo tunc enim dictus quondam Nicolaus apparuit accensus, primisque motibus et verberibus suis non restitisset, sed verbera tolerasset et se cum dicto cultello ex improviso non defendisset, forsan dictus quondam Nicolaus a verberibus et iniuriis ulterioribus desiisset, quodque ipse Iohannes unam ad sancti Bartholomei in beate Marie Dantzk, et aliam ad eiusdem beate Marie in sancti Nicolai Elwingk opidorum parrochialibus ecclesiis predicti et Warmiensis diocesum sita altaria perpetuas sine cura capellanias, Elemosinarias nuncupatas, que de iurepatronatus laicorum existunt, et quarum insimul fructus, redditus et proventus duarum marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, obtinet, quodque vigorem quarumdam litterarum penitentiarie nostre in foro conscientie dumtaxat declaratum fuit, ipsum propter premissa nullam irregularitatem incurrisse, ac in omnibus per eum susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare posse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum a reatu homicidii huiusmodi, si quod incurrit, absolvere ac secum super irregularitate, quam propterea contraxit, dispensare, aliasque sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod prefate sedis clementia recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis sue pietatis gremium favorabiliter aperire, et eorum statui multipliciter, prout expedire conspicit, providere consuevit, ipsumque Iohannem apud nos alias de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, tres aut duo vel unus vestrum, constito vobis vel alicui vestrum per proprium iuramentum eiusdem Iohannis in manibus vestris vel alicuius vestrum prestandum de metu mortis huiusmodi, eundem Iohannem, si id humiliter petierit, a reatu homicidii huiusmodi auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvatis in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, necnon secum super irregularitate, quam propterea contraxit, quodque in omnibus per eum susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, ac missas et alia divina officia ubicunque locorum, prout ad ordinem presbiteratus spectat et pertinet, absque alicuius improperio, perturbatione vel impedimento celebrare, necnon quecunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, se invicem et cum predictis capellaniis

compatientia, etiam si canonicatus et prebende, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesiis fuerint, et ad personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut ipse eligatur, presentetur vel alias assumatur ad illa et instituatur in eis, recipere, et ea et dictas capellanias retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens sibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque se invicem, ut prefertur, compatientia similiter recipere et retinere libere et licite valeat, eadem auctoritate dispensetis, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam per dictum Iohannem occasione premissa contractam aboleatis. Nos enim, si absolutionem, dispensationem et abolitionem predictas per vos vel aliquem vestrum vigore presentium fieri contigerit, quibusvis iudicibus ecclesiasticis vel secularibus quacunque auctoritate fungentibus, ac aliis personis tam spiritualibus quam secularibus, cuiuscunque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, districtius inhibemus, ne eundem Iohannem premissorum occasione corrigere, punire, molestare vel impedire, aut ab ipso emendam aliquam exigere quoquomodo presumant, decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac vobis et cuilibet vestrum, mandantes, quatenus eidem Iohanni in premissis efficacis defensionis presidio assistentes per vos vel alium seu alios, quotiens opus fuerit, et pro parte dicti Iohannis fueritis requisiti, faciatis eundem Iohannem pacifica possessione vel quasi absolutionis, dispensationis, rehabilitationis et celebrationis missarum et aliorum officiorum huiusmodi gaudere, non permittentes eum super hiis quomodolibet molestari, Contradictores etc. Non obstantibus premissis et constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXVIII. Nonis Novembris. Pontificatus nostri Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. Lib. XLIX. fol. 219.

CCLXXXII.

Regi Poloniae, ut oratores Romam ad deliberandum expeditionem contra Turcas mittat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Cum alias pastorali officio admoniti, multorumque predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, tuam Maiestatem atque omnes alios Principes et potentatus christianos ad expedicionem in Turcos katholice fidei hostes faciendam crebris et litteris et Nunciis hortati fuerimus, tanto impensius et accuracius superioribus diebus illam ad hoc excitavimus, quanto maiorem bene gerendi rei occasionem nobis divina bonitas attulit, ob Zizinium fratrem tiranni Turcorum in potestatem nostram redactum, et ad commune reipublice christiane commodum diligenter apud nos asservatum. Quare cum fere ab omnibus responsum sit nobis, quod erat a vere Katholicis expectandum, se ad navandum una nobiscum hanc sanctam, necessariam et deo maxime acceptam operam promptissimos et paratissimos fore, et simul ac ea res in deliberacionem veniret, suo se satis officio facturos esse: Nos omni et promptitudine et alacritate inspecta, simul eciam considerantes pericula, que imminent, si hoc negocium ulterius differatur, neve longiori mora rei bene gerende labatur occasio, tempus huius expedicionis deliberande circa finem Marcii proxime futuri, ad festum Annunciacionis beate Marie Virginis, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio indiximus, et publicari mandavimus. Tuam igitur Maiestatem hortamur in domino et enixe requirimus, quemcumque sibi commodum duxerit, sive Oratoris, sive Nuncii aut Cancellarii nomine censeatur, minori qua fieri poterit impensa, cum in hunc expedicionis usum huiusmodi pecunie in melius reserventur, ut antea commemoravimus, ad eam diem cum pleno et sufficienti mandato ad nos dirigere velit, qui una cum aliis a ceteris Principibus et potentatibus christianis mittendis, ad quos eodem tenore litteras damus, nobiscum agere et deliberare possit, que ad huiusce rei noticiam conclusioni necessaria et oportuna visa fuerint: in qua deliberacione, cum officio nostro pastorali conveniat, quod saluti, incolumitati atque exaltacioni tocius reipublice christiane expedire videbitur, quantum in nobis erit, deo auxiliante, procurare volumus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXIX. Septimo Idus Decembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 102.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

CCLXXXIII.

Ecclesiam Sambiensem visitantibus et adiuvantibus plenaria indulgentia a Sixto IV. concessa per tres annos indulgetur.

Alexander episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancte ac militantis ecclesie gubernacula, et summi Sacerdotis Cathedram nobis a beato Petro apostolorum principe certa successione meritis licet inequalibus demandatam tenentes in terris, populum christianum, quantum a nobis fieri potest, ad animarum salutem perducere, et alimoniis spiritualibus confovere pie mentis tenemur affectu, ut hostis antiqui superata versutia, per opera pietatis et misericordie Christi fideles universi spe, fide et caritate muniri, ac in obedientia Romane ecclesie persistentes aule celestis premia valeant feliciter adipisci. Dudum siquidem per felicis recordationis Sixtum papam IIII. predecessorem nostrum accepto, quod sacra relligio militaris beate Marie Theutonicorum ab illius institutione totum fuerat per orbem divulgata, ac claris sui ac militum et fratrum eiusdem meritis semper emicuerat, illiusque Cathedrales ecclesie et preceptorie in suis redditibus adeo opulentes esse solebant, quod aliorum suffragia postulare non cogerentur, superioribus tamen annis, inimico humani generis procurante, propter duras guerras, quibus relligio ipsa afflicta fuerat, ecclesie et preceptorie huiusmodi damna quamplurima sustinuerunt, inter quas fuerat ecclesia Sambiensis religionis et militie antedicte, que eidem militie ex debito honestatis et iustitie in dictis guerris repulsione iniurie, et defensione bonorum sancte Romane ecclesie adherendo expensas insupportabiles subierat, ac damna multiplicia sustinuerat, ipsius Sambiensis ecclesie loca partim devastata per hostes dicte militie remanserant, partim non minora minabantur; nec non incole et habitatores civitatis et diocesis Sambiensis, ac vaxalli et subditi ipsius ecclesie ad tantam inopiam devenerant, quod Episcopus Sambiensis et pro tempore existens ex fructibus mense sue Episcopalis partem percipiebat; in ipsa quoque ecclesia, que in confinibus infidelium existebat, nonnulli etiam male sentientes in fide et scismatici diversarum septarum moram trahebant, qui si remissionem peccatorum per indulgentias consequi sperarent, magna spes foret, quod suis extirpatis erroribus ad veram fidem catholicam devenirent, sed propter eorum nimiam inopiam et paupertatem, qua causantibus guerris predictis oppressi erant, et etiam propter longinquam loci distantiam, de quo in spatio duorum mensium continue ambulando ad Romanam curiam antedictam vix valebant, ad illam se conferre commode non poterant: prefatus dictus predecessor cupiens, quod dicta ecclesia Sambiensis congruis honoribus frequentaretur, ac iustis structuris, edificiis et ornamentis ecclesiasticis debite reficeretur, repararetur et conservaretur, ipsique infideles et male sentientes ad viam veritatis reducerentur, ac cultus divinus in dicta ecclesia vigeret et augeretur, necnon fideles et infideles predicti ad huiusmodi refectionem, re-

parationem et conservationem manus promptius porrigerent adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspicerent se refectos, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis utriusque sexus Christi fidelibus, qui in visitationis eiusdem beate Marie et dominice Iudica festivitatibus ecclesiam predictam devote visitarent annuatim, et ad huiusmodi suam refectionem, reparationem et conservationem manus porrigerent adiutrices, singulis videlicet festivitatum earundem diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas plenariam omnium peccatorum remissionem et veniam concessit et indulsit; nec non bone memorie Theoderico Episcopo Sambiensi, tunc in humanis agenti, suisque successoribus tot presbiteros ydoneos seculares vel quorumvis ordinum regulares et diversarum linguarum, quot expedire conspicerent, qui eorundem fidelium ecclesiam predictam in dictis duabus festivitatibus, ut prefertur, visitantium confessiones audire, hiisque diligenter auditis pro commissis per eos peccatis, delictis, criminibus et excessibus, ac omnibus et singulis casibus etiam sedi apostolice reservatis debitam absolutionem in forma ecclesie consueta impendere, et penitentiam salutarem iniungere, nec non vota quecumque preterquam recepta in alia pietatis opera commutare valerent, (deputandi) plenam et liberam auctoritate apostolica facultatem concessit, prout in litteris dicti predecessoris desuper confectis, quas idem Sixtus predecessor perpetuis futuris temporibus preterquam in anno iubilei pro tempore existenti durare voluit, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, littere predicte propter nonnullas revocationes seu suspensiones supradictarum indulgentiarum postmodum tam per prefatum Sixtum, quam pie memorie Innocentium papam VIII. et per nos successive factas semel dumtaxat locum habuerint, et tam predicte quam presentes littere ipse concesse fuerint, quam alie non minus ingentes cause ad presens subsistant: Nos igitur cupientes, prout etiam venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Sambiensis nobis super hoc humiliter supplicavit, tam ecclesie predicte, quam Christi fidelium animarum saluti providere, litteras predictas cum omnibus et singulis in eis contentis facultatibus et clausulis quoad tres annos a dat. presentium computandos duntaxat in pristinum et eum statum, in quo ante revocationes seu suspensiones predictas quomodolibet erant, auctoritate apostolica tenore presentium plenarie reponimus, restituimus et reintegramus, nec non quod omnes et singuli utriusque sexus Christi fideles, qui durantibus dictis tribus proxime futuris annis dumtaxat ecclesiam predictam in dictis duabus festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatum earundem devote visitaverint, et ad premissa manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, omnium peccatorum suorum plenariam indulgentiam et remissionem consequantur, eisdem auctoritate et tenore statuentes et decernentes, ac prefato Iohanni et pro tempore existenti Episcopo Sambiensi facultatem confessores deputandi, qui predictam potestatem habeant, plenam et liberam facultatem concedimus pariter et elargimur, Non obstantibus revocationibus seu suspensionibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus aliis, que dictus Sixtus predecessor noster in prefatis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam prefatam et ad refectionem, reparationem et conservationem supradictas manus porrigentibus adiutrices alia indulgentia inibi in perpetuum, vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXX.secundo, Tertio Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bullar. Tom. I. fol. 291.

CCLXXXIV.

Ambrosio Pampowsky castellano Rosperiensi eiusque uxori et filiis confessionale et altare portatile conceditur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Ambrosio Pampowsky Castellano Rosperiensi Poznaniensis diocesis, et dilecte in Christo filie Nobili mulieri eius in presentiarum uxori, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quo nos et Romanam ecclesiam reveremini, promeretur, ut vos specialibus favoribus et gratiis prosequentes, illa vobis favorabiliter concedamus, per que conscientie pacem et animarum vestrarum salutem, deo propitio, consequi valeatis, ac petitionibus vestris, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati tibi, fili Ambrosi, qui pro parte clare memorie Cazimiri Polonie Regis Orator ad felicis recordationis Innocentium papam VIII. predecessorem nostrum, et sedem apostolicam destinatus fuisti, tibique, filia eius uxor, ac liberis vestris utriusque sexus presentibus et futuris, ac vestrum et eorum cuilibet, ut confessor ydoneus secularis vel cu-

iusvis ordinis religiosus, quem quilibet vestrum pro tempore duxerit eligendum, vos et vestrum quemlibet ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine apostolica seu quavis alia auctoritate, causa vel occasione in vos, seu aliquem vestrum generaliter vel specialiter latis, inflictis et promulgatis, necnon periurii, homicidii voluntarii, vel mentalis fornicationis, incestus, sacrilegii reatibus, manuum violentarum in personas ecclesiasticas iniectionibus, ieiuniorum et penitentiarum vobis et vestrum cuilibet pro tempore iniunctarum in toto vel in parte omissionibus, necnon votorum quorumcunque ac ecclesie mandatorum transgressionibus aliisque peccatis, delictis, criminibus et excessibus quibuscunque quantumcunque enormibus per vos seu aliquem ex vobis pro tempore commissis, de quibus tamen corde contriti et ore confessi fueritis, etiam si talia forent, propter que sedes apostolica esset merito consulenda, exceptis casibus in processu, qui legitur annis singulis in Cena domini, comprehensis, semel in vita et in mortis articulo, de aliis vero dicte sedi non reservatis casibus totiens, quotiens fuerit oportunum, confessionibus vestris diligenter auditis, pro commissis debitam absolutionem impendere et penitentiam salutarem iniungere, necnon vota quecunque per vos seu aliquem vestrum pro tempore emissa, ultramarino, visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella, necnon religionis et continentie votis dumtaxat exceptis, et ieiunia ab ecclesia precepta in alia pietatis opera commutare, ac iuramenta quecunque relaxare, quodque ipse vel alius confessor, quem quilibet vestrum pro tempore duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, ut prefertur, etiam semel in vita et in mortis articulo vobis et vestrum cuilibet in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica impendere valeat, sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, etiam vobis et vestrum cuilibet per vos, si supervixeritis, vel per alios, si forte transieritis, faciendam iniungat, quam vos vel illi facere teneamini, ut prefertur; liceatque vobis Ambrosio et uxori et cuilibet vestrum, quamdiu quilibet vestrum vitam duxerit in humanis, habere altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, sacris et non sacris, etiam interdicto ecclesiastico apostolica vel alia quacunque auctoritate generaliter vel specialiter suppositis, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, et post meridiem, prout qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, per proprium vel alium sacerdotem ydoneum in vestra ac cuiuslibet vestrum, etiam consanguineorum, affinium, familiarium domesticorum vestrorum utriusque sexus ibidem pro tempore affluentium, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, dummodo numerum viginti personarum non excedant, presentia, etiam te, filia uxor, in puerperio existente, excommunicatis et interdictis exclusis, missas et alia divina officia, dummodo vos vel alie persone huiusmodi causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel illis seu alicui vestrum contigerit specialiter interdici, celebrari facere, et a quocunque ydoneo sacerdote seculari vel regulari, quotienscunque vobis seu alicui vestrum placuerit, seu expediens fuerit, Eucharistiam et alia sacramenta ecclesiastica recipere, ipseque sacerdos Eucharistiam et sacramenta huiusmodi vobis et vestrum cuilibet, presertim tibi, filia uxor, in puerperio huiusmodi existenti, ac familiaribus vestris domesticis ministrare valeat, necnon cuiuslibet vestrum ac familiarium domesticorum utriusque sexus huiusmodi corpora seu cadavera, si vos vel aliquem vestrum tempore huiusmodi interdicti decedere contingat, absque tamen funeris pompa ecclesiastice tradi sepulture, necnon in casu necessitatis Quadragesimalibus et aliis quibusvis diebus de iure vel consuetudine prohibitis caseo, ovis, butiro et aliis lacticiniis, ac quibuscunque diebus Mercurii cum consanguineis et affinibus casu advenientibus, ac familiaribus vestris domesticis, etiam in campo contra infideles et scismaticos, aut alio quovis iusto bello cum duodecim personis etiam non domesticis per quemlibet vestrum pro tempore eligendis carnibus vesci ac uti, cuiusvis licentia super premissis minime requisita, libere et licite valeatis, quoque unam, duas vel tres ecclesias, seu unum, duo vel tria altaria in partibus, ubi quilicet vestrum Ambrosii et uxoris pro tempore residere seu stare contigerit, consistentes vel consistentia, quas vel que quilibet vestrum pro tempore eligendas seu eligenda duxerit, Quadragesimalibus et aliis Stationum cuiuslibet anni temporibus et diebus visitando tot et similes Indulgentias et peccatorum remissiones consequamini, quas consequeremini, si singulis diebus ecclesias Urbis Rome pro Stationibus deputatas visitaretis, devotioni vestre et cuiuslibet vestrum auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus, proviso quod huiusmodi concessione celebrari faciendi ante diem

parce utamini, quia cum in altaris ministerio immoletur dominus noster Ihesus Christus dei filius, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Et ne, quod absit, propter huiusmodi concessionem eligendi confessorem in mortis articulo reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si a sinceritate fidei, unitate dicte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium desisteretis, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliquam forsan committeretis, concessio et remissio predicte et quo ad illas presentes littere vobis seu alicui vestrum nullatenus suffragentur. Nulli ergo etc. nostre concessionis, indulti et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Kalendis Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Michaeli de Prasinow Archidiacono Plocensis, Scriptori et familiari nostro, et Iohanni Zuppario Canonico Cracoviensis ecclesiarum, ac Martino de Borzimow Iudici Brestensi, Thome de Grodzisko Vexillifero Rawensi, Felici de Golzano Capitaneo Plocensi, Procopio de Sycpicz, Nicolao Wisky de Myschowo, Laurentio de Wolyaprasinowska, Stiborio de Myastkowo laicis fratribus Wladislaviensis, Poznaniensis et Plocensis diocesum, salutem etc. Sincere devotionis etc. ut supra. Datum Rome apud S. Petrum etc. mccccxciii. vi. Id. Augusti. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. Tom. I. fol. 61 et 273.

CCLXXXV.

Archiepus Theomoniensis coadiutor ab archiepi Gnesnensis iurisdictione eximitur, et sub B. Petri tutela suscipitur.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Andree Archiepiscopo Theomoniensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libententer concedimus, per que tam tu quam tibi obsequentes persone, semotis perturbationibus universis, in pacis et quietis dulcedine possitis altissimo famulari. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Venerabilis frater noster Sbigneus Archiepus Gneznensis te, qui etiam coadiutor Venerabili fratri nostro moderno Archiepiscopo Leopoliensi auctoritate apostolica deputatus existis, et ut asseris, Custodiam Gneznensis ac Preposituram Lancitiensis Gneznensis diocesis ecclesiarum, ac nonnulla alia beneficia ecclesiastica in eadem diocesi consistentia ex dispensatione apostolica obtines, propter rancorem seu odium contra te conceptum in prefatis beneficiis, necnon familiares tuos vexare, perturbare et inquietare non desistit, ac plurima incommoda tibi et illis inferre non erubescit, nec formidat, timesque, quod nisi per nos super hiis de oportuno remedio provideatur, gravia scandala inter te et prefatum Sbigneum Arhiepiscopum evenire: Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum conveniens non existat, te ab aliquo presertim dicto Archiepiscopo obprobia seu vexationes huiusmodi in vilipendium Archiepiscopalis dignitatis diutius ferre, te ac dilectum filium Iohannem Floriani de Luthoniuserko ecclesie collegiate beate Marie Lancitiensis Gneznensis diocesis Canonicum solicitatorem tuum, tuosque familiares et servitores, necnon Custodiam Gneznensis et Prepositurам beate Marie Lancitiensis huiusmodi ecclesiarum, ac alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que tu ac Iohannes necnon familiares ac servitores tui prefati in civitate Gneznensi ac predicta diocesi obtinetis ad presens et imposterum obtinebitis, ab omni iurisditione, superioritate, visitatione, correctione, dominio et potestate dicti Sbignei Archiepiscopi, quamdiu vixerit, eiusque vicariorum et officialium presentium et futurorum quorumcunque prorsus eximere et totaliter liberare, teque ac Iohannem, necnon familiares et servitores ac beneficia huiusmodi sub beati Petri ac nostra protectione suscipere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, te ac Iohannem Floriani, necnon familiares continuos commensales et servitores tuos presentes et futuros, ac Custodiam, Prepositurам et omnia alia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que tu et Iohannes ac familiares continui commensales et servitores prefati in civitate et diocesi prefatis obtinetis et in posterum obtinebitis, ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio et potestate Sbignei Archiepiscopi ac vicariorum et officialium predictorum, quamdiu ipse Sbigneus Archiepiscopus vitam duxerit in humanis

dumtaxat, auctoritate apostolica tenore presentium prorsus eximimus et totaliter liberamus, ac sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, teque et Iohannem, familiaresque continuos commensales et servitores tuos presentes et futuros, ac beneficia huiusmodi nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus et dicte sedi immediate volumus subiacere, ita quod etiam ratione delicti vel contractus seu rei, de qua ageretur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, Sbigneus Archiepiscopos seu eius vicarii et officiales in te ac Iohannem, necnon familiares et servitores, ac Custodiam, Preposituram et alia beneficia huiusmodi predicta iurisdictionem, superioritatem, visitationem, correctionem, dominium et potestatem aliquam quacunque auctoritate etiam apostolica exercere, aut excommunicationis, suspensionis et interdicti seu quasvis alias sententias, censuras et penas promulgare seu exequi nequeant quoquomodo, decernentes ex nunc omnes et singulos processus, sententias, censuras et penas, quos et quas per Sbigneum Archiepiscopum, vicarios seu officiales predictos contra te et Iohannem, ac familiares continuos commensales et servitores predictos haberi vel promulgari, necnon quicquid super hiis a quoquam contra exemptionem, liberationem et susceptionem predictas quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit, et quecunque pro tempore inde secuta, nulla, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti; et nichilominus Venerabilibus fratribus nostris Cracoviensi et Wladislaviensi Episcopis, ac dilecto filio Preposito ecclesie collegiate beate Marie Kelciensis Cracoviensis diocesis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit, ac quotiens pro parte tua fuerint super hoc requisiti, solemniter publicantes, ac tibi et Iohanni, ac familiaribus et servitoribus predictis in premissis officiis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras huiusmodi ac in eis contenta per Sbigneum Archiepiscopum, Capitula, vicarios et officiales predictos et alios quoscunque inviolabiliter observari, tibique ac Iohanni et familiaribus continuis conmensalibus ac servitoribus predictis de Custodie, Prepositure ac aliorum beneficiorum predictorum fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra etc. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXXII. Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. Tom. III. fol. 136.

CCLXXXVI.

Quaedam donationes ab Uriel episcopo Posnaniensi suo capitulo factae, insertis eiusdem episcopi litteris, confirmantur.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiarum omnium, presertim Cathedralium insignium statum et decorem, necnon personarum in illis divinis laudibus iugiter insistentium profectum sinceris zelantes affectibus, ad ea nostre considerationis intuitum perspicaciter dirigimus, per que in illis divinus cultus non solum vigeat, sed etiam augeatur, et hiis, que propterea per ecclesiarum earundem prelatos provide facta comperimus, ut firmius illibata perdurent, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Urielis Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Poznaniensium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim prefatus Uriel Episcopus cupiens in ecclesia sua Poznaniensi divinum cultum non solum laudabiliter continuari, verum etiam multipliciter adaugeri, volensque in eadem ecclesia dignitates obtinentes illiusque Canonicos et alias personas ad interessendum divinis officiis in eadem, et residendum personaliter apud illam per temporalium, sine quibus spiritualia diu persistere non possunt, largitionem peramplius incitare, certas pecuniarum summas, sive nonnullos fructus in opido Myedzyrzecz et nonnullis villis tunc expressis Poznaniensis diocesis consistentes, ad mensam Episcopalem Poznaniensem legitime spectantes, pro augmento quotidianarum distributionum cum onere celebrationis certorum anniversariorum et aliorum divinorum officiorum Capitulo prefatis ordinaria auctoritate perpetuo concessit, donavit et assignavit, ipsique Capitulum concessionem, donationem et assignationem predictas cum dicto onere sponte acceptarunt, prout in quibusdam litteris autenticis desuper confectis Episcopi et Capituli predictorum sigillis munitis, quas in Cancellaria apostolica diligenter inspici et examinari, ac illarum tenorem, signis et caracteribus omissis, de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Urielis Episcopi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni, donationi et assignationi premissis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos

igitur, qui in cunctis ecclesiis divinum cultum nostris potissime temporibus vigere et augeri sinceris desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem, donationem et assignationem predictas, ac prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, dummodo mensa predicta propterea nimium non ledatur, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, supplemusque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Tenor vero dictarum litterarum talis est. In nomine dñi Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Uriel dei gratia Epus Poznaniensis exuberantissima miseratione patientie divine quamquam immeriti, suffecti tamen ad regimen ecclesie nostre, etsi ad singula, que nostri sunt officii, intendamus vigilanter, potissimum tamen ecclesie nostre et statui Venerabilium fratrum nostrorum Prelatorum et Canonicorum Capituli nostri Poznaniensis, qui immediatissima et individua sunt membra nostra, et qui in partem sollicitudinis, quo facilius inde ponderis supra vires nostras impositi eorum salubribus consiliis perferre possimus, nobis dati sunt, zelo ferventiore afficimur. Sane nonnulli predecessores nostri zelantes ecclesie et domus dei, cui prefuerunt, decorem ad id, ut persone in ecclesia nostra institute officia, ad que existunt obligate, peragerent, et studiosius exequerentur, circa ecclesiam quoque nostram eandem propterea residentiam personaliter facerent, conati sunt et exquisitius elaborarunt. Nos nedum commendantes, sed imitari efficacius zelum eorum non tantum laudabilem, sed etiam pernecessarium desiderantes, preterea ecclesiasticum decus in celebrationibus ordinatius dare cupientes, et ad residentiam continuam circa ecclesiam nostram prefatos Venerabiles dominos Prelatos et Canonicos ecclesie nostre volentes obligatiores reddere et devincere, eis aliquos introitus pro distributionibus quotidianis residentium de mensa nostra assignare deliberavimus, ut et divina officia per eos, qui ad id instituti sunt, acuratius fierent magisque rite peragerentur, nos quoque in singulis contingentiis sub parrochia nostra emergentibus eo facilius et presto eorum consilia possimus habere, et ut per hunc eundem modum prefati Verabiles fratres nostri Prelati et Canonici ecclesie nostre, quo magis subsidiis temporalibus fuerint provisi, tanto ecclesie nostre ac officiis divinis, que sibi iniuncta sunt, attentius inserviant, indeque provocarentur circa ecclesiam nostram quotidie residere, si ex ipsa pervenire sibi noverint quotidiana emolumenta, hiis permoti respectibus prefatis Venerabilibus fratribus nostris Prelatis et Canonicis ecclesie nostre, ac eorum universitati sive Capitulo pro eorum distributionibus quotidianis fertones de mensa nostra in opido Myedzyrzecz ac villis (in) suburbio ante Ryebbew, in Dambrowa, Splawyc, Iarkow in districtu Costensi, et in Schymanowo, Trzeboscha et Rusko sub clave Corbiensi sitis damus, donamus et perpetuo elargimur per presentes, decernentes eos exnunc perpetuo ipsorum esse, et ad eos eorumque Collegium insolidum pertinere, ac inter ceteros dicti Capituli proventus incorporari, annecti et inviscerari debere, quos et nos dicto Capitulo nostro annectimus, invisceramus et perpetuis temporibus incorporamus. Verum ut ex huiusmodi profuso nostro in prefatos Venerabiles fratres nostros affectu et caritatis fervore, quo eos annitimur ad servitia divina officiosiores ipsa nostra donatione reddere, fructus spirituales et efficaciores percipiamus, volumus dictos Prelatos et Canonicos circa ecclesiam nostram residentiam facientes ad quatuor anniversarios esse obligatos, pro quibus singulis de dictis fertonibus recipient duas marchas, residuum pro distributionibus quotidianis circa ecclesiam nostram residentium convertant, ita tamen, ut vitam(?) nobis favente divina clementia pro peccatis commemorationem faciant per collectam, post fata vero, ut moris est, pro mortuo quatuor anniversarios annis singulis et perpetuis temporibus peragere sub pena late ipso facto in singulos sententie, quotiens id aliquis eorum vel temerare vel negligere presumeret, erunt astricti et obligati, quodque singuli Prelati et Canonici ecclesie nostre dictis anniversariis interessentes, et de ipsis participantes in singulis ipsorum quatuor anniversariorum unam Missam pro peccatis, quoad vixerimus, nobis vero sublatis de medio, pro defuncto vel legant aut per alium legi faciant, ad quod faciendum prefati Venerabiles fratres nostri Prelati et Canonici ecclesie nostre se et suos successores Capitulum tenentes generale sub prefata pena late sententie submiserunt, quam ipso facto quemlibet huiusmodi ordinationis nostre temeratorem, rebellem et negligentem incurrere voluerunt. Preterea volumus et de communi consensu prefatorum Venerabilium dominorum Prelatorum et Canonicorum ecclesie nostre ordinamus, ut procurator, qui pro tempore fuerit, circa distributionem procurarum in singulis anniversariis a quolibet Prelato vel Canonico anniversario interessente, qui per se legere Missam voluerit, detrahet unum grossum et tot Missas, quot grossos detraxerit in

vita nostra pro peccatis, post obitum vero nostrum pro defuncto legi faciat per alios presbiteros, quem ad id sub pena canonis late sententie volumus et decernimus esse obligatum. Si vero aliquis Prelatorum et Canonicorum per se ipsum Missam ipsam pro singulis anniversariis complere voluerit, extunc integre sibi id, quod poterit obvenire, de dicto anniversario tribuatur. Et ut hec nostra donatio et cum prefatis Venerabilibus fratribus nostris Prelatis et Canonicis ecclesie nostre ordinatio robur perpetue firmitatis obtineant, litteras presentes per Notarium Capituli predicti et facti huiusmodi coram nobis scribam scribi et publicari facimus, nostrique et Capituli predicti sigillorum iussimus appensione communiri. Acta sunt hec in Capella Capitulari eiusdem ecclesie nostre Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, die quintadecima Novembris, Indictione quintadecima, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Sixti divina providentia pape IIII. Anno Undecimo, Presentibus Venerabilibus dominis Adam de Dambrowa Decano, Iacobo de Wyganowo Scolastico, Nicolao de Scudla decretorum doctore, Archidiacono Sczeniensi in ecclesia nostra Poznaniensi, Vicarioque in spiritualibus ac Officiali nostro Poznaniensi generali, Vincentio de Strzalkowo Archidiacono Pezowensi, Andrea de Rogalyno, Nicolao de Costen decretorum doctore, Iacobo de Damynycowycze, Iohanne de Popowo, Hectore de Cazycmyno, Iacobo de Iablowo, Nicolao de Czacz, Wladislao de Glamboczecz decretorum doctore, Iohanne de Lukowo, Iohanne de Gylowyecz, Martino de Nyechanowo decretorum doctore, Martino de Dambrowa, Iohanne de Resyanse, Petro de Rambyno, Iohanne de Zakrzewo, Stanislao de Iablowo, Vincentio de Carczewo, Iohanne de Grylewo, Wislao Kyelbassa de Thymyenyecz, Andrea de Goluchowo et Stephano de Scudla, Prelatis et Canonicis ecclesie nostre Poznaniensis ad sonum Campane pro Capitulo generali congregatis, testibus ad premissa vocatis et rogatis. Et ego Petrus Nicolai de Colkilnyki clericus Poznaniensis diocesis publicus apostolica auctoritate Notarius, quia predictis donationi, ratihabitioni aliisque omnibus prescriptis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi: Ideo hoc instrumentum publicum manu alterius fideliter scriptum, exinde conficiens in hanc publicam formam redegi, signo, manu et nomine meis fideliter consignando, rogatus et requisitus in fidem omnium et singulorum premissorum.

Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCLXXXX.tertio, Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi et Episcopo Ameliensi, ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Vincentii extra muros Wratislavienses, salutem etc. Hodie concessionem, donationem et assignationem certarum pecuniarum seu nonnullorum fructuum in opido Myedzyrzecz, et nonnullis villis tunc expressis consistentium, ad mensam Episcopalem Poznaniensem legitime spectantium, per Venerabilem fratrem nostrum Urielem Episcopum Poznaniensem dilectis filiis Capitulo Poznaniensibus pro augmento quotidianarum distributionum cum onere celebrationis certorum anniversariorum, et aliorum divinorum officiorum ordinaria auctoritate factas, per alias nostras litteras approbavimus et confirmavimus, supplevimusque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dicte littere vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expedierit et quotiens super hoc fueritis debite requisiti, solemniter publicantes, faciatis auctoritate nostra illa omnia et singula firmiter observari, Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus omnibus, que in dictis nostris litteris voluimus non obstare, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. Tom. I. fol. 280.

CCLXXXVII.

Constantino Georgianorum regi de praeclaro ad ecclesiam catholicam reditu pontifex gratulatur, eumque hortatur, ut se cum christianis principibus contra Turcas coniungat.

Alexander episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Constantino Georgianorum Regi Illustri, salutem etc. Accepimus per dilectum filium Nilum confessorem et oratorem tuum litteras tuas, quibus summam erga nos et sanctam sedem apostolicam devotionem et reverentiam tuam, quantumve

reipublice christiane de victoria adversus infideles per charissimos filios nostros Regem et Reginam Hispaniarum Illustres potita gratulabaris, plane significasti, et gratias propterea deo omnipotenti habebas. Intelleximus etiam summa cum animi iucunditate optimam mentem ac sententiam tuam in expeditionem adversus Ihesu Christi fidei rebelles undique parandam, et quantum ad huiusmodi salutaria cepta una cum filio tuo exercitus offerebas ad prophanata templa expianda, et oppressos populos in Christi libertatem vindicandos, de quibus omnibus vix exprimi potest, quantam cepimus animo voluptatem, egimusque gratias (ut par erat) omnipotenti deo, quod Maiestatis tue menti tantum ardorem atque favorem fidei inspiraverit, et qui tantopere animo et desiderio nostro in fidei christiane observantia et incremento correspondeas, ac de christianorum prosperitate leteris. Nichil est enim, quod magis cupiamus, dies noctesque frequentius mente volvamus, quam meditari et aliquod consilium inire, quo nostre fidei consulamus, semperque vigilamus et supra vires enitimur ita principes hos christianos tenere paratos, ut de Constantinopolitana, Ierosolimitana aliisque patriarchalibus sedibus recuperandis spes certa capiatur. Sed nec defuit voto nostro et bonis semper omnibus consiliis adversarius antiquus hostis, qui aliqua discordiarum semina inter eos sereret, quas nichilominus speramus nos fore Christi auxilio facile composituros, omnemque conatum adversus hostes sancte fidei convertemur, de quibus non veremur Crucis vexillum preferentes certam victoriam reportaturos, ad quam rem etsi semper noster animus fuit accensus, nunc tamen maxima cum alacritate festinat, quandoquidem de tanta tua promptitudine et religione pro Christi gloria certi sumus. Te igitur, quantum possumus, hortamur et in domino oramus, quod in isto tuo laudabiliter consilio perstes, tuosque subditos omnes horteris ac mandes, ut mentem tuam in tam sancto proposito sequantur ac pareant. Et quoniam omnibus Christifidelibus expedit pro necessitate salutis eterne in fide et obedientia cum sancta Romana ecclesia convenire, ubi caput et sedem Christus et divus Apostolus Petrus, ipsius Vicarius, universo orbi christiano reliquerant, gaudemus summopere Maiestatem tuam ad veram orthodoxe fidei agnitionem incedere, et que ad ipsius fidei rectam observantiam pertinet, a nobis et hac sanctissima apostolica sede universe christianitatis capite expostulare. Cum igitur per eundem Nilum oratorem tuum nobis supplicari feceris, ut ad Maiestatem tuam diffinitionem fidei in Concilio Florentino firmatam, in quo sub felicis record. Eugenio papa IIII. predecessore nostro universa ecclesia tam latina quam greca convenit, mitteremus, ut tu et dominia tua idem sentiendo eternam gloriam et temporalem hic victoriam contra hostes fidei a deo merearis, cum sine recta fide Apostoli testimonio placere deo sit impossibile: nunc dictam diffinitionem Concilii litteris nostris sub plumbo tibi mittimus, hortantes devotionem tuam, quod illam mandes per universas provincias tuas publicari et observari, ut sicut in Christo vero dei filio omnes, ita in eius preceptis et institutis per suum vicarium et inde ceteros successores nobis promulgatis uno cultu conveniamus, confidentes, si ita feceritis, nulla nobis adversantia tela inimicorum posse nocere, cum fide regna vincantur, habentesque serenitati tue gratias innumeras de suis oblationibus, quas admisimus libenter, eisque, cum occasio aderit, utemur, sicuti et dicto Nilo latius diximus, cui de ceteris, que nobis exposuit, verbo respondimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, tertio Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 156.

CCLXXXVIII.

Eidem regi Eugenii IV. bullam in concilio Florentino de processione S. Spiritus ac de Romani pontificis primatu editam transmittit.

Alexander episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostre debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Eugenii pape IIII. predecessoris nostri in registro ipsius predecessoris repertum pro eo, quod sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Constantini Georgianorum Regis Illustris petitio continebat, ipse huiusmodi tenore pro implemento orthodoxe fidei in partibus illis se asserit indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi et ad ipsius Regis supplicationis instantiam presentibus annotari fecimus: qui talis est. Eugenius Episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infrascripta Carissimo in Christo filio nostro Iohanne Paleologo Romanorum Imperatore Illustri, et loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, et ceteris orientalem ecclesiam representantibus. Letentur celi et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat ecclesiam, et pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo,

qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque iungente parietem, et perpetue unitatis federe copulante ac continente, postque longam erroris nebulam et dissidii diuturni atram, ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optate iubar illuxit. Gaudeat et mater ecclesia, que filios suos hactenus invicem dissidentes iam videt in unitatem pacemque rediisse, et que antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censentur nomine, matri catholice ecclesie colletentur. Ecce enim occidentales orientalesque patres post longissimum dissensionis atque discordie tempus se maris ac terre periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum ecumenicum concilium desiderio sacratissime unionis et antique caritatis reintegrande gratia leti alacresque convenerunt, et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam, sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis ante divine miserationis divitias non obstupescat? Cuius vel ferreum pectus tante superne pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humane fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni sponse tue catholice ecclesie contulisti, atque in generatione nostra tue pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis deus largitus est, oculisque videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiverunt. Convenientes enim Latini et Greci in hac sacrosancta ecumenica sinodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, et ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Greci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero affirmarunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons et principium totius deitatis, Filii licet ac Spiritus sancti, aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes, sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam et Deo amabilem eodem sensu, eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt.

In nomine igitur sancte Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio, diffinimus, ut hec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio eternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque eternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit, declarantes, quod id, quod sancti doctores et patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Grecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentie Spiritus sancti, sicut et Patrem: et quoniam omnia, que Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, preter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre eternaliter habet, a quo etiam eternaliter genitus est.

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarande gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter simbolo fuisse appositam. Item in azimo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta sue ecclesie sive occidentalis sive orientalis consuetudinem. Item si vere penitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et ut a penis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosinas et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesie instituta.

Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, que post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exute corporibus, prout superius dictum est, sunt purgate in celum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum aut animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque ecclesie caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Ihesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis ecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur, renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus vero Antiochenus et quintus Ierosolimitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum. Datum Florentie in sessione publica sinodali in ecclesia maiori solemniter celebrata Anno Incarnationis dominice MCCCCXXXIX. pridie Nonas Iulii. Anno IX.

Ceterum ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus huiusmodi tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem tenori scienter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum de novo cuiquam ius acqueri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MCCCCXCVI. III. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VII. fol. 365.

CCLXXXIX.

Salvus conductus pro Nilo monacho principis Georgianorum oratore.

Alexander episcopus etc. Universis et singulis presentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum Carissimus in Christo filius noster Constantinus Georgianorum Rex Illustris, tamquam catholicus ac devotissimus christianus ad exhibendam nobis huicque sancte apostolice sedi suam reverenciam devocionemque dilectum filium Nilum, monachum ordinis sancti Basilii, oratorem suum destinaverit, ipseque orator discedit hinc a nobis impresenciarum ad eundem Regem redditurus: Nos cupientes liberum iter ubique ei facere, devocionem vestram hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium nostrarum armigerarum Capitaneis et ductoribus, nec non Episcopis, Capitulis ecclesiarum Cathedralium ac fratribus et monachis cuiuscunque ordinis harum serie mandamus, quatenus eundem fratrem Nilum cum sua comitiva tam equestri quam pedestri, ac cum salmis, valisiis, buliis aliisque rebus et sarcinolis suis per omnes passus, portus, pontes et loca tam nostra quam non nostra ire, redire, stare, transire et pernoctare absque alicuius gabelle, passagii, fundinavis, theolonei seu cuiusvis alterius indicti vel indicendi oneris solucione tute, libere et secure permittatis, sincereque tractetis, in domini caritate providendo ei de scorta et libero salvoconductu, si necessarium fuerit et duxerit requirendum, fratres vero et monachi in eorum monasteria et conventus admittant, et sibi de necessariis provideant, ita ut de promptitudine vestra possitis apud nos non immerito commendari, mandantes vobis omnibus et singulis nostris et sancte Romane ecclesie subditis ac fratribus et monachis quibuscunque, quatenus, non obstantibus ordinacionibus et prohibicionibus nostris, prefatum monachum Nilum cum eius comitiva intra civitates, terras et loca nostra et dicte ecclesie, nec non vestra monasteria et domos recipiatis et benigne pertractetis. Et ut ad hec libentius omnes inducantur, quo exinde lucra et salutem se speraverint adepturos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, recipientes eum caritative et eis subsidia itineris porrigentibus triginta annos de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, tercio Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno quarto.

(Hic orator in reditu suo de Urbe fuerat in Nowogrodek Lithuanie apud Alexandrum Regem Polonie).

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VII. fol. 367.

CCXC.

Stenone Sture Sveciae gubernatore et episcopis eiusdem regni petentibus, militantibus contra Ruthenos schismaticos Sveciam et Livoniam invadentes plenaria peccatorum remissio conceditur.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepo Upsalensi et Episcopo Aboensi, salutem etc. Ex relatione dilecti filii Hemingi Gadh prepositi ecclesie Lincopensis, familiaris et cubicularii nostri, et totius regni Svetie apud sedem apostolicam oratoris accepimus, quod anno proxime immediate elapso circa festum S. Andree Apostoli, et pluribus aliis vicibus Rutheni scismatici Christi nominis inimici cum sexaginta millibus hominum magnam partem Aboensis diocesis in regno Svetie constituti incendiis ecclesiarum, blasphemationibus nominis Christi et eius sanctorum, cedibus, rapinis, matronarum ac virginum illarum partium violationibus, stupris et deflorationibus ac homicidiis quam plurimum devastarunt, multa millia christianorum occidendo et servituti perpetue subiciendo, adeo quod vix in partibus illis reperiatur, qui contra eosdem scismaticos pugnare et se defendere velit aut possit, et nisi de celeri et oportuno remedio provideatur, tota diocesis Aboensis et demum regnum Svetie cum terra Livonie et provinciis ei adiacentibus per dictos scismaticos subiugari formidantur: nobis supplicari fecerunt humiliter dilecti filii Steno Sture regni Svetie vicerex et gubernator ac eiusdem regni predicti Archiepiscopus, Episcopi, consiliarii, qui ultra quinquaginta millia hominum hodierna die contra dictos scismaticos castra metati sunt, quatenus illis, qui in fine terrarum christianorum et confinibus dictorum scismaticorum continua bella gerendo consistunt, more pii patris compatiendo, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in dicto regno et terra Livonie pro tempore existentibus, et quibusvis aliis, qui contra dictos scismaticos et ad eos compescendum et bellandum ire et pro Christi nomine contra illos debellare voluerint, et qui premissa faciendo in die conflictus decedere contigerit, vere penitentibus et confessis plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, nec non senio confectis, aut alio quovis impedimento legitimo impeditis, et ibidem ire minime valentibus, qui ad premissa manus porrexerint adiutrices, armatos stipendiando aut alias quovismodo subveniendo, similem peccatorum suorum remissionem semel in vita, et in mortis articulo auctoritate apostolica concedere et indulgere dignaremur. Nos igitur attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, ac volentes, quantum cum deo possumus, scandalis huiusmodi obviare, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus fidelibus ipsis in conflictibus et bellis huiusmodi decedentibus plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, nec non ad premissa manus porrigentibus adiutrices, ut prefertur, similem peccatorum remissionem semel in vita, et in mortis articulo auctoritate apostolica impendatis, ac effectum presentium in partibus illis debite publicetis, et impendi ac publicari faciatis, super quibus omnibus vobis et vestrum cuilibet plenam et omnimodam potestatem, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et impartimur, Constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice mcdxcvi. x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. VII. fol. 296.

CCXCI.

Nicolaus Costzycleczky canonicus Posnaniensis coadiutor Petro Wspynok praeposito Cracoviensi constituitur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Costzycleczky Canonico Poznaniensi, sal. etc. Circumspecta sedis apostolice providentia ad ea libenter intendit, per que dignitatum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum omnium indemnitati consuli possit: ad illos quoque dexteram sue liberalitatis extendit, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius Petrus Wspynok Prepositus Cracoviensis et rector parrochialis in Wolborz Gneznensis diocesis ecclesiarum adeo senio confectus, et viribus sui corporis destitutus existit, ut Prepositure ecclesie Cracoviensis ac parrochiali ecclesie huiusmodi per se ipsum commode deservire non possit, expediatque omnino de quoadiutore ydoneo provideri: quare pro parte tua et dicti Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut te eidem Petro, quoad vixerit, in quoadiutorem in Prepositura et parrochiali ecclesia huiusmodi constituere et deputare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum omnium indemnitati libenter consulimus, volentes tibi, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus, ac Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Alberti Polonie Regis Illustris

Secretarius existis, ac canonicatum et prebendam ecclesie Poznaniensis inter cetera obtines, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque laudabilibus probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu, necnon consideratione prefati Regis pro te, dilecto suo, nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sunt, eorumque canonicatus et prebende predictorum fructuum, reddituum et proventuum annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, te eidem Petro in coadiutorem in Prepositura ac parrochiali ecclesia predictis cum plena, libera et omnimoda potestate ac facultate omnia et singula, que ad coadiutoris officium de iure, consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, faciendi, gerendi et exequendi auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, et nichilominus Preposituram, que inibi dignitas non tamen maior post pontificalem existit, cuiusque vigintiquatuor, ac cuius sedecim marcharum argenti fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, parrochialem ecclesiam predictas, cum illas per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem dicti Petri vacare contigerit, etiamsi specialiter reservate existant, et ad dictam Preposituram consueverit quis per electionem assumi, eique cura imminet animarum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis ex nunc prout extunc et . . . . . . verso prefata tibi, cum quo ad hoc, ut etiam asserit, sufficienter est dispensatum, auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, ac illas collocatas et de illis tibi provisum esse decernimus. Quocirca venerabili fratri nostro Episcopo Mutinensi, et dilectis filiis Preposito Poznaniensis ac Cancellario Gneznensis ecclesiarum per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem Prepositure et parrochialis ecclesie, iuriumque et pertinenciarum predictarum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, facientes te vel pro te procuratorem predictum ad Preposituram huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illius ac parrochialis ecclesie fructibus, redditibus, proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, teque adiutoris officio huiusmodi pacifice frui et gaudere, non permittentes te per quoscunque desuper indebite molestari, Contradictores etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXXVI. Nonis Iulii. Pontificatus nostri Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Bullar. Tom. XXVI. fol. 112.

CCXCII.

Michael de Prasmaw archidiacouus Plocensis in accolytum pontificium recipitur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Michaeli de Prasmaw Archidiacono ecclesie Plocensis, decretorum doctori, accolito et familiari nostro, salutem etc. Virtutibus clarens et meritis, sicut fidedignorum testimonio commendaris, illam in nostro et apostolice sedis conspectu gratiam meruisti, quod personam tuam paterna benivolentia prosequentes eam libenter attollamus honoris gratia specialis. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate te, qui litterarum apostolicarum scriptor, et ut accepimus, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, in nostrum et dicte sedis accolitum auctoritate apostolica tenore presentium gratiose recipimus, ac aliorum nostrorum dicteque sedis accolitorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, tibique concedimus omnibus et singulis honoribus, oneribus, privilegiis, immunitatibus, gratiis et indultis, quibus alii accoliti gaudent et utuntur, seu uti et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, sine tamen aliorum accolitorum participantium preiudicio uti, potiri et gaudere valeas, Non obstantibus de certo dictorum accolitorum numero, cui per hoc alias non intendimus derogare, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidio uberius potiaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod personam tuam possimus ad altiora promovere. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, aggregationis, re-

ceptionis, concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXXVI. Septimo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Offic. Tom. CV. fol. 265.

CCXCIII.

Idem Michael collector denarii B. Petri etc. in Polonia et Gnesnensi provincia constituitur.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Michaeli de Prasmaw Archidiacono ecclesie Plocensi, decretorum doctori, scriptori et familiari nostro, apostolice sedis nuncio, denarii sancti Petri ac iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie, ac provincia Gneznensi eiusque civitatibus et diocesibus collectori, sal. etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que commiserimus, solerti diligentia et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum in domino confidentes, te in Regno Polonie ac provincia Gneznensi, eiusque civitatibus et diocesibus nuntium apostolicum et denarii sancti Petri apostoli, ac fructuum et proventuum, censuum aliorumque iurium quorumcunque, nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice inibi debitorum et debendorum, collectorem ac generalem receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi collectores et receptores in prefato Regno, provincia, civitatibus et diocesibus per nos aut quacunque alia auctoritate deputatos, ac commissiones omnes super huiusmodi collectorie et receptorie officiis aliis quam tibi sub quacunque verborum forma per dictam sedem aut alia auctoritate factas penitus revocando, ipsosque collectores, subcollectores et receptores ab eorum officiis et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter amovendo, tibique nichilominus per te vel alium seu alios, dumtaxat fide et facultatibus idoneos, nostro et dicte ecclesie et Camere nominibus a quibuscunque prelatis, collegiis, capitulis, conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, etiam laicalibus personis, necnon universitatibus et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumcunque Regni, provincie, civitatum et diocesum predictarum omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates nobis, ecclesie et Camere apostolice predictis debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon denarii sancti Petri, et etiam oblata et data pro cruciata in subsidium contra Turcum, pro indulgencia iubilei, et quibusvis aliis indulgenciis per nos aut predecessores nostros concessis, fructus quoque, redditus et proventus quorumcunque beneficiorum de facto occupatorum, ac etiam fructus et proventus primi anni beneficiorum auctoritate apostolica collatorum et inantea conferendorum, ac omnia et singula iura nobis et ecclesie et Camere predictis in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus huiusmodi quacunque ratione vel causa debita seu debenda, ad nos, eandem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, communibus et minutis servitiis prelatorum ad quorumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis, levandi, petendi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque collectoribus, subcollectoribus et receptoribus, necnon inquisitoribus heretice pravitatis et officialibus aliis pro dicta Camera in Regno, provincia, civitatibus et diocesibus predictis deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negocia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad hoc compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi, recipiendi et de receptis quitandi, liberandi dumtaxat et penitus absolvendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis et preheminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem, et alia iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendo, necnon contra quoscunque tibi vel subcollectoribus et aliis officialibus tuis iniuriantes, seu te vel alios coniunctim vel divisim in executione negotiorum dicte ecclesie directe vel indirecte quomodolibet impedientes auctoritate predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, si et necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis aut Camerario nostro seu eius locumtenente personaliter, vel alias legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sentencias excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores tuos

vel eorum subcollectores coniunctim vel divisim latas, et imposterum quomodolibet ferendas aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sentenciis absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, divina celebrando vel se illis immiscendo quomodolibet contraxerint, auctoritate apostolica dispensandi, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una vel duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et earum totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus habenda esset mentio specialis, Seu si aliquibus vel eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem; ita tamen, quod de fructibus, redditibus et proventibus et bonis aliis quibuscunque ipsi Camere debitis persolvendis ultra annuam dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, si vero parve, in duabus etiam ultra unum dumtaxat succollectorem non deputes seu constituas, et quod omnium et singulorum subcollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, ad dictam Cameram clare et distincte transmittas, et singulis bienniis de receptis et gestis per te et substitutos tuos in huiusmodi collectorie officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in apostolica Camera coram gentibus ipsius tenearis, necnon quicquid in predictis te recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis, aut Camerario nostro vel eius locumtenenti predictis vel gentibus ipsius, quantocius poteris, transmittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus dilecti filii nostri Raphaelis sancti Georgii ad Velum aureum sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, Camerarii nostri, fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique subcollectores per te deputandi idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudentiam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus exinde subsequantur, tuque apud nos et sedem predictam non immerito valeas commendari. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MCCCCLXXXXVI. Quintodecimo Kalendas Ianuarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Offic. Tom. CV. fol. 267.

CCXCIV.

Cum Ioachimo marchione Brandeburgensi et Elisabeth nata Casimiri regis Poloniae super matrimonio ineundo dispensatur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Ioachino Marchioni Brandeburgensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Helisabeth clare memorie Chazimiri Polonie Regis nate, salutem etc. Romanus pontifex cunctorum fidelium, presertim catholicorum Principum et generis nobilitate pollentium tranquillitati diligenter intendens, votis illis libenter annuit, per que ipsi salubribus successibus gratulentur. Oblate siquidem nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod vos ex certis rationabilibus causis ad hoc animos vestros moventibus desideratis invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio consanguinitatis gradu invicem estis coniuncti, huiusmodi desiderium vestrum adimplere non potestis, dispensatione apostolica super hoc non obtenta: quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis super hoc de oportune dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos et quemlibet vestrum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum, ut matrimonium inter vos, dummodo tu, filia Helisabeth, propter hoc rapta non fueris, libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nuntiantes, Non obstantibus impedimento predicto, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Decimo Kalendas Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. CII. fol. 447.

CCXCV.

Alexandro magno duci Lithuaniae, ut ad sollicitaudam generalem expeditionem contra Turcas oratores Romam mittat.

Alexander episcopus etc. Charissimo in Christo filio nostro Nobili viro Alexandro Magno Duci Lithuanie, salutem etc. Quanto studio et labore contenderint felicis recordacionis pontifices maximi predecessores nostri, ut christiani principes ac potentatus, mutuis simultatibus odiisque depositis, contra immanissimos Turcos Crucis Christi ac Reipublice christiane perpetuos hostes in unum convenirent, omnibus nacionibus exploratissimum esse non ignoramus. Monebant enim eos primo immense atque inaudite calamitates, deflendaque excidia ab illis totiens christianis illata, ne tantam christiani sanguinis effusionem atque ignominiam conniventibus oculis ferre viderentur. Deinde cum eciam graviora christianorum omnium cervicibus ab eis pericula imminerent, totis viribus omnique conatu immanitati illorum occurrendum esse necessario extimaverunt, ne furor illorum crudeliter debachatus in ipsius christiane Reipublice perniciem longius serperet. Eam ob rem, ut superiora tempora ommittamus, post captam Constantinopolim, eversumque cum ingenti clade pariter Grecorum Imperium felicis recordationis Calixtus tercius, noster secundum carnem avunculus, in hanc sanctam expedicionem ferventissimus christianos principes per litteras suas contra communes hostes exhortatus est, classemque maximam, presidente ei Legato de latere, transmisit. Succedente postea Pyo secundo, cum eadem urgeret immineretque necessitas, conventus Mantue celebratus est, ac duo ex sancte Romane ecclesie Cardinalibus Legati ad Germaniam et Hungariam destinati sunt. Cumque ea, que in eodem conventu saluberrime decreta fuerant, variis de causis et dissidiis ad optatum finem perduci non potuissent, et everso funditus Bossine Regno, universaque Peloponesso in miserrimam Turcorum servitutem redacta, quotidie magis ipsorum Turcorum vires contra nos invalescerint, optimus pontifex seipsum tanquam hostiam deo placentem in talem expedicionem usque ad mortem exhibuit. Paulus secundus interruptam subinde predecessorum obitu expedicionem pye continuavit, ac magnam vim pecuniarum unacum Oratore suo in Hungariam misit, duosque item de latere Legatos, alterum ad Italicos potentatus, alterum in Germaniam ad Ratisponensem conventum eam ob causam indictum destinavit, atque ita firmo et immutabili proposito fidei causam, donec vixit, prosequutus fuit. Sixtus quoque quartus eodem fidei deffendende zelo permotus, pluribus de latere Legatis, nunciis et litteris pro pace inter christianos principes componenda destinatis, ut huic expedicioni se liberius accingerent, classe quoque ingenti bis contra Turcos missa, christianorum principum et potentatuum animos, quantum in se fuit, ad hanc necessariam expedicionem verbo et exemplo excitare non destitit, idque cum alias, tunc maxime per eosdem Turcos Rhodo obsessa et paulo post Hidrunto in Italia expugnato, adeo ut, nisi divina clemencia nostri miserta, crudelissimum illum Turcorum tirannum de medio subtulisset, parum abesset, quin calamitas illa per Italiam primo, ac deinde per alias christianorum regiones lacius vagaretur. Eodem affectu Innocentius immediatus predecessor noster incitatus, nichil et ipse circa hanc sanctam in Turcos expedicionem sumendam intentatum reliquit, ut Maiestati (sic) tue notissimum esse non ignoramus. Nos autem post nostram ad summi Apostolatus apicem assumcionem Turcorum hostium potenciam longe lateque diffusam considerantes, ac cedibus, rapinis, omnique preterea vastacionis genere per universum pene christianum orbem terra marique crassari videntes, cum maxima strage in Hungarie et Polonie regnis, totaque Croacia ac Dalmacia iidem Turci cecidissent, Sanctorum templis, altaribus arisque subversis, direptis, prophanatis, incensis vastatisque oppidis, trucidatis cesisque quampluribus hominum millibus, abductis pueris innuptisque puellis, usque etiam ad Italiam per Germanie finitima omnium capitibus insultantes, secuti predecessorum nostrorum vestigia, pastoralique nostro admoniti officio, ut, quantum possemus, gregem nobis commissum ab huiusmodi periculis servaremus, a pontificatus nostri primordiis huic potissimum rei animum adiecimus, ac per ipsos Turcos ingenti illata in Croacia clade non procul haud(?) Signium territorio, audito nuncio, quibus potuimus, auxiliis presidiisque fractos labentesque nostros illic milites fovere, iuvare consolarique non ommisimus, crebrisque litteris et nunciis principes christianos ad hanc expedicionem permovere atque impellere curavimus. Non placuit altissimo, ut indefesse admoniciones, deprecacionesque nostre exaudirentur. Nunquam tamen propterea destitimus, quin habito cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus tractatu et matura deliberatione, quonam modo labenti christiane Reipublice succurri posset, in commune consuleremus. Cum autem non he sint apostolice facultates ac vires, ut per seipsam tantam belli molem sola substernere possit, ne-

cessario ad id devenimus, ut Maiestas tua et reliqui christiani reges, principes ac potentatus, rebus iam inclinatis, in commune non tam consulant, quam cum effectu operam omnem suam impendant, qua immanissimis his belvis christianum sanguinem sicientibus mature occurratur: neque enim dubitare possumus, quod si Maiestas tua, cui fidei catholice defensio pro regie dignitatis fastigio incumbit, unacum plerisque christianis principibus presenti necessitati succurrat, quin optatus victorie finis, opitulante nobis altissimo, subsequatur. Et quoniam res eo discriminis devenit, ut securis ad radicem posita esse videatur, nec amplius prorogandum aut tergiversandum locus supersit, cum terra marique potentissimus nobis hostis immineat, et proxima estate, ut non latet tuam Maiestatem, Illiricum pene omnem, Iadrense ac Tharvisium agrum predabundo milite pervagatus, omnia incendio, rapinis incursionibusque crudelissime devastavit, multaque christianorum millia in servitutem infelicissimam abduxit, validissimaque classe comparata Naupactum expugnavit, ac in suam dicionem redegit: habita sepe numero cum eisdem fratribus nostris deliberacione, quam necessariam(?) omnino esse existimavimus ad universos christianorum principes et ad tuam Maiestatem scribere, quam hortamur, ut pro singulari sua sapiencia ac rei magnitudine, proque instanti evidentique periculo omnia hec attentissime metiatur, ad quod semper Maiestas tua pre se tulit, tam sancte, tam necessarie, tam deo placite expeditioni animum adhibeat atque intendat. Scribimus in eandem sentenciam ceteris regibus principibusque christianis, non dubitamus saltem hoc tempore, cum maius periculum immineat, paternas exhortaciones et admoniciones nostras exauditurus. Ut autem expedicius pro temporis, quod urget, necessitate omnia mature transigi possint, cum, ut diximus, tanta videamus discrimina ab ipsis Turcis impendere, ut nisi celeriter occurratur, primo sequenti vere tota Italia, moxque omnis reliqua christiana regio ipsis Turcorum viribus cessura esse, facile iudicari possit: Maiestatem tuam iterum atque iterum rogamus, atque ita, ut maiori studio, cura attentioneque rogari non possumus, ut Oratores suos hac de causa ad nos destinare velit, quibus tractande sancte huius expedicionis negocium committere, ita ut pleno sufficienti mandato ad providendum, concludendum contribuendumque in hanc sanctam expedicionem proximis Kalendis Martii in hac alma Urbe cum aliis principum oratoribus coram nobis conveniant, atque ita instructi talique facultate muniti veniant, ut non sit necesse post eorum adventum nova mandata perquirere, nunciisque ac litteris tempus atterere, quod, ut diximus, valde nos urget, nec dilaciones longasque consultaciones patitur: nam nisi eo tempore expeditio hec re ipsa atque effectu suscipiatur, strenueque suscepta sustineatur, frustra postea consilia presidiaque perquirentur. Quantum vero ad nos et hanc sanctam sedem pertinere cognoverimus, prout per nos et ipsos tuos ac aliorum principum oratores conclusum fuerit, pro hac sancta, pya necessariaque expedicione omnia adiumenta subsidiaque tam spiritualia quam temporalia, ut sancte memorie predecessores nostri fecerant, pro virili nostra promptissime subministrabimus, et si necesse fuerit, nos ipsos huic sancte expedicioni libentissime spondebimus et dedicabimus. Scriberemus plura, nisi sciremus Maiestatem tuam pro singulari sua in fidei causa cura ac diligencia, pioque ac catholico animo sua sponte satis in hoc propensam esse, nec externis multisve suasionibus indigere. Datum Rome etc. Anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono etc.

Ex Reg. orig. An. VII. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 119.

CCXCVI.

Iosephus Kiovieusis totiusque Russiae metropolita pontificem de sua unione cum Romana ecclesia certiorem reddit.

Omnium sanctorum sancti magni Dei providentia totius mundi principi magno, soli universi orbis candelabro, ecclesie lumini, Sacrosanctissimo patrum patri, originali pastorum pastori, beato ac beatissimo Alexandro Sacrosancte Romane ac Universalis catholice ac apostolice ecclesie Pontifici maximo, dignissimo Vicario Christi, sedenti in Trono principis Apostolorum Petri, in voluntate gratuita omnipotentis dei ac patris collocantis te super eodem solio ad imaginem divini Verbi sui, largitorem gratie sanctissimi paracliti Spiritus toto orbe cunctis ecclesie sacris ordinibus fidem suscipientibus iuxta dignitatem graduum, ceterisque christicolis in Christum credentibus, unicuique secundum mensuram virtutis et meritorum, credentibus verum filium Dei Christum, quibus largiris pacem, misericordiam et salutarem benedictionem, virtute concessa ab omnipotente eterno immortali Deo, in salutem omnium animarum: talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, regeneratus luce immense claritatis, que illuminat omnem hominem venientem in mundum, assistens continuo Trono maiestatis magni Dei ad perficiendum obsequium secundum formam tibi per

spiritum divinitus monstratam. Sacratissime Pater, non in Sinai, sed in sancto celesti monte ad serviendum sanctis et Tabernaculo vero, per solum Deum, non hominem facto, offerre digne Sacrificium vivum, sanctum, placens Deo pro semetipso et pro populo. O beatissime Patriarcharum Pater, sic magnus, sic beatificatus incomparabili dignitate apud Deum! Quis enim hominum explicare potest admirabilem magnitudinem Sanctitatis tue, qua per solum Deum decoratus fulges pre cunctis filiis hominum, gloria et honore coronatus, maxime pastor, orbis doctor, alter Moyses, plusquam Aaron glorificatus, fortior Iosue, introducens nos in terram promissionis, non transitoriam, sed eternam, fidelior Samuele inter prophetas, unctus oleo et coronatus diademate felicius, quam David, augendo doctrine magnitudine Imperium Romanum magis, quam ille bellando Hierosolimitanum, amictus vestimento glorie plus Salomone? Quid plura? omnino verbum nullum ex nobis inveniri potest ad explicandum laudes Sanctitatis vestre: quam enim gloriam nos immeriti afferre possimus ei, qui est ab altissimo Deo super omnes glorificatus? Beatissime Pater, ac Sanctissime vir Dei, hanc minimam laudem offerimus tibi ex cordis affectu et ardore fidei et caritatis, quam gerimus erga tuam Sanctitatem, quoniam ab omnipotenti Deo fidelium animarum pater designatus et Spiritus sancti regeneratione Papa orbis nominatus, et sancte magne Universalis Catholice et Apostolice Ecclesie Pontifex maximus, reformatio fidei, Turris fortitudinis a facie inimici, amicus dei ad offerendum Deo sacrificium in odorem suavitatis, Sanctissimum Corpus et sanguinem filii eius dilecti domini nostri Ihesu Christi pro totius mundi salute, ac pro errabundis ovibus, que perierant, domus Israel domini, ut piissimus Deus secundum magnam misericordiam dispersos iterum congregaret, et universum orbem ad unum gregem colligeret, ut sis unus Summus omnium Pastor. Ego enim credo et confiteor te esse omnium fidelium pastorem, et Universalis ecclesie ac omnium sanctorum Patrum ac Patriarcharum Caput, cui humiliamus et inclinamus caput nostrum cum omni obedientia bone voluntatis, non compulsione vel necessitate, sed desiderio fidei et charitate cordis, cupientes a Sanctitate tua Sacratissimam benedictionem, quoniam tibi tradite sunt claves regni celorum ligandi atque solvendi, propterea ex nunc nos tue Sanctitati supplicamus: Sis pius nobis longe in Septentrionalibus oris habitantibus, ubi sunt regiones Russie sub ritu et observacione Orientalis Ecclesie: tenentes et observantes septem sanctas Universales Sinodos cum eisdem pariter octavam Florentinam Sinodum, et quecumque in eis per Sanctos Patres decreta sunt, comprobantes, adorantes universam et individuam Trinitatem sic credimus, et sic confitemur unum Deum Patrem omnipotentem, absque initio eternum ac ingenitum, et unum dominum Ihesum Christum filium Dei unigenitum, ex dicto Patre natum in divinitate ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et reliqua secundum Nicenum simbolum. Credimus et in Spiritum sanctum ex Deo Patre procedentem similiter et a Filio una spiratione, qui locutus est per prophetas. Credimus unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum etc. Hec est fides nostra, Beatissime Pater, sic confitemur, et ita credimus ac tenemus. De ceteris Sanctitati vestre specialiter referendis non scripsimus, sed commisimus filio et fratri ac consanguineo nostro generoso Iohanni, de quo Sanctitati vestre supplicamus, rogantes humiliter, quatenus intuitu precum nostrarum dignetur ipsum in omnibus referendis benigne exaudire, et ea nobis gratiose largiri. Confidimus magne sapientie Sanctitatis vestre, quod intelligendo nostrum ardens desiderium, supplicationem nostram cum genuflexione et capitis ad terram inclinatione Sanctitas vestra non despiciat, deosculationem quoque meam sanctissimorum pedum suorum acceptabit, desiderium cordis nostri adimplebit, et non molestabitur, unde ego una cum omnibus filiis meis letari et exultare valeam de talibus consolationibus Sanctitatis vestre. Confidimus enim, Beatissime Pater, auctoritati eiusdem Sanctitatis vestre a Deo concesse, quod Sanctitas vestra, quecumque velit, eadem potest, nos in tristitia degentes consolabitur, et spiritualibus donis adimplebit, nec repellet sub suam protectionem confugientem: videndo vero nos a Sanctitate vestra benedictionem accepisse, multi extranei cognoscent immortalem Deum et unigenitum eius Ihesum Christum, largitorem Sanctitati vestre tantam potestatem super homines in Universo mundo magna et mirabilia disponendi. Scripte et date Vilne anno ab origine mundi VMVIII. Incarnationis vero dominice Anno MD. XX. mensis Augusti, Indictione tertia.

(Ad hec Pontifex nichil rescribere voluit Metropolitano: quia vero Albertus Episcopus Vilnensis scripserat ad Pontificem in eodem negocio, misit Pontifex dicto Episcopo Breve.) Ex Reg. orig. An. VIII. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 41.

CCXCVII.

Instructiones ab Alexandro VI. datae XVIII. Novembris MD. cardinali Rhegino legato misso ad reges Hungariae, Bohemiae et Poloniae et eorum regna pro tractanda liga ad triennium et exspeditione contra Turcas, exhibendo contribuere ducatorum XL. millia singulis annis, licet redditus papae non excedant CC. millia, cum mandato transeundi per statum Venetum et idem tractandi cum Venetis, ac de modo belli et in illo contribuendi.

Instructiones P. tit. S. Ciriaci presbitero Cardinali Regino ad Reges Hungarie, Boemie ac Polonie, eorumque Regna et adiacentes partes Legato.

Alexander PP. VI. Dilecte fili noster, salutem etc. Cum res impiissimorum Turcorum, sicut omnibus palam est, cum aperto totius christianitatis periculo in dies fortius invalescant, cogitamus, quod semper hactenus fecimus, remedia oportuna adhibere, et quod potissimum iudicamus catholicorum principum animos ad eam rem movere, ut presto sint, ne propter temporis intervalla penitudo moram sequatur, neve posterior diligentia priorum negligentiam emendare possit.

Cumque noverimus, quantum circumspectio tua et prudentia et rerum usu valeat, quantumque etiam conservationi catholice fidei sit affecta, cum maximo animi ad hanc precipue expeditionem ardore elegimus personam tuam, tamquam huic muneri valde idoneam atque accommodam, quam ad Hungarie, Bohemie et Polonie regna ac alias adiacentes provincias in legatum, et velut angelum pacis mitteremus, sperantes operam tue circumspectionis cum omnium christianorum pace et quiete fideique exaltatione et laude tua futuram esse fructuosam.

Igitur circumspectioni tue in dei nomine ad legationem tuam proficiscenti iniungimus, ut per Romandiolam Venetias te conferas, ibique ducem et senatum illum nostro nomine visites, cui, apostolica benedictione denunciata, significes, quod cum adversus atrocissimos fidei nostre hostes pro nostro pastorali officio saluti ac defensioni christianorum toto cordis affectu intendentes, compatientes etiam calamitatibus istius dominii et cladibus sibi nuper illatis, necessariam expeditionem in eosdem hostes a nobis pridem institutam, auctore domino, suscipere proposuerimus, eaque de causa Cardinales Legatos de nostro latere ad catholicos reges et principes destinemus, nos etiam sequuti consilia ipsius dominii, hoc ipsum instanter suadentis, ad reges Hungarie et Polonie et partes illas te legatum transmittamus, quod per Anconam ad civitatem Signie, et inde in Hungariam breviori itinere proficisci posses. Tamen dices pro nostra in dominium peculiari charitate, et id mutue necessitudini eo nostre conveniret, nos voluisse, ut ad eos prius visitandos accederes, et summam et causam legationis tue instructionemque tibi per nos super agendis datam cum illis communicares, et insuper ipsos peteres, si quid aliud circa negotium hoc per te agendum et procurandum eis videretur, illud tibi declarare velint, quoniam magni facientes eorum consilia plena prudentia tibi commisimus, ut illa sequaris.

Declaratis itaque summo studio et ardore nostro circa ipsam expeditionem communicatisque secum quibuscumque, que cogitavimus de provisionibus faciendis, de tribus exercitibus, duobus scilicet terrestribus et uno navali, ac de tempore huiusmodi belli ad minus triennalis incipiendi per totum mensem Aprilis proximi futuri, et usque ad finem dicti triennii continuandi, deque deliberatione nostra cum Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus personaliter proficiscendi cum classe, si Serenissimi Francorum et Hispaniarum Reges, vel alter eorum personaliter veniet cum dicta classe, ut in instructionibus tuis plenius continetur.

Demum dices, quoniam ex multis causis eidem dominio notis ipse Rex Hungarie est precipuum et necessarium fundamentum totius expeditionis, sine quo nihil, aut parum contra dictos hostes sperare possumus. Ideoque eundem Regem cum tam per nos quam per ipsum dominium per litteras et nuncios nostros ad hoc bellum solicitare et animare curaverimus, ipse responderit se satis inflammatum, et reiectis omnibus concordie conditionibus per Turcum sibi oblatis, ad arma in eum movenda paratum, dummodo ei promissa oportuna subsidia durante bello subministrentur, ex quibus hactenus nihil preter verba habuerit, et insuper quod non modo de dictis subsidiis sibi prestandis sit certus, sed et quod ab aliis non deseratur, ne ipso bellum irrumpente postea, si desereretur, omnem belli Turcorum furorem in se solum convertat. Quapropter videntes omnem dilationem periculi plenam, ne interim prefatus Rex videns nihil preter verba sibi afferri acceptaret, quod deus avertat, aliquas pacis vel induciarum conditiones a Turco oblatas, ut cum re certa de huiusmodi subsidiis, sicut innotescit tue circumspectioni et oratori Veneto apud nos agenti sepius diximus, ultra subsidia ex Iubileo proventura et Cruciata in illis partibus per nos in eum tantum usum integre et gratiose concessa, etiam pro

nobis et sede apostolica ex omnibus introitibus nostris spiritualibus et temporalibus, qui in totum non ascendunt annuatim ad summam cc. millium ducatorum, deliberavimus singulis annis mittere eidem Regi in dicto bello continuanti ducatos XL. millia, orator vero predictus a nobis sepius requisitus quantam pecunie summam ipsi Regi mitteret, dixit se nullam habere de hoc commissionem, sed credere, quod pro rata sua mitteret cc. millia, quia plures alias habet et graves huius belli impensas.

Nos vero videntes rem tanti momenti cum nostro, ipsiusque dominii ac totius christianitatis periculo in longum protrahi, ut aliquando tam necessarium fundamentum cum Hungarie Rege firmare, et cum eo pedem figere possimus, tue circumspectioni dicimus et committimus, ut accommodatis verbis ipsum dominium roges atque requiras, quod postquam supra vires nostras ex dictis introitibus nostris hinc mittere ipsi Regi deliberaverimus singulis annis dictos ducatos XL. millia, velint et ipsi consideratis eorum introitibus resoluti respondere et declarare, quantam summam in predictum subsidium Regis annuatim persolvere, et ad saltem c. millia ducatorum, ut credere dixit eciam orator, promittant.

Et insuper eos requiras, ut assecurent dictum Regem, ei promittendo, quod ipsum durante dicto triennio non deserant, sed subsidia promissa prestabunt, et nullam interim pacem, inducias vel concordiam cum Turco tractabunt, practicabunt vel facient sine nostro et ipsius Regis consensu et aliorum, qui etiam in hac contributione actualiter pro rata sua concurrent, instando etiam, quod tecum ad Regem mittant oratorem suum in Hungariam, cum pleno mandato instructum ad promissa eorum nomine promittendum, et se obligandum in efficaci forma, et ad recipiendum similiter etiam obligationem Regis de irrumpendo et continuando bello contra Turcos etc. et similiter ad oratorem suum apud nos agentem mittant simile mandatum, per quod pro tutela nostra ac status nostri, et ipsius ecclesie promittunt contra Turcos nos et dictum statum nostrum defendere, et quod interim, ut prefertur, nullam pacem, inducias vel concordiam tractare, vel inire possint sine nostro et predicti Regis consensu, quemadmodum et nos promittemus, et exequemur, ut eos pro sua prudentia facturos non dubitamus.

Si responderint, quod non credimus, predictam summam c. millium ducatorum persolvere non posse, cum multas alias graves et innumeras expensas in classe instruenda, et aliis huius belli rebus subierint, et subire continue oporteat, quibus non sufficiant: respondere poteris nos non dubitare de huiusmodi eorum aliis sumptibus, sed tamen, consideratis publicis eorum introitibus ordinariis, ac decimis ecclesiarum per eos exactis et per nos in usum huius belli concessis, cum nos ex omnibus introitibus nostris ordinariis et extraordinariis ac decimis ecclesiarum non ascendentibus, ut prefertur, ad summam cc. millium ducatorum obtulerimus ipsi Regi Hungarie singulis annis dictos XL. millia ducatos, certe miramur fieri difficultatem aliquam in dictis c. millia ducatis per eos persolvendis, presertim in tanta rei necessitate, et cum de eorum precipue status preiudicio agatur, et ex causis predictis nullibi in hac expedicione alia impensa magis necessaria et oportunior ac utilior fieri possit aut debeat.

Quod autem dicunt de aliis magnis sumptibus per eos faciendis in hoc bello, dicas etiam nos preter predicta XL. millia et alios sumptus, quos subire oportet, non solum in muniendis civitatibus et locis maritimis, sed et in classe ac exercitu navali, ut in instructionibus tuis continetur, cum Regibus Francorum et Hispaniarum et isto dominio et aliis Italicis instruendo.

Quod si dixerint ad subsidia ipsi Regi Hungarie alios reges et principes esse requirendos, respondebis nos non cessare ad hoc etiam ceteros adhortari et requirere, quos speramus etiam eadem prestituros, sed instante urgenti necessitate dicimus non esse longinqua et aliena subsidia expectanda, sed pro eorum interesse propere providendum et subveniendum esse, ut Rex Hungarie firmetur, antequam aliquas capiat pacis condiciones cum dictis Turcis.

Quoniam etsi pro dei et christiane religionis causa bellum hoc commune videatur, tamen ad eos, quos Turcus precipue invasit, et de quorum statu, ut dictum est, nunc precipue agitur, ne maior eis et successive reliquis christianis clades subsequatur, ut postea provideri non possit, largiter ad remedia omnis pecunia effundenda est, que servata periclitantibus prodesse non possit, sicut superioris temporis multorum exempla nos admonere possunt.

Si vero dixerint super predictis petitionibus et requisitionibus per te factis, vel antequam resoluti respondeant, in eorum consiliis deliberare, respondebis hanc eorum dilationem nobis molestam futuram, precipue cum iampridem et sepius ipsorum oratorem de summa Regi Hungarie persolvenda, et promissione dictum Regem non deserendi, ut dictum est, alloquuti fuerimus, que non dubitamus ad eos omnia diligenter perscripsisse, itaque deliberasse iam potuerunt, quod videbatur faciendam.

Si dixerint velle consulere Regem Francie, cuius sunt confederati, respondere poteris huiusmodi dilationem esse etiam omnino supervacaneam, quoniam non dubitamus Christianissimum Regem in quibuscunque dictum bellum concernentibus nunquam defuturum, sed in huiusmodi subsidio Regis Hungarie, si aliquid mittat, vel non mittat, nescimus, tamen per nos et ipsum dominium satisfaciendum est debito nostro, et pro dicta rata nostra et ipsius dominii non videntur exspectande aliorum consultationes, quas imminens necessitas non patitur; imo exemplo nostro ceteri principes invitati ad huiusmodi subsidia prestanda facilius adducentur.

Preterea quanta potes aut scies efficacia et diligentia insistas, ut de omnibus predictis etc. de predictis c. millibus seu de alia certa pecunia per eos Regi Hungarie persolvenda, et de eo Rege assicurando, ut prefertur, quod sine nostro et illius, ac aliorum contribuentium consensu treguam vel pacem cum Turcis faciendam, et de eorum oratore tecum in Hungariam mittendo eum sufficienti mandatum ad premissa, et de simili mandato ad oratorem suum apud nos agentem transmittendo pro tuitione ac defensione nostra et status nostri, ut dictum est, contra Turcos tibi resolute et conclusive respondeant, eis declarando tibi commissum esse, sicut etiam committimus et mandamus, donec conclusivum ac resolutum super premissis responsum, et exequutionem effectualiter habueris, inde non discedas, dicens te velle uos consulere, quoniam sine premissis legatio tua esset frustratoria et nichil proficeres apud istum Regem et nationem Hungaricam.

Quod si nec super dictis c. millibus ducatorum, vel alia certa summa responderint, neque de oratore suo cum dicto maudato tecum in Huugariam mittendo ad promittendum ipsi Regi etc. et alio ad nos se non resolverint, de omnibus ad nos scribas, et ibi subsistas litteras et responsum nostrum expectando.

Si vero promittaut se velle solvere LXXX. millia tantum, et quod mittant predicta mandata in efficaci forma de uou deserendo Rege, et non tractanda vel ineunda aliqua tregua vel pace, sicut prefertur, cum Turco, scriptis ad nos litteris tuis, iude progredi et iter ad provinciam tibi decretam continuare poteris.

Ex hinc cum adiutorio altissimi conferes te ad ipsum Carm̃um in Christo filium nostrum Wladislaum Hungarie Regem Illust. eique exhibito brevi nostro credititio nostro nomine salutem dices cum dono apostolice benedictionis, sibique amplissimis verbis declarabis, quantum sue Maiestati afficiamur, et quantum sumus et fuerimus studiosi honoris ac rerum suarum ob singularem eius in nos et apostolicam sedem observantiam, qua de causa plurimi existimantes Maiestatem suam, et nationem ac Regnum illud quoddam quasi antemurale et firmissimum vallum Italie et totius christianitatis, quecunque de imminentibus periculis christianorum, et de illorum salute seu provisionibus necessariis in eorum defensionem faciendis nobis occurrunt, per te legatum a latere nostro istuc propterea destinatum eidem communicanda duximus.

Quia vero preter predictum breve credititium tecum etiam afferes aliud breve directum ipsi Regi, et Prelatis ac Baronibus Regni sui, si placuerit Regie Maiestati, et circumspectioni tue videbitur magis expedire, post exhibitum primum breve credititium poteris Regem requirere, ut velit circumspectionem tuam audire, presentibus eiusdem consiliariis, prelatis et baronibus, coram quibus, ut sequitur omnia declarabis, presentato et perlecto brevi nostro ad eos directo.

Quare vel ipsi Regi simul et consiliariis, prelatis et baronibus predictis, vel sine illis, ut placuerit, diligentissime expones, quemadmodum nos statim ab initio nostre ad Apostolatus apicem assumptionis semper cogitatus omnes nostros eo dereximus potissimum, ut res christiana, quantum per nos fieri posset, ab infanda Turcorum rabie defensaretur, pro qua re misimus sepius etiam nondum exacto biennio tum litteras, tum nuncios, et demum hac de causa Maiestatem suam et alios christiauos principes monuimus, ut ad nos oratores suos cum sufficienti mandato beue iustructos mitterent, non tamen profecimus, ut desiderabamus, propter scilicet discordantium christiauorum animos, et eorum frigescentem desidiam, et peccatis etiam nostris causantibus. Ecce, sicut iam Maiestati sue notum est, nunc tirannus ille Turcorum crudelissimus christiani sanguinis sitibundus, ex christianorum negligencia pariter et simultate animos assumens, quod dolenter referimus, capta superiori anuo Naupacto, et nuper expugnatis direptisque duabus aliis Veuetorum in Peloponeusi lictore urbibus, Methone et Corona, ad res bellicas opportunissimis, magnaque edita clade ferocius in christianos assurgit, et per tota illa litoralia loca liber debacchatur, nulli sexui, nulli etati, nulli ordini parcendo, et sacra omnia pariter prophanando et polluendo, fitque victoria quotidie insolentior, et ad interiora iam Italie penetrare omni

conatu meditatur, cuius furori nisi opportuno tempore obviam eatur, obsessam, immo oppressam Italiam inspiciemus cum universe christianitatis, quod deus avertat, desolatione et calamitate.

Et cum res tanta nullam vel minimam moram patiatur, hortaberis Maiestatem suam accommodatis verbis, velit pro sua Regia generositate communem hanc causam amplecti et ostendere, quatenus dei et christiane religionis fideique orthodoxe zelus in eius catholico et pientissimo animo situs sit, prout etiam ex suis litteris sepe intelleximus, quibus se promptissimum ad hoc semper fore declaravit, facile alios inducet ad opportuna auxilia afferenda, si ipse in primis, in quem tanquam optimum christiane religionis athletam omnium oculi sunt coniecti, adiumento erit, et profecto Maiestas sua in nulla alia re maiorem sibi gloriam vindicare potest, quam in hac fidei causa in tanta nunc rerum angustia constituta tantoque et tam imminenti periculo, a quo etiam Maiestas sua, si bene considerat, non longe abest, maxime propter dominia prefatis insolentissimis et potentissimis hostibus vicina et confinia.

Sciat insuper Maiestas sua nos totis conatibus ad hanc saluberimam et necessariam expedicionem intendere, nichilque a nobis possibile pretermitti, et misisse quoque alios legatos ad ceteros christianos principes, quos promptissimos futuros esse non diffidimus, et nos una cum Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, adhibitis spiritualibus et temporalibus sedis apostolice presidiis, in nulla parte deerimus, profecturi, ut infra dicemus, personaliter cum eisdem Cardinalibus, modo Maiestas sua alacri animo negotium aggrediatur. Ex quo quidem immortalem laudem apud homines, apud deum vero perenne meritum, et a nobis atque hac sede uberrimam commendationem reportabit. Verum, ut ad premissa celsitudo sua cum aliis principibus christianis possit quietius et liberius vacare, significabis ei, nos circumspectioni tue specialiter commisisse, ut omnem operam et diligentiam tuam interponere studeas, ut predicto Regi nostram et tuam offerre operam atque industriam ad sedandas et componendas discordias, si que forsitan inter Maiestatem suam et Cesaream celsitudinem vel aliquem Regem, aut alias prelatos et barones Regni sui vigerent. Ad quarum quidem discordiarum compositionem summo studio hortaberis Maiestatem suam, ut animum suum, quantum in se est, disponat, ne propterea tam necessarium opus interrumpatur, et privata causa publicam impediat. In qua re volumus, ut vice nostra apud prefatos prelatos et barones, et quoscunque tue legationis opus esse videris, opportune opereris, quo, sicuti diximus, omnis discordie materia vel tollatur, vel ex toto, si fieri possit, vel saltem ad aliquod longum tempus et adminus per triennium sopiatur et quietetur. Non enim ignorat sua Maiestas, et ipsi prelati et barones, quantum mutua charitas, et pax inter christianos Reges et principes ad hoc negotium fidei catholice conducat, quantumque necessaria sit, et e converso quantum detrimenti discordia afferat, cum sicut diximus et palam est, illa Turcorum vires magna ex parte auxerit, et animos ei addiderit, cum maximo et pene irreparabili christiane reipublice detrimento. Quare omne studium, diligentiam et operam interponere non cessamus, ut omnes christiani Reges et principes exhortationibus et monitis nostris adducti hanc pacem concorditer amplectantur, quos etiam inclinatos et ad eam ineundam propediem deventuros esse non dubitamus.

Quantum autem ad subsidia ministranda pertinet, de quibus alias Maiestas sua scripsit, pro certo iam teneat, quod cum effectu bona et opportuna provisio fiet, ita ut optimo animo esse possit. Ad id enim et Veneti bene dispositi reperiuntur, et nos pro virili nostra in nullo deerimus, super quibus, ut cum effectu provideatur, plenam facultatem promittendi tibi per nos datam, et similiter per Venetos oratori suo affirmabis, sicut Venetiis tecum conclusum fuerit.

Significabis etiam Maiestati sue, quod, sicut nobis videtur, tempus huiusmodi expeditionis et belli non potest, nec debet esse minus triennio inchoando cum dei adiutorio per totum mensem Aprilis proxime futuri, et ut sequitur finiendo, ut infra declarabitur.

Preterea perquirendum erit per circumspectionem tuam, et ipse etiam diligenter examinare debebis, cum quibus et quot gentium armigerarum et equestrium et pedestrium copiis, et pro quanto tempore velit bellum istud aggredi et continuare: nam exercitus sue Maiestatis et numero et robore militum, considerata hostis potentia, validus esse debebit. Et insuper interrogandum erit, que stipendia sibi a nobis, et a sede apostolica ac Venetis persolvi velit, que omnia tibi aperiat, quoniam re ipsa intellecta pro viribus necessitati sue providere curabimus.

Sciendum preterea erit, quantum de suo cum natione Regni sui eadem Maiestas sit expositura ultra pecuniam ex decima, cruciata et iubileo proventuram: que cum nostra et ecclesie sit, et ad nos spectet, in dictum tamen usum eis concessimus. Certe etiam Regie Maiestati sue conveniret, et ipsis

prelatis et baronibus, ut preter dictam pecuniam etiam ex propria, quantum possunt, in tam urgenti necessitate exponant, quod erit necessarium pro dicto suo exercitu, presertim cum ad communem fidei causam, cui per omnes subveniendum est, accedat etiam securitas statuum et dominiorum suorum, que propter vicinitatem subiacent continuis devastationibus, vexationibus et periculis Turcorum.

Hanc autem ob causam non ignoscat sua Maiestas, nos eidem decimas in regnis suis, cruciatam et iubileum gratiose concessisse, persuadeatque sibi, nos circa defensionem regni sui contra Turcos non minori cura quam sedis apostolice invigilare, et propterea nos et domini Veneti convenimus in hac expedicione velle cum Maiestate sua consociari ad minus per dictum triennium, qua volente ex nunc forti manu et iusto exercitu suo contra Turcos irrumpere, ac promittente et se obligante bellum per dictum triennium continuare, et interim cum Turcis nullam pacem, inducias vel concordiam tractare vel inire, nos ac dominium Venetorum efficaciter promittemus, quod Maiestatem suam non deseremus, sed annuatim per dictum triennium nos pro nobis et sede apostolica in subsidium suum ei dabimus ducatorum XL. millia, et dominium Venetorum ducat. c. millia vel circa, promittentes etiam, quod per aliquem ex nobis non devenietur triennio durante, et ipso Rege in hoc bello contra Turcas continuante cum Turcis ad aliquam treguam, pacem vel aliam concordiam sine consensu suo, nec cum eisdem Turcis aliquos tractatus concordie contrahetur, dummodo sua Maiestas idem ex latere suo promittat et exequatur, intervenientibus hinc inde obligationibus, confidentes etiam, quod reliqui catholici Principes ad huiusmodi expedicionem prompte concurrent, ut prefertur.

Quoniam vero circumspectioni tue satis innotescit summum et ardens desiderium nostrum parande huius tam necessarie et salutifere expedicionis in Turcos, in qua dies noctesque versamur, ac studia et curas omnes nostras convertimus, cum hactenus et litteris et Nunciis ac Legatis nostris continuo transmissis apud Reges et principes christianorum, peccatis nostris facientibus, parum profecerimus: ut eos saltem exemplo nostro ad huiusmodi expedicionem optatam ineundam et prosequendam excitemus, volumus ac tibi committimus, predicto Regi ac omnibus Prelatis et Baronibus illius Regni significes et affirmes deliberationem nostram omnimodam, per quam decrevimus cum sacro Collegio nostro ad hanc sanctam expedicionem non solum nostras, et ecclesie facultates omnes verbo et opera prestare, sed personam etiam nostram tamquam hostiam deo placentem omnino offerre, et quod reliquum est etatis nostre in dei atque ecclesie sue huiusmodi obsequium exponere. In quo proposito etiam sunt, ut nosti, venerabiles fratres sancte Romane ecclesie Cardinales apud nos agentes, qui nobis in secreto Consistorio nostro, habita super hoc matura deliberatione, unanimiter concluserunt et promiserunt, ad huiusmodi expedicionem se cum classe ad id instruenda nobiscum personaliter profecturos. Quare Maiestatem suam, Prelatos et Barones nomine nostro certificabis, nos et ipsos fratres nostros Cardinales eamdem deliberationem cum dei adiutorio modo infra dicendo effectualiter executioni demandaturos.

Quia diximus nos personaliter cum Cardinalibus profecturos, licet paucam rerum bellicarum peritiam habeamus, qui sacra, et non castra sequuti sumus, tamen volumus, cum Maiestate sua et Prelatis ac Baronibus communices quecumque pro huiusmodi negotio bene absolvendo consideravimus, que nobis valde oportuna, et ad propositum fore videntur.

Nam attenta hostis potentia, et amplitudine dominii sui, existimamus ad hanc expedicionem tres exercitus, et illos quidem validos esse necessarios, duos videlicet terrestres, tertium vero navalem, qui omnes uno eodemque mense, et si fieri potuerit, eadem die in terras hostiles irrumpant.

Sed quoniam Maximilianus Rex et natio Germanica non habent eandem commoditatem et oportunitatem pro instruenda classe, quam habent pro exercitu terrestri parando, et Serenissimi Francorum et Hispaniarum Reges et dominium Venetorum cum reliquis Italicis propter loca maritima, portus, et copiam navium ac triremium et hominum ad huiusmodi classem necessariorum habeant maiorem facilitatem, ideo nobis videtur, quod unus exercitus terrestris per Regem Romanorum et totam Germaniam, cui presit dictus Rex cum Legato sedis apostolice, instruatur; secundus vero exercitus instruatur per ipsum Regem Hungarie cum fratre suo Charissimo in Christo filio nostro Alberto Polonie Rege illustri, et Valachis atque fidelibus aliis in illis partibus adiacentibus, cui quidem secundo exercitui terrestri presit Regia Maiestas Hungarie et Bohemie etiam cum Legato nostro; et tertius navalis per nos et ipsos Francorum et Hispaniarum Reges, ac dominium Venetorum et reliquos Italicos dominos instruendus, quia ex causis predictis facilius et commodius possunt preparare classem ad hoc necessariam. Ad quam etiam requirenda erunt subsidia saltem pecuniaria a Regibus Anglie et Scotie, et in

eadem classe ducendus etiam erit aliquis bonus exercitus gentium pedestrium et equestrium, qui descendant, ubi opus fuerit, in terram ad oppugnationem et damna Turcorum.

Et quia nos cum prefatis Cardinalibus tum propter etatem et alia incommoda exercitus terrestres sequi non possumus, cum eadem classe proficiscemur, dummodo prefati Reges Francorum et Hispaniarum vel alter eorum, sicut speramus, personaliter venerint.

Significabis etiam ipsi Regi, ac Cardinali Strigoniensi aliisque Prelatis et Baronibus, nos in huiusmodi deliberacionem, inspirante domino, devenisse propter urgentem et instantem christiane religionis necessitatem et pressuram, cui nisi celeriter occurratur, actum esse videmus de rebus christianis: quoniam si nos cum ipsis venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus omnia bona nostra, et personam nostram, nullis dispendiis et incommodis, nullis vite periculis parcendo, in hanc expedicionem tam sanctam, tam necessariam exponamus, speramus etiam catholicos Reges et principes promptius exemplum nostrum, auctore domino, secuturos, et privatis odiis atque affectibus suis causam dei et proprium honorem preposituros. Qua de causa presentialem interessentiam nostram huic necessitati admodum oportunam iudicamus, idque, adiuvante domino, prospere eventurum ex eo nobis suademus, quod ad id non solum Cesaream Maiestatem, sed etiam Francorum, Hispaniarum atque Maiestatem suam et fratrem Polonie et alios christianos Reges optime dispositos et admodum propensos et sua sponte inflammatos videmus, etiam Hispaniarum Reges exhortationibus nostris inducti classem eorum satis validam et optime instructam in auxilium Venetorum contra Turcum miserunt, et iam cum Veneta classe coniuncta est.

Si Maiestas sua interrogabit, quid facturi sumus, si neque Rex Francorum, neque Hispaniarum venerint personaliter, sicut optamus, respondebis, quod in tali casu, nemine ex dictis Regibus personaliter veniente, nos etiam ab Urbe et terris ecclesie non discederemus, sed cum dicta classe legatum Cardinalem mitteremus, qui eidem classi preesset, quoniam persistimus omnino in proposito sollicitandi [dictum exercitum navalem et] dictam classem armandam per ipsos Christianissimum et Hispaniarum Reges, et per ipsum dominium Venetorum, ad quam nos etiam simul cum aliis principibus, dominis et communitatibus Italicis ad hoc concurrentibus ultra XL. millia predicta sue Maiestati mittenda, et ultra decimas et cruciatam ad nos spectantes propterea eis concessas, et alios graves et continuos sumptus, quos pro tuitione status nostri subire oportet, pro rata introituum nostrorum contribuemus. Nam si pro desiderio nostro expedicio generalis per omnes principes christianos, peccatis nostris facientibus, fieri non possit, nos tamen et Maiestas sua, si volet, ut optamus, et Christianissimus et Hispaniarum Reges cum Rege Polonie fratre suo, et dominium Venetorum simul cum aliis dominis Italicis contra Turcos consociati dictam expedicionem, auxiliante domino, suscipiemus pro rata nostra contributuri.

Preterea volumus simili studio circa premissa omnia alloquaris seorsim Prelatos omnes et Barones illius regni, et quemlibet eorum, quibus singulis declaratis premissis necessitatibus, desiderio nostro et resoluta predicta deliberacione nostra eundi personaliter cum ipsis fratribus nostris Cardinalibus in eandem expedicionem, ut prefertur, exhibitisque brevibus nostris ad eos scriptis, ipsos et operam suam quanta poteris efficacia requiras, ut non desint in tot angustiis ecclesie et christianitatis, sed apud ipsum Regem et ubi opus fuerit, partes suas et auctoritatem cum effectu interponant, ut ex habitis aliisque respectibus omnibus omnes discordie sedentur, et pax sequatur, ut concorditer hec tam necessaria expedicio a nobis tantopere concupita sine dilatione totis viribus suscipiatur ab eodem Rege, et ipsis Prelatis ac Baronibus Regni Hungarie modo predicto, instando etiam apud quemlibet eorum perquires et eos hortaberis, velint non solum iuxta facultates eis a domino concessas prompte et liberaliter exponere, sed etiam exemplo nostro personas suas prestare et sue Maiestatis castra sequi, et dicto Regi deo militanti continuo verbo et opera assistere: requirendus insuper quilibet ex eis per circumspectionem tuam erit, quantam summam pecunie ex propriis introitibus velit exponere ad expensas predicti Regii exercitus terrestris, cui sua Maiestas preerit, ad eamdem contributionem non solum prefati Prelati, sed etiam Barones et alii domini requirendi erunt pro qualitate introituum et dominii cuiuslibet.

Hec vero omnia volumus etiam seorsum communices cum venerabili fratre Archiepo Strigoniensi, quem nuper Cardinalem creavimus, qui cum plurimum gratia et auctoritate apud illum Regem possit, et eius consilio idem Rex agat omnia, exhibito ei brevi nostro et declarato precipuo in eum affectu nostro, quantique circumspectionem suam facimus, et quam confidentiam de eo habeamus, ipsum propterea ad Cardinalatus honorem promovimus: quare cum ipse sit egregia et excellens manuum nostrarum factura, commissionem nostram causamque legationis tue aperies, et in omnibus, que per te

agenda erunt, fidenter operam, consilium et auxilium eius, ut te dirigat, requires, et hortaberis eum propterea et rogabis, ut in omnibus tibi assistat et faveat tam apud Regiam Maiestatem, quam apud alios quoscunque, ubi opus fuerit, ut sublatis omnibus discordiis, si que istic vigerent, soli expedicioni in Turcos in tanta christianitatis necessitate atque periculo constitute pro desiderio nostro intendatur, ceteris omnibus posthabitis, quod eo magis et summo cum ardore et celeritate a circumspectione sua procurari debet, quo ipsa nuper per nos hoc honore et ampla dignitate Cardinalatus aucta et purpureo pileo insignita est: oportet enim eum, ut novit sua circumspectio, qui illa sit insignitus, non solum labores et pericula fortiter subire, sed etiam inflammatus fervore caritatis sanguinem effundere, et vitam pro fidei catholice amplitudine et ecclesia dei, ac nostra et apostolice sedis defensione exponere. Speramus circumspectionem tuam pro eius prudentia, virtute et auctoritate, nostroque intuitu in hoc negotio minime sibi defuturam, sed exspectationi de se nostre omni ope, auxilio et consilio, prout optamus, satisfacturam.

Preterea cum per litteras suas et venerabilem fratrem Epum Calliensem nuncium nostrum nobis significaverit et affirmitaverit, si eum Cardinalem crearemus, ipse ad nos illico veniret, ad prestandam nobis obedienciam et pileum rubrum nostra manu hic suscipiendum, circumspectionem suam hortaberis, ut quantocitius potest, ad nos veniat, quoniam eum avide expectamus, eius adventus nobis erit pergratus, ipsumque in honore habebimus, et in nos fidem ac deditissimam mentem suam amplectemur, quin etiam a nobis in partibus illis legatus apostolice sedis creatus in patriam brevi cum honore redire et ibi remanere poterit, et tu ad nos regredi.

Requires postea seursum operam et favorem venerabilium fratrum nostrorum Archiepi Colocensis, et Epi . . . circa predicta agenda, quibus etiam brevia nostra dirigimus, et cuilibet ex eis nostram in eos paternam caritatem expones: quos deinde hortaberis, rogabis et monebis, ut in tantis fidei angustiis et periculis, in quibus universa christiana religio versatur, velint tibi assistere, et partes suas apud Regem et quoscumque opus fuerit interponere, ut huiusmodi expedicio tam sancta et necessaria, et Regi et eius Regno gloriosa sine dilatione suscipiatur, et bellum tam iustum aggrediatur. In quo quilibet ex eis, si opem auxiliumque in hoc negotio tibi prestiterit, deo in primis, nobis christianeque reipublice, ac sedi apostolice et honori ac officio suo plurimum satisfaciet.

Similiter apud alios Prelatos et Barones Regni enixe instabis, quibus declarato summo desiderio nostro et rei necessitate, eos hortaberis, ut tibi assistant, et ut bellum hoc tam iustum tamque necessarium cum Rege concordibus animis in dei nomine sine dilatione animose aggrediantur, instanter requires: res enim amplius nullam patitur dilationem.

Ad extremum ostendes verbis amplissimis, quantum nos Maiestati sue afficiamur, quantaque ipsum et Regnum eius totum benivolentia prosequamur, et merito quidem, cum precipuam sue Maiestatis observantiam ac reverentiam in hanc sanctam sedem, et sedentem in ea quotidie experiamur, propter quod et nos et ipsam sedem erga se omni tempore bene dispositos futuros esse potest sibi non immerito persuadere. Preterea ne quid in locis illis et proximis nutriatur aut excitetur, quod eamdem sanctam expedicionem aliquo modo vel interumpat vel turbet, et maxime propter heresim in aliquibus locis illarum partium suscitatam advertes quam diligentissime ad res illas Boemas, Valachorum et Olmucensium, et ea omnia, ubi et apud quos necessarium esse videris, solerti cura operaberis, que huic rei conducere possint circa res Boemas, que sicut periculi plene, cum magna dexeritate et advertentia procedendum est, nec aliquid pro nunc innovandum nobis inconsultis.

Exinde simili modo adibis Carissimum in Christo filium nostrum Albertum Polonie Regem Illustrem eique exhibito brevi nostro, et enunciata salute cum apostolica benedictione, sibique declarata christianitatis necessitate, ac desiderio nostro et deliberatione per nos cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, et omnibus premissis similibus exhortationibus erga eum uteris, ut super hoc bello ineundo velit adversus communem hostem cum fratre suo Rege Hungarie concorditer convenire, et illud totis viris aggredi et continuare, presertim cum Regnum suum Polonie undique ab infidelibus vexetur, quorum potentia non sine maximo rerum suarum periculo et preiudicio augeri potest: cui etiam significabis hanc ob causam decimas, cruciatam et iubileum per nos similiter gratiose sibi fuisse concessas, et similiter per circumspectionem tuam perquirendum erit diligenter, cum quot copiis gentium armigerarum equestrium et pedestrium sua Maiestas pro parte sua velit hoc bellum aggredi continuandum ad minus per dictum triennium.

De stipendiis tamen nichil ei offeras.

Similiter cum quanto poteris studio exhortaberis et requires, ut securius et liberius huic expedicioni in Turcos intendat, curet omnio inire pacem et concordiam saltem ad aliquod longum tempus cum omnibus aliis inimicis et emulis suis, si quos habet, presertim cum finitimis et aliis etiam scimaticis, et in primis concordet et conveniat cum Rege Dacie et Svecie, ac etiam cum Magistris Prussie et Livonie ordinis beate Marie Teutonicorum, pro qua concordia et pace volumus omnem operam et studium, interposita etiam auctoritate nostra, adhibeas.

Similiter omnia premissa communicabis cum Cardinale fratre suo, eum nomine nostro rogando et requirendo, ut velit apud Regem, et quoscumque opus fuerit, partes suas ex animo et cum affectu interponere, et verbo ac opere, sicut officio convenit, in hoc tibi assistere, et exemplo nostro, qui ad hanc expedicionem personam nostram cum aliis fratribus nostris Cardinalibus offerimus, et ipse ex bonis sibi a deo et ecclesia sua collatis nullis parcere, sumptibus quandoquidem cum ad hoc ex Cardinalatus dignitate per nos sibi collata sit obligatior, et non solum facultates, sed proprium sanguinem pro defensione fidei catholice et ecclesie dei effundere tenetur.

Ceteros etiam Prelatos et Barones eiusdem Regni Polonie similiter adhortari et ad premissam expedicionem requirere et excitare cures.

Si apud aliquem ex prefatis Regibus Hungarie et Polonie intelligeres esse aliquem nuncium vel oratorem tiranni Turcorum, curabis diligenter, ut ab eisdem Regibus dimittantur et licentiantur, et omnis contactus seu practica pacis, tregue vel cuiusvis concordie penitus abscindatur et tollatur, et ab eisdem Regibus et quolibet eorum requiras, ut in valida forma promittant, quod bellum predictum continuabunt, ut prefertur, et eadem expedicione contra Turcos durante, pro qua eis gratiose concessa est cruciata et iubileus cum decimis, nullam possint, nec debeant cum Turcis inire seu tractare et praticare pacem, concordiam seu treguam sine nostro et apostolice sedis consensu, quoniam eosdem Reges eorumque Prelatos et Barones certificabis, nos similiter facturos et curaturos, ut etiam domini Veneti idem promittant. Speramus dictos Reges Hungarie et Polonie, et eorum fratrem Cardinalem Strigoniensem ac alios prelatos et principes dictorum Regnorum exhortationibus tuis aures benignas prestituros, et considerata undique rei necessitate a catholico animo et innate virtutis bonitate non dissensuros, quibus nos et hanc sanctam sedem amplissime offeres.

Cetera ad hunc effectum suplebit circumspectio tua iuxta gratiam tibi a deo datam. Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVIII. Novembris, Millesimo quingentesimo. Pontificatus nostri Anno Nono (sic).

L. CARDINALIS CAPUTAQUENSIS.

Ex lib. Instructionum Tom. LV. fol. 467.

CCXCVIII.

Ioanni Alberto regi Poloniae, quod ecclesiam Premisliensis Leopoliensi, quamdiu Andreas archiepus eidem praesit, univerit, pontifex scribit, et ipsum Andream una cum ecclesia Premisliensi commendat.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Charissimo in Christo filio Iohanni Alberto Polonie Regi Illustri, salutem etc. Hodie ex certis causis ecclesiam Premisliensem, tum per obitum bone memorie Nicolai Episcopi Premisliensis extra Romanam Curiam defuncti pastoris solacio destitutam, de fratrum nostrorum consilio ecclesie Leopoliensi, quamdiu Venerabilis frater noster Andreas Archiepiscopus Leopoliensis eidem ecclesie Leopoliensi prefuerit dumtaxat, auctoritate apostolica per alias nostras litteras univimus, anneximus et incorporavimus, prout in illis plenius continetur. Cum itaque, fili Charissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari, Serenitatem tuam hortamur, ut eundem Andream Archiepum et ratione unionis huiusmodi sue cure commissam Premisliensem ecclesiam predictam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, ipsos benigno favore prosequaris, ita quod idem Andreas Archiepiscopus Leopoliensis tue celsitudinis fretus auxilio in commissa sibi cura predicta ecclesie Premisliensis pastoralis officii possit, deo propicio, prosperari, ac tibi exinde a deo vite perhennis premium, et a nobis proveniat actio graciarum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo, Kalendis Februarii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 111.

CCXCIX.

Oratio Erasmi Vitellii praepositi Vilnensis, Illmi principis dni Alexandri magni ducis Lithuaniae secretarii, et oratoris ad Alexandrum VI. pontificem maximum ad praestandam obedientiam missi, Romae habita anno domini MDI. die Mercurii ultima mensis Martii, et pontificis responsum.

Salvator noster Ihesus Christus post multa ac varia divine ordinationis sue instituta unum designare voluit, cui ianuam regni sui celestis integerrima libertate gubernandam committeret, tue videlicet celsitudinis, Pontifex sancte, predecessorem illum primarium Petrum Piscatorem, et quod preceptis salutaribus ad perpetuam beatitudinem consequendam sanctierat in terris, hoc per unius potestatem et omnem credentium irrefragrabilem obedientiam firmaret in celis, sacratissimo attestante eloquio, cum dixerat: Tibi dabo claves regni celorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in celis, et reliqua. Que etiam ad te dicta nemo est qui ambigat, cum rite et legitime sedem hanc sanctam conscenderis, diligentique providentia fultus merito locum Petri possides. Itaque, Ianitor excellentissime, ut aperias, pulsare necesse est, et omne servitutis obsequium a christianis Principibus tibi supremo christiane religionis gubernatori, totiusque gratie et clementie conservatori, pulsa quavis temeritate, iuste prestari debet, quemadmodum in dies devotissime exhibetur. Quo monarchia christiana crevit florentissime, dum id, quod necessario facere debuit, sancto et benivolenti affectu non neglexit. Itidem nunc Illustrissimus dominus Alexander magnus Lithuanie Princeps per me instituit explendum, singulari ad hanc sanctam sedem permotus devotione et affectu. Tametsi vero habuerit presules dignissimos, et plures ducatus primores, viros equidem prudentes et militari balteo nobilissimos, quibus id peragendum digne committere potuisset, aut saltem eorum aliquem michi in collegam associare, hoc tamen repentinus bellorum insultus prohibuit, ubi inter magna et diversa discrimina magnis etiam consiliis et diversis militum experientiis indiget: quamobrem Ducalis Celsitudo ad complenda vota sua me solitarium deputare voluit. Et revera nisi me tum magnanimi Principis imperium, tum servilis et humillima parendi necessitas hortarentur et cogerent, nunquam tam grande et primum inter vulgus periculum subiissem, ubi me unum cunctis tacentibus prebeam audiendum, presertim coram tue Sanctitatis divino quodam numine et aspectu tam quam celeberrimo Revmorum Cardinalium ordine, que mentem humanam quantumcumque fortem et audentem tamquam micantia sidera deterrent, et fulgore prudentissimo consternunt, fiatque (si benedicti), ut tam sacre maiestatis novitate attonita paveat et titubet. Considero enim hoc in loco non nisi viros graves, consilio doctos, et etate maturos simile officium absolvisse, quorum vestigia dum attentius intueor, prepeditum michi dicendi ornatum, cum desit facundia, ademtamque oratoris dignitatem remota experientia animadverto, illuc enim continuus armorum strepitus litterarum rudimenta non admittit. Restat, ut periculum imminens, et notam erroris ac ignorantie tute evitare possem, divinam opem et tuam, qui dei in terris vices geris, clementiam cum venia imploro. Amplissimus ducatus Lithuanie ab annis quatuordecim supra centum, relictis gentilitatis erroribus, christianam religionem professus est, quam non miraculis convertentibus, sed sponte cognita veritate ad ducis ipsorum hortamenta devotissime susceperunt, et huc usque inconcussam constanter observant, ac in dies pro eiusdem catholice religionis honore et augmento cooperari non desistunt. Testantur id plurima dei templa munificentissime ornata, et sedes episcopales bene dotate et honestissime provise, tantum illi sub hoc brevissimo tempore ad fidem sanctam allecti, in sincera charitate et magna divini cultus dilectione profecerunt. Et ut terra ipsa per loci et gentis descriptionem tue Sanctitati paulisper cognita sit, liceat pace tua deliberata coram proferre. Est quidem Lithuania longe lateque patens provincia inter orientem et septemtrionem sita, noningentorum miliarium spacio in circuitu contenta, Sarmatiam Europe continuans, inclito Regno Polonie vicina. Maris Cimbrici in Baltico littus habet, Boristene et aliis fluviis utilissimis alluitur, qui alveorum magnitudine proprio impetu feruntur in mare, non mediocre cum maximis lacubus afferentes commodum, terram habet fertilissimam, que tritici omniumque frugum copiam germinat, melle habundat, quo aqua cocto loco vini utitur tantumdem saluberrimo: aurum et argentum plurimum semper accipit pro cera, quam de melle extrahit sufficientissime, et illam sola ad longinquas regiones transmittit. Diversa etiam commercia mari illi Germanico oportune suggerit, pro quibus sal, vinum, species et pannos egregios facillime conquirit. Pelles omnium generum rariores toti fere orbi communicat, cervos, bisontes, onagros usui humano convenientes in magna multitudine gignit. Relinquo cetera, que soli bonitas pro utilitate patrie illius et decore profert gratissime: utcumque enim multa enumerare vellem, plura me pretermisisse comperiam. Habet preter

ea virorum sobolem audentissimam, tam corporum eminenti robore, quam etiam animorum connata quadam industria pulcre a natura provisam. Nullius unquam preter ducis sui paruerunt imperio, qui dum alios etiam duces ditissimos sibi habeat subiectos, solus magni ducis titulum per excellentiam ferre potest. Linguam propriam observant. Verum quia Rutheni medium fere ducatum incolunt, illorum loquela, dum gracilis et facilior sit, utuntur communius. Exteros homines de virtute ipsorum singulari quadam gratia et affectu prosequuntur. Contra rectum et honestum nichil unquam moliri possunt, sola simplici veritate bene docti, et fide illesa munitissimi.

Sed prohdolor! Thurci religioni Crucis sancte hostes acerrimi, quemadmodum per annos plurimos, et presertim hisce temporibus regna, principatus et alia Christianorum dominia vastaverunt et depopularunt, nonnulla etiam loca sue potestati et imperio miserabiliter subiugantes: sic quoque Tartari Christiano etiam nomini infestissimi, eidem secte Machometice concatenati, neque minus potentes ipsorum tirannidem et crudelitatem atrocissimam contra ducatum illum diverterunt. Habet namque ducatus iste duos Scitarum Cesares potentissimos lateri suo contiguos, unum trans Tanaim fortiorem, qui centum milibus equitum in statione campestri ponere potest, et hic remotior est, paludi Meotide applicans, alterum circa Boristenem Caphe finitimum, qui etsi primo debilior sit, propinquus tamen, quo facilius continuas incursiones in finibus ducatus facere solet, et quia Caphe vicinus est, quam Thurcus possidet, dum maioribus viribus pugnare contendit, etiam Thurci Caphensis auxilium conquirit, cum quo sortem equalem in dividendis spoliis per modum pacti observat. Ab hiis ducatus Lithuanie per potentes et creberrimas incursiones assidue impetitur, et iacturam accipit. Super quorum insultus quamvis Ducalis Celsitudo diligenter tempore quolibet animo advertat custodiam et militum presidium in finibus adhibendo, raro tamen cum eisdem prelium committi potest: nam genus est hominum fugacissimum, arcu, sagitha et framea armatorum, quippe qui luporum more clandestinis incursionibus dediti nunquam in acie persistunt. Et cum dux ipse pro debito tutande reipublice potentem adversus eosdem hostes profectionem parat, et cum interdum castra sua ipsorum residentie propinquius admoverat, illico ad campestria et paludinosa latibula remotius aufugiunt: tantum enim equorum celeritate et sua quadam patientia in perferendis laboribus prevalent, ut quod nostri per biduum cito satis transitu ire possunt, hoc illi dietim celerrime transvolant, neque eis estus aut algores nimiaque asperitas difficultatem prebent, sola gramina quantumcumque grossa equis eorum sufficiunt, que hiemis tempore, dum nive profundissime tecta sint, ungula querendo excutiunt, et tanquam recentibus pabulantur. Illis equi fessi, laboribus consumpti, dum iam viribus destituuntur, esca sunt placidissima, et sanguis in modum pulmenti cibus est nobilior. Sola aqua etiam paludinosa et utcumque turbida sitim restingunt. Quibus [si] contenti facillime per illos campos latissimos, ubi nil preter celum et terram conspicatur, veniunt depopulatum et redeunt: milites vero ducales, quia tantum defectum pro sua et equorum condicione sustinere nequeunt, si eos in oris ducatus intrantes aut exeuntes profligare neglexerint, amplius insequi non possunt, itineris longitudine et alimentorum penuria prohibente. Dum igitur eadem Tartarorum gens ferocissima quotannis, imo et mense quolibet sine ulla intermissione ducatum hunc damnificet, continuum et pene indelebile cum eis bellum gerit, nullo unquam subsidio de vicinis Christianorum dominiis habito. Nuper vero dum Illustrissimus magnus dux ex litteris tue Sanctitatis intellexerat, omnes Christianorum principes ad unanimem actionem contra atrocissimos Thurcos preparari, gratulabatur plurimum, quod, semotis discordiis intestinis, publice utilitati consuleretur attentius, que prudentissima providentia tua pro pastoralis dignitatis officio instituere curavit, ad illud tam sanctum propositum totam universitatem christianam paternis hortamentis invitando. Quandoquidem cupiat desideranter gregem dominicum a luporum rapacitate protegere, ut illa hostilitas potentissima, que per tot tempora divisis et privatis defensionibus vinci non poterat, sic coadunatis viribus, Christo annuente domino, superaretur commodius, et de propriis etiam sedibus pulsa facilius aboleri possit, rediretque ad perpetuam tui sacri nominis memoriam pax nova in terris. Quibus motus dux ipse conceperat sub eodem tempore pertinenter (?) uni Tartarorum Cesari Caphe finitimo bellum totis viribus inferre, durante eadem Christianorum actione, ne Turco in subsidium venire potuisset. Et pro liberiori actione sua celerique effectu treugas pacis cum altero Tanaita pepigerat, iamque belli primitias huic anno transacto dedicarat, nisi eum ducis Moszkovie fraus et fracta fides per bellum temerarium et iniustum a proposito retraxisset. Vult tamen adversus Tartaros instituta constanter prosequi, dummodo captam cum Moszkovitis actionem, iustitia sancta auxiliante, feliciter terminaverit. Ortum tanti principis di-

gnissimum paucis explicabo. Habet enim sublimitatem generis clarissimam, de domibus regum et alta principum familia honestissime deductam, cuius avus eiusdem ducatus habens gubernacula, reiecto errore, primus fidem Christi suscepit, illico nutu quodam divino in Regem Polonie electus. Vitoldus vero frater suus, sacro etiam baptismate tunc insignitus, in administranda republica doctissimus, severitatem pietate moderans, ducatum mira equitate et providentia regebat, ut suis semper nedum preesse, sed prodesse magis curaverit. Hic primus illis leges condidit, et plurimas edes sacras pro amplianda fide construxit, in defendendo ab hostibus dominio strenuus fuerat et invictissimus propugnator: unde per laudem et famam omnium vulgarissimam magnum nomen tempestate sua promeruerat. Que dum Cesar Sigismundus perfectius didicisset (provincie etiam amplitudine motus), sibi coronam per oratores proprios duxerat transmittendam, et ut regia fulsisset maiestate, indulsit: voluit enim iustissimus ille princeps et verus augustus virtutem condigno premio decorare cunctis in exemplum. Sed antequam oratores sui venientes iter captum perfecissent, mors Vitoldum celerius quam debuerat oppressit. Moriebatur demum Rex Polonie germanus, cui succedebant filii, Vladislaus in Regnum, qui postea et Hungaris prefuit. Hic pro sancta religione contra gentem Machometanam viriliter pugnavit, una cum Iuliano Cardinali gloriosissime occubuit, multis antea triumphis honorifice de hoste reportatis. Kasimirus tandem frater suus, qui post patris obitum ducatum Lithuanie per electionem obtinuerat, iterum post fratris necem ad regnum accipitur. Hic per multos annos utrumque dominium felicissime gubernans prolem reliquit ingenuam, equibus maiorem, dum vixerat, regno Bohemie tranquille et sine quovis tumultu prefecit, et hic quidem ob prestantissimas animi sui dotes Hungaris etiam hodie imperat. Alterum vero sui nominis Kasimirum, adolescentem profecto doctrina et excellenti ingenio, ac vite probitate ornatissimum, mors invida, maiora parantem, surripuit: qui in urbe ducatus primaria sepultus, plurimis citra annos viginti claret miraculis, vota cuiuslibet suis apud deum meritis commendans, ut neminem spe frustrari permittat: que aliquando simul congesta huic sancte sedi declarabuntur cumulatius. Eodem ordine connumerandus venit etate iunior Illustrissimus Principes et Reverendissimus dominus Fredericus divina miseratione et tuo munere presbiter Cardinalis Episcopus, Archipresul Regni illius dignissimus, qui tanquam columna nitidissima totius Sarmatie ordinem ecclesiasticum illustrat, et in statu honesto diligenti regimine suo prudenter et mature conservat. Quid de filiabus venustissimis, Germanie ducibus propter loci vicinitatem honestissimo matrimonio iunctis. Sic optimus ille parens pro singulari voluptate sua talem prolis exaltationem videre poposcit et meruit. Quo vita functo, tertio genitus filius Iohannes Albertus nunc Rex Polonie Serenissimus, magna rerum experientia preeminens, paternam sedem pacifice conscendit: magni ducatus tunc etiam princeps mox Alexandrum quartogenitum in dominum et patrem patrie sub electionis ordine unanimiter (?). Iste omni virtute decoratus, gratissimum se nedum suis, sed exteris etiam omnibus hucusque exhibuit, quippe qui avo religionis integritate, et patruo fidei constantia et defensione, ac genitori gratia et connata benignitate similis censeatur. Animi vero magnitudine et insigni liberalitatis ornamento, magno illi Alexandro Macedoni equari potest: alia missa nunc facio, que siderum cursus per eum ad christiani nominis gloriam futura prenuntiat. Itaque, beatissime Pater, excellentissimus iste Princeps, ferventi et sincero affectu pro debito venerationis officio te unicum Ihesu Christi vicarium, Romane ecclesie et totius Christiane religionis Pontificem maximum recognoscit, cui firmam fidem et veram obedientiam prestat, ac perpetuo pollicetur. Que etsi serius quam debuerat, compleverit, loci tamen distantia et temporum inquietudo tarditatem excusant. Hoc ipsum faciunt universi ecclesiastici et seculares Lithuanie prelati, totumque illud popolosissimum dominium, qui omnes uno ore passim te verum et legitimum Petri successorem profitentur, et se eiusdem gratie humillime commendant.

Sed ne longiori sermone pias aures defatigare potius quam oblectare videar, sciamque excellentissimam prudentiam tuam, Pontifex Beatissime, rerum magistra experientia omnia hec nosse plenius, quippe qui Cancellariatus vices huius Sancte Sedis longissimis temporibus feliciter gubernaras, ubi domum hanc candide Aquile florentissimam potenter tuebaris. Constans igitur sis et effice, ut quod tunc pro decore huius clarissime familie impetrabas, hodie solita benignitate de navicule plenitudine effundas, et motu proprio largiaris, omnia namque potes. Dixi.

Ad hec summus Pontifex habunda satis uti voluit responsione, laudans et extollens mirifice avum, patruum, neque minus genitorem, et totam fere huius excellentissimi Principis generationem, virtute etiam ipsius commendata, predicans palam amplissimum ducatum Lithuanie, inclitaque regna Hun-

garie et Polonie vera antemuralia, et totius christianitatis contra gentem Machometanam propugnacula specialiter validissima extitisse, quaslibet demum orationis habite sententias sigillatim repetendo, egitque ducali celsitudini immortales gratias suo et Reverendissimorum Cardinalium nomine pro tanta ad sanctam Sedem Apostolicam reverentia et affectu: obtulit se tandem paratissimum ad omnia, que in eius et dominii sui ornamentum cederent. Oratorem vero ex singulari gratia prothonotariatus dignitate ibidem manibus propriis decoravit.

Ex Reg. orig. An. VIII. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 38.

CCC.

Alberto episcopo Vilnensi de egregio metropolitae Kioviensis, totiusque Russiae consilio una cum sua gente ad unitatem Ecclesiae Catholicae redeundi pontifex gratulatur, hortaturque, efficiat, ut id quam primum perficiatur.

Venerabili fratri Alberto Episcopo Vilnensi.

Alexander PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc. Magnam nobis letitiam littere tue attulerunt, quibus tuum erga catholicam fidem et hanc sanctam sedem zelum ardentissimum, et vehemens studium in reducendis ad unitatem sancte Romane ecclesie istius magni ducatus Lithuanie, et precipue in Metropoli Chyovyensi et Russie habitantibus populis nobis declaras, eiusque rei conficiende affirmas non potuisse meliorem occasionem offerri ea, quam nunc nactus es, quandoquidem Iohannes Iozeph, quem Chyovyenses et Russie populi ut pastorem et directorem tenent et secuntur, sese tibi offerat pro nobis et Romana ecclesia veram obedientiam prestiturum; quod etiam nobiscum per litteras et nuncium suum egit, et alios ex dictis populis pro viribus, ut id faciant, inducturum iuxta tenorem sacri concilii Florentini. Proinde petis, ut Iohannem Sopega dilecti filii nobilis viri Alexandri magni ducis Lithuanie in cancellaria Ruthenica secretarium et capitaneum super hiis audire, et tibi, quod in hac re agendum sit, respondere velimus. Commendamus plurimum tuam erga nos et sanctam hanc sedem devotionem, quam neque locorum distantia, neque perfidorum, quibus circumvallaris, insidie, neque depravata multorum scismaticorum et hereticorum mens aut potentia impedire potuerunt: quin in te nos et Romana ecclesia illud psalmiste comprobari inveniamus, pro patribus tuis apostolis nati sunt tibi filii, succedentes per tempora Episcopi, qui tipum Apostolorum gerunt. Apostolicam sane tu ipse curam et diligentiam imitaris, qui tam accurate et tam diligenter animum intendis, ut tanta provincia ad gremium matris sue Romane ecclesie revertatur, et sub uno ovili et pastore recipiatur. Credimus quoque, quod prefatus Iohannes Iozeph, quem litterarum et precipue sacrarum scientia, gravitate et prudentia preditum accepimus, divino spiritu tactus, ad gremium matris sue Romane ecclesie, a qua nulla unquam heresis exordium sumpsit, cuius fides, rogante domino, nunquam defecit, redire, et cum Apostolo Paulo vere predicatur unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis nostre, unus dominus, una fides, unum baptisma sicut et unus deus, summo cum animi desiderio cupiat: deumque onnipotentem precamur, ut devotioni sue zelum pro meritis agnoscat, et bonum cordis sui desiderium conservet et augeat. Verum quoniam indies videmus, quam plena sit vita mortalis laqueis offensionum, retibus vexationum, que adversarius noster, gigas venator, Nebroth, idest diabolus contra genus humanum tendit, et nobis cautio magna adhibenda est, ut laqueos et retia inimici illo forciores in verbo domini et sana doctrina dirumpamus et conteramus: scimus nobis a domino in persona beati Petri mandatum, Pasce oves meas, cum eas pascere, ut tenemur, totis conatibus laboremus. Curandum nobis est, ut sub uno Pastore unum sit ovile, ne extra ovile aberrantes oves per devia pereant. Prospiciendum nobis est, ne ecclesie congregatio constupretur dogmatum varietate, ne heresibus scindatur, sed virgo incorrupta unam fidem tenendo permaneat, et in Christo omnis grex nobis commissus unum corpus sit, omnia membra nostra equaliter diligimus, et propterea in singulorum amissione membrorum maximam iacturam facere videremur. Consultum tunc magis iri gregi nobis commisso cognoscimus, ovile sanum et immaculatum, prout tenuimus, custodire, quam labe aliqua heresis aut alio morbo infidelitatis pollutas oves admittendo incolumitatem ovilis nostri corrumpere. Gratum nobis admodum esset, ut dicti Iohannis Iozephi et eorum, qui cum eo sentiunt, obedientiam nomine Romane ecclesie reciperes, et iuxta decreta prefati concilii Florentini illos admitteres, tum propter salutem animarum suarum, tum quia confidimus hoc pacto alios dictarum provinciarum Kyovyensis et Russie homines ad Romane ecclesie unitatem redituros. Tamen quia tanta est integritas et sinceritas fidei nostre, ut illam suscipientibus non sit declinandum in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non sit in-

troeundum, mittimus tibi presentibus acclusum sanctum et salubre decretum dicti concilii Florentini, ut diligenter inquiras, quonam pacto isti, qui obedientiam Romane sedi offerunt, contenta in ipso decreto concilii intelligant, profiteantur et observent. Accepimus etiam a nonnullis, quod de processione Spiritus sancti, qui ex Patre Filioque procedit, neque in simbolo, neque in divinis offerendis eorum professionem aliquam faciant. De Sacramento quoque eucaristie, quod in fermentato pane, sed sub indebita et vili forma, et similiter et sanguinem sub alio liquore quam vini consecrent, et sub utraque specie per commixtionem panis, idest corporis, et vini, idest sanguinis Christi domini nostri iuxta ritus eorum consecrati etiam pueros communicent, quod nephas est dicere, nobis relatum est. De purgatione etiam ignis purgatorii et suffragiis mortuorum audivimus illos a concilio dissentire. Quod beatus Petrus a domino nostro Ihesu Christo primatum in universum orbem et supra omnem ecclesiam, ac plenitudinem potestatis ligandi et solvendi acceperit, illamque in successores suos transtulerit, ac Romanus pro tempore pontifex beati Petri successor, et verus Christi vicarius totius ecclesie caput, omniumque christianorum pater et doctor existat, a predictis populis pertinaciter negari intelleximus: quin etiam cum fidei nostre sacramenta ad salutem, robur et propagationem in Christo credentium instituta sint, in eisque requirantur forma, materia et minister, attente perspicitur, sub quibus materia, forma et quibus ministris apud istos Chyovyenses et Ruthenos sacramenta predicta fiant, et an celebrantes, vel alio modo utentes sacramentis secundum ritum Romane ecclesie abhorreant, et ab ecclesiis ac eorum celebrationibus quasi prophanos et ethnicos excludant, illorum communionem devitent. Ceterum supplicavit nobis Iohannes Sopega secretarius predictus, quod Iohannem Iozeph prefatum, ut verum Archiepum Metropolitanum ac primatem iuxta ritum Grecorum dilecto filio Alexandro duci Lithuanie prefato commendaremus, ac illi facultatem indulgentias concedendi interessentibus divinis officiis per eum celebrandis tam Grecis quam Latinis concedere dignaremur. Nos libenter desideriis suis annueremus, quandoquidem nobis persuadeamus, ipsum corde sincero ad rectitudinem fidei nostre conversum, ad unitatem sanctam cum Romana ecclesia tendere. Verum cum patriarcham Constantinopolitanum, sub cuius ditione Metropolis Chyovyensis est constituta, apud Romanam ecclesiam iam quinquaginta annis moram traxisse viderimus, ignoramus quo pacto ad Metropolim istam sine nostro aut dicti patriarche consensu pervenire potuerit, nec possumus eidem tanquam Metropolitano de huiusmodi petitionibus morem gerere, nisi provisionem de Metropoli predicta, renuntiato per eum provisioni vel prefectioni, quam aliunde habuisset, a nobis et sede apostolica acceperit. Petiit etiam idem Iohannes per nos sibi concedi, quod baptizati secundum ritum Grecorum, venientes ad obedientiam Romane ecclesie, non debeant rebaptizari, hoc si nobis, sub qua forma et quibus ministris baptizati fuerint, explicabitur, facilius peticioni sue complacere curabimus. Quod autem etiam postulavit de edificandis de muro ecclesiis Ruthenorum, et de admittendis ad obedientiam sedis apostolice et Romane ecclesie quibuscumque, qui ritus Grecorum sequi voluerint: si intellexerimus, eos decreta concilii Florentini servare, nec in sacramentis ecclesie, aut aliis articulis fidei a Romana ecclesia discrepare, cognoscent piam mentem nostram esse, ut accipiamus paterna caritate volentes ad gremium Romane ecclesie redire. Tua igitur fraternitas prefatum Iohannem Iozeph, et cum eo de fide nostra et Romane ecclesie recte sentientes hortabitur, ut cum videant martirii beatorum Petri et Pauli fulgorem, quo Romana ecclesia illustrata est, ubique collucere, non putent agnum comedi posse, nisi in una domo, Romana et apostolica ecclesia, nec extra ipsam agnum immolari. Qui enim agnum extra eandem ecclesiam comedunt, Iudeorum pertinaciam vel hereticorum dogmata sequentes, hii pro agno draconis carnes, qui datus est in escam populis Ethiopum, comedunt. Legant non fuisse in diluvio salvatos, nisi eos, qui in archa Noe fuerunt, per quam ecclesia dei figuratur, que unica est, et cuius caput est et magistra Romana ecclesia, salvatore nostro ita disponente. Illi ergo ad illam confugiant, ad illam, sequentes patres suos in concilio Florentino congregatos, convertantur, illam venerentur. Nos quoque, qui divina gratia licet immeriti ecclesie Romane universo orbi presidemus, illos in visceribus charitatis et omni plenitudine potestatis a deo nobis concesse, et per nos et per nuncios nostros, si res ipsa exegerit, destinandos complectemur. Et insuper dabis solertem operam, prout in sapientia tua confidimus, quod de premissis omnibus et aliis, in quibus Ruthenorum ritus a Romana ecclesia discrepant, veram notitiam habeas, ita ut nos de illis certiores reddere possis, sicque habita relatione tua illarum provinciarum oves hactenus dispersas, divina gratia suffragante et tua diligentia, ad nostrum et Romane ecclesie ovile reducere valeamus. In quo et a deo omnipotenti, cuius causa agitur, meritas et a nobis, quas poteri-

mus, gratias expectare tibi licebit. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta Aprilis, Millesimo quingentesimo primo, Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 43.

CCCI.

Alexandrum magnum ducem Lithuaniae pontifex hortatur, ut episcopo Vilnensi beneficia ecclesiastica libere conferre permittat.

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Magno Duci Lithuanie.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem etc. Accepimus, quod Nobilitas tua ad omnia et singula beneficia ecclesiastica in civitate et diocesi Vilnensi sub tuo temporali dominio consistentia, tum pro tempore vacantia, etiam si Canonicatus et prebende, aut dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedrali vel collegiata ecclesia sint, personas, de quibus tibi videtur, Episcopo Vilnensi pro tempore existenti, seu eius in spiritualibus Vicario generali presentare posse, et easdem personas sic presentatas per te et non alias in illis per Episcopum seu Vicarium institui debere pretendens, Venerabilem fratrem nostrum Albertum Episcopum Vilnensem, quominus beneficia ipsa seu eorum aliqua aliis quam per te presentatis personis conferre possit, impedire niteris in sue Episcopalis iurisdictionis dedecus et non modicum preiudicium. Cum autem, dilecte fili, valde indecorum sit, quod Episcopus in diocesi sua de aliquo ecclesiastico beneficio libere disponere, et personis ydoneis atque utilibus de illis providere non possit, idque nedum in Episcopalis auctoritatis vilipendium, verum etiam dictorum beneficiorum et ecclesiarum, in quibus consistunt, grave preiudicium cedat, pertineatque ad Nobilitatem tuam, qui auctoritatis ecclesiastice et libertatis ac utilitatis ecclesiarum et beneficiorum sub tuo dominio consistentium defensor et actor esse debet, sic iura tua tueri, ut ecclesiasticarum personarum, presertim pontificalis culminis dignitate polloncium, honori et auctoritati dictarumque ecclesiarum commodo minime detrahatur, consueveruntque clare memorie progenitores tui et alii tui similes catholici principes pro ecclesiarum et personarum illis inserviencium decore et amplitudine eis nedum aliqua iura remittere, verum plurima bona, facultates et privilegia prestantissima liberalitate concedere: eandem Nobilitatem tuam monemus et rogamus in domino, ut cum pro sinceritate consciencie tue et anime salute, tum eciam contemplacione nostra et pro tua in nos et hanc sanctam sedem singulari devocione eiusdem Episcopi, quem pro Regis eterni gloria venerari te convenit et sibi subiectarum ecclesiarum honori et utilitati prospiciens, sic in premissis te geris, ut per eundem Episcopum de beneficiis predictis, cum pro tempore vacabunt, personis sibi gratis et eisdem ecclesiis utilibus, prout sibi videbitur, libere provideri possit, in quo rem tuo nomine dignam et nobis et eidem sedi gratissimam et Altissimo deo quam maxime acceptam efficies. Sic igitur, dilecte fili, in premissis Nobilitas tua se gerat, ut pietas tua apud nos condignis laudibus commendari valeat, tuque nostram et predicte sedis benedictionem et ab ipso deo perhennis vite premium consequi promerearis. Datum Rome etc. (apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII. Aprilis MDI. Pontificatus nostri Anno Nono.)

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 51.

CCCII.

Waltero magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia, ut magnum ducem Lithuaniae in debellandis Tartaris adiuvet.

Dilecto filio Valterio Magistro milicie Theutonicorum Ierosolimitane.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem etc. Cum sepenumero Thartari et alii infideles, dominio dilecti filii Nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lithuanie finitimi, terras et alia loca sua invadant, et incursionibus ac alias multipliciter infestare non cessent: Nos considerantes dominium tuum dominio prefati ducis esse vicinum, et propter propinquitatem huiusmodi te eundem ducem adversus hostes suos plurimum adiuvare, et similiter eundem ducem erga te, dum expedit, idem efficere posse, visum est nobis officii nostri esse, ut te et ducem ipsum quoad possimus hortemur in domino, ut adversus Thartaros et alios infideles prefatos vobis finitimos, vosque vel alterum vestrum infestantes mutuam concordiam et amicitiam ac intelligentiam habeatis: sic enim tuicioni et defensioni status utriusque vestrum facilius consuletis, ac ultra premium, quod apud deum consequemini, non parvam vobis gloriam apud mortales comparabitis, ac nobis et huic sancte sedi satisfacietis. Datum Rome etc. (apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII. Aprilis Pontificatus nostri Anno Nono.)

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 52.

CCCIII.

Magno duci Lithuaniae super reductione Io. Ioseph metropolitae totius Russiae ac Ruthenorum ad Ecclesiam Catholicam.

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Magno Duci Lithuanie.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus litteras tuas in commendationem Iohannis Iozeph, quem Kyovienses et Russie populi ut pastorem et directorem tenent et sequuntur. Audivimus quoque, quod dilectus filius Erasmus Vitellius, et Iohannes Sopyeha Rutenus, Secretarius tuus, eiusdem Iohannis Iozeph consanguineus et procurator, de optima ipsius mente in materia reductionis sue et populi sibi crediti ad obedientiam nostram, et apostolice sedis reverenciam iuxta Concilii Florentini diffinitionem nobis retulerunt, commendantes plurimum officium tuum et eiusdem Iohannis Iozeph bonam mentem: affectamus enimsummo desiderio, quod oves pascue domini nostri Ihesu Christi eius Vicarium recognoscentes, suumque pastorem verum sectantes, salutis viam et ad eternam beatitudinem iter ingrediantur. Sed quoniam huiusmodi reductio iuxta diffinitionem predicti concilii Florentini sepius tentata, et tociens humani generis inimico impediente et zizaniam seminante, interrupta extitit, ne per nos absque bona intelligentia leve aliquid fieret, sed ut mature omnia et cum plena rerum notitia ac sedis apostolice dignitate tractarentur, cogitaveramus aliquem nostrum nuntium istuc destinare, virum doctrina, experientia et moribus preditum, qui de consilio et sententia nostra pro eiusdem Iohannis Iozeph et totius Rutheni populi salute tecum ageret: sed quoniam orator tuus super hac nostri nuntii destinatione differendum esse nos rogavit, ne propterea dux Moszkovie belli contra te gerendi aliquid censeretur, saltem quoad Nobilitas tuas de hiis omnibus edocta, quid sanioris consilii crederes, nobis per tuas litteras intimares: Oratoris nunc consilium admittentes a predicta mittendi nuntii deliberatione abstinebimus, quousque nobis commodum ad id tempus, facta etiam istic per te bona rerum dispositione, insinues. Ne interea tamen aliqua ex parte salutis viam et ipsi Iohanni Iozeph et populis predictis precludere videamur, tibi, fili predilecte, significamus, ut per te, de cuius fide et sancta intentione plurimum in domino confidimus, ad Iohannem Iozeph predictum et reliquum populum Ruthenum admonitio et consolatio nostra perveniat, quod ipsius Iohannis Iozeph reductionem et obedientiam sancte Romane ecclesie ac nobis per suum procuratorem prestitam gratissimam habuimus et habemus, orantes Deum omnipotentem, quod in eo ipsum confirmet et faciat perseverare, quod iam cepit operare, ne aliqua sinistra suggestione circumventus ab incepto recto tramite possit dimoveri, atque id maxime sua fideli et continuata ac publica constantia ac perseverantia, cum opportunum fuerit, licebit experiri. Verum de confirmatione auctoritatis et dignitatis sue, et apostolice sedis gratia illi impendenda in indulgentiis per eum concedendis, et in edificationibus ecclesiarum Ruthenorum de muro, in litteris latinis et aliis per procuratorem suum expositis, duximus mature cogitandum, quoad probe intellexerimus modum sue perfectionis. Cum enim Constantinopolitanus Patriarcha vere nullus alius sit hodie quam Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Portuensis Cardinalis sancti Angeli, qui post Ruthenum, Nicenum et Cretensem Prelatos huic dignitati iure prefectus est, nescimus quonam pacto promotio facta per illum Ioachinum hereticum, constitutum violenta manu in sede Constantinopolitana per tirannum Turcorum, a nobis in hac sanctissima sede debeat quoquomodo approbari. Si autem ipse Iohannes Iozeph paratus est recipere decretum concilii Florentini, cuius bullam excellentie tue transmittimus, et alias ycomenicas sinodos admittere, et in nullo a catholica fide deviare secundum Grecorum ritum, quem latina et universalis ecclesia in conciliis universalibus permittit, cuique adhesit ecclesia Ruthena, contentabimus ab omnibus preteritis offensionibus et maculis predictum Iohannem Iozeph absolvere, et tunc in dignitate Metropolitica per nos confirmare, aut per dictum Iohannem Constantinopolitanum confirmari facere, dum promittat, et quantum in se fuerit, cooperetur et enitatur, quod clerus et populus Ruthenus et Grecus sibi obediens decreta concilii Florentini cum effectu suscipiat, et omnibus erroribus ab ecclesia universali in dicto concilio et aliis ycomenicis dampnatis abrenunciet, et perpetuo abrenunciare proponat: hec enim est vera obedientia, veneratio et adhesio sancte Romane ecclesie, apud deum et homines grata, et accepta iuxta Evangelium Mathei et prophetiam Esai, que non solum labiis, sed corde et opere prestatur et exhibetur. Huiusmodi ergo reali adhesione et obedientia per eundem primatem et eos, quantum in eo fuerit, sancte Romane ecclesie et nobis prestita et data, omnibus articulis de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, de unitate ecclesie in obedientia primatus Apostolici et troni Romane sedis,

de purgatorio et premio ac premiis et penis bonorum et malorum post mortem, hiis omnibus capitulis, ut prediximus, intellectis et acceptatis, quod baptizati in tercia persona sub ritu Grecorum, premisso nullo alio canonico obstaculo impediente, non debeant rebaptizari, et quod Eucaristie sacramentum in fermentato confici, et sub utraque specie et secularibus per eos in suis ecclesiis exhiberi possit, et quod sacerdotes Greci uxores ante sacros ordines susceptas possint retinere, permittimus, dum tamen in hiis et aliis articulis, ritibus Latine ecclesie supra petram Christum et Petri Apostoli eruditionem et fidem, pro qua dominus, ne deficeret, oravit, fundatis, minime detrahere presumant, sed unitate fidei et ecclesie in omnibus membris Christi presupposita, in ritibus et ceremoniis non substantialibus licitum sit mores patrios cuilibet ecclesie servare. Hec omnia cum eodem Iohanne Iozeph communicabis, ascito etiam tecum Venerabili fratre Episcopo Vilnensi, et de omnibus, que tractaveris et concludes, facies nos certiores, ut iuxta informationem tuam, vel de aliquo Nuncio mittendo cum plena auctoritate nostra ad integram reductionem admittendam, vel de bullis et facultatibus predictis in persona prefati Episcopi Vilnensis, prout melius expedire videbitur, provideamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VII. Maii MDI. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 47.

CCCIV.

Gregorio de Loszko Kioviensis dioecesis, a quodam falso antistite ad ordines promoto, ut a quolibet catholico episcopo sacros ordines et uno die recipere possit, indugetur.

Dilecto filio Gregorio de Loszko Kyoviensis diocesis.

ALEXANDER PP. VI. Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod olim tu, qui Ruthenus es, ac ex legittimo matrimonio ex sacerdote iuxta Grecorum morem genitus, et in tertia persona baptizatus fuisti, per quendam Vasianum Episcopum Wladimiriensem, quem rite in Episcopum promotum et consecratum esse credebas, ecclesia Kyoviensi tunc pastore carente, absque aliquibus dimissorialibus, et augustum confirmationis sacramentum recepisses, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promotus fuisti, et in huiusmodi ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrasti, missas et alia officia celebrando et ecclesiastica sacramenta ministrando. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, a nonnullis asseratur, prefatum Vasianum in Episcopum promotum non fuisse, seu ad id facultatem a sede apostolica non habuisse, sed more Grecorum illarum partium pro tunc gerentem se pro patriarcha Constantinopolitano in Episcopum promotum, seu administratorem deputatum fuisse, et propterea dubites te ad huiusmodi ordines rite promotum non esse, tuque divina inspirante tibi gratia, ad vere cognitionis lumen et sancte Romane ecclesie unitatem conversus, de premissis ab intimis doleas, intendasque imposterum iuxta ipsius Romane ecclesie veram fidem et sacrosanctas ordinationes vivere, nobis de remedio humiliter supplicasti. Nos attendentes, quod ipsa pientissima mater ecclesia ad eam cum humilitate redeuntibus gremium aperire consuevit, volentesque te, de cuius probitate et meritis alias apud nos fidedigna testimonia perhibentur, horum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te ab excessibus huiusmodi, ac excommunicationis et quibusvis aliis ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis, si quas premissorum occasione quomodolibet incurristi, tenore presentium apostolica auctoritate absolvimus, ac tecum super irregularitate, si quam etiam sentenciis, censuris et penis huiusmodi ligatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando contraxisti, dispensamus, quodque ad omnes ordines ordinatos rite promoveri, et in illis, postquam sic promotus fueris, in altaris ministerio ministrare, necnon confirmationis sacramentum prius, et deinde ordines huiusmodi a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem sedis apostolice habente, et in Romana Curia residente, uno et eodem die dominice alias festivo, etiam extra tempora a iure statuta suscipere libere et licite valeas, auctoritate et tenore predictis similiter dispensamus, tibique indulgemus, ac eidem antistiti ad hoc facultatem concedimus, abolentes omnem inhabilitatis et infamie maculam seu notam per te predicta occasione contractam, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod confessorem idoneum eligas, qui tibi super hiis penitenciam iniungat salutarem, quam adimplere omnino tenearis. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die x. Maii MCCCCCI. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXI. Tom. XXI. fol. 48.

CCCV.

Petrus epus Calviensis Gregorio de Loszko presbytero Kioviensis dioecesis sacros ordines a se de novo collatos attestatur.

Universis et singulis presentes litteras inspecturis Petrus de Ganiboa dei et apostolice sedis gratia Episcopus Calviensis, in Romana Curia residens, salutem in domino. Universitati vestre tenore presentium attestamur, quod nos quandam commissionis sive supplicationis papiri cedulam, manu Sanctissimi in Christo patris domini Alexandri divina providentia pape sexti signatam, et per eius datarium datatam, nobis pro parte Venerabilis viri domini Gregorii de Lohoszko presbiteri Kyoviensis diocesis, principaliter in eadem commissionis sive supplicationis cedula nominati, coram Notario publico et testibus infrascriptis presentatam, cum ea, qua decuit, reverentia recepimus huiusmodi sub tenore. Beatissime pater, Exponitur Sanctitati Vestre pro parte devoti illius oratoris Gregorii de Loszko presbiteri Kyoviensis diocesis, quod olim ipse orator, qui Grecus et ex legittimo matrimonio ex sacerdote iuxta morem Grecorum genitus, secundum ritum Grecorum in tercia persona rite baptizatus extitit, per bone memorie Vasianum Episcopum Wlodomiriensem, quem rite in Episcopum promotum et consecratum esse credebat, ecclesia Kyoviensi pastore carente, absque aliquibus dimissorialibus litteris, et antequam confirmationis sacramentum in fronte reciperet, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promotus fuit, in huiusmodi ordinibus etiam in altaris ministerio ministravit, missas celebrando et alia divina officia, necnon et alia ecclesiastica sacramenta ministrando. Cum autem, Pater sancte, a nonnullis asseratur, predictum Vasianum in Episcopum promotum non fuisse, seu ad id facultatem a sede apostolica non habuisse, sed more Grecorum illarum partium pro tunc gerentem se pro patriarcha Constantinopolitano in Episcopum promotum, seu per eundem assertum tunc patriarcham administratorem deputatum fuisse, et preterea dubitet, se ad huiusmodi ordines rite promotum non esse, supplicat humiliter Sanctitati Vestre dictus orator, quatinus sibi in premissis opportune providentes, eum ab excessibus huiusmodi ac excommunicationis et quibusvis aliis ecclesiasticis censuris et penis, si quas premissorum occasione quomodolibet incurrit, absolvere, eumque super irregularitate, si quam etiam sententiis, censuris et penis huiusmodi ligatus, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel alias quascumque contraxit, quodque in ordinibus, etiam in altaris ministerio, si et postquam de novo fuit rite ex misericordia Sanctitatis Vestre, et dispensatione opportuna ordinatus, celebrare et administrare libere et licite valeat, dispensare, ab eoque omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam premissorum occasione contractam penitus abolere, necnon alicui Episcopo in Romana Curia residenti, quod cum Crismate seu sacramento Crismatis [conferre] eundem Gregorium oratorem etiam ad omnes tam minores, quam sacros presbiteratus ordines, etiam extra quatuor tempora a iure statuta aliquo die dominico vel festivo promovere, ipseque Gregorius orator ordines huiusmodi uno et eodem die extra quatuor tempora huiusmodi recipere libere debet, et licite possit et valeat, licentiam et facultatem concedere et indulgere dignemini de gratia speciali, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Cum talis consuetis et opportunis, in cuius fine talis erat signatura: Fiat ut petitur R., et deinde sequebantur hec talis, quod cum absolucione a censuris ad effectum presentium, quod et absolucione, dispensatione et abolitione premissis in omnibus et singulis ut supra, et quod premissorum omnium et singulorum et circa ea minor, maior et verior specificatio fieri possit in litteris, que per breve expediantur, quoad alia preter facultatem promovendi ad ordines, attenta materia et de promotione tam ad minores, quam maiores et sacros presbiteratus ordines uno et eodem die etiam extra tempora, ut prefertur, et quod sola signatura sufficiat quoad facultatem promovendi. Que quidem ... signatura, fiat R.; et sequebatur data similis, Datum Rome apud S. Petrum quarto Kal. Maii. Anno nono. (Post) cuius quidem commissionis sive papiri supplicationis cedule presentationem receptionemque, nobis et per te, ut premittitur, factas, pro parte dicti Gregorii in preinserta supplicatione personaliter nominati sumus cum instantia requisiti, quatinus ad executionem dicte commissionis nobis directe procederemus, nosque Petrus Episcopus prefatus volentes exequi per omnia, ut tenemur, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, die dominica, nona mensis Maii, in edibus nostre solite habitationis eidem Gregorio coram nobis genuflexo munus confirmationis contulimus, ac ipsum confirmavimus iuxta formam a sanctis patribus institutam: deinde vero Martis undecima dicti mensis, in festo sancti Mammertini Epi, in Capella nostra apud basilicam Principis Apostolorum eundem Gregorium, id fieri humiliter petentem, vigore dicte preinserte commissionis sive supplica-

tionis supplentes in eo, quatinus opus est, et circa munia ordinum, si quos forsan alias ipsum recepisse constaret, cui autem de novo ad primam tonsuram sive psalmistatum, hostiariatum, lectoratum, exorcisatum et accolitatum minores, necnon ad subdiaconatus et diaconatus et presbiteratus sacros ordines infra missarum solemnia rite et iuxta morem et consuetudinem sancte ecclesie catholice in similibus observari solitos et consuetos duximus providendum, atque ordinavimus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has nostras presentes litteras per notarium nostrum infrascriptum subscriptas eidem dari et concedi, sigillique nostri maioris, quo in similibus utimur, iussimus et fecimus appensione communiri. Datum in domibus nostre solite residentie Anno a nativitate Millesimo quingentesimo primo, die vero predicta undecima mensis Maii, Pontificatus Sanctissimi domini nostri, domini Alexandri divina providentia pape VI. anno nono, presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Luppo de Soria et Francisco de Pedrosa ac Andrea de Sola, clericis Phirazonensis et Zamoriensis diocesum testibus ad hec vocatis atque rogatis.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 49.

CCCVI.

Ecclesiae Vilnensi indultum, ut una ex octo quotidianis adventus missis ante lucem decantari possit, et indulgentiae conceduntur.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito pastoralis officii nobis ex alto commissi ad ea libenter intendimus, per que ecclesiasticarum personarum, presertim in ecclesiis Kathedralibus insignibus deserviencium commoditati, et pleniori divini cultus ministerio, ac etiam earundem ecclesiarum conservacioni et ornamento, animarumque Christifidelium saluti, deo propicio, consulitur salubriter. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lithuanie nobis nuper exhibita peticio continebat, quod in ecclecia Vilnensi, que inter ceteras ecclesias Kathedrales ducatus Lithuanie insignior existit, ad quam Dux ipse singularem gerit devocionis affectum, consueverunt singulis diebus tempore adventus dñi octo misse decantari, et quoniam eo tempore dies admodum sunt breviores, officia vero divina longiora, ita quod omnes octo misse huiusmodi non bene, neque commode decantari possint, pro parte eiusdem Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod de cetero in dicta ecclesia in ipso tempore adventus ex octo missis, que singulis diebus, ut prefertur, cantari consueverunt, una dumtaxat missa ante lucem decantari possit, concedere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem, qui honesta fidelium vota benevolo favore libenter prosequimur, huiusmodi supplicacionibus inclinati, quod deinceps futuris temporibus in dicto tempore adventus domini una missa dumtaxat ex octo missis predictis ante lucem, circa tamen eandem lucem decantari libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore presencium concedimus. Et insuper piis desideriis eiusdem Ducis in hac parte annuentes, ac cupientes, quod prefata ecclesia, que etiam, sicut accepimus, prope partes infidelium sita existit, a Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ac in suis edificiis peramplius reparetur, conservetur et manuteneatur, necnon luminaribus et ornamentis ecclesiasticis ditetur, et divinus ipse cultus maius inibi suscipiat incrementum, utque fideles ipsi eo promptius ad premissa manus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus antedictis vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in Resurrectionis domini nostri Ihesu Christi, et Penthecostes, ac Nativitatis et translacionis sancti Stanislai, necnon dedicacionis eiusdem ecclesie festivitatibus, et diebus a primis vesperis usque ad secundas inclusive festivitatum seu dierum earundem devote visitaverint annuatim, et ad reparacionem, conservacionem, manutencionem et alia premissa manus porrexerint adiutrices, xxx. annos et totidem quadragenas pro qualibet festivitatum seu dierum earundem de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, et ad premissa manus adiutrices porrigentibus, aut alias inibi pias elemosinas errogantibus, seu alias aliqua indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et relaxationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo primo, Id. Maii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 65.

CCCVII.

Capellam B. Mariae ac SS. Andreae et Stanislai Vilnae visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Alexander episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum fabricis et ornamentis manus porrigere adiutrices pium et meritorium apud deum existimantes, fideles singulos ad exhibendum eis oportuna suffragia spiritualibus muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus frequenter invitamus, ut per temporalia, que hii tribuerunt, auxilia premia consequi mereantur felicitatis eterne. Cupientes igitur, ut Capella beate Marie ac sanctorum Andree et Stanislai sita in ecclesia Vilnensi, per clare memorie Kazimirum Polonie Regem magnifico opere constructa et dotata, ac preciosissimis ornamentis pro divino cultu decorata, et ad quam, ut accepimus, dilectus filius Nobilis vir Alexander Magnus Dux Lithuanie, cuius frater germanus Kazimirus Dux apud illam Capellam sepultus multis miraculis clarere perhibetur, singularem gerit devocionis affectum, cupitque ad illam divinum cultum augere, [ut] a Christifidelibus frequentetur et in debita veneracione habeatur, ac in suis structuris, edificiis et ornamentis conservetur et manuteneatur, fidelesque ipsi eo libencius devocionis causa ad dictam Capellam confluant, ac ad conservacionem et manutencionem predictas manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus predictis vere penitentibus et confessis, qui Capellam predictam in Nativitate domini nostri Ihesu Christi, et Purificacionis et Assumctionis beate Marie Virginis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatum earundem inclusive devote visitaverint, ac ad conservacionem et manutencionem predictas manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, viginti annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuo valituris. Volumus autem, quod si alias dictam Capellam visitantibus et ad premissa manus adiutrices porrigentibus, seu alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDI. VI. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Tom. XCVII. fol. 50.

CCCVIII.

Erasmo praeposito Vilnensi indulgetur, ut a quocunque antistite catholico ad sacros ordines et uno die promoveri possit.

Dilecto filio Magistro Erasmo Preposito Vilnensi.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Obsequia tue devotionis et persone tue merita non indigne merentur, ut eandem personam tuam grato prosequentes affectu, illa tibi favorabiliter concedamus, que ad Christifidelium spiritualem consolationem et animarum salutem cedere dinoscuntur. Hinc est, quod nos te, qui dilecti filii Nobilis viri Alexandri magni ducis Lithuanie apud nos orator, et eiusdem magni ducis supremus secretarius existis, premissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, in Romana Curia vel extra eam existente, aliquibus duobus vel tribus diebus, aut etiam unico die festivis vel festivo, etiam extra tempora a iure statuta, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines alias rite promoveri valeas, ac eidem antistiti, ut ordines huiusmodi etiam unico die ministrare, et te ad illos promovere possit, apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie concedimus et indulgemus: et insuper de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui celebrationi prime misse, quam te in partibus Polonie vel Lithuanie solemniter cum cantu, eciam extra ecclesiam in aliquo honesto et ornato loco, celebrare contigerit, devote interfuerint, et si in ecclesia celebraveris, propter populi multitudinem in illam ingredi nequeuntes, extra ecclesiam ipsam constituti fuerint, dummodo causa indulgencie huiusmodi ibidem applicuerint, XXV. annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis in domino relaxamus, Presentibus quo ad huiusmodi relaxationem pro una die et durante celebratione

divinorum dumtaxat valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die xx. Maii MCCCCCI. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 59.

CCCIX.

Alexandro magno duci Lithuaniae de Erasmo Vitellio, quem ob egregia gesta commendat, oratore suo Romam ad praestandam debitam obedientiam misso pontifex gratulatur.

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Magno Duci Lithuanie.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem etc. Cum superioribus diebus dilectus filius Erasmus Vitellius Prepositus ecclesie Vilnensis, per Nobilitatem tuam pro prestanda nobis et sedi apostolice obediencia orator destinatus, ad presenciam nostram se contulisset: Nos attendentes tuam erga nos et hanc sanctam sedem apostolicam fidem et devocionem singularem, prefatum oratorem tuum benigne excipimus, sibique in Consistorio nostro in presencia Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium, et quamplurimorum Prelatorum condignam dedimus audienciam, in qua non minus elegantem quam gravem habuit oracionem, ac satis ample eiusdem Nobilitatis tue fidem et devocionem, quibus nos et Romanam reveretur ecclesiam, declarat, ac cum omni reverencia eiusdem Nobilitatis nomine nobis et huic sancte sedi prestitit obedienciam, quam leto et grato animo una cum eisdem fratribus nostris Cardinalibus suscepimus. Ubi statum eciam tuum dignissimum nobis tunc eciam plenius cognitum et acceptum intelleximus, nec potuimus nisi plurimum tuam Nobilitatem in domino commendare, sperantes illam in dies et erga nos et hanc sanctam sedem magis devotam et promptam pro sua bonitate exhibituram, quemadmodum eciam nos in omnibus, que honori et amplitudini suis cedere noverimus, quantum cum Deo poterimus, promptos inveniet. Audivimus deinde sepius prefatum oratorem seorsim, et que potuimus, negocia per eum petita libenter, ut votis Nobilitatis tue satisfaceremus, expedivimus. Et quia prefatus orator est persona benemerita, et nobis ob doctrinam suam eiusque virtutes non parum grata et accepta, ut illum aliquo honore pro meritis suis prosequeremur, ipsum eciam intuitu tue Nobilitatis die, qua prestitit obedienciam, in eodem Consistorio nostro publice in nostrum et apostolice sedis prothonotarium motu proprio recepimus, sibique habitum et insignia prothonotariatus coram nobis et prefatis Cardinalibus fecimus exhiberi, quem eidem Nobilitati tue plurimum commendamus. Datum Rome etc. (die VIII. Iunii MDI. Pontificatus nostri Anno Nono.)

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 56.

CCCX.

Eidem, ut omnem operam in reducenda uxore sua ad unitatem ecclesiae catholicae collocet, aut eam, si in schismate graecanico persistere velit, salvo semper vinculo matrimonii, dimittat.

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Magno Duci Lithuanie.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Ex relacione dilecti filii Magistri Erasmi Vitellii Prepositi Vilnensis, Notarii nostri, tuique apud nos oratoris intelleximus, que Nobilitatis tue nomine per eum nobis exposita fuerunt, quibus cognovimus tuum bonum zelum summamque pietatem erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam, ac universam religionem Christianam, cum populos nonnullos ex tibi subditis, ut relicta scismatica Ruthenorum pravitate, orthodoxam fidem amplecti et sequi velint, inducere studeas. Gaudemus profecto mirum in modum, ac non possumus nisi magnopere bonam hanc tuam sanctamque mentem utpote ipsorum populorum tuorum animarum unicum saluberrimumque remedium comprobare et commendare: in quo salutifero proposito, ut perseverare velis, quemadmodum pro prudentia et bonitate tua te facturum minime dubitamus, quantum possumus, iterum atque iterum enixe hortamur ac oneramus. Nos eciam nonnulla, que ad huiusmodi unionem procurandam necessario examinanda duximus, per litteras nostras superioribus diebus Venerabili fratri Alberto Ep̃o Vilnensi significavimus, ut eciam Nobilitas tua per litteras nostras perspicere potuit, atque ea in re conficienda omni conatu et studio, habita relacione prefati Ep̃i Vilnensis, intendere decrevimus. Declaravit preterea nobis idem orator tuus, quod cum nobilem Helenam in uxorem tuam acciperes, per medium oratorum tuorum patri eiusdem inter cetera pollicitus es, quod eciam iuramento forte dictorum oratorum sub nomine tuo confirmatum extitit, nunquam eandem compulsurum ad ritum Romane ecclesie suscipiendum: sed si sponte sua ad eandem Romanam ecclesiam venire vellet, libertati sue in hoc eam dimitteres, que tua Nobilitas, quam-

vis perniciosa satis et iuri contraria fuerint, per quinquennium observare curavit, eam semper honeste tractando, nunquam tamen illam ad ritum Romanum observandum compellendo: nichilominus illa ab ritus Romani hominibus secularibus et religiosis salutiferis exhortationibus monita, et ut se tue Nobilitati in ritus Romane ecclesie observantia pro maiori charitate et dilectione conformasset, non parum rogata, difficillimam se in tali salutis sue opere semper prestitit et inexorabilem, ita, ut iam pauca tue Nobilitati de eius conversione spes relinquatur, et quod detestandos errores Ruthenorum abiurare, et Romanam ecclesiam sequi velit. Quare nos consulis, quid cum illa pro mutua salute animarum vestrarum tibi faciendum censeamus. Laudamus summopere tuam erga nos et hanc sanctam Sedem devocionem et reverenciam, quod ad pastorem communem, ut mutue saluti tue et uxoris prospicias, reverenter confugiendum duxisti, quod ut citius fecisses optavissemus, simul eciam plurimum commendamus, quod in hoc tam pio erga uxorem officio non defueris, quo eam in viam salutis dirigas: facies enim, quod optimi mariti pietati in coniugem convenit, dum te ostendis non minus anime sue salutem, quam coniugalem deceat charitatem, omni studio curare. Itaque volumus, teque oneramus, ut non obstantibus promissionibus et iuramentis predictis, quibus te nullatenus teneri tenore presentium declaramus, denuo tentes, ac ea omnia agas, que tibi necessaria videbuntur, quo eadem uxor tua, relicta pessima Ruthenorum secta, tandem resipiscat, ac sanctam christianam religionem agnoscat et observet. Quod si sanam mentem induere rursus recusabit, atque eius pertinacia omnino divelli nequiverit, committimus prefato Episcopo Vilnensi per breve nostrum, quod cum exemplo eiusdem hic alligatum habebis, ut eandem Helenam inducat quibus poterit suasionibus, ac moneat, et si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogat et compellat, ut abiuratis erroribus suis ad unitatem fidei katholice veniat. Quod si in pertinacia sua, paternis eius monitionibus contemptis, perstiterit, eandem Helenam a cohabitatione thori tui separet, et aliis maritalibus obsequiis privet, ac penitus a te dimoveat. Tue igitur partes erunt in eo fervore, quem concepisti, permanere, ac anime tue salutem uxoris deliciis et amori anteponere, illamque Ruthenorum maculis quasi lepra quadam infectam, eaque curari recusantem abs te ad mandatum dicti Episcopi reiicere. Quod si feceris, confidere debes in domino, quod te ex molestiis et vexationibus, quibus circumvallaris, eripiet et in portum salutis perducet. Insuper tibi persuadeas, volumus, nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam dignitatem et amplitudinem tuam omni tempore propensissimo animo curaturos. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. (sub annulo piscatoris die VIII. Iunii MDI. Pontificatus nostri Anno Nono?)

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 57.

CCCXI.

Alberto episcopo Vilnensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Alberto Episcopo Vilnensi.

Alexander PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc. Dilectus filius Magister Erasmus Vitellius, Prepositus ecclesie tue Vilnensis ac Notarius noster, et dilecti filii Nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lithuanie apud nos orator, ipsius Alexandri Ducis nomine nobis exposuit, a pluribus katholicis et gravibus viris fuisse temptatum, ut nobilem Helenam ipsius uxorem, Ruthenorum pravitate relicta, ad orthodoxam fidem amplectendam inducerent, ad quod nullis unquam rationibus adduci potuit. Nos animadvertentes, in quam manifestum et evidens periculum, dum ipsa Helena hac eius obstinatione non modo animam suam, verum eciam ipsius Ducis mariti, et aliorum, cum quibus eam versari contingit, precipitet, cum pro pastorali officio intersit nostro huic tam detestando morbo medelam afferre, Circumspectioni tue tenore presentium iniungimus, ut dictam Helenam, quibus poteris, suasionibus et monitionibus horteris atque premoneas, quod relicta Ruthenorum secta, Religionem Christianam amplectatur et sincere observet. Quod si a pertinacia sua (quod tamen nobis minime persuademus) amoveri non poterit, eidem Circumspectioni tue committimus et mandamus, quatinus ipsa vocata, et aliis, qui fuerint vocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii procedendo ex officio, eciam nemine instante, quomodo dicta Helena de fide katholica senciat, et in quibus a Romane ecclesie katholicis institutis et ritibus discrepet, et Ruthenorum errores sequatur, te diligenter, et per eiusdem Helene et aliorum testium examinationem informes, et si illam a fide, quam Romana ecclesia tenet, et diffinicionibus sacri concilii Florentini sub Eugenio quarto predecessore nostro inter Latinos et Grecos concordatis alienam, ac Ruthenorum erroribus implicitam inveneris, eandem ad agnoscendam, ut

prefertur, fidem katholicam, et Ruthenorum errores abiurandos per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, etiam cum invocacione, si opus fuerit, brachii secularis, cogas et compellas, quod si contumaciter in eisdem erroribus persistere voluerit, nec se emendare cum effectu parata fuerit, pronuncies, diffinies et declares, citra tamen preiudicium vinculi matrimonialis inter eos contracti, Alexandrum prefatum Ducem ad cohabitandum cum ea, et ad alia maritalia officia obsequiaque eidem prestanda minime teneri, thorumque, cohabitationem et omne consorcium coniugale inter prefatos Alexandrum et Helenam separes, et separata de cetero fore decernas, concedens licentiam eidem Alexandro ipsam Helenam auctoritate nostra apostolica ex lecto, domo et omni maritali consorcio penitus excludendi, illamque pro meritis errorum suorum, etiam dotem et omnia alia bona eiusdem confiscata declarando, punias, prout iustitia suadebit, cum potestate compellendi quoscumque testes et exequendi quicquid per te ordinatum fuerit, tam contra eandem Helenam, quam contra quoscumque alios Contradictores et rebelles sub censuris et aliis remediis premissis, Non obstantibus quibusvis promissionibus eciam iuramento firmatis, quibus forsan prefatum Alexandrum Ducem promisisse et se obligasse diceretur, quod nunquam compelleret prefatam Helenam ad ritum Romane ecclesie suscipiendum, quod si sponte sua ad eandem Romanam ecclesiam venire vellet, libertati sue eam dimittere, quibus eundem nullatenus teneri tenore presentium declaramus, et aliis contrariis quibuscumque. Datum Rome etc. (apud S. Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Iunii, Millesimo quingentesimo primo. Pontificatus nostri Anno Nono?)

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 58.

CCCXII.

Friderico cardinali Poloniae super eodem argumento.

Cardinali Polonie.

Alexander PP. VI. Dilecte fili, salutem etc. Cum superioribus mensibus per dilectum filium Magistrum Erasmum Vitellium, Prepositum ecclesie Vilnensis ac Notarium nostrum, et dilecti filii Nobilis viri Alexandri, Circumspectionis tue fratris germani, tunc Magni Ducis Lithuanie oratorem apud nos ipsius Ducis nomine nobis declaratum fuisset, nonnullos viros katholicos et gravitate preditos temptasse, ut nobilis Helena eius coniux, prava et detestanda Ruthenorum secta obmissa, fidem orthodoxam amplecteretur, tamen illam nullis unquam rationibus adduci potuisse, ut sancte fidei lumen plene agnoscere vellet. Quamobrem videntes nos in quam magno discrimine hac eius pertinacia non modo animam suam constitueret, verum eciam Ducis proprii ceterorumque, quibus cum ea versari contingit, scripsimus Venerabili fratri Episcopo Vilnensi, quemadmodum pastorali officio nostro convenire arbitramur, ut debitis suasionibus, hortationibus ac monicionibus eam ad sanitatem reducere studeret, que si forte pertinacem se prestaret, tunc contra illam procedi ordinavimus, sicuti iusticia posceret. Verum posteaquam idem Alexander immortalis et clementissimi dei, per quem Reges regnant, providencia ad Polonie regnum promotus est, onere nunc longe graviori humeros nostros premi sentimus providendi, quod qui eciam divino munere tot provinciis, tot populis, tot subditis christiane religionis prepositus est, uxorem quoque habeat, que christianos mores et sancte Romane ecclesie dogmata integre audiat, et sincero animo sequatur: itaque nichil intemptatum relinquere volentes, ut illa tandem resipiscat, ac summum et unicum catholice fidei bonum agnoscat, Circumspectionem tuam hortamur, ut charissimum in Christo filium nostrum Regem Polonie, prefatum fratrem germanum suum, monere velit et in domino hortari, ut Helenam prefatam coniugio sibi iunctam adducere nitatur, quod secum in catholica fide et christiana religione moribusque conveniat, ac insuper ut omni solertia et diligentia Circumspectio tua studeat eam alloqui, et in salutis viam dirigere, adhibendo quascumque suasiones, hortationes ac monitiones, quas ad eam excitandam eiusque errores corrigendos necessarias esse duxerit, quam si demum cognoscet Ruthenorum pravitatem abiurare nolle, et fidem katholicam perfecte sequi ac sincere colere et observare, tunc aperte illi declarabit nos permissuros, quod contra eam procedatur iuxta iuris formam, castigeturque, sicuti eius errorum pertinacie convenit, quippe summa esset Romane ecclesie indignitas ac opprobrium, ubique ingenti detestatione execrandum, et que christianum nomen et katholicas institutiones abhorret et fugit, tam insignis potentisque Regni Regina dicatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVI. Novembris (Millesimo quingentesimo primo. Pontificatus nostri Anno Decimo?)

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 58.

CCCXIII.

Consulibus oppidi Byecz Cracov. dioec. conceditur, ut sacratissimum corpus Christi processionaliter quolibet mense semel deferatur.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Gloriosum domini nostri Iesu Christi et eius sacratissimi corporis memoriam, qua culpa deletur et eterne beatitudinis iter preparatur, summa debemus devocione venerari, nosque eiusdem domini nostri Iesu Christi, meritis licet insufficientibus, vices gerentes in terris, singulos Christifideles ad huius tanti sacramenti devocionem et veneracionem indulgenciis et remissionibus invitamus, ut exinde eciam Christifideles ad divinam graciam consequendam reddantur aptiores. Sane pro parte dilectorum filiorum Magistri Erasmi Vitellii prepositi ecclesie Vilnensis, notarii nostri, ac Proconsulis et Consulum oppidi Byecz Cracoviensis diocesis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod si in parrochiali ecclesia sacrosancti Corporis Christi, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum oppidi et diocesis predictarum semel singulis mensibus processio cum delacione ipsius sacrosancti corporis Christi, prout in nonnullis aliis ecclesiis illarum partium fieri consuevit, fieret, profecto ex hoc in ea divinus cultus populique ad eandem ecclesiam devocio in dies augeretur, et animarum saluti, ipsiusque ecclesie decori et ampliacioni non parum consuleretur: quare pro parte Erasmi, qui dilecti filii Nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lithuanie ad nos et sedem apostolicam orator destinatus existit, ac Proconsulis et Consulum predictorum asserencium se ad dictam parrochialem ecclesiam singularem gerere devocionis affectum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cupimus animas singulorum Christifidelium Deo lucrifacere, prefatos Erasmum et Proconsulem ac Consules et eorum singulos a quibuscumque excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine latis quavis occasione vel causa, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presencium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, Rectori et beneficiatis et aliis clericis dicte parrochialis ecclesie nunc et pro tempore existentibus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus semel singulis mensibus unica duntaxat quinta feria unius ebdomade per eos eligende Eucaristie sacramentum per ipsam parrochialem ecclesiam, ac illius cimiterium processionaliter et honorifice cum debita reverencia et devocione deferre, alicuius licencia super hoc minime requisita, libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore presencium de speciali gracia indulgemus. Et insuper cupientes, ut ipsi Christifideles, qui huiusmodi sacratissimi Corporis delacioni et processioni interfuerint, eo devocius intersint, quo magis se animarum suarum salutem, deo propicio, consequi posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui in processione huiusmodi interfuerint, pro singulis processionibus quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus eciam quo ad huiusmodi indulgenciam perpetuis futuris temporibus valituris, Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si alias huiusmodi processioni et eiusdem Corporis sacratissimi delacioni interessentibus aliqua alia indulgencia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit, presentes littere quoad huiusmodi indulgenciam dumtaxat nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolucionis, concessionis, relaxacionis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDI. IX. Kal. Iulii. Anno IX.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Lib. II. Tom. XCVII. fol. 36.

CCCXIV.

Ecclesiam S. Annae in civitate Vilnensi visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Alexander episcopus etc. Universis Christifidelibus prosentes litteras inspecturis, salutem etc. Etsi cuncte ecclesie et loca sub sanctorum sanctarumque Dei vocabulis fundata sunt pia devocione fidelium veneranda, illa tamen, que in honorem sancte Anne fundata reperiuntur, celebriori memoria convenit honorari, ex qua nata extitit filia, que clausam nobis salutis portam apperuit, et Regem regum pro nostra redemptione humane fragilitatis veste indutum immaculata genuit et intacta. Cupientes igitur, ut Capella sancte Anne in civitate Vilnensi, et ad quam, ut accepimus, dilectus filius nobilis vir

Alexander Magnus Dux Lithuanie, et charissimorum filiorum nostrorum Hungarie, Polonie et Bohemie Regum illustrium frater singularem gerit devocionis affectum, congruis honoribus frequentetur, et in suis structuris et edificiis manuteneatur et augeatur, librisque, calicibus, luminaribus, apparamentis et aliis ornamentis ecclesiasticis divino cultui necessariis decoretur et muniatur, ac utriusque sexus Christifideles eo libencius devocionis causa ad eandem ecclesiam confluant, et ad huiusmodi manutencionem et augmentum, ornamentorumque acquisicionem et municionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus antedictis vere penitentibus et confessis, qui Capellam predictam in eiusdem sancte Anne, sancti Francisci, sancti Anthonii, Ascensionis domini ac dedicacionis eiusdem Capelle festivitatibus et diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive festivitatum et dierum earundem devote visitaverint annuatim, et ad predicta manus porrexerint adiutrices, pro singulis festivitatibus et diebus huiusmodi, quociens id fecerint, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Capellam, et ad premissa manus adiutrices porrigentibus vel alias ibidem pias elemosinas erogantibus, aut alias aliqua indulgencia alia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome etc. MCCCCCI. XI. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Lib. II. Tom. XCVII. fol. 40.

CCCXV.

Praeposito et capitularibus ecclesiae Vilnensis privilegium ecclesiae Cracoviensis circa coertionem censuariorum etc. conceditur.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos desuper cura pastoralis officii, ut votis illis, per que ecclesie quelibet, presertim cathedrales, et illarum persone a quorumvis iniuriis et molestiis conserventur, ac iura sibi debita consequi possint et valeant, salubriter provideri, libenter annuamus, ac ea favoribus prosequamur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Magistri Erasmi Vitellii Prepositi ecclesie Vilnensis, notarii nostri, ac Capituli ecclesie nuper exhibita peticio continebat, quod ex speciali sedis apostolice privilegio, seu antiqua consuetudine hactenus observata, singuli Canonici ac persone Capitulares ecclesie Cracoviensis consueverunt habere coercionem in quascumque personas dicte ecclesie Cracoviensis censuarias, ac manifestas iniurias inferentes eisdem super censibus, decimis, fructibus, redditibus et proventibus, ac bonis aliis sive in genere vel in specie, eciam eorum mense Capitulari communiter vel divisim pertinentibus, ac illorum spoliatores, necnon sub nomine presidentis Capitulo eiusdem ecclesie Cracoviensis contra eosdem censuarios et alios predictos quascumque sentencias, censuras seu penas promulgare ac alias aggravare, a quibus pro tempore ligati nonnisi per presidentem predictum aut sedem apostolicam, et satisfactione previa absolvi possint. Cum autem, sicut eadem peticio continebat, dicta ecclesia Vilnensis ad instar eiusdem ecclesie Cracoviensis fundata existit, pro parte Erasmi Prepositi ac Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut decori et venustati ac indemnitati eorum, et dicte ecclesie Vilnensis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum et illarum personarum indemnitatibus libenter, quantum cum Deo possumus, providemus, Erasmum, qui dilecti filii Nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lituanie ad nos et sedem predictam orator destinatus, et ut asseritur, eiusdem Alexandri Ducis secretarius existit, ac Capitulum prefatos et singulos ex Capitulo huiusmodi a quibuscumque excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presencium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, quod deinceps perpetuis futuris temporibus singuli ex Preposito et Capitulo, ac singularibus personis Capitularibus ecclesie Vilnensis huiusmodi similem cohercionem in eorum censuarios, colonos, et manifestas iniurias inferentes eisdem super censibus, decimis, fructibus et bonis aliis communiter vel divisim habere et censuras in eos promulgare, et illas aggravare ad instar Capitularium personarum ecclesie Cracoviensis huiusmodi libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore presencium statuimus et ordinamus, ac eisdem Preposito, Capitulo et singularibus personis Capitularibus dicte ecclesie Vilnensis super hoc facultatem concedimus, Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in

provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitucionibus et ordinacionibus, necnon dicte ecclesie Vilnensis iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolucionis, statuti, ordinacionis et concessionis infringere etc. Datum Rome etc. MCCCCCI. IX. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Lib. II. Tom. XCVII. fol. 45.

CCCXVI.

Episcopo Cracoviensi eiusque collegis, ut privilegium praedictum exsequendum curent.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Cracoviensi, Medniczensi et Luceoriensi Episcopis, salutem etc. Hodie a nobis emanarunt littere tenoris subsequentis. Alexander Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos commissi desuper cura pastoralis officii, ut votis per que etc. inseratur bulla immediate prescripta usque ad finem. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissas litteras, et in eis contenta quecumque, ubi, quando et quociens opus fuerit, publicantes faciatis auctoritate nostra Erasmum, et pro tempore existentem Prepositum et Capitulum, necnon singulares personas Capitulares ecclesie Vilnensis huiusmodi eciam pro tempore existentes pacifica possessione, vel quasi statuti, ordinacionis et facultatis predictorum iuxta dictarum litterarum tenorem gaudere, non permittentes eos desuper per censuarios, colonos et manifestas iniurias inferentes predictos, aut quosvis alios contra statuti, ordinacionis et facultatis predictorum tenorem quomodolibet molestari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato eciam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus omnibus predictis, aut si censuariis, colonis et iniurias huiusmodi inferentibus predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 64.

CCCXVII.

Episcopo Vilnensi, ut ex concessione magni ducis Lithuaniae gladio temporali contra invasores bonorum ecclesiasticorum uti possit.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad compescendos conatus nepharios perversorum, qui Dei timore postposito manus improbas et rapaces ad personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, ac eorum bona ausu temerario extendere non verentur, et ab eis debita persolvere denegant et contradicunt: tanto magis nos decet oportuno remedio providere, quanto magis in divine Maiestatis offensam, et pontificalis auctoritatis depressionem ac dispendium tendere dinoscuntur. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Alberti Episcopi Vilnensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod diocesis Vilnensis latissimos fines habet, et tam in ea, quam in illius confinibus habitant Tartari et Armeni et alii sub ritibus Grecorum et aliis diversis sectis, eciam extra obedientiam Romani Pontificis degentes, et in pluribus a fide catholica dissentientes, et ipse Albertus et pro tempore existens Episcopus Vilnensis tam ab his seu pluribus ex eiis, quam eciam Christifidelibus et fidem catholicam sectantibus decimam, seu sextam partem fructuum decimalium ratione ecclesie sue Vilnensis percipere et exigere consuevit, et exigit, tam ratione perceptionis decimarum et fructuum decimalium huiusmodi, quam eciam ratione confinium et bonorum ad mensam Episcopalem Vilnensem pertinentium, ac eciam Armeni et Tartari, ac alii predicti secundum alios ritus, quam Romana ecclesia profiteatur, viventes, presbiteris et clericis ac aliis personis ecclesiasticis civitatis et diocesis Vilnensis, ac eciam eidem Episcopo super eorum bonis et rebus graves iniurias inferunt et iacturas, ac eciam quia nonnunquam aliquos ex clericis et presbiteris prefatis mutilant et interficiunt, contentiones et lites exoriuntur, et quamvis ipse Albertus Episcopus censuris ecclesiasticis, quantum in eo est, eos cohereeat seu cohercere nitatur, nihilominus predicti censuras huiusmodi contempnunt, et pocius scismaticis et hereticis tam in dicta diocesi quam extra illam commorantibus adversus dictum Episcopum adherent, et contra eum cornua erigunt, ex quo auctoritas episcopalis contempnitur, et fides catholica pessundatur; iniqui autem et heretici et reproborum sectarum fautores sublevantur. Unde dilectus filius Nobilis vir Alexander Magnus Dux Lithuanie, in cuius ducatu civitas et diocesis Vilnensis existunt, volens hu-

iusmodi malis et scandalis obviare, Alberto et pro tempore existenti Vilnensi Episcopo, ut gladii potestate secularis adversus predictas iniurias et molestias Episcopo, clericis, presbiteris et personis ecclesiasticis civitatis et diocesis predictarum cum Romana ecclesia sentientibus inferentes uti, et illam exhercere possit, concessit tam pro manutencione ecclesiastice libertatis, quam dominii sui temporalis. Et quia prefatus Albertus Episcopus dubitat, an huiusmodi gladii potestate uti possit absque irregularitatis incursu, pro parte eiusdem Alberti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis pro conservacione libertatis ecclesiastice oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cupimus ex commisso nobis pastorali officio pravis conatibus ad perniciem tendentibus, ne ulterius invalescant, congruis remediis obviare, prefatum Albertum Episcopum Vilnensem a quibusvis excommunicacionis, suspencionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, eidem Alberto et pro tempore existenti Episcopo Vilnensi, ut secularis gladii potestate huiusmodi pro conservatione libertatis ecclesiastice contra omnes et singulos illam impugnantes, seu iniurias vel molestias tam prefato Alberto et pro tempore existenti Epõ Vilnensi, quam presbiteris ac clericis et personis ecclesiasticis civitatis et diocesis predictarum inferentes, quociens opus fuerit, absque alicuius irregularitatis incursu uti, et illam exercere, et transgressores et malefactores, prout eorum excessus et delicta exegerint, cohercere et punire libere et licite valeat, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica licenciam, facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus per presentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome etc. MCCCCCI. IX. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Lib. II. Tom. CXVII. fol. 51.

CCCXVIII.

Alexandro magno duci Lithuaniae domum fratribus ord. Praedicatorum Vilnae fundandi datur facultas.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Vilnensis, salutem etc. Eximie devocionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Alexander Magnus Dux Lithuanie ad nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut peticionibus suis, illis presertim, per quas hereses extirpari ac divini cultus augmentum et religio propagacionem suscipere possint, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus, ac ea favoribus prosequamur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Alexandri Magni Ducis peticio continebat, quod si in civitate Vilnensi, que temporalis dominii ipsius Ducis existit, una domus pro usu et habitacione perpetuis fratrum ordinis Predicatorum construeretur et edificaretur, et illi sic constructe, seu illius sacristie parrochialis ecclesia, Prepositura nuncupata, Sancti Spiritus Vilnensis diocesis, que de iure patronatus ipsius Alexandri Magni Ducis existit, pro sustentacione fratrum inibi introducendorum perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, profecto ex exemplari vita fratrum ibidem introducendorum ac eorum predicacione verbi dei populis illarum parcium plures hereses, que in partibus illis vigent, extirparentur, ac populi earundem parcium, qui diversarum sectarum a fide catholica deviancium existunt, ad fidem catholicam reducerentur, et postea in illa conservarentur, ac inibi divinus cultus augmentum et religio propagacionem cum animarum Christifidelium salute susciperent, et fratres dicte domus pro tempore existentes ex fructibus dicte parrochialis ecclesie pro eorum sustentacione aliquod subvencionis auxilium susciperent: Quare pro parte eiusdem Alexandri Magni Ducis, asserentis fructus, redditus et proventus dicte parrochialis ecclesie viginti quatuor florenorum auri de Camera secundum communem extimacionem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi unam domum pro usu et habitacione perpetuis fratrum dicti ordinis in eadem civitate in aliquo loco ad id convenienti et honesto construi et edificari faciendi, et in illa, postquam edificata fuerit, aliquos fratres dicti ordinis, qui inibi iuxta illorum ritus et mores, et eiusdem ordinis regularia instituta altissimo famulentur, introducendi licenciam concedere, eidemque domui, postquam ut prefertur, constructa et edificata fuerit, seu illius sacristie ecclesiam predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis perpetuo unire, annectere et incorporare, ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionem et cultum huiusmodi nostris potissime temporibus vigere et augeri ubique intensis desideriis affectamus, quique dudum inter alia

volumus, quod semper in unionibus vocarentur, quorum interesset, prefatum Alexandrum Magnum Ducem a quibuscumque excommunicacionis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine latis quavis occasione vel causa, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presencium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Alexandro Magno Duci unam domum pro usu et habitacione perpetuis fratrum dicti ordinis in dicta civitate in loco ad id convenienti et honesto, absque alicuius preiudicio, construi et edificari faciendi, et in illa, postquam constructa fuerit, aliquos fratres dicti ordinis, qui inibi iuxta illorum ritus et mores, et eiusdem ordinis regularia instituta altissimo famulentur, introducendi licenciam concedere, ac eidem domui, postquam ut prefertur, constructa fuerit, seu illius sacristie ecclesiam predictam [cum omnibus iuribus et pertinenciis suis], si ad hoc prefati Alexandri Magni Ducis et dilecti filii moderni rectoris, prepositi nuncupati, eiusdem ecclesie expressus accesserit assensus, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis perpetue unire, annectere et incorporare auctoritate nostra procures; ita quod, cedente vel decedente dicto ecclesie moderno rectore prefato, seu aliter eandem ecclesiam quomodolibet dimittente, liceat Priori et fratribus dicte domus per se vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictarum propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in suos ac dicte eorum domus et sacristie usus et utilitatem ac subvencionem convertere, necnon eidem parrochiali ecclesie per unum ex fratribus dicte domus, aut alium presbiterum idoneum secularem, vel cuiusvis ordinis religiosum ad eorum nutum amovibilem deserviri, illiusque curam animarum exerceri facere, diocesani loci et cuiusvis alterius licencia super hoc minime requisita. Nos enim, si vigore presencium domum huiusmodi construi et edificari, ac in illam fratres predictos introduci contingat, ut prefertur, domui ac Priori et fratribus predictis, ut omnibus et singulis privilegiis, prerogativis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indulgenciis, graciis, favoribus et indultis aliis domibus et illarum fratribus eiusdem ordinis per sedem apostolicam, aut alias quacumque auctoritate sub quacumque forma et expressione verborum in genere concessis hactenus, et in futurum forsan concedendis, et quibus domus et fratres huiusmodi hactenus usi sunt et gaudebunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere ac licite valeant, dicta auctoritate tenore presencium de speciali gracia indulgemus, iure parrochialis ecclesie et cuiusvis alterius in omnibus semper salvo, Non obstantibus voluntate nostra predicta, ac felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua inter alia prohibetur, ne ordinum mendicancium professores in aliqua civitate vel villa, aut loco alio nova loca ad inhabitandum recipere presumant absque sedis eiusdem licencia speciali faciente de huiusmodi prohibicione mencionem, et aliis constitucionibus apostolicis, necnon dicti ordinis iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque, proviso, quod propter unionem, annexionem et incorporacionem predictas, si vigore presencium fiant, dicta ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congrue supportentur onera consueta. Nos enim, quoad unionem huiusmodi ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice MDI. Nono Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 66.

CCCXIX.

Ruthenos in magno ducatu Lithuaniae ad unitatem Ecclesiae Catholicae venientes non rebaptizari pontifex declarat.

Alexander episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Altitudo divini consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex sue immense bonitatis essentia aliquid semper ad salutem humani generis pullulans tempore congruo, et soli suo secreto misterio, quod ipse deus novit, opportune producit et manifestat, ut cognoscant homines ex suis meritis tanquam ab ipsis nichil proficere posse, sed eorum salutem et omne donum gratie ab ipso summo deo et patre luminum provenire. Sane non sine grandi et spirituali mentis nostre leticia accepimus, quod nonnulli Rutheni in ducatu Lithuanie et alii ritu greco viventes, fidem tamen christianam alias profitentes, qui Vilnensem, Kyoviensem, Luceoriensem et Medniczensem civitates et dioceses, ac alia loca eiusdem ducatus inhabitant, Sancto Spiritu cooperante illustrati, nonnullos errores, quos hactenus ritu et more Grecorum

viventes observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abdicare, et unitatem fidei catholice latine Romane ecclesie amplecti, et secundum ritum eiusdem latine et Romane ecclesie vivere desiderant et proponunt; sed quia more Grecorum, scilicet in tercia persona baptisati fuerunt, et nonnulli asserunt eos de novo baptisari debere, predicti, qui ritu greco hactenus vixerunt et adhuc vivunt, tanquam antea rite baptisati renuunt et recusant de novo baptisma suscipere: Nos igitur, qui ex commisso nobis desuper, licet insufficientibus meritis, officio pastorali cupimus singulas oves nobis commissas ad verum ovile Christi perducere, ut fiat ex illis unus pastor et unum ovile, et ne sancta catholica ecclesia diversa et deformia membra a capite discrepancia, sed conformia habeat, attendentes, quod per fel. rec. Eugenium pp. IV. predecessorem nostrum in Concilio per eum Florencie celebrato, et in quo Greci atque Armeni una cum Romana ecclesia sencientes interfuerunt, diffinitum fuit, formam huius sacramenti baptismatis existere: Ego tebaptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen; ac etiam per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, verum perfici baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, sic exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sancte Trinitatis invocatione perficitur sacramentum, et propterea huiusmodi sacramenti sic in tercia persona collati reiteracionem necessariam non existere, habita eciam cum fratribus nostris super hoc deliberacione matura, auctoritate apostolica nobis et aliis Romanis pontificibus ab ipso Christo Ihesu domino nostro per beatum Petrum, cui et successoribus suis apostolatus ministerii dispensacionem commisit, tradita tenore presencium decernimus atque declaramus, omnes et singulos sic in tercia persona baptizatos, volentes a ritu greco ad ritum et morem latine et sancte Romane ecclesie venire, simpliciter et sine alia condicione, aut etiam obligatione vel coactione, quod interim rebaptizentur, etiam cum intencione, quod alias ritus per orientales ecclesias observari solitos hereticam pravitatem non concernentes observare possint, facta prius tamen per eos omnium errorum rituum Grecorum a latina et Romana ecclesia et illius ritu ac sanctis institucionibus deviantium abiuracione, admittendos fore, exhortantes etiam per viscera misericordie dei nostri omnes et singulos, qui predicto modo baptizati sunt, et ritu greco vivunt, ut abnegata omnium errorum (observatione), quos secundum morem et ritum Grecorum hactenus observarunt, quique ab immaculata et sancta catholica latina et Romana ecclesia et illius sanctorum patrum institucionibus approbatis deviant, velint eidem catholice ecclesie illiusque salubribus documentis pro animarum suarum salute et veri dei recognicione adherere. Et ne eorum sanctum propositum quovismodo retardari possit, Venerabili fratri nostro Episcopo Vilnensi in virtute sancte obediencie committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos sic baptizatos, et ad unitatem prefate latine ecclesie venire et errores predictos abiurare volentes, ad prefate latine ecclesie unitatem et errorum huiusmodi abiuracionem per se vel alium seu etiam alios seculares prefatos ecclesiasticos, seu Predicatorum aut Minorum ordinum regularis observancie professores, doctos et probos ac alias idoneos, quibus id duxerit committendum, recipiat et admittat, ac tam sibi, quam illi vel illis, cui vel quibus, quociens expedierit, id duxerit committendum, singulos prefatos sic venientes ab excessibus propter observacionem huiusmodi errorum, ac heretica pravitate inde proveniente, necnon excommunicacionis sentencia aliisque censuris et penis ecclesiasticis, quas quomodolibet propterea incurrerunt, dicta apostolica auctoritate absolvendi, ac eis pro modo culpe penitenciam salutarem iniungendi, aliaque in premissis necessaria faciendi plenam et liberam licenciam et facultatem concedimus per presentes. Verum quia forsan difficile foret presentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus et eadem apostolica auctoritate decernimus, quod earundem litterarum transumpto manu alicuius notarii publici subscripto, et sigillo prefati Vilnensis seu alicuius alterius Episcopi vel prelati ecclesiastici munito, eadem fides prorsus adhibeatur in iudicio et extra, vel alias ubilibet, ubi fuerit exhibitum vel ostensum, sicut ipsis litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitucionis, declaracionis, exhortacionis, commissionis, mandati, concessionis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnacionis dominice MDI. X. Kalendas Septembris. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. Lib. II. Tom. XCVII. fol. 53.

CCCXX.

Episcopis Vilnensi, Mednicensi et Luceoriensi, ut sanctorum reliquias, quas magno duci Lithuaniae pro ecclesiis sui regni pontifex mittit, suscipiant, et indulgentias fidelibus, qui solemnioribus earum expositionibus interfuerint, concedit.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus nostris Vilnensi, Mednicensi et Luceoriensi Episcopis, salutem etc. Sanctorum reliquias, quorum animas non dubitamus in celo regnare cum Christo, nos universi et singuli christiani pro amore venerari debemus in terris, ut dei honorantes amicos divinis nos beneplacitis coaptemus, et illorum nobis propterea vendicantes patrocinium, apud deum, quod nostris meritis non valemus, eorum intercessionibus obtinere mereamur. Cum itaque nos nuper supplicacionibus nobis super hoc pro parte dilecti filii nobilis viri Alexandri Magni Ducis Lithuanie porrectis inclinati, dilecto filio Magistro Erasmo Vitellio preposito ecclesie Vilnensis, notario nostro, eiusdem Alexandri Ducis ad nos et Apostolicam Sedem oratori destinato petendi, et recipiendi aliquas reliquias sanctorum deferendas ad ipsum Alexandrum Ducem licenciam concesserimus, et ipse Erasmus huiusmodi licencie vigore de titulo sancte Crucis, de presepio et mensa domini nostri Ihesu Christi, de brachiis sanctorum Petri et Bartholomei Apostolorum, de reliquiis decem millium martyrum, de scapula sancti Sebastiani, de brachiis sanctorum Innocentium, de manibus sanctorum Cosme et Damiani martyrum, et de nervis ac medulla eorum, de scapula sancti Alexandri martyris, de capite sancte Praxedis, de brachio sancte Pudenciane, de capite sancte Candide virginis, de brachiis sanctorum Prothi et Iacinthi, de manu sancte Martine virginis, Katherine, Margarethe, Barbare, Christine, Agate, Theodore, Lucie et Marie Magdalene feliciter penitentis, sancti Stephani prothomartiris, Christofori, Nicolai, de terra sancta Calvarie circa Crucem dominicam per beatam Helenam collecta, de stola sancti Ieronimi, de veste sanguine tincta S. Thome Cantuariensis, de brachio sancti Fabiani, de spina colli sancti Anteri, de scapula sancti Calixti pape, de brachio sancti Stephani pape, certas particulas sive reliquias a certis ecclesiis urbis receperit, ut illas ad prefatum Alexandrum Ducem deferat, et ille postmodum in aliquibus ecclesiis, prout prefatus Alexander Dux elegerit, venerabiliter collocentur: Nos cupientes, ut reliquie predicte, prout convenit, in debita veneracione habeantur, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, ut predictas reliquias cum debito honore et veneracione suscipiatis, et ab aliis Christifidelibus parcium illarum recipi et venerari auctoritate nostra mandetis et faciatis. Nos enim, ut ipsi Christifideles ad easdem reliquias devocius venerandas inducantur, quo ex hoc animarum suarum salutem, deo propitio, se cognoverint consequi posse, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui in prima quinque, et qui in alia singulis annis semel tantum faciendis reliquiarum huiusmodi solemnibus ostensionibus interfuerint, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, Presentibus quoad singulas ostensiones annis singulis faciendas perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDI. III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 62.

EPISTOLAE IULII PP. II.

CCCXXI.

Alexandrum regem Poloniae Iulius II., antea cardinalis episcopus Ostiensis, de sua in summum pontificem electione Kalendis Novembris facta etc. certiorem reddit.

Iulius episcopus servus servorum dei. Charissimo in Christo filio Alexandro Polonie Regi Illustri, Salutem et apostolicam benedictionem. Salvator noster dominus Ihesus Christus, ut ab eterna morte liberaret humanum genus, mortalitatem nostre carnis assumpsit, sacrosanctamque universalem ecclesiam sua passione fundatam in terris usque ad consumacionem seculi perpetuari voluit, et gregis sui oves pascendas per variam successionem pastorum, qui eas verbo et opere ad eternam gloriam invitarent, disposuit. Sane cum felicis recordacionis Pius III. papa predecessor noster quintodecimo Kal. Novembris, sicut domino placuit, ex hac mortali vita ad immortalitatem migrasset, post funeris ipsius ac solemnium exequiarum, ut moris est, celebracionem Venerabiles fratres nostri sancte Romane ecclesie Cardinales, de quorum numero tunc eramus, Rome in palacio apostolico apud Basilicam beati Petri Apostolorum principis, in quo idem predecessor, dum viveret, habitabat et cursum presentis vite finierat, in conclavi pro electione futuri Pontificis celebranda modo et tempore congruis in virtute altissimi convenerunt, ubi variis consiliis et maturis deliberacionibus prehabitis, facta celebracione misse in honorem Spiritus sancti, post diligentem tractatum, prout tante rei, qua nulla maior agitur in terris, gravitas exigebat, tandem eius, qui invocatus fuit, gracia cordibus eorum infusa, licet in alios maioribus meritis insignes convenire potuissent, certo tamen dei iudicio, cuius consilia inscrutabilia sunt, nos tunc Episcopum Ostiensem sancte Romane ecclesie Cardinalem in sponsum, pastoremque ecclesie sue sancte Kalendis Novembris unanimi voluntate et concordia elegerunt. Quoniam vero, sicut domino placuit, ita factum est, quamvis nos habere humeros imbecilles ad perferendum tantum onus, quantum est universalis ecclesie sarcina, sentiremus, ne tamen reluctare voluntati dei videremur, colla subicimus iugo apostolice servitutis, sperantes in eo, qui infirma eligit mundi, ut confundat forcia, cum Romanus pontifex licet per ministerium hominum eligatur, ex celesti tamen inspiracione procedat, quod fragilitati nostre robur sue gracie inspirabit, et vires contra hostes fidei suggeret, ut perfidi Turci non solum a suis ausibus retrahantur, sed ope divini auxilii et presidio nostro ac catholicorum Regum et principum penitus conculcentur. Hanc autem assumptionem nostram ad tuam consolacionem tibi significandam duximus, quem ut nostrum et ecclesie filium singulari charitate complectimur, hortantes Maiestatem tuam in domino, ut porrigi facias preces solemnes ad dominum deum nostrum, ut nobis sua gracia assistat, et nostre humilitati graciam tribuat, ut ecclesiam suam sanctam ad gloriam et honorem eius ac exaltacionem fidei, extirpacionem heresum, pacem et quietem populi christiani feliciter in do-

mino gubernare valeamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo tertio, VI. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 138.

CCCXXII.

Erasmus Vitellius ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur, et de more commendatur.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Erasmo Electo Plocensi, salutem etc. Divina disponente clemencia, cuius inscrutabili providencia ordinacionem suscipiunt universa, in apostolice dignitatis specula licet meritis insufficientibus constituti, ad universas orbis ecclesias aciem nostre considerationis extendimus, ac pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus: sed de illis propensius cogitare nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri preficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providenciam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Sane ecclesia Plocensi ex eo, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Vincencium Wladislaviensem Episcopum, tunc Plocensem, a vinculo, quo eidem ecclesie Plocensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine et apostolica auctoritate absolventes, ipsum ad ecclesiam Wladislaviensem, tunc certo modo vacantem, duximus auctoritate predicta transferendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie Wladislaviensi in Episcopum et pastorem, pastoris solacio destituta, Nos ad provisionem ipsius ecclesie Plocensis celerem et felicem, ne ipsa ecclesia Plocensis longe vacacionis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Plocensi personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum dicte ecclesie Wladislaviensis, Notarium nostrum, ac Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris secretarium, in presbiteratus ordine constitutum, cui apud nos de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem ecclesie Plocensi de ipsorum fratrum consilio auctoritate prefata providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie Plocensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata Plocensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Plocensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo tertio, tertio Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Eodem modo Regi Polonie, Archiepiscopo Gnesnensi, Capitulo, Clero, Populo et Vassallis eiusdem ecclesie Plocensis, ut eidem electo reverenciam et obedienciam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 134.

CCCXXIII.

Eidem episcopo Plocensi quaedam donatio a capitulo Vilnensi facta confirmatur.

Iulius episcopus etc. Venerabili fratri Erasmo Episcopo Plocensi, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id ad solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita peticio continebat, quod olim Capitulum ecclesie Vilnensis propter nonnulla magna per te eidem ecclesie impensa servicia et commoda, ac ex certis aliis honestis causis ad id eorum animos moventibus, terciam decimam partem seu porcionem oblacionum occasione certarum reliquiarum quorundam sanctorum in eadem ecclesia reconditarum, per te ad dictam ecclesiam canonice oblatarum, et per Christifideles pro tempore pie erogatarum tibi graciose donarunt, ac ordinarunt, quod ipsi Capitulum singulis septimanis

unam missam pro anime tue salute celebrari facerent, prout in quodam publico instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri, que omnia a nobis petisti munimine roborari. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, que super premissis per eosdem Capitulum rite et provide facta sunt, rata et grata habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostre confirmacionis et communicionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo quarto, septimo Idus Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. IV. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 161.

CCCXXIV.

Oratio Erasmi Vitellii epi Plocensis in occasione obedientiae praestitae Iulio PP. II. nomine sermi principis Alexandri regis Poloniae et magni ducis Lithuaniae, habita Romae in consistorio publico die Lunae x. Martii anno salutis MDV.

Si unquam antea summa hominum superumque potestas, Pontifex beatissime, christiane Reipublice opem auxiliumve tulit, hoc profecto tempore potissime eam pene declinantem erexit, dum te supremum omnium pastorem, tocius mundi caput, virtutis comite gloria dignissime delegit: quecumque enim optimus maximusque imperator universi Deus efficit, id semper omni ex parte beatum et perfectum esse solet. Sed nichil perfectius (si vera citra omnem assentandi labem loqui fas est), nichil gracius, iucundius nichil hoc seculo egisse videtur, quam quod te optatissimum equidem navicule Petri rectorem ac vigilantissimum Christi sui vicarium uno omnium ore creavit, qui innata atque solita prudencia tua eius vicem in terris gerens, humana et divina omnia rectissime gubernares. Quis enim e cunctis mortalibus tanta modestia, mansuetudine atque temperancia singula et universa moderando, pari equitate, iusticia, virtute atque consilii altitudine felicem statum plurimorum Pontificum manutenendo, tali fortitudine, providencia atque dexteritate maxima tandem pericula devincendo, ea denique observancia ac sanctimonia vivendo te dignior inveniri aut sanctior excogitari potuisset? Nolebamus gubernatorem, qui aut fluctuante navicula dubitaret, aut dormiret tranquille. Non alium volebat esse rerum experiencia, non alium animi magnitudo: immortales ideo vobis debentur gracie, clarissima lumina mundi, ecclesie sancte columne bene firmate, qui, omni dilacione postposita, omni cessante impedimento, pastorem universo gregi christiano tantis virtutibus choruscantem prospexistis: quippe qui non solum ex omnibus eligi, et ab omnibus approbari debuerit, verum etiam omnibus anteponi, et ab omnibus venerari iusto iudicio vestro meruerit. Columba hec privatim educari non poterat, que vos tam sancte inspiravit, patrono illa favisset suo granum sequuta; sed volitans orantibus vobis venit ex alto. Vellem deinde amplissimos laudum tuarum campos ingredi, sed vereor, beatissime Pontifex, ne dum iterum intravero, nunquam detur amplius exeundi facultas. Quis enim occeanum universum circumquaque enavigare, quis singulas celorum stellas connumerare, quis denique fulgentissimi mundi solem apertis oculis intueri, aut humanis facibus adiuvandum contendere presumat? Cum igitur te Deus maximus tempore hoc nostro omnibus ornatum cunctis voluit excellere rebus, neque oracione laudibusve nostris crescere, neque silencio decrescere aut paucitate diminui poteris, cum iam toto orbe terrarum virtus et laudes tue sint, et erunt semper celebratissime. Verum duo sunt michi hac luce brevissime complectenda, alterum, ut mandato iussuque Regis nostri huic sancte sedi obsequentissimi tibi plusquam possimus congratulemur, et devotam prestemus obedienciam, alterum, exactissime admoneamus, ut Rempublicam christianam magna calamitate oppressam, ymmo verius suprema iactura terra marique periclitantem diligenter ac circumspectissime pro dignitate tua provideas. Quam incredibili itaque leticia, quam immenso gaudio Rex et omnis Polonia nostra incesserit, cum tuum illum letissimum gratissimumque nuncium excepisset, qui te apostolice sedis rectorem ac tocius orbis moderatorem insignem litterarum testimonio declaravit, nullis equidem verbis exprimi potest, subito ingentium campanarum tinnitus, tubarum clangores, timpanorum sonitus, congratulantium voces, festos atque solemnes dies cunctis urbibus et agris resonabant, hinc patrefamilias cum coniuge et liberis exultante, hinc sacerdote cum clericis, totoque ecclesiastico conventu Deo laudes debitas precinente, hinc omnium generum, statuum et ordinum viri ac femine cuiusque loci atque condicionis usque adeo congaudebant, ut menia ipsa et templa viderentur ac tecta letari. Rex vero ipse in medio cetu atque clarissima presulum heroumque corona, quas laudes, quales dotes, quantas denique virtutes Sanctitatis tue palam recensebat, longe ante ex aliis fide meritis intellectas, vix multo tempore explicari posset. Sic uno omnique consensu decretum est et iniunctum,

ut quam primum Sanctitati tue eius nomine congratulatum veniremus, qui nunc presentem hanc Maiestatem tuam intuentes, quibus quidem verbis mentem et devocionem Regis nostri ostendamus, non se offert satisfaciendi commoditas, temporis angustia prohibente, cui tamen congratulamur, quantum neque potest humanum ingenium comprehendere, neque Romanum vel Atticum eloquium superare. Sanctitatem demum tuam flexis corporis et animi genibus salutamus, atque in verum ac maximum Pontificem nostrum suscipientes veneramur, numen tuum velut presentem Deum adoramus, Alexandrum Regem nostrum omnibus votis tuis obsequentissimum esse et fore pollicemur. Ipse quidem Rex noster, ut brevissime rem percurramus, cum a religiosissima prosapia christianissimisque parentibus ortus (quippe cuius patruus Vladislaus Rex cum Turcis manum conferens pro fide Christi fuso sanguine mori voluit), tum divinis legibus imbutus et auctus nedum Iesum Christum revereri, sed te ipsum, qui unicus eius in terris vicarius existis, observare, venerari et excolere curabit, neque unquam desistet. Hoc ipsum facit Elizabeth mater Regia, omnium, que unquam fuerunt, Reginarum felicissima, excellenti Imperatorum sanguine progenita, filia Regis, soror Regum, olim magni Regis coniux, trium tandem potentissimorum Regum parens gloriosissima, que cum omnibus regni primoribus devocionem suam tue Sanctitati commendat, ut ea gratia, qua te in pastorem suscipiunt, animas et corpora eorum benigne acceptes, plenitudine potestatis tue ianuas regni celorum illis aliquanto oportune patefacturus. Nunc, ut reliqua absolvamus, nutantem christianum statum prosequemur, sic ab hostibus religionis nostre diminutum, dum sue quisque utilitati consulit, communi omnium salute neglecta. At cum bonus princeps id vinculum sit, quo respublica continetur et coheret, cuius eciam vitali quodam spiritu fulcitur atque consistit, publicis christianorum commodis solita virtute prodesse curabis, dum illis Deus optimus te preesse voluit. Tuum est vigilare super gregem commissum, comprimere barbarorum malignitatem, inimicorum Christi arcere potenciam et eorum seviciam a christianis cervicibus amovere. Quisnam imperia tua recusabit, quis scilicet instituta contemnere poterit aut immutare? Est tibi a Deo rerum omnium tributa potestas, instes toto conatu, pulsa negligencia, dum tempus patitur, ut christiani nominis pristinum decus tua opera restituatur. Urgetur Polonia cum amplissimo Lithuanie ducatu (qui iampridem Regno in unam eandemque monarchiam perpetuo incorporatus est), lacessitur continue a sex atrocissimis atque potentissimis hostibus ab annis supra centum, tribus Scitarum Imperatoribus ferocissimis plurima hominum milia bellatorum in stacione campestri ducentibus, uno Caffe propinquo ad latus Boristenis trans fossam residente, altero circum Tanaim et paludem Meotidem maxima loca tenente, qui nunc presencia sua in manibus Regis est. Tertii sunt remociores Asiatici latissimam inhabitantes regionem. Hii omnes assiduis incursionibus regnum impetere ac defatigare non desistunt, famem atque sitim, estum et algorem, ac omnem miserorum inediam contemnentes, repentino ingressu et fuga celerrima tutati sepius et adiuti. Quartus est Massagetarum dux Russie maior imperans, quintus Misie seu Moldavie dominus, uterque damnis innumeris et bellorum continuis impensis Regnum turbare solent, ut nunquam quiescere possit. Que omnia Turci nutu et suggestione ab eo potissime tempore ordinantur, quo Bisancium miserabiliter occupavit, et Monocastum cum Licostomo castella munitissima ad rypam Danubii sita abstulit, plurimis solo equatis. Sextus deinde Turcus est hostis omnium communis, qui copias militum numerosissimas sepius ad fines regni depopulandos transmittit, cuius scelestissima facinora in Dei templis prophanatis, in virginibus impeditis, in matronis et senibus stupenda tirannide ferroque necatis, que et quanta relicta sint, ac recentissima appareant, animus meminisse horret, luctuque refugit, suo ista ere, suo milite et maximis laboribus hucusque sustinuit, nemine principum christianorum suffragante, nulla externa presidia adhibita quamvis implorata fuissent et sepius quesita. Spe alebamur continua, et nudis pollicitationibus detinebamur, quarum neque minimus quidem effectus aliquando apparuit, sumptibus nostris et assidua cum infidelibus actione vicina ocia fovebamus. Que dum ita regnum hoc amplissimum ab annis plurimis, nullo curante, debilitaverint, maiora propediem nobis et toti christianitati pericula, si provisum non fuerit, metuuntur. Naturaliter quippe mala et nocitura omnia metum incuciunt et iustum timorem, quod omnes infantuli palam docent, quos nulla adhuc rerum experiencia aut usus movet, sed natura ipsa impellit. Hii enim dormientes et terrentur, et expalescunt, et a somno metu excitantur, et quamvis dominia nostra motu continuo bellorum agitata nunquam in somno fuerint, excitantur tamen suo atque aliorum imminenti casu, et ultimo periculo prevident iacturam, si ab hac sancta sede et a vicinis principibus non succurratur, que utcumque sit, aliis ocio torpentibus, perire nollent. temperatus enim timor cohibet animos, assiduus vero et acer ac extrema admonens, eciam ultima ex-

periri suadet. Habenda siquidem est racio dignitatis, sed interdum salutis non minor. Tuum est periclitanti patrie subvenire, dum ille, cuius vices geris, Petro naufraganti manum porrigere non neglexit, qui eciam patri superno de sibi creditis et commissis rationem reddens, gloriabundus verbis et animo dicere voluit, non se perdidisse quemquam. Perduntur plurimi in servitutem perpetuam infidelium adducti, clamat iuventus, maiores supplicant, misere contundunt pectora matres, dum prohdolor fidem Christi abnegare diversis penarum generibus inducti coguntur. In tanta itaque christiane reipublice consternacione, periculorumque atrocitate hoc unicum visum est publice salutis remedium, ad te, qui tocius orbis moderator existis, ut opem ferres, confugere. Non est amplius consultandi locus, non verbis, non dictis opus est, facto et viribus agendum erit. Libertatis quidem propugnatori coronam e quercu statuere maiores, illi omnium bonarum arcium ac precipue fortitudinis muneratores: tu, qui virentem quercum ac integram glandibus aureis et clavibus Petri decoratam pro insigni geris, libertatem christianam merito tueri debes, ne ad usque interitum manu perniciosa infidelium conculcetur, ex quo immortalem eternitatis gloriam et sempiternum apud Deum meritum consequeris, servus namque servorum dei es.

Papa deinde, quamlibet oracionis partem repetens, ad omnia singillatim respondere curavit, commendans in domino devocionem et singularem observanciam sacre Maiestatis Regie, quam progenitorum suorum vestigiis innitendo ad sanctam Sedem Apostolicam habere non desistit, pro quo Sanctitas sua nomine eciam Reverendissimorum dñorum Cardinalium lateri suo tunc triginta assidentium ingentes retulit gracias, oblatis, quecumque pro conservatione et felici statu illorum dominiorum ab eadem Sancta Sede et sacro Collegio fieri possent.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 462.

CCCXXV.

Pontifex regi Poloniae se nihil omissurum, ut magister hosp. B. M. Teutonicorum eidem debitam obedientiam praestet, nuntiat.

Carissimo in Christo filio nostro Alexandro Polonie Regi Illustri.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum nuper instanter nobis supplicaveris per dilectos filios tuos oratores ad obedienciam nobis prestandam missos, ut capitula quedam et articulos certe concordie ac pacis inter illustris memorie Casimirum Polonie Regem patrem tuum, et bone memorie Ludovicum Erlichkhuzen ordinis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani in Prussia tunc Magistrum generalem, ac utriusque sequaces et adherentes olim inite, et demum concordiam pacemque ipsam auctoritate apostolica nostra confirmaremus, visum fuit nobis equitati et pastorali nostro officio convenire, ut ab huiusmodi confirmacione supersederemus, donec dilectum filium nostrum Fredericum modernum predicti ordinis Magistrum desuper requireremus paterne, et moneremus per litteras nostras in forma brevis scriptas, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus expressum ad te transmittimus in hunc videlicet modum: Dilecte fili etc. ut infra. Speramus igitur Fredericum Magistrum huiusmodi requisicioni et ordinacioni nostre obedienter morem esse gesturum. Si autem, quod non credimus, secus fecerit, nos pro iusticia, quoad confirmacionem predictam, Serenitati tue in hac parte non deerimus, bonoque pacis et tranquillo statui Christifidelium partes illas incolentium per oportuna remedia ex nostro pastorali officio, domino auxiliante, consulemus. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xi. Maii. mdv. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 166.

CCCXXVI.

Frederico magistro hosp. B. Mariae Teutonicorum, ut regi Poloniae solitam obedientiam praestet.

Dilecto filio Frederico ordinis sancte Marie Theutonicorum in Prussia Magistro.

Iulius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Carissimus in Christo filius noster Alexander Polonie Rex Illustris Magnusque Lithuanie Dux nobis per oratores suos nuper exposuit, quod cum inter illustris memorie Casimirum Polonie Regem Magnumque Lithuanie Ducem atque bone memorie fratrem Ludovicum de Erlychuzen ordinis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani in Prussia tunc Magistrum generalem, predecessorem tuum, super certis confinibus ac terris partium Prussie graves controversie ac discordie essent olim exorte, ob quas ad cruenta diuturnaque bella non sine multorum Christifidelium millium interemtione utrinque deventum fuit, felicis recordacionis Paulus papa II. predecessor noster ex pastorali officio suo eiusmodi discordiarum turbines abolere, et bellicarum tempesta-

tum fluctus componere statuens, destinavit ad partes illas bone memorie Rudolphum Episcopum Laventinum, tunc sedis apostolice Legatum, cuius interventu et opera discordie et bella huiusmodi sedata et composita fuerunt per composicionem certe concordie et pacis inter Regem et Magistrum prefatos eorundemque adherentes et sequaces inite, inter cuius condiciones illa erat precipua, ut utraque pars concordie et pacis eiusmodi confirmacionem ab apostolica sede omni nixu petere deberet, prout in eisdem concordie et pacis capitulis atque articulis manu quondam Iohannis Emich de Attendary, clerici Culmensis diocesis, Notarii publici conscriptis, in Thorn sub anno domini MCCCCLXVI. die dominica decimanona mensis Octobris datis plenius continetur: et nichilominus tu non solum confirmacionem eiusmodi petere, sed eciam Alexandro Regi debitam in temporalibus obedienciam et omagium, secundum predictorum capitulorum et articulorum tenorem ab aliis Magistris predecessoribus tuis prestari hactenus solitum, in hanc usque diem prestare recusasti ac recusare perseveras, unde Alexander Rex prefatus nobis per dictos oratores suos instanter supplicat, ut dicte concordie pacisque capitula et articulos auctoritate nostra apostolica confirmare, et circa huiusmodi obedienciam ac omagium per te prestandum sibi de oportuno remedio providere dignaremur, quod nos facere idcirco supersedimus, ut paterne prius requisitus et admonitus a nobis esses. Nos igitur ex pastorali officio nostro, ut bono pacis et quieti terrarum predictarum Christique fidelium illas incolentium tranquillo statui consulamus, precidamusque viam scandalorum, que inde si, ut cepisti, perseverares, renasci possent, auctoritate nostra apostolica te ipsum tenore presencium et expresse requirimus et monemus, ut omagii et obediencie huiusmodi prestacionem nullo modo differas ulterius, sed eam sicut alii Magistri predecessores tui omnino observes et adimpleas, capitulorum et articulorum pacis et concordie predicte iuxta eorum formam a nobis et apostolica sede absque ulteriori dilacione temporis petas confirmacionem: aliter enim ob dictos respectus Alexandro Regi prefato confirmacionem predictam decetero petenti minime denegabimus, eidemque de aliis remediis ad huiusmodi concordiam et pacem conservandam opportunis eadem nostra apostolica auctoritate providebimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XI. Maii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 167.

CCCXXVII.

Regi Poloniae proventus camerae apost. in Polonia pro reparandis ecclesiis et castris a Tartaris dirutis ad decennium conceduntur.

IULIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Ex relatione dilectorum filiorum Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris oratorum, ad nos et sedem apostolicem pro prestanda obedientia destinatorum, nuper accepimus, quemadmodum immanis et fera Tartarorum natio nomini christiano semper infesta, compluresque diversarum sectarum populi acerrimi catholice fidei hostes, circumsedentes magnum Lithuanie Ducatum, Russie Podolieque terras, Carissimi in Christo filii nostri Regis prefati ditioni subiectas, assiduis incursionibus, depopulationibus, nec sexui, nec etati, nec personarum conditioni parcentes, per ignem ac ferrum sic devastarunt, ut non solum multa Christifidelium millia partim crudelissime trucidaverint, partim in miserabilem inde captivitatem abduxerint, verum etiam quamplures ecclesias, in quibus religiose divinus cultus exercebatur, diversasque arces et castella, que ad illarum terrarum presidia fuerunt a maioribus edificata, violenter everterint, multis solo equatis, atque in tantum immanes vires suas per regna et potentatus illos iam extenderint, ut nisi manus adiutrices predicto Regi Illustri his calamitatibus remedia querenti, eiusque afflictis regnicolis pie afferantur, non modo locis ac terris illis, sed etiam christianitati universe periculum immineat manifestum. Quapropter nos ex debito pastoralis officii commissi nobis dominici gregis presidio ac tutele providere, et calamitates huiusmodi, quantum cum deo possumus, nostreque suppetunt facultates, avertere cupientes, tibi presentium tenore committimus atque mandamus, ut ea, que ex denario sancti Petri in dicto Polonie regno Camere apostolice proveniunt nobisque debentur, nomine nostro in ecclesiarum, arcium et castrorum huiusmodi destructorum reparationem, presertim castri Camenyecz, quod Regni illius quoddam propugnaculum semper est habitum, instaurationem Venerabilibus fratribus nostris Cracoviensi et Plocensi Episcopis, et dilecto filio Castellano Cracoviensi pro tempore existenti, alias in manus ipsorum integre et cum effectu per decem annos continuos succedentes, et deinde ad nostrum et dicte sedis apostolice beneplacitum tradas et consignes, pro huiusmodi castri necessariis et aliarum arcium dirutarum reparatione exponenda et dispensanda ab eisdem, quos ipsos ex nunc, et eorum quem-

libet, conscientiam onerando, ad id officium tenore presentium deputamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII. Maii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. Lib. XXXII. Tom. XXI. fol. 162.

CCCXXVIII.

Exsecutoribus, ut Erasmo episcopo Plocensi quosdam canonicatum et praebendam in ecclesia Cracoviensi conferendos curent.

Iulius episcopus etc. Dilectis filiis Nicolao Cepel Preposito ecclesie Wratislaviensis, et Gneznensi ac Cracoviensi officialibus, salutem etc. Personam Venerabilis fratris nostri Erasmi Episcopi Plocensis nobis et apostolice sedi devotam, suis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa sibi libenter concedimus, que suis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos quondam Nicolaus Lanczky ipsius ecclesie Canonicus, dum viveret, detinebat, per obitum ipsius Nicolai, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens: Nos, in quorum manibus dilectus filius Albertus Walyschewsky clericus Gneznensis diocesis, cui alias de dictis Canonicatu et prebenda, ut prefertur, vacantibus, sub data videlicet sexto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo, motu proprio concessimus provideri, concessioni gratie huiusmodi litteris apostolicis super illa non confectis, hodie sponte et libere cesserit, nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, prefato Erasmo Episcopo, qui a Carissimo in Christo filio nostro Alexandro Polonie Rege Illustri ad nos et sedem predictam pro prestanda nobis obedientia orator destinatus existit, et cum quo dudum tunc Electo Plocensi, ut postquam possessionem, vel quasi regiminis et administrationis ecclesie Plocensis ac bonorum seu maioris partis eorum assecutus foret ac munus consecrationis suscepisset, una cum dicta ecclesia Plocensi seu quacunque alia cathedrali ecclesia, ad quam ipsum forsan transferri contingeret, Scolastriam Wratislaviensem, que inibi dignitas, non tamen post pontificalem maior, seu officium existebat, ac certos Wratislaviensis, quos tunc obtinebat, necnon Poznaniensis ecclesiarum Canonicatus et prebendas, de quibus sibi apostolica auctoritate provisum fuerat, et super quibus litigabat, si illos evinceret, retinere, necnon certa gratia expectativa sibi concessa uti et beneficia sub illa conprehensa acceptare, et de illis sibi provideri facere, et si illa similiter assequeretur, etiam cum dicta Plocensi ecclesia ac Canonicatibus et prebendis necnon Scolastria predictis, quoad viveret, ut prefertur, libere et licite valeat, motu proprio auctoritate prefata dispensavimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur, quique, ut asserit, alios Canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, tunc certo modo vacantes, vigore litterarum gratie expectative sibi per felicis recordationis Alexandrum papam VI. concessarum, acceptavit, et de illis sibi dubitanti de iuribus acceptationis huiusmodi de novo per nos provideri obtinuit, illorumque possessionem assecutus fuit, et super illis contra certum suum adversarium litigavit, statum suum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ipsumque Erasmum Episcopum a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Erasmus Episcopus ex dicta dispensatione obtinet et expectat, necnon in quibus ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque ac Scolastrie et Wratislaviensis et Poznaniensis Canonicatuum et prebendarum predictarum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios Canonicatum et prebendam primo dictos, quorum fructus, redditus et proventus triginta marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Erasmus Episcopus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Nicolai, vel cuiusvis alterius de illis extra dictam Curiam etiam coram notario publico et testibus factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda primo dicte dispositioni apostolice specialiter, vel ex eo, ut a nonnullis asseritur, dictus Nicolaus olim illos obtinens bone memorie Frederici tituli sancte Lucie in Septem Soliis prebiteri Cardinalis familiaris continuus commensalis fuit, generaliter reservati existant, et super eis inter aliquos

lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris Canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Erasmo Episcopo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eundem Erasmum Episcopum vel procuratorem predictum pro eo ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia Cracoviensi in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie Cracoviensis cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende primo dictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, Idibus Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. Lib. XI. fol. 243.

CCCXXIX.

Maximiliano Romanorum regi, ut causam cuiusdam mercatoris Pruteni ad regis Poloniae tribunal remittat.

Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Romanorum Regi Illustri.

Iulius PP. II. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Nuper Charissimus in Christo filius noster Alexander Polonie Rex Illustris per dilectos filios oratores suos nobis exposuit, quod annis superioribus dilectus filius Thomas Iodoke de Traumburga(?) in terris Prussie eidem Regi subiectis negociari et mercaturam exercere solitus, cum in eisdem terris nonnullos creditores dicti Regis subditos per commercia et negociaciones decipiendo in bonis pecuniarum summis damnificasset, proptereaque partibus et terris illis exterminatus et profugus reversusque in Germaniam, ac se falso pretendens per quosdam Alexandri Regis prefati subditos certa frumenti vel pecuniarum quantitate fraudatum, nullo prius ad locumtenentem et officiales predicti Regis, sicut debebat, habito recursu pro iusticia consequenda, ad Cameram tuam Imperialem se contulit, ibique iusticiam circa predicta administrari petens, certas adversus eos, quos sibi debitores esse pretendebat, primum, deinde contra Gedanensium, Thorunensium Helbingensiumque insignes universitates et alios terre Prussie incolas et habitatores citatorias seu monitorias litteras obtinuit, illisque qualitercumque executis, coram dicta Camera seu Camere presidentibus contra eosdem huiusmodi pretensam suam causam egit, tandemque omnes et singulas actiones et iura sua pretensa, lite indecisa pendente, in quosdam Imperii tui potentiores transtulit, cessitque eidem, Cameraque Imperialis sive presidentes prefati banditorias et represaliarum litteras prefato Thome Iodoke, vel eius cessionariis decreverunt contra prefati Regis subditos, in quos nullam iurisdictionem habent, quarum vigore predicti Alexandri Regis subditi diversis gravissimisque damnis affecti sunt, in diesque magis afficiuntur: unde idem Charissimus in Christo filius noster Alexander Rex humiliter nobis per eosdem oratores suos supplicavit, ut in hac parte sibi, regnis dominiisque suis nulli alterius protectioni quam sedi apostolice immediate subiectis de remedio oportuno providere dignaremur. Nos igitur, cum nostri pastoralis officii debitum sit, ut Reges principesque catholicos, qui immediate sedis apostolice protectioni ac tutele subsunt, in privilegiis, iuribus exemptionibusque suis, quantum cum deo possumus, tueamur, Maiestatem tuam plurimum in domino hortamur, ut bannimentis et represaliis huiusmodi sopitis et amotis, prefatos dicti Regis subditos libere et sicure negocia sua agere permittat, eisque per extinctionem bannimentorum et represalium huiusmodi quietem et securitatem reddat, remisso dicto Thoma Iodoke ad eiusdem Regis tribunal pro sua petenda et consequenda iusticia, cuius expeditam et integram administracionem Rex prefatus eidem Thome offert, in quo Maiestas tua, cuius proprium est, ius unicuique suum reddi facere, iusticie partibus satisfaciet, et nobis et huic sancte apostolice sedi rem faciet pergratam, dictoque Regi propinquo suo in primis gratificabit. Datum Rome etc. die xvi. Maii mdv. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 168.

CCCXXX.

Ecclesiam Plocensem visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae.

Iulius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum etc. Cupientes igitur, ut ecclesia Plocensis, que sub invocacione eiusdem gloriosissime Virginis Marie fundata existit, et ad quam Venerabilis frater noster Erasmus Episcopus Plocensis, ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda nomine Carissimi in Christo filii nostri

Alexandri Polonie Regis Illustris orator destinatus, singulique illarum parcium Christifideles singularem gerunt devocionis affectum, in suis structuris et ornamentis (?) congruis frequentetur honoribus, ipsique Christifideles eo promptius ad ecclesiam ipsam devocionis causa confluant, quo se respexerint dono celestis gracie refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in domini nostri Iesu Christi et eiusdem gloriosissime Virginis Marie Nativitatis ac Assumptionis eiusdem Virginis, necnon in sancti Sigismundi, ac in ipsius ecclesie dedicacionis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas quarumlibet earundem festivitatum inclusive devote visitaverint, et ad illius reparacionem, edificacionem seu manutencionem manus porrexerint adiutrices, quinquaginta annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ecclesiam ipsam visitantibus et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, vel alias ibidem pyas elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDV., sexto Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 186.

CCCXXXI.

Altare S. Erasmi in ecclesia Plocensi visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Is de cuius munere etc. Cupientes igitur, ut capellania (?) seu altare sancti Erasmi situm in ecclesia Plocensi, ad quam Venerabilis frater noster Erasmus Episcopus Plocensis, ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda ad presens per Carissimum in Christo filium nostrum Alexandrum Polonie Regem Illustrem orator destinatus, singularem gerit devocionis affectum, et quam suis sumptibus restauravit et reparavit, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam capellaniam seu altare devocionis causa confluant, et ad ipsius reparacionem et manutencionem manus prompcius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie respexerint (?) se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam capellaniam seu dictum altare in sanctorum Erasmi et Iohannis Elemosinarii, ac sanctarum Apolonie et Catherine, necnon dedicacionis eiusdem festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas singularum festivitatum earundem inclusive devote visitaverint, et ad dicte capellanie reparacionem, restauracionem seu manutencionem manus porrexerint adiutrices, viginti annos et totidem quadragenas pro qualibet festivitatum earundem de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias capellaniam seu altare predictum visitantibus et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, vel alias ibidem pyas elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome etc. Anno MDV., VI. Kalendas Iunii. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 187.

CCCXXXII.

Ecclesiam S. Matthaei in Polthowsko Plocensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Is de cuius munere etc. Cupientes igitur, ut ecclesia in Polthowsko Plocensis diocesis, que sub invocacione sancti Mathei fundata existit, et ad quam Venerabilis frater noster Erasmus Episcopus Plocensis, ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda per Carissimum in Christo filium nostrum Alexandrum Polonie Regem Illustrem ad presens destinatus, ac singuli Christifideles illarum partium singularem gerunt devocionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam ecclesiam devocionis causa confluant, et ad illius reparacionem, edificacionem seu manutencionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam

ipsam in Resurrectionis domini nostri Iesu Christi et Annunciacionis gloriosissime Virginis Marie matris eius, ac sanctorum Mathei Apostoli et Evangeliste, necnon Elizabeth virginis, et dedicacionis eiusdem ecclesie festivitatibus, et diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas quarumlibet festivitatum earundem inclusive, ecclesiam ipsam devote visitaverint, et ad illius reparacionem, edificacionem et manutencionem manus porrexerint adiutrices, viginti annos et totidem quadragenas pro qualibet dictarum festivitatum de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus futuris perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ecclesiam huiusmodi visitantibus et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, vel alias ibidem pyas elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome etc. Anno MDV., VI. Kalendas Iunii. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 188.

CCCXXXIII.

Capellam S. Crucis in Polthowsko visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet honor et gloria etc. aptiores. Cupientes igitur, ut capella seu oratorium sancte Crucis in Polthowsko Plocensis diocesis, ad quam seu quod propter crebra miracula, que ibidem in honorem sancte Crucis operatur altissimus, Venerabilis frater noster Erasmus Episcopus Plocensis, ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda nomine Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris orator destinatus ad presens, ac Christifideles incole et habitatores eiusdem et aliorum circumvicinorum locorum singularem gerunt devocionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam capellam seu oratorium devocionis causa confluant, et ad reparacionem, edificacionem seu manutencionem ipsius manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui capellam seu oratorium predictum in exaltacionis et invencionis eiusdem gloriosissime sancte Crucis festivitatibus, et in dominica infra octavas celebracionis corporis Christi, et feria sexta maioris Ebdomade, ac dedicacionis eiusdem diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatum et dierum earundem inclusive devote visitaverint, et ad premissa manus porrexerint adiutrices, decem annos et totidem quadragenas pro qualibet festivitatum et dierum huiusmodi de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias capellam seu oratorium predictum visitantibus, et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, vel alias pyas elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum Anno MDV., VI. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 188.

CCCXXXIV.

Capellam S. Mariae in ecclesia S. Ioannis Bapt. Warsaviae visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum infra pectoris etc. Cupientes igitur, ut capella beate Marie Virginis sita in ecclesia beati Iohannis Baptiste Warschowiensi Poznaniensis diocesis, que de iure patronatus dilecte in Christo filie Anne ducisse Mazovie existit, et ad quam ipsa et dilecti filii incole et habitatores eiusdem et aliorum circumvicinorum locorum singularem gerunt devocionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam capellam devocionis causa confluant, et ad illius reparacionem et manutencionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui capellam ipsam in Annunciacionis, Assumptionis, Nativitatis eiusdem beate Marie ac sancte Anne matris eiusdem et dedicacionis eiusdem capelle festivitatum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas quarumlibet earundem festivitatum inclusive visitaverint devote, et ad illius reparacionem, edificacionem et manutencionem manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas pro qualibet festivi-

tatum earundem de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias capellam huiusmodi visitantibus et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, vel alias ibidem pyas elemosinas erogantibus aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, vi. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 189.

CCCXXXV.

Ecclesiam monasterii S. Stanislai extra muros Cracov. visitantibus et adiuvantibus conceduntur indulgentiae.

Iulius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. De salute gregis dominici etc. Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii sancti Stanislai extra muros Cracovie ordinis sancti Pauli primi heremite, in qua, ut accepimus, corpus eiusdem sancti Stanislai magna cum devotione tamquam precipui patroni tocius Regni Polonie conservatur, et ad quam Carissimus in Christo filius noster Alexander Polonie Rex Illustris, ac omnes fideles regnicole dicti regni ob crebra miracula, que in eo operatur altissimus, singularem gerunt devotionis affectum, in suis edificiis ac paramentis divino cultui necessariis (?) congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam ecclesiam devocionis causa confluant, et ad premissa promptius manus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus vere penitentibus et confessis, qui sexta feria, qua solemnes processiones de maiori et collegiatis ac parrochialibus et monasteriorum ecclesiis civitatis predicte Cracoviensis maxima cum devocione Christifidelium fieri consueverunt, et xxvii. die mensis Septembris, qua translacio ipsius sancti similiter celebratur, ac festo sancti Erasmi, et in dedicacione eiusdem templi ecclesiam predictam a primis vesperis usque ad secundas vesperas dierum et festivitatum earundem devote visitaverint, et ad edificiorum et paramentorum et aliorum ornamentorum ecclesiasticorum reparacionem seu manutencionem manus porrexerint adiutrices, viginti annos et totidem quadragenas pro qualibet die festivitatum earundem respective de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus futuris perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ecclesiam predictam in predictis diebus ac festivitatibus visitantibus, et ad predicta manus adiutrices porrigentibus, aut inibi pyas elemosinas erogantibus, vel alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdv., vi. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 176.

CCCXXXVI.

Nicolaus Czepel praepositus Vratislaviensis, secretarius regis Poloniae, Comes palatinus Lateranensis creatur.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Nicolao Cepel Aule sacri nostri Palacii Lateranensis Comiti palatino, Preposito Wratislaviensi, decretorum doctori, Notario nostro, salutem etc. Grata devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, necnon litterarum scientia aliaque multiplicia virtutum dona, quibus personam tuam etiam fidedignorum testimoniis novimus insignitam, ac sincere devotionis affectus, quam erga nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, merito nos inducunt, ut personam tuam condigno dignitatum titulo attollamus. Hinc est, quod nos volentes te, qui Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris Secretarius, ac ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda nomine eiusdem Regis orator destinatus existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, te nostri sacri palacii Lateranensis Comitem palatinum apostolica auctoritate presentium tenore facimus, creamus, constituimus et deputamus, teque aliorum dicti palatii Comitum et militum consortio favorabiliter aggregamus, ac pro tali deinceps censeri, nominari, nun-

cupari et reputari volumus et mandamus, ita ut in omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et indultis, quibus alii dicti palatii Comites utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet imposterum, uti, potiri et gaudere possis et valeas: et insuper tibi adinstar aliorum dicti palacii Comitum ubique locorum extra Romanam Curiam per te creandi publicos Notarios seu Tabelliones ac Iudices ordinarios, ac de Notariatus ac Iudicatus officiis per pennam et calamare investiendi, ut est moris, eos, quos ad hoc ydoneos et fideles, ac in litteratura sufficientes fore repereris, recepto prius ab eis nostro et sancte Romane ecclesie nomine solito iuxta formam presentibus annotatam iuramento, necnon legitimandi bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos et ex quocunque illicito vel damnato coitu procreatos, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus, ita ut ad paternam et alias successiones quorumcunque bonorum admitti et in illis succedere valeant, absque tamen preiudicio eorum, qui ad predictas successiones, si persone, quibus succederent, ab intestato decederent, de iure admitti deberent, ac etiam ad honores, dignitates, gradus et officia secularia publica et privata recipi, et etiam admitti illaque exercere possent, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, illosque ad iura nature et quoslibet actus legitimos reintegrandi et restituendi, constitutionibus apostolicis ac legibus imperialibus et statutis municipalibus, illis presertim, quibus cautum dicitur, quod naturales et bastardi non possint legitimari, nec debeant sine consensu et voluntate legitimorum et naturalium, quibus illa, etiam si presentibus de eis mentio deberet fieri specialis, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quo ad premissa hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et omnimodam dicta auctoritate potestatem et facultatem concedimus. Tu igitur de bono in melius sic studiis virtutum intendas, ut in nostro conspectu ad maiora te semper constituas meritorum studiis digniorem, nosque propter hoc ad faciendum tibi pleniorem honorem et gratiam invitemur. Forma autem iuramenti, quod promovendi per te vel alium seu alios, ut prefertur, ad Notariatus seu Tabellionatus et Iudicatus officium prestabunt, talis est: Ego N. ab hora inantea etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, deputationis, aggregationis etc. infringere. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, quarto Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. Lib. XXI. fol. 365.

CCCXXXVII.

Alexandro regi Poloniae iuspatronatus praepositurae Plocensis reservatur.

Iulius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alexandro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que tibi posterisque tuis Polonie Regibus honor cum augmento divini cultus accedere possit. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim felicis recordationis Sixtus papa IIII. predecessor noster clare memorie Kasimiro Regi tunc Polonie, genitori tuo, dum vixit, suisque successoribus Polonie Regibus pro tempore existentibus ius patronatus et presentandi personas ydoneas ad dignitates maiores post pontificales, quotiens extunc vacarent, in Gneznensi Metropolitana, ac Cracoviensi et Poznaniensi Cathedralibus ecclesiis per suas litteras concessit, prout in illis plenius continetur. Cum autem civitas Plocensis tunc sub dominio eiusdem Kasimiri Regis non existeret, sed postmodum per obitum quondam Iohannis Ducis Masovie in potestatem etiam clare memorie Iohannis Alberti Polonie Regis, germani et predecessoris tui, nunc vero tuam reducta fuerit, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut ius patronatus et presentandi personam ydoneam ordinario loci ad preposituram ecclesie Plocensis, que inibi dignitas post pontificalem maior existit, quotiens illam deinceps perpetuis temporibus vacare contigerit, tibi et successoribus tuis predictis reservare et concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, ius patronatus et presentandi personam ydoneam eidem ordinario ad dictam preposituram, etiam si forsan electiva existat, dum illam deinceps per cessum vel decessum moderni et pro tempore existentis prepositi Plocensis, aut alias quovismodo, etiam apud sedem apostolicam vacare contigerit, tibi et successoribus tuis Polonie Regibus predictis perpetuo auctoritate apostolica tenore presentium reservamus, concedimus et assignamus, decernentes quascunque provisiones aut alias dispositiones de illa tam per nos quam sedem predictam absque consensu tui et successorum predictorum, etiam eo pretextu, quod dicta prepositura inter aliquos litigiosa, seu ex quavis

causa generali vel speciali nostre et successorum nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium dispositioni reservata fuerit, seu in futurum esse contingat, nullius fore roboris vel momenti. Volumus autem, quod presentatus et institutus pro tempore ad dictam prepositurам infra sex menses a die illius assecutionis computandos novam provisionem a sede predicta impetrare, et iura Camere apostolice ratione illius vacationis debita persolvere teneatur, alioquin elapsis mensibus huiusmodi facte de illa presentaciones et instituciones nullius firmitatis existant, ipsaque prepositura extunc vacare censeatur eo ipso, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie Plocensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo quinto, tertio Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. Lib. XI. fol. 227.

CCCXXXVIII.

Iacobo Schidlowieczky iuspatronatus ecclesiae parochialis Wszeszwyathe dioecesis Cracoviensis conceditur.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Schidlowyeczky layco Cracoviensis diocesis, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, non indigne meretur, ut peticionibus tuis, illis presertim, que ad ecclesiarum decorem cedere noscuntur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua nobis nuper exibita peticio continebat, quod licet alias iuspatronatus et presentandi personam idoneam ad parrochialem ecclesiam omnium Sanctorum loci Wszeszwyathe Cracoviensis diocesis, dum pro tempore vacabat, ad dominum et possessorem dicti loci vel eius bonorum ab antiquo spectaverit, essentque alias domini dictorum bonorum in pacifica possessione vel quasi dicti iuris presentandi, nichilominus a certo tempore citra, ex eo quod, ut a nonnullis asseritur, quondam nonnulli possessores seu incole dictorum bonorum quendam Rectorem dicte ecclesie interfecerunt, prefati possessores ad huiusmodi presentacionem admissi non fuerunt, seu forte dicto iurepatronatus privati extiterunt. Verum cum successu temporis tales tunc possessores bonorum predictorum seu incole, ac eorum heredes in totum defecerint, ipsaque bona aliunde ad te quam successione et linea dictorum quondam possessorum et interfectorum devenerint, dictumque iuspatronatus ad te cum universitate transisse videatur, cum aliunde quam ab interfectoribus causam habueris, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus attentis premissis, quodque eiusdem ecclesie decorem summopere desideras, et eandem ecclesiam in fructibus et aliis illi necessariis augmentare intendis, ut tibi ac successoribus tuis iuspatronatus et presentandi personam idoneam venerabili fratri nostro moderno, et pro tempore existenti Episcopo Cracoviensi ad ipsam ecclesiam, dum pro tempore vacabit, reservare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum omnium decorem et unitatem ac fidelium quorumlibet honores et commoda exoptamus, te a quibuscunque excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, tibi et successoribus tuis prefatis loci seu bonorum huiusmodi iuspatronatus et presentandi personam idoneam prefato, et pro tempore existenti Episcopo Cracoviensi ad eandem ecclesiam, dum vacabit, ut prefertur, reservamus et concedimus: et nichilominus prefato et pro tempore existenti Episcopo Cracoviensi, ut te ac successores tuos prefatos dicto iure patronatus uti permittant, ac presentaciones per te aut successores tuos huiusmodi alias legitimas, dum vacacio dicte ecclesie pro tempore occurrerit, admittant, necnon personas idoneas presentatas huiusmodi instituant, mandamus, non obstantibus premissis ac constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus dicte ecclesie Cracoviensis iuramento, confirmacione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Dat. Rome Anno etc. MDV., III. Nonas Iunii. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXIII. Tom. XXI. fol. 191.

CCCXXXIX.

Nicolao Czepel quaedam decimae sibi ab archiepiscopo Gnesnensi concessae confirmantur.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Cepel Preposito ecclesie Wratislaviensis, decretorum doctori, salutem etc. Votis fidelium, presertim litterarum scientia preditorum, ex quibus eorum

commoditatibus consulitur, libenter annuimus, et hiis, que propterea facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias Venerabilis frater noster Andreas Archiepiscopus Gneznensis cupiens laudabilibus meritis tuis ob grata et multiplicia per te sibi, etiam dum in minoribus esset constitutus, et ecclesie sue Gneznensi impensa obsequia condigna premia rependere, tibi omnes et singulas frumenti et cuiuscunque grani et seminis decimas manipulares ex omnibus et singulis bonis, videlicet Ldzen, Liethkynya, Bzen, Rethlyanir, Rypolthowolkanolya, Rotritzyr, Slessyno minori, Zaramwiec, Bagaszyno duplici, Slynyk, Sadvuka, Wrasski, Tlymyanka et Lyppe in clave seu tenuta Pianthkomiensi consistentibus, ad mensam suam Archiepiscopalem Gneznensem spectantes et pertinentes, habito super hoc cum dilectis filiis Capitulo Gneznensibus diligenti tractatu, de eorum expresso consensu tibi tanquam persone de se ac dicte ecclesie benemerite per te, quoad viveres, vel donec ad aliquam pontificalem dignitatem promotus fores, [per te] habendas, tenendas, possidendas et levandas, ac in tuos usus et utilitatem convertendas pleno iure, nichil sibi aut successoribus suis Gneznensibus Archiepiscopis pro tempore existentibus iuris, proprietatis seu dominii in dictis decimis, donec illas, ut prefertur, possideres, reservando, ita quod post decessum seu promotionem tuam huiusmodi decime ipse in pristinum statum reverterentur eo ipso, ordinaria auctoritate concessit et donavit, prout in quibusdam litteris autenticis ipsius Archiepiscopi suo et eorundem Capituli sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et donationi predictis, que, ut asseris, in gravem et enormem dicte ecclesie Lesconensis minime cedunt, pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice firmitatis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te, qui pro Charissimo in Christo filio nostro Alexandro Polonie Rege illustri ad prestandum nobis et Romane ecclesie obedientiam ad nos et sedem apostolicam orator destinatus existis, et ut asseris, Prepositur am Wratislaviensis ac Canonicatum et prebendam dicte Gneznensis ecclesiarum inter alia obtines, gracioso favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et donationem de dictis decimis, quorum fructus, redditus et proventus tredecim marcharum argenti puri secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, tibi factas huiusmodi, ac prout illas concernunt omnia et singula in dictis litteris contenta et inde secuta quecunque, auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, tertio Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo Episcopo Wratislaviensi, Decano ecclesie Wratislaviensis ac Officiali Wratislaviensi, ut hanc confirmationem apostolicam exequi curent.

Ex Reg. orig. An. I. II. III. Bullar. Tom. XXI. fol. 367.

CCCXL.

Regi Poloniae, ut subditi regni sui, personis ordinum regularium exceptis, diebus Mercurii carnibus vesci possint.

Iulius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Sincera fervensque devocio, quam Charissimus in Christo filius noster Alexander Rex Polonie Illustris ad nos et Romanam gerit ecclesiam, non indigne meretur, ut votis suis, illis presertim, per que eius ac subditorum commoditatibus et quieti ac consciencie serenitati consulitur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exponi nobis fecit prefatus Alexander Rex, quod licet esus carnium quarta feria seu die Mercurii cuiuslibet ebdomade, nisi aliqua vigilia occurrat, propter quam ab esu carnium abstinendum sit, de iure prohibitus non existat, tamen quia in Regno Polonie Christifideles dicta quarta feria vel die Mercurii ex devocione carnibus non vescuntur, et pauci pisces saltem boni in pluribus locis dicti Regni haberi possint, dicti fideles aliqui stimulo consciencie compuncti non audent libere dicta quarta feria seu die Mercurii carnibus vesci: quare dictus Alexander Rex nobis humiliter supplicari curavit, quod omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus dicti Regni presentibus et futuris, religiosis et his, qui voto ab esu carnium abstinere debent, dumtaxat exceptis, ut dicta quarta feria seu die Mercurii cuiuslibet

ebdomade carnibus vesci possint, concedere, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Alexandri Regis in hac parte supplicacionibus inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus Regni huiusmodi presentibus et futuris, religiosis et his, qui voto ab esu carnium se abstinere debent, dumtaxat exceptis, ut dicta quarta feria seu die Mercurii cuiuslibet ebdomade, nisi aliud impedimentum obsistat, dicta consuetudine non obstante, huiusmodi carnibus vesci et uti absque aliquo consciencie scrupulo libere et licite valeant, premissis et apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinacionibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica, tenore presentium concedimus et indulgemus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice MDV., III. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 172.

CCCXLI.

Pontifex concedit, ut quatuor viri ecclesiastici in medicina rite promoti, si a rege et regina Poloniae et aliis regni primoribus requisiti fuerint, iuxta medicinae praecepta iisdem remedia opportuna subministrare libere valeant.

Iulius episcopus etc. Charissimo in Christo filio Alexandro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem erga nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne promeretur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, que tuis et principum Regni tui commoditatibus fore conspicimus oportuna, ac per que tu et principes predicti in vestris infirmitatibus aliquod suscipere possitis relevamen. Sane sicut exibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, cum nonnulli ecclesiastici viri Regni Polonie in Universitatibus studiorum generalium ad Medicine doctoratum seu Magistratum promoti, et in medendo parati et docti existant, qui per te et alios principes Regni tui sepe sepius requirantur, ut vobis et vestris necessitatibus et infirmitatibus subvenire velint, ipsi curas huiusmodi suscipere et oportuna remedia ministrare posse eis non licere absque sedis apostolice licencia dicunt: Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut quatuor ecclesiasticis viris, eciam in dignitate ecclesiastica seu in presbiteratus ordine constitutis, et in medicina doctoribus seu magistratis, et ad huiusmodi Magistratus gradum in Universitatibus studiorum generalium, seu alias rite promotis et per te nominandis, tam tibi, quam eciam Carissime in Christo filie nostre Elizabeth dicti regni Regine Illustri, et aliis principibus dicti regni, dum a te et Regina ac principibus predictis requisiti fuerint, in vestris et eorum necessitatibus et infirmitatibus iuxta Medicine canones oportuna remedia impendere libere et licite valeant, licenciam et facultatem concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, tibi, ut quatuor ecclesiasticos viros ad dictum gradum, ut prefertur, nomines, qui dum a te et Regina ac principibus predictis in tuis et eorum necessitatibus requisiti fuerint, iuxta medicine canones in dicto regno, citra tamen adustionem et incisionem, absque alicuius irregularitatis incursu mederi libere et licite valeant, Honorii pape tercii predecessoris nostri et aliis apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinacionibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gracie indulgemus. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDV., tertio Nonas Iunii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 173.

CCCXLII.

Idem, rege Poloniae petente, concedit, ut in ecclesia cathedrali Cracoviensi tempore Adventus et festis Natalis Domini ac Epiphaniae et eorum octavis Missae solemnes per duas vel tres horas ante lucem decantari possint.

Iulius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio, meritis quamquam insufficientibus, ad ea nostre operacionis studia libenter committimus, per que ecclesiarum omnium, presertim cathedralium insignium decori et venustati consulatur, personisque in illis divinis laudibus insistentibus possit in earum necessitatibus commode subveniri. Sane exhibita nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris peticio continebat, quod cum in ecclesia Cracoviensi, in qua divinus cultus plurimum viget, multe Misse solemniter et successive singulis diebus ultra alia divina officia decantari consueverunt et decantantur, et ministri dicte ecclesie, qui huiusmodi Missarum decantacioni interesse, seu illas decantare et celebrare

habent, commode presertim tempore hiemis horis competentibus in die celebrari non possent, ex quadam consuetudine longo tempore observata, ac forsan ex privilegio apostolico, de quo apparet, non dinoscitur huiusmodi Missarum celebracioni et decantacioni(?) per duas et eciam per tres horas ante lucem celebrant et decantant, et quamvis ante lucem aliquas Missas cantant, vix eas aliquando ante meridiem perficere possunt, et propterea nonnulli ex sic celebrantibus ante diem id absque consciencie scrupulo posse non confidunt, quodque si statueretur et ordinaretur, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in diebus Adventus et Nativitatis et Epiphanie domini nostri Iesu Christi festivitatibus et octavis earundem, quo tempore noctes longiores et dies breviores existunt, ac Christifideles devocioni magis intenti fiunt, duabus vel tribus horis ante lucem et usque ad meridiem, in aliis vero temporibus Misse huiusmodi congruis horis celebrarentur, nisi forsan aliqua iusta et racionabilis causa, quod ante diem celebrarent, id exigeret, qua movente, iuxta antiquam consuetudinem libere celebrare possent, profecto consciencie et quieti dictorum Ministrorum non modicum consuleretur, et divinus cultus in eadem ecclesia commodius perfici posset. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicta ecclesia, sic ut prefertur, tempus et ordinem celebrandi ante diem statuere et ordinare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum nostris potissime temporibus supremis desideramus affectibus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in diebus Adventus, Nativitatis et Epiphanie domini nostri Iesu Christi festivis(?) et octavis duabus vel tribus horis ante lucem, et usque ad meridiem tamen absque alicuius(?) consciencie scrupulo, aliis vero temporibus Misse huiusmodi congruis temporibus celebrentur, nisi forsan aliqua iusta et racionabilis causa id exigat, quo casu eciam ante lucem iuxta consuetudinem hactenus observatum huiusmodi Misse celebrari poterint, non obstantibus premissis et constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome etc. Anno MDV., tercio Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 175.

CCCXLIII.

Episcopo Plocensi conceditur, ut collegio cantorum suae ecclesiae duas ecclesias parochiales unire possit.

Iulius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Romana ecclesia universis Christifidelibus ubera materne dilectionis ostendens, quantum licet, modestis petentium votis annuit, supplicacionesque illorum precipue benigne exaudit, quos erga se devotos comprobat, et per quos divini cultus augmentum, et personarum ecclesiasticarum laudibus divinis deditarum commoditas salubriter procuratur. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Erasmi Episcopi Plocensis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod ipse pro divini cultus augmento, necnon pro sustentacione dilectorum filiorum cantorum sue et pro tempore existentis Episcopi Plocensis capelle cupit duas parrochiales ecclesias, ad collacionem suam racione ecclesie Plocensis, cui preest, spectantes, collegio seu mense cantorum predictorum perpetuo uniri, annecti et incorporari, ac alias eisdem cantoribus de subvencionis auxilio provideri: Quare pro parte dicti Erasmi Episcopi, qui a Carissimo in Christo filio nostro Alexandro Rege Polonie Illustri pro prestanda nobis et apostolice sedi obediencia orator destinatus existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut duas parrochiales ecclesias predictas ad eum racione ecclesie Plocensis spectantes, quas ipse duxerit eligendas, ac cuiuscunque taxe seu annui valoris illarum fructus existant, collegio seu mense cantorum predictorum perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimacionem tam beneficii uniendi quam illius, cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et quod in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, divinum cultum augeri, et cantoribus prefatis de subvencionis auxilio providere cupientes, ipsumque Erasmum Episcopum a quibusvis excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac collegii seu mense et ecclesiarum parrochialium huiusmodi fructuum, redditumm et proventuum veros annuos va-

lores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, duas parrochiales ecclesias ad collacionem prefati Erasmi Episcopi Plocensis ratione ecclesie huiusmodi Plocensis spectantes, cuiuscunque taxe seu annui valoris illarum fructus existunt, et quas ipse Erasmus Episcopus duxerit eligendas, quovismodo et ex quorumcunque personis vacantes, seu simul vel successive in futurum extra Romanam Curiam eciam in mensibus ordinariis collatoribus non concessis vacaturas, eciamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem prefatam legitime devoluta, ipseque parrochiales ecclesie disposicioni apostolice specialiter reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus volumus haberi pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis collegio seu mense huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedentibus vel decedentibus modernis ipsarum unitarum ecclesiarum rectoribus, seu ecclesias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, liceat extunc eisdem cantoribus per se vel alium seu alios corporalem possessionem unitarum ecclesiarum, iuriumque et pertinenciarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus et proventus in suos ac collegii seu mense et ecclesiarum unitarum predictorum usus et utilitatem convertere, reservatis tamen ex illis congruis porcionibus pro duobus perpetuis vicariis ordinaria auctoritate instituendis, ex quibus se commode sustentare, episcopalia iura persolvere et alia onera sibi legitime incumbentia perferre possint, cuiusvis alterius licencia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta, ac felicis recordacionis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, ac quibusvis cancellarie apostolice regulis editis et edendis, aliisque constitucionibus et ordinacionibus apostolicis statutisque et consuetudinibus dicte ecclesie Plocensis iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ac quibusvis graciis expectativis, specialibus vel generalibus reservacionibus, nominacionibus, unionibus, annexionibus et incorporacionibus, et absque consensu coadiutoriis, ac nominandi, conferendi, reservandi, uniendi, annectendi et incorporandi mandatis facultatibusque, eorumque revalidacionibus, extensionibus et collacionum mutacionibus, declaracionibus, concessionibus, prerogativis, graciis, indultis eciam motu proprio et ex certa sciencia, ac de apostolice potestatis plenitudine sub quibusvis verborum formis et clausulis, eciam derogatoriarum derogatoriis, forcioribus, efficacioribus ac magis urgentibus ac irritantibus decretis, et in apostolicis litteris apponi solitis in favorem quarumcunque personarum cuiuscumque status, dignitatis et nobilitatis existentium, eciam Cardinalatus honore fulgentium, et mensarum eciam parrochialium, metropolitanarum, cathedralium, abbacialium ecclesiarum, et quavis eciam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum et aliorum principum secularium, aut Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum et aliorum prelatorum, eciam in recompensam damnorum, eciam pro fide catholica passorum, iurium cessorum vel ablatorum, serviciorum impensorum, et alia grandi et excogitabili consideracione, intuitu vel respectu a nobis et sede prefata hactenus concessis et imposterum concedendis, per que quoad dictas unitas ecclesias aut illarum aliquam preiudicium aliquod afferri posset, aut dictarum presentium litterarum effectui seu illis derogaretur, eciam specialiter et expresse, que omnia et singula illorumque vim et effectum, eciam si de illis eorumque totis tenoribus ac personarum, ecclesiarum et mensarum, quibus concessa fuerint, nominibus, cognominibus, dignitatibus et aliis qualitatibus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, et in eis caveretur expresse, quod illa nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modo et forma suspendi possint, illis alias in suo robore permansuris, auctoritate apostolica et tenore predictis quoad dictas unitas ecclesias omnino suspendimus, et in vacacione ipsarum unitarum ecclesiarum locum non habere, et effectum vindicare non posse, et nisi in ipsis regulis de presentibus expressa et individua mencio fiat, pro ipsis regulis(?) eisdem presentibus derogatum non censeri decernimus ac eciam declaramus, contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde secuta quecunque ad dictas unitas ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum

habenda sit mencio in nostris litteris specialis, proviso quod propter unionem, annexionem et incorporacionem predictas ecclesie unite prefate debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed earum congrue supportentur onera consueta, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, unionis, incorporationis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno etc. MDV., III. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 181.

CCCXLIV.

Capellam S. Ioannis eleemosynarii in ecclesia S. Catherinae Kazimiriensi visitantibus indulgentiae conceduntur.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is de etc. Cupientes igitur, ut capella seu altare sancti Iohannis Elemosinarii situm in ecclesia sancte Katherine in Kazimiria Cracoviensis diocesis, ad quam Venerabilis frater noster Erasmus Episcopus Plocensis, ad nos et sedem apostolicam pro obediencia prestanda per charissimum filium nostrum Alexandrum Polonie Regem Illustrem ad presens destinatus, singularem gerit devocionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad ipsam capellam seu altare devocionis causa confluant, et ad illius reparacionem, restauracionem seu manutencionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui capellam seu altare predictum in sancti Iohannis Elemosinarii huiusmodi, et sancte Catherine Virginis ac dedicacionis eiusdem capelle seu altaris festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas singularum festivitatum earundem inclusive devote visitaverint, et ad dicte capelle seu altaris reparacionem, restauracionem seu manutencionem manus porrexerint adiutrices, decem annos et totidem quadragenas pro qualibet festivitatum earundem de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias capellam seu altare predictum visitantibus, et ad predicta manus adiutrices porrigentibus ac inibi pyas elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo quinto, III. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 190.

CCCXLV.

Ecclesiam S. Annae Cracoviensem qualibet die Martis etc. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

IULIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Salvator mundi misericors etc. Cupientes igitur, ut ecclesia S. Annae civitatis Cracoviensis, que in Regno Polonie primaria existit, et que ibidem una ex parrochialibus connumeratur, ad quam Venerabilis frater noster Erasmus Epūs Plocensis, (qui) ad nos et sedem apostolicam pro obediencia nomine charissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris prestanda orator destinatus ad presens existit, et in qua corpora parentum Erasmi predicti Episcopi ut plurimum sepulture tradi consueverunt, et in presencia traduntur, ac alii Christifideles dicte civitatis et circumvicinorum locorum singularem gerunt devocionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ipsique fideles eo libentius ad eandem ecclesiam devocionis causa confluant, et ad illius reparacionem, edificacionem et ornamentorum ecclesiasticorum provisionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in festo sancte Anne a primis vesperis usque ad secundas inclusive, quinquaginta annos et totidem quadragenas, qui vero singulis diebus Martis, videlicet tercia feria omnium ebdomadarum cuiuslibet anni ecclesiam predictam devote visitaverint, et ut prefertur, manus porrexerint adiutrices, tres annos et totidem quadragenas pro qualibet die Martis seu tercia feria huiusmodi de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias ecclesiam predictam visitantibus et ad predicta manus adiu-

trices porrigentibus, vel alias pyas elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgencia in perpetuum aut ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo quinto, III. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 189.

CCCXLVI.

Iudultum, rege et epis Poloniae petentibus, conceditur, ut pro tuenda libertate ecclesiastica Cancellarius et Vicecancellarius regni, si episcopali vel alia dignitate ecclesiastica insiguiti sint, in consiliis regni una cum aliis regni consiliariis saecularibus de crimiualibus consulere et exsecutionem committere possint.

Iulius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum pontificem, cum refrigescente charitate adeo iniquitas abundat, ut quorundam succensa velut ignis impietas contra ecclesias et personas ecclesiasticas ac earum bona tanto validius inflammatur, quanto rariores, qui eas tueantur contra pravorum incursus, invenit protectores, ibique forcius diversis remediis merito providendum, ubi persecutorum immanitas periculosius exardescit, eaque statuere et ordinare, per que ecclesie et persone prefate a noxiis preserventur, et ecclesiasticus ordo in suis privilegiis et iuribus et bonis conservetur, prout temporum, locorum et rerum qualitas id exposcit in domino salubriter expedire. Sane pro parte carissimi in Christo filii Alexandri Polonie Regis Illustris ac Venerabilium fratrum nostrorum universorum Archiepõrum, Epõrum, et dilectorum filiorum aliorum prelatorum ac universi cleri tocius Regni Polonie, et aliorum dominiorum dicto Regno annexorum nobis nuper exhibita peticio continebat, quod a certo tempore citra quedam corruptela et damnata cupiditas in Regno et dominiis prefatis inolevit, quod milites et stipendiarii tam prefati Regis, quam aliorum principum et dominorum secularium illarum parcium pro libito voluntatis sue ad ecclesias, monasteria et alia loca ecclesiastica accedentes, illorum bona tam pro sustentacione personarum ecclesiasticarum, quam eciam ad divinum cultum deputata rapiunt, subtrahunt et violenter exportant, ecclesiasque et monasteria ac alia loca ecclesiastica gravissimis damnis afficiunt et incendio devastant, aliaque intollerabilia damna inferunt, et enormes excessus et delicta perpetrant et committunt, et si ab ecclesiasticis personis eis resistentia fit, illas vulnerant, captivant, et quandoque, quod horribilius est, diversis suppliciis afficiunt et interficiunt, quodque (si) pro premissis querela fiat ad iudicium seculare pro emenda premissorum occasione facienda, ac eciam ut talium ausus npharii comprimantur, et iuxta eorum excessus, delicta et atrocitatem delicti puniantur, quamvis ecclesiastice persone in conciliis Regis et aliorum principum seu iudicum secularium ut consiliarii intersint, cum tamen de punicione dictorum delinquentium tractatur, seu iudicium ferendum est, ipsi ecclesiastici metu censurarum seu irregularitatis huiusmodi iudicio et condemnacioni interesse non audent, sed concilium exeunt, ex quo alii consiliarii seculares remissius agentes vel eciam negligentes existunt, ut dicti malefactores iuxta eorum excessuum et delictorum qualitatem puniantur, et ecclesiis et monasteriis personisque ecclesiasticis pro premissis debita satisfactio impendatur. Verum si Cancellario et Vicecancellario de conciliis Regis et principum prefatorum nunc et pro tempore existentibus, eciam si ecclesiastice persone eciam in dignitate ecclesiastica aut eciam in sacris ordinibus constitute sint vel fuerint, concederetur, quod absque alicuius irregularitatis incursu litteras super delacione maleficiorum in conciliis legere et interpretari, ac in examine et discussione dictorum malefactorum et illorum punicione interesse possent, profecto ex hoc libertas ecclesiastica conservaretur, et ne milites et stipendiarii prefati ecclesias et monasteria devastarent, aut eis vel personis ecclesiasticis iniurie inferrentur, ac eciam ne multa alia nephanda, que per eos fiunt, committerentur, salubriter provideretur: Quare pro parte tam Alexandri Regis quam Archiepiscoporum, Episcoporum, prelatorum et cleri predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quod Cancellarius et Vicecancellarius prefati in conciliis, in quibus de predictorum seu aliorum malefactorum punicione agitur, interesse licere, malefactorum huiusmodi commissa legere, aliosque laycos in huiusmodi conciliis vota dantes et consulentes ad iuste deliberandum monere, et ubi opus fuerit, in talibus iustitie cognicionem et execucionem aliis committere absque alicuius irregularitatis incursu libere et licite valeant, statuere et ordinare aliasque in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui premissa cum magna animi displicencia intelligimus, et insolitos transgressores huiusmodi eorumque nepharios ausus reprimere, ne si nervus punicionis tepescat, eorum voluntas sit proclivior ad peccandum, et

exemplum impunitatis periculosius in alios derivetur, intensis desideriis cupimus, Alexandrum Regem ac Archiepiscopos, Episcopos ac alios prelatos ac clerum prefatos illorumque singulos a quibuscunque excommunicacionis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, prefati Alexandri Regis consideracione ac huiusmodi supplicacionibus inclinati, quod Cancellarius et Vicecancellarius prefati nunc et pro tempore existentes in conciliis, in quibus de predictorum et aliorum malefactorum punicione agetur, interesse ac litteras declaracionis malefactorum huiusmodi legere, aliosque laycos in huiusmodi conciliis vota dantes et consulentes ad iuste deliberandum monere, et ubi opus fuerit, in talibus iusticie cognicionem et execucionem aliis committere absque alicuius irregularitatis incursu libere et licite possint et valeant, perpetuo statuimus et ordinamus, eisque pariter concedimus et indulgemus, Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitucionibus et ordinacionibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum Regni et dominiorum predictorum iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate aliqua roboratis, legibus, iuribus eciam municipalibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo quinto, sextodecimo Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 171.

CCCXLVII.

Pontifex concedit, ut in ecclesia Plocensi Vicarii ad residendum censuris ecclesiasticis cogi possint.

Iulius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito ministerii pastoralis nobis meritis licet insufficientibus ex alto commissi ad ea libenter intendimus, per que ecclesiarum omnium, presertim cathedralium insignium decori, et in illis divini cultus manutencioni et augmento opportune valeat provideri. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Erasmi Episcopi Plocensis exhibita nobis nuper peticio continebat, quod licet in ecclesia Plocensi sint nonnulli Vicarii ad deserviendum dicte ecclesie in divinis provide instituti, nichilominus dicti Vicarii per incuriam et ex certo eorum abusu seu corruptela sepe a dicta ecclesia se absentare, sepe eciam illi per substitutos deservire consueverunt, in magnam ipsius ecclesie lesionem et divini cultus in eadem negligenciam et contemptum. Et sicut eadem peticio subiungebat, si quod dicti Vicarii de cetero in prefata ecclesia personaliter deservire tenerentur, quodque per dictum Erasmum et pro tempore existentem Episcopum Plocensem ad personaliter residendum in eadem compelli possent, statueretur et ordinaretur, profecto ex hoc cultus divinus in dicta ecclesia non parum susciperet incrementum, illiusque decori et universitati plurimum consuleretur. Quare pro parte dicti Erasmi Epi, qui per Carissimum in Christo filium nostrum Alexandrum Polonie Regem Illustrem ad nos et sedem apostolicam pro prestanda obediencia orator destinatus existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod moderni et pro tempore existentes dicte ecclesie Vicarii personaliter, et non per substitutos in dicta ecclesia singulis horis Canonicis, et alias prout iuxta ipsius ecclesie consuetudinem in ea interesse debent, interesse et deservire teneantur, statuere et ordinare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod qui stipendia capiunt, iuste militare coguntur, et qui de altari vivunt, altari servire debent, prefatum Erasmum Epum a quibuscunque excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo statuimus et ordinamus, quod moderni et pro tempore existentes dicte ecclesie Vicarii personaliter, non per substitutos in eadem ecclesia singulis horis Canonicis, et alias prout iuxta ipsius ecclesie consuetudinem in ea interesse debent, deservire et interesse omnino teneantur, ac eidem Erasmo et pro tempore existenti Episcopo Plocensi, quod eosdem Vicarios ad deserviendum et in eadem ecclesia personaliter interessendum, ut prefertur, per censuras ecclesiasticas et fructuum subtractionem, dictarumque vicariarum privacionem et alias penas cogere possit et valeat, indulgemus, necnon presentibus per quecunque privilegia, indulta et litteras apostolicas, que eciam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque forcioribus et insolitis clausulis a nobis et sede prefata pro tempore emanaverint, nullatenus derogari

posse neque debere, eisdem auctoritate et tenore decernimus, ipsisque privilegiis, indultis et litteris exnunc prout extunc, quociens illa emanare contigerit, specialiter et expresse derogamus, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, necnon dicte ecclesie iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice MDV., XV. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 176.

CCCXLVIII.

Erasmo episcopo Plocensi iuramentum super certis statutis ecclesiae suae praestitum relaxatur.

Iulius episcopus etc. Venerabili fratri Erasmo Episcopo Plocensi, salutem etc. Exigit tue devocionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, ut votis tuis, per que ecclesie indemnitati et anime tue saluti opportune consulatur, favorabiliter annuamus. Sane exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod Episcopus Plocensis pro tempore existens, antequam per Capitulum ecclesie Plocensis ad ecclesiam ipsam in pastorem admittatur, iuramentum prestare consuevit de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie, quibus inter alia cavetur, quod ipse Epus possessiones ecclesiarum, castra, oppida et villas ad mensam suam Episcopalem spectantia, que tenute nuncupantur, nonnisi prelatis vel canonicis dicte ecclesie ad gubernandum et defendendum, iusticiamque inter subditos ministrandum committere, ipsosque prelatos et canonicos castris seu fortaliciis eisdem preficere debeat, quodque gracias seu donaciones de bonis dicte mense per suos predecessores Epos Plocenses prelatis sive canonicis dicte ecclesie, aut aliis personis ecclesiasticis vel secularibus ad vitam eorum factas et concessas non revocabit, et sicut eadem peticio subiungebat, si tu iuramentum huiusmodi quoad premissa observare tenearis, profecto id in evidentem dicte ecclesie lesionem, ac ministrorum et divini cultus in eadem cederet detrimentum: cum minime sit conveniens, quod persone dicte ecclesie, que in ea divinis officiis interesse deberent, circa castrorum custodiam se involvant, et in illis resideant, ac donaciones seu concessiones huiusmodi eisdem canonicis et personis per dictos Episcopos seu predecessores tuos pocius privato assensu ipsarum personarum utilitate, quam ecclesie decore facte fuerint: quare pro parte tua nobis humiliter fuit supplicatum, ut dicte ecclesie dispendiis occurrere, et tibi in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te, qui pro (a) Carissimo in Christo filio nostro Alexandro Polonie Regi Illustri ad nos et sedem apostolicam pro prestanda obediencia orator destinatus existis, a quibusvis excommunicacionis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi auctoritate apostolica tenore presentium iuramentum predictum, quoad prelatos et canonicos in castellanos et gubernatores in dictis castris, oppidis et villis, ut prefertur, deputandos, et donaciones ac gracias predictas non revocandas dumtaxat tibi auctoritate apostolica tenore presentium relaxamus, quodque ad illius et statutorum premissa continentium, nisi quantum decori et utilitati dictarum ecclesie et mense Episcopalis convenire cognoveris, observacionem minime tenearis, concedimus et indulgemus, Non obstantibus premissis et constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ac aliis dicte ecclesie iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome Anno Incarnacionis dominice MDV., III. Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 182.

CCCXLIX.

Regi Poloniae eiusque successoribus, ut in locis interdictis regni sui divina officia solemniter sibi celebrari facere possint.

Iulius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alexandro Polonie Regi Illustri, salutem etc. Eximie devocionis affectus et integra fides, quibus in nostro et apostolice sedis conspectu clarere dinosceris, promerentur, ut votis tuis, que ex sincera animi religione prodire conspicimus, et per que tue Regie dignitati eciam in spiritualibus honorifice consulatur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, ut quociens te et succes-

sores tuos Polonie Reges pro tempore existentes, et eorum aliquem ad quevis loca infra limites tui Regni consistentia ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita pro tempore declinare contigerit, in illis, quamdiu tu et ipsi successores respective inibi permanseritis, in quibuscunque Cathedralibus, eciam Metropolitanis, aut Collegiatis seu aliis ecclesiis et locis ecclesiasticis, personis excommunicatis et interdictis inde prorsus exclusis, ianuis apertis et pulsatis campanis, Misse et alia divina officia diurna et nocturna, eciam alta voce et cum solemnitatibus in eisdem ecclesiis sive locis consuetis celebrare licite possint, in omnibus et per omnia perinde ac si inibi interdictum huiusmodi minime appositum foret, tibi et successoribus prefatis, dummodo tu vel illi causam interdicto huiusmodi non dederitis, nec id in te vel illos specialiter emanavit, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gracie perpetuo indulgemus, Non obstantibus constitucionibus etc. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice MDV. pridie Nonas Iulii. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 168.

CCCL.

Duci Venetorum, ut regi Poloniae in debellandis christiani nominis hostibus subsidia subministret.

Duci Venetiarum.

Iulius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Nobilitatem tuam minime latere existimamus, quam bene illustres progenitores charissimi in Christo filii Alexandri Polonie Regis Illustris, ac ipse de sede apostolica totaque christiana republica meriti sint, Tartaros, scismaticos ac alios catholice fidei hostes continuo aut oppugnando, aut eorundem incursionibus acriter resistendo, ita ut Alexander Rex prefatus suis in hac parte meritis et opera, quam continuo christiano nomini fortiter navat, ab universa republica christiana singulisque christianis principibus non solum firma presidia, verum etiam condigna premia expectare debeat. Eapropter nos inclinati humilibus eiusdem Regis supplicationibus, quas dilecti filii ipsius oratores, ad nos et sedem apostolicam ad obedientiam nobis prestandam nuper missi, nobis in hac parte illius nomine fecerunt, ea subsidia et adiumenta Serenitati sue regie prestitimus, que ipsi Regi regnisque suis non parvo adiumento fore speramus, prout Nobilitas tua plenius intelligere poterit ab omnibus predictis presentes nostras tibi reddentibus. Eandem igitur Nobilitatem tuam, que infidelium rabiem comprimere consuevit et cupit, plurimum in domino hortamur, ut ipsa quoque talia subsidia Regi prefato subministret, que ipsi adversus christiani nominis hostes continuo pugnanti vires et animum augere possint, et te ac tua republica digna videntur, in quo eadem tua Nobilitas rem deo acceptissimam, nobis et huic sancte sedi gratissimam, sibi vero ipsi gloriosam prestabit. Datum Rome sub annulo piscatoris die IX. Iulii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Lib. I. fol. 550.

CCCLI.

Regi Poloniae pontifex indulget, ut propter Moscorum ducis iram uxorem in ritu Ruthenico tolleret, donec oportunior illius revocandae a schismate occasio offeratur.

Charissimo in Christo filio nostro Alexandro Polonie Regi Illustri.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Dilecti filii tue Serenitatis oratores ad nos et apostolicam sedem pro prestanda nobis obediencia destinati nuper exposuerunt nobis, quod cum Iohannes Moskovie dux potentatuum tuorum Lithuanie et Russie fines ac populos acri bello infestaret, tuque illi viribus omnino par non esses, et consulere rebus tuis periclitantibus velles, ideoque pretextu affinitatis cum eodem pacem fecisti, filiamque eius Helenam in matrimonium accepisti, prestito prius per oratores tuos tuo nomine eidem Iohanni duci iuramento, quod nisi dicta Helena uxor tua Romane ecclesie ritus sua sponte suscipere vellet, tu ipsam ad eos suscipiendos nunquam cogeres: aliter felicis recordacionis Alexander papa VI. predecessor noster per litteras suas in forma Brevis scriptas iuramentum huiusmodi tibi relaxavit, teque ad illius observacionem minime tenere voluit ac declaravit, conscienciam nichilominus tuam onerando, ut tentare et conari omnia deberes, que prefatam Helenam uxorem tuam impellere possent, ut ipsa Ruthenorum secta omnino reiecta, catholicam fidem rite cognosceret et complecteretur: tuque propterea considerans, quod si Helenam uxorem tuam predictam aut dimitteres, aut ad ritus Romane ecclesie suscipiendos cogeres, illius pater Moskovie dux prefatus, qui tibi finitimus dicionis amplitudine ac viribus est potencior, iniquo id animo ferens, facile rursus bella et da-

mna intollerabilia tibi ac terris regnicolisque eius inferre posset, humiliter nobis per eosdem oratores tuos supplicasti, ut de benignitate apostolica dignaremur tibi licenciam concedere, Helenam uxorem tuam prefatam sub huiusmodi suis ritibus tollerandi, donec per obitum dicti Moscovie ducis, qui iam etate decrepitus est, vel per aliam aliquam occasionem, dispensante altissimo, oportunitas offeratur aliter in hac parte providendi. Nos igitur considerantes, quod iuxta doctrinam Apostoli: Si fidelis infidelem habet uxorem, et ea habitare cum illo consentit, eam demittere non debet; quodque per temporis successum spiritu dei, qui ubi vult, spirat, eadem Helena posset ad veram christiane fidei agnicionem reduci, reputantesque magis expedire, Helenam ipsam oculis sic conniventibus tollerari, quam novum aliquod grave scandalum ex coactione illius excitari: his itaque atque aliis racionabilibus causis per oratores tuos predictos nobis nuper expositis, et animum nostrum moventibus inducti, Serenitati tue Regie, ut prefatam Helenam, dummodo ipsa decreta sacri Concilii Florentini per felicis recordacionis Eugenium quartum, nostrum predecessorem, presente tunc patriarcha Constantinopolitano, celebrati diligenter observet, ritus Catholicos latinosque non contemnat, et ad sectam Ruthenicam suadendo vel alias inducere quemquam non tentet, uxorem tuam velut hactenus tollerare et habitare cum eadem libere et licite valeas, nec ad ipsam dimittendam tenearis, donec aliqua oportuna occasio aliter in hac parte deliberandi, ut premittitur, offeratur, predictis Alexandri litteris aliisque premissis constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, ex auctoritate apostolica presentium tenore concedimus et indulgemus. Volumus autem, quod si ipsa Helena ab observacione decretorum huiusmodi declinaverit, aut ritus latinos contempserit, vel quemquam ad Ruthenicam sectam inducere, ut prefertur, tentaverit, presens concessio nullius sit roboris vel momenti, et tibi nequaquam opituletur. Datum Rome etc. die XXII. Augusti MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 167.

CCCLII.

Pontifex populos septemtrionales propositis indulgentiarum muneribus excitat, ut adversus Turcas etc. regi Poloniae subsidium ferant.

Iulius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoris eterni, qui pro salute gregis dominici carnem sumere et crucis patibulum subire dignatus est, vices quamquam insufficientibus meritis gerentes in terris, et gregem ipsum nobis commissum paterne considerationis intuitu conspicientes, ad singulorum Christifidelium credentium populorum salutem, et ne ab immanissimis orthodoxe fidei hostibus opprimantur, solicite cogitamus, utque illorum periculis occurramus, etiam alios Christifideles indulgentiis et remissionibus invitamus, ut per temporalia, que propterea erogaverint, et Christifidelium oppressorum sublevationi succurratur, et ipsi Christifideles pia suffragia erogantes premia felicitatis eterne consequi mereantur. Sane, sicut non sine gravi animi nostri perturbatione ex relatione Venerabilis fratris nostri Erasmi Episcopi Plocensis, et dilectorum filiorum Nobilis viri Victorini de Czyenno militis ac Nicolai Cepel prepositi ecclesie Wratislaviensis, oratorum carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris ad nos et sedem apostolicam pro prestanda nobis, et eidem sedi apostolice more catholici principis debita obedientia destinatorum, intelleximus certioresque facti sumus, quod atrox et perfida crudelisque et detestanda non solum Turchorum semper christiane fidei inimicorum, sed etiam Tartarorum, Scitarum aliorumque sectarum a fide catholica deviantium nationes, gentes et populi Regno Polonie convicini et finitimi, qui iam ducentis annis vel circa eorum incursionibus non cessarunt regnum Polonie invadere et devastare, adeo iam illud et illius regnicolas debilitarunt, et viscera regni predicti sepius penetrantes, et quampluribus christianis in magna multitudine sepius in predam et crudelem servitutem abductis et retentis, quamplures civitates, opida et loca eorum ditioni et tirannidi subiecerunt, aliqua vero ex eis inhabitata reliquerunt, et indies incursionibus ac incendiis omnia fedare et perturbare, et queque possunt, mala regno et incolis predictis modis et viis omnibus (inferre) non cessant, ita ut quod deus avertat, regno predicto tam potenti et amplissimo non solum occupato, sed debilitato facilem aditum sibi ad ceteras provincias septemtrionales eorum ditioni et dominio subiciendas parare possent, ex quo toti reipublice et fidei christiane maximum periculum immineret, dum Turci ferocissimi ab una, et ab aliis aliisque partibus populosissima Scitarum et scismaticorum aliorumque infidelium natio et populus, fidei christiane hostes infensissimi, Regnum et dominia Polonie continue oppugnantes, voti deinde sui, quod summe ad conculcandum et penitus delendum Christianum nomen exoptant, fiant compotes. Et quamvis prefatus Alexander Rex suique predecesso-

res, reges et principes Polonie et duces Lithuanie, cum eius principibus et sequentibus non cessaverunt, neque ipse Alexander Rex cessat iuxta eorum facultates tanto furori Turchorum, Tartarorum et aliorum infidelium predictorum pro viribus resistere, tamen cum eius facultates propterea longa assiduitate supportationis tam gravissimi oneris admodum diminute sint, non potest ex eius facultatibus tante rei molem et pondus ac periculum sustinere, sed sunt aliorum regum, principum et Christifidelium suffragia ad hoc sibi plurimum oportuna. Nos igitur attendentes, quod ex premissis de communi periculo reliquorum regum et Christifidelium agitur, ac cupientes, quantum cum deo possumus, ex commisso nobis pastorali officio congruum et necessarium remedium de spirituali thesauro ecclesie premissis adhibere, ut per tutelam et defensionem Regni Polonie et dominiorum eidem Regi Polonie subiectorum etiam ceterorum regum catholicorum et Christifidelium saluti et defensioni provideatur, de omnipotentis dei misericordia, qui omnes ipsum in eorum necessitatibus invocantes sublevat, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus vere penitentibus et confessis predicte Polonie ac Datie, Livonie, Norvergie ac Svetie regnorum ac magni ducatus Lithuanie aliorumque dominiorum Polonie, Datie ac Livonie, Norvergie et Svecie Regibus subiectorum et in eis commorantibus, qui in locis et capsis ad hoc per prefatum Alexandrum Regem seu commissarios eius deputandis et exprimendis quartam partem eius, quod in veniendo ad Urbem pro consequenda indulgentia Iubilei et inde redeundo exponerent, secundum eorum qualitatem ac alias plus vel minus, prout dicti commissarii ordinaverint seu limitaverint, pro expeditione per ipsum Regem Polonie contra prefatos Turchos, Tartaros, Scitas et alios populos et nationes fidei catholice hostes preparanda obtulerint et erogaverint infra biennium a die solemnis publicationis presentium in dicto Regno Polonie faciende computandum, seu personaliter accedere non valentes, per eorum nuncium seu nuncios aut alias personas transmiserint, plenariam omnium peccatorum suorum veniam et remissionem, et que proficiscentibus in subsidium terre sancte ac generalis anno Iubilei ecclesias dicte Urbis ad hoc specialiter deputatas visitantibus per predecessores nostros Romanos pontifices concedi consuevit et concessa est, per presentes concedimus et elargimur. Et ut Christifideles huiusmodi plenissime indulgentie facilius capaces efficiantur, ipsis et eorum cuilibet, ut confessorem idoneum secularem vel religiosum sibi eligere possint, qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, et ex quavis causa specialiter vel generaliter nobis et dicte sedi reservatis, etiam in litteris, que in Cena domini publicari consueverunt, contentis, et etiam talibus, de quibus presentibus specialem oportet fieri mentionem, conspirationis in personam vel statum Romani pontificis seu sedem predictam, falsitatis litterarum, supplicationum et commissionum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in Episcopum et alios prelatos superiores casibus dumtaxat exceptis, ad effectum ipsam plenissimam indulgentiam consequendi absolvere, et penitentiam salutarem iniungere, necnon super male ablatis, incertis, vel per usurariam pravitatem quesitis, et etiam bonis, que ad aliquorum manus pervenissent, et illa habentes, quibus restitui debeant, ignorant vel dubitant, quamquam male ablata per eos non existant, sed alias illa ad eos pervenerint, ac super debitis incertis componere, ita ut soluta aliqua quantitate pro hac sancta et necessaria expeditione, reliquorum male ablatorum et usuraria pravitate extortorum, seu que ad eos alias pervenerint, et cui ea restitui debeant, ignorant vel dubitant, ut prefertur, absoluti existant ab ulteriori restitutione, nec ad id per locorum ordinarios aut quosvis alios cogi et compelli possint, eis concedere; Symonie in ordinibus vel beneficiis labe pollutos ad ipsum opus contribuentes a symonia huiusmodi ac censuris et penis ecclesiasticis, quas propterea incurrerint, in foro conscientie dumtaxat absolvere, pari modo in foro conscientie super irregularitate, si quam sententiis, censuris ac penis eisdem ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut alias se illis immiscendo contraxerint, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam exinde provenientem abolere, et (ut) in sic susceptis ordinibus ministrare, et sic (quesita beneficia ecclesiastica), que extunc de novo eis collata in foro conscientie censeantur eo ipso, ac ut fructus perceptos ex eis retinere valeant, eis concedere etiam in foro conscientie dumtaxat possit et valeat, eadem auctoritate apostolica de specialis dono gratie indulgemus, eisque ac confessori predicto eligendo super premissis facultatem concedimus, suspendimus interim huiusmodi durante biennio quascunque indulgentias, etiam plenarias, quibuscumque ecclesiis, monasteriis, locis et personis in regnis et dominiis predictis, preterquam Magistro et fratribus ordinis beate Marie Theuthonicorum in Livonie et

aliis partibus concessas, quas in sue robore permanere, nec per presentes quovismodo illis preiudicium inferri posse volumus, sub quibuscumque tenoribus preterquam in mortis articulo constitutis concessas, ita ut dicto biennio durante huiusmodi alie indulgentie alias quam in expeditione per ipsum Regem Polonie facienda huiusmodi alicui non suffragentur, ut ea, que pro hoc tam pio et necessario opere erogabuntur, in ipsum opus et non aliam causam omnino convertantur. Volumus insuper atque mandamus, quod capse, que in locis predictis ad hoc deputandis constituentur et deputabuntur, et in quibus huiusmodi oblata reponentur, cum tribus clavibus claudi debent, quarum unam Rex prefatus aut ab eo aliquis deputandus, et aliam commissarius, tertiam vero loci ordinarius teneant, et quidquid oblatum et erogatum fuerit, fideliter prefato Alexandro Regi seu commissariis ab eo ad hoc specialiter deputatis consignetur: alioquin si aliquis in premissis fraudem sive dolum adhibuerit, vel aliquid ex huiusmodi oblatis dolose subtraxerit, sententiam excommunicationis incurrat eo ipso, a qua non nisi a Romano pontifice preterquam in mortis articulo constitutus et cautione sufficiente data nequaquam absolvi poterit. Ceterum quia difficile foret presentes litteras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferre, etiam volumus et eadem auctoritate apostolica decernimus, quod transumpto presentium litterarum alicuius prelati sigillo munito, et manu notarii publici subscripto eadem fides in iudicio et extra ubilibet adhibeatur, que ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibite vel ostense. Presentibus post dictum biennium a die publicationis earum, ut prefertur, faciende computandum minime valituris, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibuscumque suspensionibus indulgentiarum plenariarum per nos seu sedem apostolicam quomodolibet imposterum sub quibuscumque tenoribus et clausulis faciendis, etiam si in illis clausule derogatorie, aut quod etiam indulgentie in subsidium terre sancte seu fidei catholice concesse comprehendantur et includantur, de quibus suspensionibus et inclusionibus presentes litteras et in illis contenta quecumque dicto durante biennio exnunc prout extunc, quotiens emanabunt, excipimus et exceptas esse volumus, decernimus, statuimus et declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis, elargitionis, indulti, suspensionis, voluntatis, mandati, decreti, exceptionis, constitutionis, statuti et declarationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, III. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bullar. Tom. XIX. fol. 97.

CCCLIII.

Nicolao electo Chelmensi indulgetur, ut praepositturam Vladislaviensem, decanatum Gnesnensem etc. retinere possit.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Electo Chelmensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Chelmensi, tunc certo modo pastoris solatio destitute, de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, et sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu tempore provisionis et prefectionis predictarum Prepositturam Wladislaviensem, que inibi maior, ac decanatum Gneznensem, que inibi non tamen maior post pontificalem dignitates existunt, cum certis villis tibi alia ordinaria seu etiam dicta apostolica auctoritate concessis, necnon Poznaniensis et sancti Georgii Castri Gneznensis ac Cruswiciensis cum prestimonio, necnon Castri Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis Canonicatus et prebendas ecclesiarum ex dispensatione apostolica inter alia obtineres, prout obtines, ac pensionem annuam quatuor marcharum argenti super fructibus, redditibus et proventibus parrochialis ecclesie in Gostizyn Poznaniensis diocesis apostolica tibi auctoritate reservatam, constitutam et assignatam perceperis et percipias, et dicta ecclesia Chelmensis a Tartaris, cui proxima est, quasi penitus desolata sit, illiusque mense Episcopalis fructus, redditus et proventus adeo diminuti sint, quod ex illis iuxta Episcopalis dignitatis exigentiam te sustentare non possis: Nos tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, teque meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat

consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut etiam postquam in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis dicte ecclesie Chelmensis, ac bonorum eius seu maioris partis eorum assecutus fueris, ac munus consecrationis susceperis, Prepositutam et decanatum, ac singulos Canonicatus et prebendas predictos cum eorum villis et prestimonio respective predictis, quorum omnium insimul fructus, redditus et proventus quadraginta quatuor marcharum argenti similiter secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, etiam si ad prepositutam et decanatum predictos consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, ac illi necnon canonicatus et prebende predicti, seu aliqui ex eis de iure patronatus laicorum, etiam Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Polonie Regis Illustris existant, ut ipsos, quoad vixeris, etiam una cum dicta ecclesia Chelmensi, quamdiu illi prefueris, retinere, ac dictam pensionem percipere libere et licite valeas, generalis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, decernentes prepositutam et decanatum, necnon canonicatus et prebendas predictos propterea non vacare, ac pensionem predictam non expirare, irritum quoque et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, proviso quod prepositura et decanatus, ac canonicatus et prebende predicti debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in prepositura et decanatu predictis, si qua illis immineat, nullatenus negligetur, sed eorum ac canonicatuum et prebendarum predictorum congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensationis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quinto, decimo octavo Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Bull. Lib. XXIII. fol. 354.

CCCLIV.

Ioanni de Lasko praepositura Sredensis Posnaniensis dioecesis confertur.

Iulius epicopus etc. Dilecto filio Iohanni de Lasko Preposito ecclesie beate Marie Sredensis Poznaniensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes dignitates in Collegiatis ecclesiis principales tunc vacantes et inantea vacaturas collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Prepositura ecclesie beate Marie Sredensis Poznaniensis diocesis, que inibi dignitas principalis existit, et quam quondam Paulus Schydlowyczky ipsius ecclesie Prepositus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Pauli, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos tibi asserenti, quod alias Carissimus in Christo filius noster Alexander modernus Rex Polonie, cuius consiliarius existis, asserens ius patronatus et presentandi personam ydoneam ad dictam Preposituram, dum pro tempore vacat, ex speciali sedis apostolice privilegio, cui non erat tunc in aliquo derogatum, ad se pertinere, te ad Preposituram ipsam sic vacantem infra tempus legitimum per suas litteras presentavit, seu litteras presentationis huiusmodi tibi concessit, quodque Canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis inter alia obtines, premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque ac dictorum Canonicatus et prebende fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, Preposituram predictam, cuius fructus, redditus et proventus viginti octo marcharum argenti secundum commu-

nem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, sive premissis sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam resignationem dicti Pauli, aut cuiusvis alterius de illa in dicta Curia vel extra, vel etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutione felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit, Execrabilis, vel assecutione alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque Prepositura dispositioni apostolice specialiter, vel si de iure patronatus huiusmodi non sit, alias generaliter reservata existat, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, super ea quoque inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, decernentes, si dicta Prepositura de iure patronatus huiusmodi non sit, prout est, si hactenus forsan attemptatum est, et sive de dicto iure patronatus existat, sive non, exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et nichilominus venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Sipontino et Episcopo Anconitano ac dilecto filio Officiali Poznaniensi per apostolica scripta mandamus, quatenus eos vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, recepto prius a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem Prepositure, iuriumque et pertinenciarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes te vel pro te procuratorem predictum ad Preposituram huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo sexto, Tertio Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Bull. Lib. XL. fol. 68.

CCCLV.

Officiali Posnaniensi, ut Ioanni de Cleczko quamdam capellaniam in ecclesia Posnaniensi conferat.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Officiali Poznaniensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Iohannes de Cleczko presbiter Gneznensis diocesis apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Iohannis petitio continebat, quod alias postquam quondam Stanislaus Swycznek laicus tunc in humanis agens, et dilecta in Christo filia Catherina eiusdem Stanislai soror, cives Poznanienses, cupientes, ut prefatus Iohannes ad sacros ordines promoveretur, ipsum ad beneficium, quod extunc in ecclesia beate Magdalene Poznaniensis vacare contingeret, et de iure patronatus ipsorum foret, tunc Episcopo Poznaniensi seu eius in spiritualibus Vicario aut Officiali generali presentaverant, quamvis de facto, perpetua Capellania ad altare omnipotentis dei, assumptionis beate Marie virginis, sanctorum Iohannis Baptiste, Petri et Pauli, Andree et Iacobi apostolorum, Stanislai et Laurentii martirum, Nicolai et Martini confessorum ac sanctarum Marie Magdalene, Catharine, Dorothee, Barbare et undecim millium virginum ac Trium Regum situm in capella mercatorum nuncupata eiusdem ecclesie, que de iure patronatus laicorum, videlicet Stanislai, dum viveret, et Catharine predictorum existebat, ac quam quondam Nicolaus de Bithyoscza ad dictum altare perpetuus capellanus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Nicolai, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacabat, dictoque Stanislao vita functo, dilecti filii eiusdem Stanislai filii et heredes prefatum Iohannem, et predicta Catherina asserentes, Ius patronatus huiusmodi ad se respective de iure pertinere, dilectum filium Mathiam de Grodzysko pro clerico se gerentem ad capellaniam ipsam sic vacantem tibi, cui similes peticiones ex antiqua approbata, et hactenus observata consuetudine fieri sunt solite, alias infra tempus debitum presentarunt, quolibet eorundem Iohannis et Mathie presentationem de se factam huiusmodi canonicam fore pronunciari, seque in perpetuum capellanum ad dictum altare in eadem ecclesia institui petente, et propterea coram te inter eosdem Iohannem et Mathiam super dicta capellania non ex delegatione apostolica orta extitit materia questionis, tuque in causa ipsa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem pe-

titio subiungebat, a nonnullis asseratur, neutram dictorum petitionem canonicam fore seu utramque valere, ac Iohannem et Mathiam predictos per mutuum concursum se impedire, ut merito gratificationi locus existat: Nos prefato Iohanni premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque Iohannem a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Iohannes etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, necnon iuri patronatus huiusmodi quoad dictam Catherinam harum serie expresse derogantes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, neutram dictarum presentationum canonicam fore, seu utramque valere et gratificationi locum esse, Capellaniam predictam, que sine cura est, et cuius fructus, redditus et proventus trium marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Iohannes asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Nicolai, aut cuiusvis alterius de illa extra dictam curiam eciam coram Notario publico et testibus sponte factam vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque capellania dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Iohanni sibi gratificando auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Iohannem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Capellanie, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quomodolibet illicito detemptore, ac faciens Iohannem vel pro eo procuratorem predictum ad Capellaniam huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus ac obventionibus integre responderi, Contradictores etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo septimo, Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bullar. Tom. XXXVII. fol. 229.

CCCLVI.

Sigismundo regi Poloniae duae partes pecuniarum pro fabrica S. Petri de Urbe in Polonia colligendarum in usus bellicos contra Turcas convertendae conceduntur.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, sal. etc. Perceptis nuper Maiestatis tue necessitatibus atque angustiis, quibus tam ob rebellionem quorundam in Lithuania factam, quam ob Tartarorum vicinitatem atque insultus una cum regno coarctaris, visum est et pro peculiari amore, quo tibi regnoque tuo afficimur, et pro christiani nominis tutela, aliquo subsidio impresentia subvenire, instante presertim super hoc ac preces tuas humiliter porrigente Dilecto filio nostro P. tit. Sancti Cyriaci in Thermis presbitero Cardinali Rhegino. Quapropter tibi, ut de pecuniis pro fabrica sancti Petri de Urbe in regno isto colligendis duas partes accipere in usus bellicos convertendas, relicta tertia parte pro fabrica predicta, valeas, concedimus atque indulgemus, pro cuius rei exequutione indulgentias per totum regnum et dominia tua publicari ac predicari, capsasque per ecclesias singulas statui mandamus tribus munitas clavibus sub trium virorum custodia conservandis, quorum unus per Fucaros, quos depositarios fabrice in regnis Hungarie et Polonie circa huiusmodi pecunias fecimus, alius per Maiestatem tuam, tertius per Capitulum vel fratres aut rectores quoscunque, si Capitulum desit, ecclesie illius, in qua capsa fuerit, constituantur, sine quorum omnium una iunctorum et consentientium presentia capsas aperiri, aut pecunias attingi aliterve distribui, quam supra est expressum, sub excommunicationis late sententie pena vetamus, mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prothonotariis, ceterisque Prelatis aut qualibet ecclesiastica dignitate fulgentibus, necnon fratribus ordinis sancti Francisci ad huiusmodi publicationem predicationemque deputatis, ut predicta sub eadem pena inviolabiliter

observent et a ceteris pro viribus observari faciant: hortamur autem Maiestatem tuam, quam maxime possumus, ut strenue contra infideles agat atque animose versetur; nos enim, qua parte dabitur, ei defuturi non sumus, et vere, nisi principis apostolorum Basilica in magna esset ruina, quod nobis pudori ducimus, et incredibili sumptu ad instaurationem egeret, quicquid emolumenti ex indulgentiis huiusmodi provenisset Maiestati tue libere concessissemus: verum alia via suppetias longe maiores afferre conamur, et concordie inter Carissimos filios nostros Maximilianum Cesarem et Christianissimum Francie Regem reducende sine intermissione insudamus, ut ea conclusa gloriosissimam et deo acceptissimam contra infideles expeditionem omnium christianorum principum ope atque assensu ordiamur. Datum Rome etc. die XXVI. Septembris Millesimo quingentesimo octavo. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. VII. fol. 516.

CCCLVII.

Eidem regi Poloniae, ut Petro Baryska canonico Varsoviensi in adipiscenda parochiali ecclesia in Vylno praesto sit.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Licet arbitremur Maiestatem tuam unicuique iustitiam ministrare, tamen ut dilectus filius Petrus Baryska Canonicus Warsoviensis possessionem parrochialis ecclesie in Wylno sancti Iohannis Baptiste Wilnensis diocesis, sibi per sententiam adiudicate, et super qua coram dilecto filio Magistro Merencio de Vipera, Capellano nostro et Palatii nostri Auditore, litteras executoriales contra quendam Leonardum Alemannum in dicta ecclesia intrusum reportavit, et ad quam idem Petrus presentatus, ut asseritur, extitit, celerius consequatur, Maiestatem tuam in domino hortamur, quatinus pro cultu iustitie et solita tua erga nos et sedem apostolicam reverentia, cuius te semper amantissimum filium et benivolum cognovimus, eidem Petro seu eius legitimo procuratori in adipiscenda possessione dicte parrochialis ecclesie sic favere, ac brachium tue iustitie contra dictum Leonardum intrusum et quoscunque alios impedientes taliter extendere velis, quod ipse Petrus vel dictus eius procurator eius nomine possessionem ipsius parrochialis ecclesie, iuriumque et pertinentiarum eiusdem iuxta earumdem litterarum executorialium formam et tenorem pacifice assequi possit, in quo rem nobis admodum gratam et iustitie convenientem facies, suoque catholico animo dignam efficiet tua Maiestas. Datum Rome etc. die X. Novembris MDVIII. Pontificatus nostri Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. VII. fol. 560.

CCCLVIII.

Eidem regi Poloniae, ut pacem cum fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum ineat.

Regi Polonie.

Iulius PP. II. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Superiori tempore instantissime requisiti ab oratoribus clare memorie Alexandri, fratris et predecessoris tui, iniunximus dilecto filio Frederico fratri ordinis beate Marie Theutonicorum Iherosolimitani in Prussia Magistro generali, ut non differret formulam federis initi tempore felicis recordacionis Pauli predecessoris nostri stabilire et renovare: non multis post deinde mensibus charissimus in Christo filius noster Maximilianus Electus nuper Imperator Romanorum, ac eciam Comites, Barones ac ceteri nobiles inclite Germanice nacionis per litteras nobis significavere, eam concordiam vi et armis pocius quam ex equo et bono factam fuisse, et in maximum preiudicium ipsius ordinis redundare, et proinde nobis supplicavere, ut ordinis indempnitati opportune providere dignaremur. Quare, cum ex apostolici culminis pyetate et ex pastoralis officii debito nemini iusticie administracionem denegare possimus, neque eciam debeamus, immo cum nichil eque cupiamus, quam ut extinctis odii et simultatis seminibus Christifidelium animos ad solidam et stabilem concordiam redigamus, ut aliquando, deo duce, unitis viribus concordibusque animis arma et victricia signa in blasfemam gentem ac sanctissimi evangelii corruptores convertere possimus, hortamur Maiestatem tuam, et quo efficacius possumus, ex visceribus charitatis requirimus, ut quantocicius licebit, duos ex consiliariis suis vel regni proceribus deligat, qui cum duobus a prefato Magistro deputandis in loco utrique parti accommodato conveniant et rem concordent, atque amice transigant et componant. Quod si ita faciendum tibi visum fuerit, bene est, si autem istud non placuerit, aut forsan deputati id quod cupimus, efficere non potuerint, iterum Maiestatem tuam requirimus et monemus, ut contra prefatum Magistrum et ordinem nichil de facto innovet, vel eos quoquomodo iniuria afficiat

aut ledat, sed unum vel duos ex suis de cause meritis bene instructos illico ad nos et Romanam curiam mittendos curet, quod et Magister Prussie nostro monitu faciet, qui Venerabili fratri nostro Episcopo Portuensi cardinali sancti Georgii, prefati ordinis protectori, et dilecto filio nostro cardinali Regino, viris integritate, probitate et fide prestantissimis, que opus erit, referent: his enim commisimus, ut causam prefatam audiant et componant. Quod quidem si commode exequi nequiverint, ad nos eam referent: speramus enim, deo favente, bonis mediis eam nos esse composituros. Non dubitamus, quod sicut tu pro tua prudencia non nisi equa, honesta et iuri consona exposcis, ita eciam illi nostris presertim persuasionibus inducti, pacifice ac concorditer agent, pro quo tu in primis magnum meritum apud deum reportabis, et apud nos, qui Christifidelium quietem et pacem in primis querimus, precipua laude et commendacione dignus existimaberis. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. Marcii MDIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 217.

CCCLIX.

Eidem regi Poloniae super suae sororis matrimonio cum Voivoda Moldaviae ineundo.

Regi Polonie.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Misit ad nos nuper dilectus filius nobilis vir Ioannes Bogdaminus Vayvoda Moldavie formulam pactionis concordie inter clare memorie Alexandrum Polonie Regem, fratrem tuum germanum et in Regno immediatum predecessorem, ipsumque Ioannem inite ac firmate: et misit cum aliquali querela, quod sibi promissa de connubio dilecte in Christo filie nobilis adolescentule Elizabeth germane sororis vestre servata non fuerint, quamvis ipse omnia in dicta concordia contenta diligentissime observaverit, oppida et loca, que de Regno Polonie belli iure ceperat et tenebat, restituerit, et in benivolencia, fide atque obsequio ipsius Alexandri ac tui permanserit, permaneatque ac cupiat permanere, paratusque sit una cum dicta sorore tua catholicum Episcopum et alios ministros et officiales recipere iuxta formulam et capitula concordie antedicte. Sane quantum ex formula ipsius percipere possumus, omnia ab eodem Alexandro germano etc. predecessore tuo circumspecta et provisa fuerunt, que ad securitatem [et] Regni sui, puritatem catholice eciam fidei, utilitatem Reipublice christiane pertinere videntur, ne Vayvoda ipse, cui infidelium magnatum certatim connubia offerebantur, ut ad spurcissimos Turcos deficere, ac lassitudine et virium inbecillitate illis cedere cogeretur, nec satis coniicere possumus, qua de causa tua Maiestas sororem tuam predictam eidem Ioanni Vayvode in matrimonium iuxta concordata tradere distulit ac differat. Cupimus tamen inter te et ipsum Vayvodam ob causas predictas perpetuam vigere concordiam, quocirca Maiestatem tuam hortamur in domino, ut que adimplenda ex formula concordie antedicte supersunt, adimpleat, proque sua prudencia singulari consideret, quam gravia pericula Regno suo inclito et toti christiane relligioni imminerent, si ipse Ioannes Vayvoda, ut a tua Serenitate loca et oppida predicta, quod iure facere posse contendit, repeteret, quemadmodum se facturum scripsit, si ei a tua Maiestate non serventur promissa, [aut] ad perfidos Turcos, quod deus et salvator noster avertat, deficeret. Nos certe quidquid pro concordia vestra et avertendis his malis a nobis et hac sancta sede fieri poterit, paterna charitate omnique studio et toto cordis affectu facturi sumus. Datum Rome etc. die XII. Aprilis MDIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 217.

CCCLX.

Eidem regi Poloniae, ut christianis principibus in generali contra Turcas expeditione paranda se associet.

Sigismundo Regi Polonie.

Iulius PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum primum fuimus ad apicem summi apostolatus divina disposicione vocati, de expedicione sumenda contra perfidos Thurcos christiani nominis crudelissimos hostes, qui tot successibus aucti et raro repressi orthodoxam fidem labefactare non cessant, cepimus cogitare, utque expedicio ipsa tam valida, quam necesse erat, fieri possit, omnes curas et cogitaciones nostras convertimus ad pacandos Reges et Principes christianos inter se discordes. Et primum quidem Carissimos in Christo filios Lodovicum Francorum Christianissimum, et Ferdinandum Aragonum et Sicilie Catholicum Reges magnis de causis dissidentes ad fraternum amo-

rem, pacem et concordiam nunciis et epistolis revocavimus, ac postmodum cum preter desiderium expectacionemque nostram inter eundem Christianissimum Regem, et Carissimum in Christo filium nostrum Maximilianum electum Romanorum Imperatorem semper Augustum gravis discordie et armorum contenciones exorte fuissent, quantum auctoritate et assidua exhortacione paternaque charitate potuimus, pacem inter eos atque concordiam efficere sumus conati, nullis parcendo impendiis in mittendo ad eos legatos, nuncios et epistolas, graciasque altissimo agimus, qui nos tam sancti desiderii fecit compotes: Imperator enim et Rex Christianissimus predicti, ut sunt pientissimi atque sapientissimi, verba ac monita nostra non in aurem solum, sed in pectus ac cor immiserunt, salubribusque nostris consiliis obtemperantes, pacem inter se fecerunt, quam perpetuam esse speramus, ligam eciam et confederacionem, quarum nos utpote christianorum omnium patrem caput esse voluerunt, inierunt atque firmarunt, ut hanc sanctissimam expedicionem forcius et celerius cum aliis christianis Regibus et principibus hoc ipsum optantibus aggrediantur. Iudicio tamen omnium recte sentientium expedicio ipsa tute inchoari continuarique et perfici non poterat, nisi prius superbia et avaricia Venetorum, aliis bonis et urbibus inhiancium comprimeretur, et ad restituendas urbes sancte Romane ecclesie, quas tirannice detinebant, armis spiritualibus temporalibusque cogerentur, quandoquidem omni dei timore iusticieque respectu postpositis, sponte et a nobis sepius requisiti atque interpellati restituere eas contempserant: nam ut taceamus de reliquis gravissimis iniuriis et iacturis per eosdem Venetos sancte Romane ecclesie et beato Petro tempore predecessorum nostrorum illatis, sub inicio pontificatus nostri preclaras in Romandiola urbes Ariminum atque Favenciam et Sarsinam, nonnullaque alia loca ad Romanam ecclesiam pleno iure spectantia preter ius et phas impudentissime et arrogantissime invaserant atque usurpaverant, easque ex eo tempore occupatas detinuerant. Divino autem monitu huiusmodi confederacionem factam fuisse, vel ex hoc maxime perspici potest, quod quamvis longe et late eque paterent Venetorum opes, exercitumque robore et numero satis firmum haberent, infra tamen unius mensis specium omnibus urbibus, arcibus atque locis, que iuris sancte Romane ecclesie et ipsorum confederatorum erant, exuti sunt, quamvis ipsi electo Romanorum Imperatori pauca admodum restant recuperanda: Salvator enim noster et dominus noster Ihesus Christus, cuius res agitur, omnem cunctacionem omnemque expectacionem confederatis ipsis adimere voluit de tractanda tam sancta et necessaria expedicione, qui tam expedite victorie amoniti beneficio se viresque suas omnes in eandem expedicionem sanctissimam obtulerunt, ac quodam modo devoverunt, prout ex litteris eorundem Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Francorum Christianissimi et Ferdinandi Aragonie et Sicilie Catholici Regum presentibus inclusis videbis. Non deerit ipse Electus Imperator, non Carissimi in Christo filii nostri Anglie et Portugallie Reges Illustres, a quibus de hac re plenas pietatis accepimus litteras: Tu quoque, charissime fili, ut pro explorato habemus, non deeris, tua enim preter communem religionem maxime interest, ut perfidi et immanissimi Turci, a quibus assidue bellum aut pateris aut times, penitus conterantur. Cuius rei hoc potissimum tempore occasio et facultas oblata est: nunquam enim tanta concordia, tantus animorum consensus, tam ardens desiderium Christianorum principum fuit ad suscipiendum atque gerendam bellum contra spurcissimam et immanissimam Turcorum gentem, ut nobis quidem videatur ipse dominus et salvator noster, eciam si a populo suo electo ob aliquod delictum expetere penas voluerit, qui tam diu fideles suos a spurcissimis Mahometanis passus est lacerari, paratus iam et propiciatus, omnem spem victorie in hec potissimum tempora contulisse. Veniet maxima cum classe armis, viris et instrumentis omnibus bellicis instructissima ipse Rex Catholicus Ferdinandus, veniet classis nostra non contemnenda cum aliis Italice nacionis, que Turcorum tirannum in extrema vite spe constitutum et incurabili morbo implicitum non pacietur angustias Hellesponti egredi: terra autem robur Gallice, Germanice et Anglice nacionis (veniet), veniet et Maiestas tua cum suo invicto Regno atque exercitu hostem hunc fundere et vincere asueto, aderit et Carissimus in Christo filius noster Ladislaus Hungarie et Bohemie Rex Illustris, tuus sanguine et amore germanus: Christianis vero oppressis animus crescet, non omissuris occasionem se in pristinam libertatem vindicandi, et impurissime gentis iugum excuciendi, ita ut nulli recte consideranti dubium esse debeat, quin tantis mari terraque viribus tam iusta sanctaque in causa omnis Turcorum nacio, deo et salvatore nostro duce, penitus conteratur, et Respublica christiana in pristinam dignitatem restituatur. Reliqui principes christiani, fili charissime, magnam ex hac victoria apud homines gloriam, magna apud deum premia consequentur: tua vero Serenitas preter hec utilitatem ingentem consecutura est, propagabit eciam longe lateque fines Regni sui,

seque et suos non solum metu, sed eciam periculo perpetuo liberabit. Quare cum nobis in animo sit, domino permittente, hanc sanctam expedicionem iam a nobis publicatam et promulgatam ineunte vere suscipere, hortamur Maistatem tuam, ut ad nos oratores suos huius rei in causa mittat cum pleno mandato tractandi, promittendi et concludendi omnia, que pro ipsa expedicione sanctissima tractanda et concludenda erunt, et ad te Regnumque tuum inclitum pertinebunt. Scimus Maiestatem tuam, Regnumque tuum magis milite quam pecunia abundare, et propterea nobis cure est, ut quantum per nos fieri poterit, rei pecuniarie tibi subsidia decernantur. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxviii. Iulii mdix. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Armar. XXXII. Tom. XXI. fol. 204.

CCCLXI.

Praelatis et baronis consiliariis utriusque status regni Polouiae super eodem argumento pontifex scribit, exhortans enixe, ut una cum aliis principibus in istum hostem viriliter exsurgant, et pecuniam promittit.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo ..... et Episcopis ..... ac Dilectis filiis ..... Consiliariis utriusque status.

Iulius PP. II. Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem etc. Cum primum divina providentia ad apicem Apostolatus vocati fuimus, nichil neque eque, neque magis cordi nobis fuit, quam ut omnibus reipublice christiane incommodis ex iniuncto nobis officio pro virili mederemur, et communi omnium saluti consuleremus. Proinde iam ipso statim pontificatus nostri inicio universalem expedicionem contra spurcissimos Thurcos christiani nominis hostes immanissimos facere decrevimus, ut populum per manus domini nobis traditum de servitute Pharaonis, et fedi hostis tirannide in manu potenti et brachio extento reduceremus: sed factiones respectusque rerum privatarum inter principes christianos, que semper publicis offecere consiliis, huic affectioni nostre moram obiecerunt, ea tamen obstacula divino auxilio, multis et laboribus et impensis e medio tandem summovimus, neque enim commodum fieri potuit, ut qui domi civilibus odiis dissiderent, foris rem concorditer bene gererent. Ut igitur mutuis animis armisque eam expedicionem feliciter tandem maturaremus, opere precium fuit contrarios inter se christianos principes firma unire concordia, qua in re multum diuque laboravimus, maxime donec Carissimos in Christo filios nostros Ludovicum Christianissimum et Ferdinandum Catholicum Reges, antiquis et gravibus odiis dissidentes, in mutuam et tranquillam amiciciam redderemus, non minus laboris fuit nobis in Carissimo filio nostro Maximiliano Electo Romanorum Imperatore semper Augusto cum Rege eodem Christianissimo concordando, eos tamen conatus omnes leves facilesque existimavimus, dum reipublice christiane consuleremus. Obstabant votis nostris adhuc Veneti, violenti et impii bonorum ecclesie direptores occupatoresque, in quo divina profecto magis quam humana potencia iram suam exercuit, atque ita ut preter omnem spem momento opprimerentur. Summotis igitur divina ope impedimentis omnibus, maturo ac deliberato consilio omnino constituimus proximo vere eam expedicionem totis viribus aggredi. Hactenus autem non fuit certum consilium ad vos super his scribere, donec reliquorum animos Principum exploratos haberemus: nunc vero cum operam suam omnes nobis polliciti sint, libuit, ut vos de illorum voluntate redderemus continuo certiores, penes quos eius rei commoditas est maxima, cum plane sciamus illa (vos) cum aliis arma sumere, quibus multos iam annos soli rempublicam christianam fortissime tutati estis, quibus soli hostem fundere, capere, fugare consuevistis. Cum itaque maxima spes in virtute vestra sita sit, qui propinquum habetis hostem, qui armis, viribus, consilio in eum uti pre ceteris soliti estis, quique pares viribus animos semper habuistis habetisque: vos in domino hortamur, quatenus in commune de omnibus in rem pertinentibus ita consulatis, ut apud nos et sanctam sedem apostolicam ac universos christianos gloriam immortalem assequamini. Que facile vos assecuturos speramus omnia, si et presentissime oportunitatis habere racionem et maiorum vestrorum initi gloria volueritis: velle autem vos non dubitamus, qui militum copia et virtute, imperatorum ingenio, fortuna in res bellicas maxime contra hunc hostem potentem plurimum polletis potestisque. Quod ad rem pecuniarum pertinet, quantum ex nobis erit, non sumus vobis defuturi. Interim mittendi sunt oratores ad nos cum pleno mandato, prout ad Carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Regem vestrum Illustrem scribimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxix. Iulii mdix. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 206.

CCCLXII.

Erasmo episcopo Plocensi, ut regem, praelatos et proceres regni ad hanc expeditionem inducat.

Venerabili fratri Erasmo Episcopo Plocensi.

Iulius PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Licet existimemus, Carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie Regem Illustrem, prelatosque et proceres Regni istius incliti, ad quos scribimus, sanctam et necessariam expedicionem contra perfidos Thurcos, in quam omnes fere Reges et Principes christiani nobiscum consentiunt, alacri animo suscepturos: quia tamen magna fraternitatis tue apud Regem ipsum, proceresque predictos est authoritas, seorsum ad eandem fraternitatem tuam de huiusmodi expedicione scribendum duximus, quam in domino exhortamur, ut pro sua solita probitate et catholice fidei zelo, quantum ingenio ac consilio eniti potest, efficere curet, ut Rex, Prelati et proceres antedicti se ad huiusmodi iustissimum et necessarium bellum accingant, in quo a deo premium, et a nobis sanctaque hac apostolica sede commendacionem uberiorem reportabunt. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die II. Augusti MDIX. Pont. nri. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 206.

CCCLXIII.

Sigismundo regi Poloniae Achilles de Grassis, episcopus Civitatis Castelli, nuntius apostolicus ad illas partes missus commendatur.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Polonie Illustri.

Iulius PP. II. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Superioribus mensibus, cum incliti Germanie principes conventuri apud Augustam Vindelicorum dicerentur, omniumque ferme opinio nostra presertim esset, eos aliquid decreturos pro expedicione sanctissima contra perfidos Turcos christiani nominis hostes acerrimos decernenda et capessenda: noluimus occasioni deesse, sed nuntium nostrum illuc proprie misimus, Venerabilem scilicet fratrem Achillem Episcopum Civitatis Castelli, referendarium nostrum domesticum, nostrum et apostolice sedis cum potestate legati de latere oratorem, doctrina, integritate, prudencia et dexteritate ingenii preditum, qui principes ipsos, ad quos nos universos et singulos in eam sentenciam scripsimus, ad decernendum aliquid christiane Reipublice salutare, et expedicioni ipsi sanctissime necessarium auctoritate et nomine nostro adhortaretur, periculaque ab eis Turcis et aliis christiani nominis hostibus imminentia ante oculos poneret, quod ipse Episcopus cum summa fide et diligentia fecit, donec conventus ipse duravit, nunc in Germania suo functus officio, ad Charissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Hungarie et Bohemie Regem, fratrem tuum germanum, et deinde ad tuam Serenitatem se conferet. In te enim et fratre tuo predicto maximam spem huius sanctissime expedicionis suscipiende et Reipublice christiane propagande locavimus: nam et proprium vestri sanguinis et vestrorum procerum est contra salutifere crucis hostes pugnare, et per litteras atque nuncios sepe professi estis, vos desiderio nostro et huic sanctissime expedicioni, in quam et nos, altissimo permittente, ituri sumus, non defuturos. Hortamur igitur tuam Serenitatem, ut ipsum Episcopum, oratorem nostrum, pro laudabili tua consuetudine benigne recipere, et que nostro nomine expositurus est, credere velis. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIIII. Aprilis MDX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 212.

CCCLXIV.

Eidem regi Poloniae episcopum Civitatis Castelli ad conventum Posnaniensem in causa Prussiae mitti pontifex annuntiat.

Regi Polonie.

Iulius PP. II. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Binas tue Serenitatis litteras, Cracovie XIIII. Mensis Marcii datas, dilectus filius noster Petrus tituli sancti Ciriaci in thermis presbiter Cardinalis Reginus, Regni tui protector, nobis uno tempore reddit: in alteris quarum de expedicione contra perfidos Turcos christiani nominis acerrimos hostes, ad quam te per litteras et per dilectum filium Iacobum Pisonem Nuncium nostrum hortati sumus, respondes, ostendisque te, quamquam durior sit condicio tue Serenitatis, quam reliquorum Regum christianorum, cum contra Thartaros et Thurcos ferocissimas et infestissimas catholice fidei gentes assidue bellum geras, non defuturum tamen expedicioni ipsi sanctissime. Que sane littere magnam nobis addiderunt alacritatem ad excitandum

reliquos Reges ac principes maturandumque apparatus nostros: elucet enim in ipsis litteris cum pietas tua in deum salvatoremque nostrum maxima, tum animi magnitudo tanta, ut nunquam satis digne posse laudari videatur. Itaque ob hoc Maiestatem tuam non solum commendamus, sed eciam gratias agimus, hortantes, ut in tam sancto ac bono proposito perseveret. Speramus enim, quod si dominus et salvator noster, cuius causa agitur, nos rectis sensibus euntes iuvabit, ut certe iuvabit, pacem, quam a Tartharo et Turcho tibi oblatam scribis, non pactione, sed victoria magno cum incremento rerum tuarum et christiani nominis consequeris: presertim cum, ut eciam scribis, et omnes periti illarum rerum uno ore affirmant, Tirannus ipse Turcorum, quod ad spem facilis victorie non mediocriter pertinet, morbis et annis fractus non procul absit a morte, filiique eius, qui multi sunt in paternos annos inquirentes mortem senis expectaturi non videantur, sed de imperio inter se digladiaturi sint, quos discordiis et domesticis bellis sedicionibusque impeditos facillimum erit omni Europa et patria dicione exuere. In alteris nos Maiestas tua hortatur, ut legatum nostrum mittamus Poznaniam, ubi oratores Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Maximiliani Electi Romanorum Imperatoris, Wladislai Hungarie ac Bohemie Regis Illustris, fratris tui germani, sacri Romani Imperii electorum ac Magistri Prussie ordinis beate Marie Teuthonicorum et tui sunt conventuri pro sanandis et componendis discordiis inter tuam Serenitatem et Magistrum ipsum vigentibus: fecimus id, charissime fili, charitate paterna, negociumque hoc, quod et nobis plurimum cordi est, Venerabili fratri Achilli Episcopo Civitatis Castelli, referendario nostro domestico, demandavimus, non solum, quia proprius est, quia ad conventum N(orimbergensem) principum nacionis Germanice pro decernenda expedicione contra perfidos Turchos a nobis fuerat missus, sed quia eius singularem prudenciam, integritatem et ingenii dexteritatem in Gallia et alibi sumus experti, ut de doctrina pontificii et civilis iuris, que in eo summa est, taceamus, multis enim annis auditor Rome causarum Palacii apostolici magna cum laude fuit et adhuc est: huius Episcopi dexteritate, qui nullum laborem recusaturus est, nostraque auctoritate differencias omnes et controversias ita componi, vel de consensu partium decidi posse speramus, ut nulla scintilla odii aut discordie reliqua sit. Si tamen aliquis difficilior nodus restaret, qui illic solvi non posset, illum nos via iuris, cum primum certiores facti erimus, summa cum equitate et equa lance decidere, domino auctore, curabimus, ut Maiestas tua, huius rei cura deposita, liberius ex rebus suis omnes vires suas in sanctissimam expedicionem et nominis christiani propagacionem convertere possit. Datum Ostie sub anulo piscatoris prima Maii MDX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

(Idem Legatus, dum in Hungaria longius detineretur, neglexit congregacionem Poznaniensem, que tunc in Iunio super tractatu et differenciis Prussie pro festo Ioannis tenebatur: postea tandem venit Cracoviam in Augusto, dum iam congregacio illa soluta in toto fuerat.)

Ex Reg. orig. An. VII. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 211.

CCCLXV.

Verba, quibus Achilles de Grassis episcopus Civitatis Castelli, legatus apostolicus, reges et proceres Hungariae et Poloniae in causa generalis expeditionis contra Turcas faciendae alloquutus est.

Cum multa in vestris conventibus ut plurimum agitari consueverint, Rex Serenissime, Reverendissimi Presules, invictissimi principes et proceres ornatissimi, que ad communem humani generis salutem spectare videntur: in hoc vero ea nunc rerum magnitudo pertractari speratur,que non solum ad Reipublice christiane dignitatem atque incolumitatem, verum eciam ad communis omnium imperii propagacionem pertinere iudicatur. Quo factum est, ut Sanctissimus dominus noster Iulius secundus Pontifex Maximus me licet indignum, qui huic vestro interessem concilio, eiusque mentem et desiderium exponerem, Legatum huc ad vos transmiserit. Novit enim ille potentissimos Hungaros Reges et populos ad defendendam Rempublicam christianam, atque ampliandam ecclesie dignitatem paratissimos semper extitisse, neque a Pontificum voluntate ullo unquam tempore ne transversum quidem unguem oberrasse: hinc in maximam descendit spem, ut vestro auxilio, ymo vobis auctoribus immanissimos christiani nominis inimicos, quod semper optavistis, possit facillime prosternere, atque ita prosternere, ut a terris penitus omnis eorum tollatur impietas. Que sit igitur nostre oracionis futura materia, videtis, ut simili ad preclaram, necessariam saluberrimamque persanctissimam expeditionem in Turcos capessendam necessitate facilitateque universum christianum nomen excitari debere ostendamus. Verum ut oracio nostra vestros ad hoc suscipiendum bellum animos incendat, ut statim acceptis armis in ho-

stem eatur, Deum optimum maximum precor, vobisque omnibus, anteaquam dicere ingrediar, Sanctissimi nostri Pontificis nomine salutem et benedictionem apostolicam elargior, ut sic ab ea orsus(?) auspicacius nostre oracionis inicium faciamus.

Prius tamen quam de huiusmodi suscipiendi belli necessitate atque facilitate quicquam disseramus, aliud quoddam nobis se ultro dicendum offert, quod certe maximum atque incredibile huiusce negocii est fundamentum, quodque si amoveris, nichil magnum, nichil salutare deinceps poteris unquam efficere, omnia confundantur, perturbentur, deleantur, necesse est. Igitur qui volunt alienam domum irrumpere, concordes inter sese atque unanimes esse oportet: nam ubi fuerit concordia, licet vires sint exigue, plus tamen efficietur, quam si vires essent maxime, verum discordia inter se disgregate. Quandoquidem concordia imperia e modicis orta principiis consuevit maxima reddere: hec eadem discordia puncto temporis everti, et in aliquo pergrandi conatu pessundari sepe videmus.

Idcirco Presules Reverendissimi, principes et proceres ornatissimi, indissolubile quoddam esset inter christianos principes sanciendum et cum glutino copulandum fedus, cuncta pretermittenda odia, inimicicie delende omnes, sanctissimum illud Christi Salvatoris nostri verbum ab omnibus amplexandum: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; iam enim satis evaginatus ensis per omnem Italiam, perque universam christianitatem evagatus est, iam satis superque christiani sanguinis effusum, iamiam illa arma, que diu in vosmet ipsos absque ulla racione, non tamen sine maxima strage debachata sunt, eo essent convertenda, unde laudem, unde gloriam, unde triumphos, unde eciam premia ab immortali Deo essemus reportaturi. Sed quoniam vereor, bone Deus, tu tamen tua pietate tantam a tuis fidelibus calamitatem averte, ne assiduis inter nos exhausti bellis prede demur truculentissimo hosti: quoniam timeo, ne Italiam tot cladibus affectam, tot fortissimorum virorum militibus interfectis, tot magnificentissimis classibus amissis denudatam immanissimus ille hostis et nostri sanguinis avidissimus invadat, invasam capiat, captam diruat, et eo facilius ianua sibi admodum reserata, reliquum, quod superest, christianitatis penitus absorbeat.

Quapropter, pientissimi principes, miseremini animos non digna ferentes, tantum enim in vobis illius spes inclinata recumbit. Excitamini igitur, Hungari proceres, et soli perpetuam tante rei vobis gloriam vendicate, ut sanctiende atque componende inter christianos pacis auctores vos fuisse omnis posteritas intelligat, sciatque vestra tantum opera e terrarum orbe impietatem omnem fuisse sublatam: quod facillime prestare poteritis, si enixe operam dabitis, ut bella inter Serenissimum Romanorum Imperatorem Electum Maximilianum semper Augustum aliosque principes christianos ex una, illustrissimumque dominium ac senatum et populum Veneciarum partibus ex altera in Italia, prothdolor! non parum seviencia, vestra auctoritate, opera atque intervencione pace concordiaque sopiantur et terminentur: hoc ipsa omnis Italia supplex postulat, hoc christiani omnes flagitant, cogitant, obsecrant, hoc Sanctissimus pontifex noster summo desiderio desiderat, atque ad id, quo paterno decet affectu, vos admonet, hortatur, obtestatur.

Nunc breviter de belli necessitate dicamus. Bellum igitur hoc ita nobis necessarium videtur, ut omnino sit gerendum. Nam cum due sint cause, quibus excitati iuste bellum aliquod aggredi consuevimus, aut enim dum iniuriam prius illatam vindicare desideramus, aut dum periculum imminens propulsare cupimus, bella ultro inferenda esse censemus: nempe autem duo hec, si recte animadvertere voluerimus in presenti negocio, supra quam dici potest, inesse perspiciemus: erat namque tota olim Asia christianorum dicionis, cum e quibus nescio tenebris Maumetanus ille hostis emergens cepit omnia ferro flammaque invadere, civitates diripere, Reges eiicere, Imperatores expellere, brevique tocius Asie potitus in Europam quoque nostram transgressus est.

Hoc ego in loco pretermitto, proceres, quantas calamitates, quantas strages christiano nomini intulerit, cuinam esset ocium tot Regum, tot principum, tot populorum cedes deplorare, quis unquam posset tot nobilissimas urbes ab immanissimo hoste funditus eversas deflere, quis Constantinopolis vias christiano sanguine veluti quoddam flumen exundantes sine lacrimis memoraret, quis tam durus, tam ferreus invenietur, qui tot christianorum milia crudelissime in Salvatoris nostri contemptum trucidata posset siccis oculis enarrare? at tandem, proh dei immortales! considerate, christiani principes, quo nos animo esse decet, cum Christi Salvatoris nostri, quo nobis nichil clarius, nichil iucundius, nichil acceptius esse debet, tot sanctissima delubra atque templa violata, profanata, spoliata esse videmus. Nonne creditis tot interfectorum animas, ipsamque terram christiano sanguine madefactam ultrices manus

expectare? Eya igitur, principes invictissimi, tot Regum cedes, tot populorum strages, tot Christi templa dirupta manu vestra potenti, vestrisque, quibus vincere semper consuevistis, armis ulciscamini. Quid autem de imminenti periculo dicendum est? Vos, quo viciniores estis crudelissimo hosti, eo eciam melius omnibus novisse debetis. Non enim ille solum Asia contentus, sed et magnam iam Europe partem occupavit, maiorem adhuc occupaturus, nisi temerariis ausibus illius obviam eatur. Quid quidem? si eciam pacem volumus, per eius perfidiam habere minime possumus, neque si ipse eam quesierit, ei credendum est, qui pacis, fidei Religionisque nostre inimicus inquietus, insaciabilis, regnandi cupidissimus, sanguinis christiani avidissimus, oras omnes sibi vicinas ferro flammaque devastat, maria omnia piratarum more decursitat, Illiricum, Dalmaciam, Misiam, ceterasque regiones omnes quotidie depredatur, agros depopulatur, mares feminasque in captivitatem abducit, toti iam imminet septemtrioni. Ergo cum tantum periculum omnium oculis observetur, perpetuo dormitent christiani, nunquam oculos attollent, ut fedissimam illam tempestatem iamiam appropinquantem et omnia devastantem respiciant? O nos cecos! dum inter nos dygladiamur, dum viribus nostris in hiis gerendis bellis, que nullam nobis possunt afferre gloriam, exuimur, dum in viscera nostra gladium convertimus, eo nostri augetur hostis potencia, ut sic ille tamquam leo rugiens circuiens, querens quem devoret, nos nichil tale suspicantes de improviso sit invasurus. Quapropter tu, optime maxime Deus, aperi oculos populi tui, ne semper obdormiant, ut errore cognito viam proprie salutis pariter agnoscant. Non desunt nobis ad expellendam ex orbe impietatem hanc vires, non arma, non copie, non classes, sed mens et concordia! hanc tu, omnipotens Deus, si te ulla creature tue tangit cura, e celo nostris infunde pectoribus, ut imposito tantis calamitatibus fine hanc tandem aggrediamur expedicionem, qua ab hiis imminentibus periculis sine timore inimicorum nostrorum liberati tibi serviamus, nobisque quietem et salutem perpetuam acquirere valeamus. Ceterum ne quispiam inexpugnabiles forte hostium vires esse arbitretur, nichil facilius ex hoc bello victoria brevissime ostendam. Nam si Asianos populos, vires, arma nostris Europeis volumus comparare, facile cognoscemus, quanto prestanciores hostium potencia nostre sunt future vires. Quis nescit Asianos mollissimos atque effeminatissimos semper extitisse, maximos quidem et innumerabiles parant exercitus, omnique rerum copia ornatissimos, sed qui vix conspectis evaginatis hostium gladiis turpissime in fugam vertantur: nichil unquam dictu dignum aut memorabile bello peregerunt. Cum enim ad manus ventum est, et gladio res peragenda, stare loco nequeunt, huc et illuc puerorum more pugnantes discurrunt, eminus sagitis eiaculantur, que facile vel ab inermi repellantur, hostem impetunt, velitacio pocius illa quam pugna nuncupanda est. At nostri Europei et eminus mille instrumentorum generibus dimicant, et cominus gravi armatura circumdati intrepide manus circumserunt. Insurget igitur tota Europa ducibus, armis, equis, classibus, machinis munitissima contra Asianas illas delicias. Sanctissimus Pontifex noster maximus non solum subsidium, copias, classes, verum eciam semet ipsum cum omnibus supremi ordinis sacerdotibus iturum, si opus fuerit, ultro spondet et pollicetur. Hunc Itali, hunc Anglorum, hunc Hispanorum, Sicilieque et Portugalensium Reges potentissimi proculdubio sequentur, Germani quoque et Galli eorum rebus nostra auctoritate, ut speratur, pacatis minime deficient. Sed quis Asiani molliciem Italorum strenuitati, Germanorum fortitudini, Gallorum impetui, Anglorum ferocitati, Hispaniorum et Portugalensium robori audeat comparare? quis, ut de vobis tandem loquar, fortissimi proceres, vestra non solum arma, verum eciam aspectum non trepidabit? aut qui vobis ad perpetendos omnes milicie labores possunt inveniri aptiores? vos enim nullas novistis delicias, quibus humana corpora sepissime enervare atque molestare consueverunt.

Omnes expertes estis molliciei, frigora, calores, ventos, aquas, pulveres sine ullo discrimine, cum res exigit, constantissime perferre ab ipsa puericia didicistis, non humi iacere, sub divo pernoctare durum vobis aut asperum videtur, que omnia certe non mediocrem victorie spem cum Dei aiutorio ac magno christiane rei incremento nobis polliceri videntur, presertim cum (ut periti omnes illarum rerum uno ore affirmant) tirannus ipse Turcorum, quod eciam ad spem victorie non mediocriter pertinet, morbis et armis confractus non procul absit a morte, filiique eius, qui multi sunt, in paternos annos inquirentes, mortem senis expectaturi non videntur, sed de imperio inter se digladiaturi sint, quos discordiis et domesticis bellis sedicionibusque implicatos facillimum erit omni Europa et paterna dicione exuere: quapropter, Rex Serenissime, Reverendissimi et Illustrissimi Principes, cum necessitas ipsa hortetur, suadeat, impellat, cum periculum maximum, nisi hoc suscipiatur bellum, christiane Reipublice immineat, cum vires nostras hostium potencia validiores esse videamus, cumque victoriam, Deo duce, spe-

rare habeamus, pulcherrimam hanc et gloriosam expedicionem aggrediamur, que nobis securitatem, gloriam et divicias speciosissimas, triumphos et premia sempiterna est allatura. Surgite igitur, proceres fortissimi, arma capite, vestrumque robur ut semper alias invictissimum esse ostendatis: surgite et accingimini gladio, sequimini, quo nos omnipotens Deus, eiusque in terris Vicarius Pontifex noster maximus vocat: surgite, inquam, et vestris invictissimis armis muniti, ite per ignavas gentes, famosaque Regna, et primo belli motu prosternite Turcos, quod ille nobis prestare dignetur, qui trinus vivit et regnat in secula seculorum amen. Dixi.

In eandem fere sentenciam dictus legatus cum Serenissimo domino Sigismundo Rege Polonie egit, adiunctis paucis, que ad rem Prutenicam attinebant.

Responsum datum eidem legato per Cardinalem Strigoniensem, nomine Maiestatis Regie Hungarie, et per Sigismundum Regem Polonie.

Regia Maiestas dudum et semper desideravit, ut aliquando concordibus votis et animis Regum et principum christianorum fieret communis et generalis expedicio contra Turcum christiane fidei inimicum, et nisi aucta fuisset potencia Turci, prout est plurimum aucta, viresque Regnorum sue Maiestatis attrite non fuissent, erat in votis Maiestatis sue, eciam non expectatis aliis Regibus et principibus christianis, facere expedicionem contra eundem Turcum. Cum vero Sanctissimus dominus noster admoneat nunc Maiestatem suam ad suscipiendam eandem expedicionem, proponatque ceteros quoque Reges et principes christianos ad illam accessuros, Maiestas sua pro consuetudine maiorum suorum et sui Regni Hungarie offert se paratam ad suscipiendam ipsam sanctam et diu desideratam expedicionem, vultque illam inire, dummodo Sanctissimus dominus, compositis animis christianorum principum, qui mutuis inter se certant odiis, efficiat, ut illi quoque vadant ad eandem expedicionem: sola enim Maiestas sua cum viribus et potencia Regnorum suorum non sufficit ad invadendum tantum hostem, qui non nostro uni Regi, sed eciam pluribus Regibus simul est formidolosus.

Sed et memoria repetit Maiestas sua, quod cum olim principes christiani, suscepta generali expedicione contra prefatum hostem, non possent traiicere in Greciam, prout ipsi postea dicebant, propter tempestatem maris, Serenissimus dominus Wladislaus Hungarie et Polonie etc. Rex, patruus secundum carnem Maiestatis sue, qui non expectatis aliis, solus opposuerat se Turco, periit cum Regno suo.

Ibit igitur Maiestas sua in prefatam expedicionem, cum alii quoque Reges christiani iverint, et sumministrentur Maiestati sue nervi belli, hoc est subsidium pecuniarium, quo tantum onus belli sustinere possit: attrite enim sunt nimium vires Regni Hungarie tam propter continua bella, tam propter mortalitatem, opusque est pecunia, que detur militi, quo abundat Maiestas sua.

Ad tractandum autem de prefata expedicione, quando et quomodo suscipienda sit, ac de subsidio pecuniario, tum aliis, que ad eam rem pertinent, mittet Maiestas sua oratores ad Sanctissimum dominum et sedem apostolicam, quanto celerius poterit.

Quia vero Reges et principes christiani nondum inter se sunt concordes, nec deposuerunt arma suscepta, Maiestas sua interim, dum isti Reges concordant et se preparant ad prefatam expedicionem, decrevit facere breves inducias cum Turco, ut interim se preparet, et ne Turcus ob non susceptas cum eo inducias Regna Maiestatis sue invadat, et preoccupet expedicionem christianam contra se susceptam, et non existimet Sanctissimus dominus atque alii Reges et principes, quod eiusmodi inducias facere vellet Maiestas sua ob aliquam aliam quam predictam causam.

Decretum autem est in conventu Tatensi in Hungaria, ut accipiantur inducie cum Turco ad biennium aut triennium.

Similem eciam et in omnibus concorditer responsionem a Rege Polonie accepit, dum fratres unanimes et dominia vicinitate coniuncta mutuam super omnibus haberent intelligenciam pactis et confederacionibus sancitam. Ex Reg. orig. An. VII. Arm. XXXII. Tom. XXI. fol. 213.

CCCLXVI.

Cum Ioanne ex ducibus Lithuaniae, clerico Cracoviensi, super defectu natalium, dispensatur ipseque ad quaecunque munia sive ecclesiastica sive saecularia suscipienda rehabilitatur.

Iulius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni ex ducibus Lithuanie, clerico Cracoviensi, salutem etc. Laudabilia tue puerilis etatis indicia, ex quibus, prout fidedignorum testimoniis accepimus, verisimiliter concipitur, quod succedentibus annis te in virum producere debeas virtuosum, nos indu-

cunt, ut te apostolici favoris suffragio ac specialibus gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos, qui dudum inter alia decrevimus et declaramus, quod provisiones aut concessiones vel mandata de providendo de Cathedralium ecclesiarum Canonicatibus et prebendis, que pro quibusvis personis, si quartum decimum sue etatis annum non complevissent, quomodolibet emanarent, nisi eis, quod ipsos in minori etate recipere possint, per nos seu sedem apostolicam specialiter concessum foret, nullius essent roboris vel momenti, et haberentur prorsus pro infectis, te, qui ut asseris, non obstante defectu natalium, quem pateris, de Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Rege Illustri soluto genitus et soluta de nobili genere procreata, clericali caracthere rite insignitus fuisti, ac in XII. vel circa tue etatis anno constitutus existis, cuique alias postquam ad certos Canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, tunc certo modo vacantes, per eundem Sigismundum Regem pretextu certorum privilegiorum et indultorum nominandi personas ad Canonicatus et prebendas dicte ecclesie, pro tempore vacantes, apostolica sibi auctoritate concessorum nominato, et per certum executorem in litteris indultorum huiusmodi deputatum, tibi nulla ad id dispensatione suffulto, de eisdem Canonicatu et prebenda provisum fuerat, ac nominationis et provisionis huiusmodi pretextu dictorum Canonicatus et prebende possessionem forsan apprehenderes, de eisdem Canonicatu et prebenda, ut prefertur, vacantibus apostolica auctoritate prefata provisum aut provideri mandatum seu concessum, tecumque, ut eosdem Canonicatum et prebendam recipere et retinere valeres, dispensatum fuit, premissorum indiciorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, teque etc. absolutum fore censentes, necnon dictorum Canonicatus et prebende fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem presentibus pro expresso habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te nobilem prefata apostolica auctoritate tenore presentium creamus et facimus, ac nobilitatis titulo, honore, privilegio et insigniis decoramus, teque deinceps nobilem et pro nobili etiam illustri ac legitimo teneri, reputari, censeri ac nominari posse et debere decernimus, tecumque, ut etate tibi suffragante legitima ad omnes etiam sacros ordines promoveri, ac exnunc quoscunque Canonicatus et prebendas quarumcunque Cathedralium et Metropolitanarum ecclesiarum, necnon unum, et cum XVIII. dicte etatis annum attigeris, cum eo aliud, cum vero ad etatem legitimam perveneris, cum illis tertium et sine illis quecunque alia tria curata seu alias invicem incompatibilia, nec non quecunque duo dissimilia aut simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcunque tam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum aut aliarum ecclesiarum consistentia, nec non quecunque, quotcunque et qualiacunque cum cura et sine cura se invicem et cum predictis incompatibilibus compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi compatibilia, Canonicatus et prebendas, et tam illa, quam incompatibilia beneficia huiusmodi, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, et dignitates ipse in Cathedralibus et Metropolitanis post pontificales maiores, seu Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut duo ex eis parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie seu talia mixtim fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, presenteris, vel alias assumaris ad illa et instituaris in eis, recipere, ac Canonicatus et prebendas ac unum ex nunc, et cum XVIII. dicte etatis annum attigeris, cum eo aliud, cum vero ad etatem legitimam perveneris, cum illis tertium beneficia huiusmodi insimul, quoad vixeris, retinere, illaque omnia simul vel successive simpliciter, vel ex causa permutationis, quotiens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium vel beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica, tria dumtaxat et invicem incompatibilia, ac duo dissimilia vel similia, simplicia sub singulis tribus tectis quarumcunque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum ecclesiarum consistentia, ac quecunque, quotcunque et qualiacunque alia sic invicem et cum predictis incompatibilibus, ut prefertur, compatientia, dummodo sub singulis tribus tectis consistentia beneficia huiusmodi duo Canonicatus et due prebende, aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia, et inter illa omnia ultra tria incompatibilia et plures, quam due parrochiales ecclesie vel earum perpetue vicarie non existant, similiter recipere, et insimul, quoad vixeris, modo premisso retinere libere et licite valeas, quodque nomine quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum curatorum per te pro tempore obtentorum ad aliquem ex diaconatus et presbiteratus ordinibus usque ad septennium a fine anni a iure tibi concessi computandum, dummodo infra primum biennium dicti septennii sis subdiaconus, te promoveri facere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, nec non ad quecunque officia secularia publica seu privata, ac

honores et quasvis dignitates tam ecclesiasticas quam seculares clericis secularibus convenientia eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere, ac arma seu insignia tam paterna quam materna assumere, et illa, ac si ab avis et abavis illustribus ex legitimo matrimonio procreatus existis, deferre, ac privilegiis et prerogativis, quibus nobiles et illustres ac de legitimo matrimonio, ac ab avis et abavis nobilibus geniti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet infuturum, uti, potiri et gaudere libere valeas; ac deinceps, quoad vixeris, in quibusvis impetrationibus seu litteris, ac concessionibus, dispensationibus, gratiis et indultis tam apostolicis, quam aliis gratiam vel iusticiam concernentibus, per te seu tuo nomine imposterum sede predicta vel illius legatis, aut alias qualitercunque impetratis, seu tibi concedendis nullam de defectu et dispensatione predictis mentionem facere tenearis, nec propterea impetrationes, littere, concessiones, dispensationes, gratie et indulta huiusmodi de surreptionis vicio notari, seu propterea nullatenus impugnari possint, sed valide et efficaces existant in omnibus et per omnia, perinde ac si in eis de defectu et dispensatione predictis expressa mentio facta, tuque de legitimo matrimonio, ut prefertur, genitus esses, natalium, et quem ad Canonicatus et prebendas ac unum incompatibile pateris, et in dicto XVIII. anno tunc constitutus patieris, ad aliud etiam incompatibile beneficia huiusmodi obtinenda etatis defectibus, nec non decreto et declaratione nostris premissis, ac Pictaviensis, Lateranensis et generalis conciliorum, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac legibus Imperialibus, nec non ecclesiarum, in quibus Canonicatus et prebende, ac incompatibilia et alia beneficia huiusmodi forsan fuerint, indulto, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis huiusmodi forsan concessis, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod nullus in Canonicum ecclesiarum earundem recipi aut Canonicatus et prebendas in eisdem obtinere possit, nisi de legitimo matrimonio et de nobili genere ex utroque parente procreatus, aut in utroque vel altero iurium doctor, et alias certo modo qualificatus existat, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica prefata earundem tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, tibique pariter indulgemus, abolemusque a te omnem illegitimitatis et geniture maculam, teque ad prima nature iura et quoscunque actus legitimos restituimus, nec non eisdem privilegiis et indultis, etiam si ad illorum derogationem de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes, mentio seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, proviso quod Canonicatus et prebende, ac incompatibilia et sub eisdem tribus tectis consistentia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, ac Canonicatuum et prebendarum, et sub eisdem tribus tectis consistentium beneficiorum huiusmodi congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, creationis, decorationis, decreti, dispensationis, indulti, abolitionis, restitutionis et derogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo decimo, IV. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bullar. Lib. LXVIII. fol. 320.

EPISTOLAE LEONIS PP. X.

CCCLXVII.

Modus episcopum Varmiensem eligendi a rege et proceribus regni Poloniae in comitiis Petricoviensibus praescriptus, et adiectae quaedam litterae Isarni quondam archiepiscopi Rigensis.

In nomine Dñi Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Cuiaviae, Russiae, ac Culmensis, Elbingensis, Pomeraniaeque etc. dominus et haeres, Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis praesentibus et futuris harum notitiam habituris, Quod cum defuncto bonae memoriae olim Reverendo in Christo Patre domino Luca Episcopo Warmiensi, eiusdem Ecclesiae Praelati et Canonici ad Electionem novi Episcopi et pastoris processissent, fuissetque orta aliqualis controversia super eadem electione, quae videbatur nobis facta, non observato tenore cuiusdam Articuli inter olim Serenissimum Principem dominum Casimirum Regem Poloniae genitorem nostrum charissimum, et Reverendum Patrem dominum Nicolaum Episcopum Warmiensem ac eius Capitulum per quandam inscriptionem facti, in quo cavetur, quod iidem Praelati et Canonici Ecclesiae Warmiensis, defuncto eorum Episcopo, personam gratam Regibus Poloniae eligere teneantur; cumque eiusdem Articuli de eligenda grata Regibus persona interpretatio in dubium hinc inde traheretur: Nos prospicere cupientes, ne qua posthac controversiae occasio inter nos vel nostros Successores Reges ac dominum Episcopum et eius Capitulum dictae Ecclesiae Warmiensis super Electione Episcoporum ac gratitudine personae eligendae exoriri possit, ad tollendam omnem eiusdem Articuli in posterum ambiguitatem, matura deliberatione et consultatione cum Consiliariis nostris Spiritualibus et Saecularibus habita, cum Reverendo Patre domino Fabiano Episcopo Warmiensi moderno ac eius Ecclesiae Capitulo in hunc qui sequitur modum devenimus. Quod cum contigerit vacare Ecclesiam Warmiensem, Praelati et Canonici eiusdem Ecclesiae tempestive et ante Electionem novi Episcopi mittere tenebuntur de gremio sui Nuncios ad nos et Successores nostros legittimos Reges Poloniae, si fuerimus, aut iidem Successores nostri in Polonia, non tamen in terris Russiae, aut Magno Ducatu Lithuaniae usque Vilnam et non ulterius, et significare per eosdem Nuncios suos obitum sui Episcopi et diem Electioni novi Pastoris praefinitum. Et praeterea dicere tenebuntur nomina omnium Praelatorum et Canonicorum Ecclesiae suae praesentium et absentium ab Ecclesia, ac declarare pro eorum iudicio fideliter ac veraciter vitam, mores, dignitatem, genus et omnem conditionem status uniuscuiusque. Quod si forsan pro eo tempore nos aut nostri Successores non essemus, seu non essent in Polonia, sed in terris Russiae, aut ultra essemus, seu Successores nostri essent in Magno Ducatu Lithuaniae ultra Vilnam, tunc iidem Praelati et Canonici, ne forte Electio nimis tardaretur, et Ecclesia praefata alicui periculo aut incom-

modo subiiciatur, obligati erunt per suos Nuncios omnia superius descripta Rm̃o domino Archiepiscopo Gneznensi pro tempore existenti, aut eius paternitate extra suam provinciam existente, Wladislaviensi aut Plocensi Episcopo significare. Qui quidem dominus Archiepiscopus, sive alter ex supradictis Episcopis, illo absente, sine omni mora per suum tabellarium sive Nuncium de illis omnibus, quae sic significantur, nos et successores nostros curabit reddere certiores. Ex quibus quidem Praelatis et Canonicis eiusdem Ecclesiae nos quatuor pro arbitrio nostro nominabimus, non alios tamen quam qui sint veri terrarum Prussiae indigenae, ac per specialem Nuncium nostrum, seu litteras clausas significabimus ipsi Capitulo, quos iudicaverimus ad illius culmen dignitatis et locum in consilio nostro magis idoneos et nobis gratos. Ipsi vero Praelati et Canonici praedicti unum ex illis quatuor, quem voluerint aut iudicaverint meliorem et utiliorem, deligere in Episcopum tenebuntur et erunt astricti. Et quia ex longa mora Electionis aliqua difficultas vel impedimentum evenire posset, itaque post acceptum de morte Episcopi a Capitulo nuncium supradictos quatuor octo dierum ad summum spacio nominare debemus. Et hoc amplius adiiciendum, ipso domino Fabiano Episcopo eiusque Ecclesiae Warmiensis Capitulo assentientibus, voluimus, quod si quando nos vel Successores nostri filium sive fratrem germanum inter quatuor supradictos nominare vellemus, qui primus esset de gremio Capituli Ecclesiae praedictae, id in nostro et Successorum nostrorum Regum Poloniae arbitrio et potestate erit, ac si idem filius vel frater terrarum Prussiae indigena esset. Cum autem dicti Praelati et Canonici, sic ut prefertur, unum ex iisdem quatuor nominatis elegerint, intimare debebunt nobis et Successoribus nostris novum Electum, et cum eo supplicare, ut illum nostris litteris Sedi Apostolicae et Sanctissimo domino commendemus, ut Electionem de eo factam cum gratia confirmare dignetur. Qua quidem confirmatione et provisione sequuta, idem Electus iuxta tenorem et inscriptionem cum superius nominato olim domino Nicolao Episcopo Warmiensi et eius Capitulo factam praestabit iuramentum nobis et Successoribus nostris, prout in eadem inscriptione latius continetur. Reliqua vero, quae in eisdem Articulis cum supradicto domino Nicolao Episcopo Warmiensi habitis continentur, salva et integra permanere debent in perpetuum et inviolabiliter observanda. Ea vero, quae his literis continentur, ipse dominus Fabianus Episcopus Warmiensis praedictus cum Capitulo Ecclesiae suae firmiter, illese et inconcusse tenere, exequi et inviolabiliter perpetuo observare debebit, et eius successores debebunt. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes literas scribi fecimus, et sigillo nostro communiri. Actum in Conventione Generali Piotrkoviensi die Martis septima mensis Decembris, alias in Vigilia Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, Regni vero nostri sexto, Praesentibus Rm̃o et Reverendis in Christo Patribus dominis Ioanne Archiepiscopo Gneznensi et Primate, Ioanne Cracoviensis, Ioanne Poznaniensis, Erasmo Plocensis, Fabiano Warmiensis, Mathia Premisliensis et Regni nostri Cancellario, Iacobo Camenecensis Ecclesiarum Episcopis, necnon Magnificis, Venerabilibus, Generosis et Nobilibus Nicolao de Caminiecz Cracoviensi et Campi ductore Regni nostri Generali, Nicolao de Lutbranz Poznaniensi et Capitaneo Lanciciensi, Ioanne de Turnow Sandomiriensi, Iaroslao de Lasko Siradiensi, Ioanne Iarandi de Brudzew Lanciciensi, Nicolao de Cretgkow Brestensi, Ioanne Odrowunsch de Sprowa Russiae terrarum Generali, Otha de Chodecz Podoliae, Nicolao Firlen de Dambrovicza Lublinensi, Georgio de Baysen Marienburgensi, Nicolao de Pilcza Belzensi, Andrea de Raclzieowicze Plocensi et Rawensi Capitaneo, Prandota de Zelasna Rawensi Palatinis; Luca de Gorka Poznaniensi et Capitaneo Maioris Poloniae Generali, Christophero de Schidlowiecz Sandomiriensi et Regni nostri Vicecancellario, necnon Siradiensi, Sochaczoviensi et Gostinensi Capitaneo, Stanislao de Ostrorog Calissiensi, Ianussio Latalski Gneznensi, Ioanne de Przeramb Siradiensi, Alberto de Gladzianow Lanciciensi, Nicolao de Schidlowiecz Radomiensi et Succamerario Cracoviensi Regnique nostri Incisore, Nicolao Iordan de Zacliczin Visliciensi, Nicolao de Oparow Brestensi, Hieronimo de Cobilany Rosperiensi, Andrea de Tanquin Biecensi et causarum Curiae nostrae Referendario, Georgio Zupski de Orchow Belzensi, Stanislao de Pothnicze Miedzierzecensi, Iaroslao Sobolonoski de Wrancza Landensi, Petro Gorski Naklensi, Ioanne de Bechotnicza Malogostensi, Stanislao de Sprowa Zarnoviensi, Martino Skothniczki de Bogoria Zavichostensi, Stanislao Kuropathna de Laczuchow Chelmensi Castellanis; Stanislao de Chodecz Marschalco et Capitaneo Leopoliensi, Andrea de Kosczilіecz Thesaurario Scepusiensique, Ossniaczіniensi, Sandecensi, Iuniwladislaviensi et Bidgostiensi Capitaneo, necnon Zuppario et Magno Procuratore generali Cracoviensi Regni nostri, Andrea de Clecz Custode, et Ioanne Sculteti sacrae Theologiae Professore ac Archidiacono Warmiensis, Ioanne Latalski

Gneznensis, Cracoviensis et Lanciciensis Praeposito, Petro Thomiczki Decretorum Doctore Archidiacono, Ioanne Czarnkowski Canonico Cracoviensis, Stanislao Goreczki Praeposito Kalissiensis Ecclesiarum, Secretariis nostris, Stanislao Iaroczki Marschalko Curiae nostrae, Raphaele de Leschno Capitaneo Czlochoviensi, Heinrico Hutfeldt Proconsule Thoroniensis, Ambrosio Storm Nuncio et Notario Gdanensis Civitatum nostrarum, Adam de Drzewicza Sandomiriensis, Stanislao Lessoczki Poznaniensis terrarum Succamerariis, Nicolao Oczieski Capitaneo Gostensi et Magistro Agasonum Curiae nostrae et aliis quam pluribus dignitariis, officialibus et Curiensibus nostris circa praemissa testibus fide dignis, sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus praefati Reverendi in Christo Patris domini Mathiae Episcopi Premisliensis et Regni nostri Cancellarii sincere nobis dilecti.

Mathias Dñus Epus et Cancellarius subscripsit.

** Liceat nobis heic adjicere praeclarum sane monumentum, nuperrime a nobis in scriniis Vaticanis detectum, quo comprobatur episcopos Warmienses jurisdictioni archiepiscoporum Rigensium a primis fere temporibus submissos, ab eisdemque inauguratos et consecratos fuisse.

Isarnus permissione divina sancte Rigensis ecclesie Archiepiscopus, Venerabili patri Ebbarardo Warmiensi episcopo, salutem et sinceram in domino caritatem. Grave gerimus et molestum, si veritate nititur, quod de confirmatione et consecratione de facto vobis impensis clamor validus nostris auribus inculcavit. Sane non solum viris providis et discretis nobis referentibus, verum etiam fama publica intelleximus referente, quod longe post provisionem et consecrationem nostram in Rigensem Archiepiscopum publice celebratas, quarum in nostra provincia nullus ignorantie locus erat, iuxta canonicas sanctiones Rigense Capitulum nulla a nobis commissione habita vel petita, nobisque prorsus ignorantibus electionem de vobis, ut dicitur, celebratam in Episcopum Warmiensem preter canonicam formam et iuris ordine non servato temere confirmare presumens, licenciam vobis nichilominus consecrandi ab aliis quam a nobis, et alibi quam in Rigensi ecclesia de facto, cum de iure non posset, dicitur concessisse, vosque occasione confirmationis et licencie huiusmodi administrationem Warmiensis ecclesie et consecrationem episcopalem de facto, cum de iure non possetis, ut dicitur, recipere presumpsistis contra canonica instituta. Verum quia in predictis umbra tantum fuit in opere et non veritas in effectu, nosque predicta non debeamus conniventibus oculis pertransire, nec alias equanimiter tollerare, vobis precipiendo mandamus, quatenus infra mensem a die, qua presentes receperitis litteras in mandatis, numerandum cum duobus Electoribus vestris, quantum in vobis est, sufficienter instructis in causis predictis a vestro capitulo cum sufficienti procuratorio destinandis, ac cum omnibus actis, iuribus et munimentis ac processibus dictas causas tangentibus apud Rigam compareatis personaliter coram nobis responsurus, processurus ac facturus in predictis et pertinentibus ad premissa, quod iusticia suadebit. Alioquin nunc ut extunc vobis administrationem temporalium et spiritualium interdicimus in hiis scriptis, ad penas alias ac in causis predictis nichilominus processuri, vestra absentia non obstante, prout fuerit rationis, mandantes insuper, ut diem, locum et horam, quibus primo presentes litteras receperitis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes per presentium portitorem, vel alium fidum nuncium infra terminum supradictum fideliter intimetis. Scituri preterea, quod relationi dicti presentium portitoris fidem circa predicta adhibebimus creditivam, cum sit noster iuratus nuncius in hac parte. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum apud Civitatem Tharbatensem sexto die mensis Martii, Anno domini millesimo ccciI. Reddite litteras portitori sigillo vestro in signum mandati recepti apposito in eisdem.

De Isarno Rigensi archipraesule vide Monum. Polon. Tom. I. fol. 112 et 113. Idem praesul hoc eodem anno, III. Idus Aprilis, a Bonifacio VIII. de sede Rigensi ad Lundensem translatus fuit. Bonifacii VIII. Regest. original. Anno VIII. epist. 177.

Polon. script. var. Vol. XII. fol. 440. et Instrum. Misc. Caps. CLXXVI.

CCCLXVIII.

Monasterio B. Mariae in Czerwen ord. S. Augustini Plocensis dioec. quaedam ecclesiae parrochiales uniuntur.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio votis illis gratum prestamus assensum, per que monasteriorum omnium et illis presidentium, ac in eis sub suavi religionis iugo degentium personarum statui et commoditati ac utilitati oportune valeat provideri. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni abbatis et conventus monasterii beate

Marie opidi Czerwenensis ordinis sancti Augustini canonicorum regularium Plocensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum nonnullis annis citra guerrarum turbines inter Carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie regem ex una, et Christi nominis hostes, Tartaros ac alios quam plures infideles, ex alia partibus viguerint et adhuc vigeant, et propterea sepissime contingat exercitum prefati regis seu nobiles et terrigenas regni Polonie ad bellum contra prefatos infideles proficiscentes per villas dicti monasterii, in quo viginti et ultra canonici existunt et esse consueverunt, transire et ibidem per plures dies stare, illiusque ac colonorum et habitatorum eiusdem bona de facto recipere, ipsosque abbatem et conventum diversas pecuniarum summas pro subventione exercitus dicti regis solvere et ad id contribuere, prefati abbas et conventus premissorum occasione et propter contributiones, quas ad bellum huiusmodi sepe faciunt, colonis predictis ad paupertatem deductis, proventus dicto monasterio ab eisdem colonis debitos ad aliquot annos diminuere coguntur, unde fructus, redditus et proventus dicti monasterii tenues et exiles facti existunt, ipsique abbas et conventus certam ecclesiam eiusdem monasterii membrum cum parte dicti opidi nuper penitus exustam, data eis possibilitate in tutiori et magis commodo loco non ex lignis tantum, ut prius erat, sed calce et lapidibus reedificare intendunt, verum si sancti Adalberti martiris in Noszyelsko et sanctorum Petri in Ponnichowo dicte Plocensis diocesis parrochiales ecclesie, quarum collatio seu provisio ac omnimoda dispositio, dum pro tempore vacant, ad eosdem abbatem et conventum de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine pertinent, eidem monasterio perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc profecto non solum monasterii et abbatis et conventus necessitatibus et commoditatibus plurimum consuleretur, sed ecclesia ipsa combusta facilius reedificaretur: quare pro parte abbatis et conventus predictorum asserentium fructus, redditus et proventus dictarum parrochialium ecclesiarum insimul centum octuaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem annuum valorem non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut parrochiales ecclesias predictas eidem monasterio perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, dictos abbatem et conventum ac conventus huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon fructuum, reddituum et proventuum dicti monasterii verum annuum valorem presentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, parrochiales ecclesias predictas cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem monasterio auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod si quovismodo et ex cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem modernorum illarum rectorum vel cuiusvis alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis etc. assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legittime devoluta, ipseque parrochiales ecclesie dispositioni apostolice specialiter vel ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, preterquam ratione illarum vacationis apud sedem eandem aut nostre vel alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret, familiaritatis, commensalitatis generaliter reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa exnunc, alioquin cedentibus vel decedentibus modernis ipsarum parrochialium ecclesiarum rectoribus, sive illas alias quomodolibet dimittentibus et illis, ut prefertur, vacantibus, liceat eisdem abbati et conventui per se vel alium seu alios corporalem parrochialium ecclesiarum, iuriumque et pertinentiarum predictarum possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus et proventus in suos ac monasterii necnon parrochialium ecclesiarum predictarum usus et utilitatem convertere, et eisdem parrochialibus ecclesiis per aliquos presbiteros, etiam ex canonicis dicti monasterii, ad eorundem moderni et pro tempore existentis abbatis et conventus nutum ponendos in divinis deservire, et animarum curam illarum parrochianorum exerceri facere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta ac pie memorie Bonifatii pape VIII. etiam predecessoris nostri et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque etc. Nulli ergo etc. nostre absolu-

tionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, suspensionis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo tertiodecimo, quartodecimo Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Bull. An. I. Lib. XII. fol. 55.

CCCLXIX.

Deputantur duo canonicatus et praebendae ecclesiae Gneznensis pro duobus doctoribus vel iurisperitis.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper pastoralis officii debito votis illis, per que ecclesiarum quarumlibet, presertim metropolitanarum insignium, decori et venustati, ac personarum ecclesiasticarum precipue litterarum scientia preditarum in illis deservientium, et iurisdictionem ecclesiasticam exercentium pro tempore commoditatibus consulatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iohannis de Lasko Archiepiscopi Gneznensis peticio continebat, licet in ecclesia Gneznensi certi canonicatus et prebenda pro uno lectore in iure canonico instituti seu fundati existant, tamen lector canonicatum et prebendam huiusmodi pro tempore obtinens circa lecturam in eodem iure tunc prepeditus iusticie consulere non potest, et propter defectum iurisperitorum cause in civitate Gneznensi occurrentes, et que ad curiam metropolitanam Gneznensem per appellationem a tota illius provincia devolvuntur, debite tractari non possunt. Verum si duo alii canonicatus et totidem prebende ipsius ecclesie, quos dilecti filii Sigismundus de Camynyecz et Andreas de Czyesle dicte ecclesie canonici respective obtinent, pro duobus aliis doctoribus vel aliis iurisperitis, qui in dicta civitate personaliter residerent et officiali Gneznensi pro tempore existenti assisterent, ac pauperibus consulerent, perpetuo deputarentur, et vacatione illorum occurrente eisdem duobus aliis doctoribus seu iurisperitis in eadem civitate residentibus etiam perpetuo ordinaria auctoritate conferrentur, statueretur et ordinaretur, ex hoc profecto cause inibi per consultationes eorundem doctorum seu iurisperitorum melius tractarentur et iusticia augeretur, idque ad civitatis et provincie predictarum laudabile regimen, necnon litium et discordiarum amputationem, et partium inibi causas prosequentium commoditatem cederet et utilitatem: Pro parte dicti Iohannis Archiepiscopi asserentis canonicatuum et prebendarum ultimo dictorum fructus, redditus et proventus insimul xx. marcharum auri secundum communem extimationem valorem annum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ultimo dictos canonicatus et prebendas pro duobus aliis doctoribus in civitate et iure huiusmodi, qui iuxta ordinationem dicti Iohannis et pro tempore archiepiscopi eidem officiali assistant ac pauperibus consulant, ut prefertur, deputare, statuere et ordinare, aliasque in premissis oportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui ecclesiarum omnium, presertim metropolitanarum insignium, decorem, in illisque iusticiam vigere et adaugeri peroptamus, prefatum Iohannem archiepiscopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ultimo dicti canonicatus et prebende pro duobus aliis doctoribus seu iurisperitis in civitate et iure huiusmodi, qui eidem officiali iuxta ordinationem, ut prefertur, assistant et pauperibus consulant, deputentur, ac cum illos per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem Sigismundi et Andree predictorum, aut alias quovismodo (et) quotiens deinceps vacare contigerit, duobus doctoribus seu iurisperitis huiusmodi per ipsum Iohannem, et pro tempore existentem Gneznensem archiepiscopum conferantur, et alias de illis etiam per sedem predictam facte collationes et provisiones nullius roboris vel momenti existant, quodque nullus ad ultimo dictos canonicatus et prebendas assumi, nec de illis alicui provideri possit, nisi in aliqua universitate studii generalis doctoratus in utroque vel altero iurium gradum iuxta illius ritus et mores susceperit, et alias iurisperitus extiterit, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, irritum quoque et inane, quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus et declaramus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, necnon quibusvis gratiis expectativis specialibus vel generalibus reservationibus ac nominationibus seu nominandi facultatibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus, ac de reservando, uniendo vel

conferendo mandatis seu alternativis aut aliis quibusvis etiam uberioribus et efficatioribus, citra tamen accessus et regressus, et de consensu coadiutorias indultis, gratiis et litteris quocunque nomine nuncupentur, sub quibusvis verborum formis et expressionibus, ac cum quibusvis etiam similium statutorum et ordinationum suspensionibus et derogationibus, decretis, declarationibus ac derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus et insolitis clausulis, etiam motu proprio et de potestatis plenitudine, ac cum decretis irritantibus, familiaribus nostris etiam antiquis et descriptis, aut aliis quibusvis personis cuiuscunque dignitatis ecclesiastice vel mundane ac status, gradus vel condicionis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali vel cardinalatus honore fulgentibus, aut capitulis vel mensis ecclesiarum, et quorumcunque etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum consideratione, intuitu vel respectu, necnon in recompensam laborum aut iurium cessorum vel ablatorum, seu etiam servitiorum nobis vel sedi predicte impensorum, eadem auctoritate apostolica vel alias hactenus etiam de ultimo dictis canonicatu et prebenda specifice et nominatim per nos vel predecessores nostros, seu sedem predictam forsan factis seu imposterum faciendis, quas et que etiam si ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, necnon nominibus ct cognominibus, nobilitatibus, titulis et denominationibus ac aliis qualitatibus cardinalium et personarum, quibus seu quorum intuitu pro tempore concessa fuerint, specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales id importantes, mentio habenda, ac bina vel trina intimacio eis facienda eorumque consensus adhibendus foret, in quantum effectum presentium preiudicare possent, hac vice dumtaxat suspendimus, et in ultimo dictis canonicatibus et prebendis effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, statuti, ordinationis, decreti et declarationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo tercio decimo, Kalendis Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. VI. fol. 183.

CCCLXX.

Uniuntur proventus canonicatus et praebendae ccclesiae Gneznensis mensae capitulari eiusdem ecclesiae pro sustentatione quorumdam clericorum, qui loco puerorum scholarium choro in ecclesia metropolitana assistant.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad exequendum pastoralis officii debitum paternis ac sollicitis studiis vigilantes, circa statum ecclesiarum quarumlibet, presertim metropolitanarum insignium, et personarum in eis divinis laudibus dedicatarum salubriter dirigendum libenter intendimus, et ut in eisdem ecclesiis divinus cultus augeatur, ac persone ipse divinis insistendo beneplacitis congrue in suis necessitatibus releventur, interponimus solicitudinis nostre partes. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Iohannis de Lasko archiepi Gneznensis, et dilectorum filiorum capituli ecclesie Gneznensis nobis nuper exhibita petitio continebat, pueri scolares pro tempore in civitate Gneznensi litteris operam dantes horas canonicas, et alia divina officia in ecclesia Gneznensi festivis et aliis diebus decantare consueverint. Et si canonicatus et prebenda ipsius ecclesie, quos dilectus filius Spicko Buszyeun ipsius ecclesie canonicus obtinet, mense capitulari eius ecclesie, ita quod capitulum prefati aliquos clericos, chorarios nuncupatos, in cantu instructos ad eorum nutum amovibiles, qui loco dictorum scolarium in eadem ecclesia horas et alia divina officia huiusmodi decantarent, et cum canonicis et beneficiatis ipsius ecclesie in divinis deservirent iuxta eiusdem Iohannis archiepiscopi providam ordinationem perpetuo deputare, et illis pro eorum sustentatione ex fructibus mense huiusmodi congruam portionem assignare tenerentur, perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc profecto dicti scolares litteris liberius insistere possent, et in dicta ecclesia divina officia quietius celebrarentur, idque in ipsius ecclesie decus et utilitatem cederet, pro parte Iohannis archiepiscopi et capituli predictorum asserentium in dicta ecclesia viginti canonicatus et totidem prebendas existere, ac fructus, redditus et proventus primo dictorum canonicatus et prebende octo marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut primodictos canonicatum et prebendam eidem mense capitulari perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentnr exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, Iohannem archiepiscopum ac ca-

pituli huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac mense capitularis huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, primodictos canonicatum et prebendam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mense capitulari auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedente vel decedente dicto Spictzkone de Buszium (sic), seu primo dictos canonicatum et prebendam alias quomodolibet dimittente, et illis quovismodo etiam apud sedem apostolicam vacantibus, liceat capitulo prefatis per se vel alium seu alios unitorum canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus in suos ac mense capitularis usus et utilitatem, necnon clericorum chorariorum huiusmodi sustentationem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per eosdem ac inde secuta quecunque, necnon quascunque gratias expectativas, speciales vel generales reservationes, aliasque uniones, annexiones et incorporationes, suppressiones etiam perpetuas, nominationes, ac uniendi, annectendi, supprimendi, nominandi et providendi facultates et mandata, deputationes, indulta, gratias et litteras, citra tamen accessus et regressus, et de consensu coadiutorias quibusvis personis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis aut preeminentie fuerint, eciam sancte Romane ecclesie cardinalibus ac familiaribus nostris antiquis, descriptis seu describendis, et ex quavis eciam grandi causa, consideratione, intuitu vel respectu, etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum ac prelatorum, et cum quibusvis antelationum prerogativis, suspensionibus et decretis etiam irritantibus ac aliis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis per nos et sedem predictam etiam in nullius favorem concessas et concedendas, ac concessa et concedenda imposterum, ac processus habitos et habendos per eosdem ac pro tempore inde secuta, quorum omnium vim et effectum quo ad hoc suspendimus et in unitis canonicatu et prebenda huiusmodi effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus, ac ad illos se extendi nolumus, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas canonicatus et prebende uniti huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, sed illorum congrue supportentur onera consueta, quodque unio, annexio et incorporatio predicte omnimodum ex nunc vere et non ficte sortiantur effectum quoad hoc, ut in quibuscunque revocationibus aut suspensionibus specialibus vel generalibus unionum, annexionum et incorporationum effectum non sortitarum, que infuturum per nos et sedem predictam fierent, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis ac aliis efficacissimis, etiam presentibus expresse derogantibus clausulis, utpote effectum iam sortite non includantur, et si contingat illas revocari vel suspendi, singulis diebus et momentis de novo concesse censeantur, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo tertio decimo, Kalendis Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. VI. fol. 226.

CCCLXXI.

Uniuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Cracoviensis mensae archiepiscopali Gnesuensi ad augendum numerum lectorum in studio generali Cracoviensi.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, cui disponente domino presidemus, exposcit, ut circa statum ecclesiarum presertim metropolitanarum quarumlibet, ac

personarum litterarum scientia preditarum sollicite intendamus, et illarum commoditatibus, quantum cum deo possumus, salubriter providere curemus. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis de Lasko Archiepiscopi Gnesnensis peticio continebat, in civitate Cracoviensi universitas studii generalis in facultatibus licitis et honestis viget, in eaque quamplurimi theologie et humanitatis studiis operam dare cupiunt, inibique doctores seu magistri, qui in eadem theologia certis temporibus legentes, non tamen continue publice legunt, deputati existant, et propterea idem Iohannes Archiepiscopus utilitati et necessitati scolarium universitatis huiusmodi nunc providere volens, unum lectorem in eadem theologia communiter et publice inibi legentem propriis sumptibus a certo tempore citra tenuit et tenet de presente. Verum si canonicatus et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos dilectus filius Martinus Potenciani Slup ipsius ecclesie canonicus obtinet, mense archiepiscopali Gnesnensi, ita quod ipse Iohannes aut pro tempore existens Gnesnensis Archiepiscopus duos lectores in dicta universitate, unum videlicet in theologia et alium in humanitate huiusmodi seu oratorie arte perpetuo tenere, et de illis pro eorum sustentatione congruam portionem ex fructibus mense huiusmodi assignare teneatur, perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc profecto quam plures eorundem lectorum doctrina et sciencia proficerent, idque ad dei laudem et militantis ecclesie viris litteratis indigentis conservationem, exaltationem quoque ac plurium christifidelium cederet utilitatem: Pro parte dicti Iohannis Archiepiscopi asserentis canonicatus et prebende predictorum fructus, redditus et proventus LXX. ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut canonicatum et prebendam predictos eidem mense archiepiscopali perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, ipsum Iohannem Archiepiscopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac dicte mense archiepiscopalis fructus, redditus et proventus presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, canonicatum et prebendam predictos cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, dummodo eiusdem Martini ad hoc expressus accedat assensus, eidem mense archiepiscopali auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedente vel decedente dicto Martino, seu canonicatum et prebendam predictos alias quomodolibet dimittente, aut illis quovismodo etiam apud sedem apostolicam vacantibus, liceat Iohanni et pro tempore existenti Gnesnensi Archiepō huiusmodi per se vel alium seu alios canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem propria auctoritate libere aprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus in suos ac mense archiepiscopalis usus et utilitatem ac duorum lectorum huiusmodi sustentationem convertere, stallumque in choro et vocem in capitulo ipsius ecclesie iuxta dignitatis archiepiscopalis exigenciam, nec non more aliorum canonicorum domos, prestimonia, villas, ortos, possessiones, relectiones ac quotidianas distributiones habere, consequi et percipere, diocesani loci et cuiusvis alterius licencia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde secuta quecunque, necnon quascunque gratias expectativas, speciales vel generales reservationes, aliasque uniones, annexiones et incorporationes, suppressiones etiam perpetuas, nominationes, ac uniendi, annectendi, incorporandi, supprimendi, nominandi, reservandi et providendi facultates et mandata, deputationes, indulta, gratias et litteras, citra tamen accessus et regressus, ac de consensu coadiutorias quibusvis personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis aut preeminentie fuerint, etiam sancte Romane ecclesie cardinalibus ac familiaribus nostris antiquis et descriptis seu describendis, et ex quavis etiam grandi

causa, consideratione, intuitu vel respectu etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum ac prelatorum, et omnium quibusvis antelationum prerogativis, suspensionibus et decretis etiam irritabilibus ac aliis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis per nos et sedem predictam etiam in nullius favorem concessa et imposterum concedenda, ac processus habitos et habendos per easdem ac pro tempore inde secuta, quorum omnium vim et effectum quo ad hoc suspendimus et in canonicatum et prebendam huiusmodi effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus ac ad illos se extendere nolumus, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quoruncunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas canonicatus et prebende huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, sed illorum congrue supportentur onera consueta. Quodque unio, annexio et incorporatio predicte omnimodum ex nunc vere et non ficte sorciantur effectum quoad hoc, ut in quibuscunque revocationibus aut suspensionibus specialibus vel generalibus unionum, annexionum et incorporationum effectum non sortitarum, que in futurum per nos et sedem predictam fierent, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis et aliis efficacissimis etiam presentibus expresse derogantibus clausulis, utpote effectum iam sortite non includantur, et si contingat illas revocari vel suspendi, singulis diebus et momentis de novo concesse censeantur, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo tertio decimo, v. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. VI. fol. 187.

CCCLXXII.

Pontifex quaedam statuta ecclesiastica ab archiepiscopo Gnesnensi in synodo provinciali facta confirmat.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi ex debito officii teneamur circa indempnitatem et decorem cunctarum orbis ecclesiarum providere ac illa statuere, per que ecclesie ipse viris doctrina preditis illustrentur, animarumque cura non negligatur, ac divinus cultus augeatur, et que ad bene vivendum provide facta noscuntur, confirmare et approbare: In ecclesiis vero regni Polonie ad id eo fortius astringi videmur, quo ecclesie dicti regni tamquam acies solide cum scismaticis, hereticis et perfidis Turcis et aliis catholice fidei hostibus continuo pugnare noscuntur. Sane cum venerabilis frater Iohannes de Lasko archiepiscopus Gneznensis, vir preclarus et primas dicti regni, per carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie regem illustrem pro obedientia prestanda ad nos et sanctam synodum Lateranensem orator destinatus, tam dicti Regis quam suo et aliorum prelatorum dicti regni nominibus nobis exposuerit, nonnulla in ecclesiis dicti regni statuenda et ordinanda fore, que non solum ad propagationem virorum doctrina preditorum, sed etiam ad divini cultus augmentum et animarum curam ac normam bene vivendi cum magna ipsarum ecclesiarum tam in spiritualibus quam in temporalibus conservatione tendere dignoscuntur: Quare prefatus Iohannes archiepiscopus dictis nominibus nobis humiliter supplicavit, ut dicti regni ecclesiarum necessitatibus et decori in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui in premissis non solum partes officii nostri libenter impertimur, sed illa summis desideramus affectibus exequi et adimplere exoptamus, predictis necessitatibus satisfacere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in qualibet collegiata ecclesia Gneznensis diocesis duo canonicatus et due prebende, quos ipse aut pro tempore existens archiepiscopus Gneznensis etiam exnunc duxerit ad id designandos, dum vacabunt, tam etiam hac prima vice quam perpetuo nisi duobus peritis viris conferri possint, unus videlicet canonicatus et una prebenda perito in iure, alter vero canonicatus et altera prebenda perito in theologia, et qui saltem in aliqua universitate insigni per quinque annos studuerint, de quo patentes litteras dicte universitatis vel diversarum, ubi in diversis studuerint, exhibere, quique etiam publice legere et alios instruere teneantur iuxta ordinationem per eundem archiepiscopum faciendam, quodque archidiaconi omnes quarumcunque ecclesiarum Gneznensis, Cracoviensis, Wladislaviensis, Poznaniensis ac Plocensis ecclesiarum et diocesum, quibus cura animarum

seu forte iurisdictionalis imminet, non nisi per electionem ipsius archiepiscopi et episcoporum ac suorum capitulorum respective unusquisque ad suos archidiaconatus predictos, dum pro tempore vacabunt, assumi valeant, et ad eos doctores aut licenciati in iure aut theologia tantum eligi et assumi possint, qui similiter in aliqua universitate ad doctoratus seu licentie gradus promoti fuerint, atque in absentia obtinentium dictos archidiaconatus et canonicatus et prebendas, quando ultra medium annum eos abesse contigerit, seu sicut ipse archiepiscopus in sinodo generali absentie eorum tempus et terminum designaverit, fructus illius anni et aliorum, ubi similiter non resederint, minime percipere valeant, sed illi in utilitatem residentium convertantur, necnon quod unus alius canonicatus et una alia prebenda ecclesie Gneznensis, quos idem archiepiscopus ad id similiter designaverit, non nisi vicario aut officiali Gneznensi conferri possint, et de illis provideri valeat, auctoritate apostolica perpetuo statuimus et ordinamus, et insuper unam prebendam ecclesie Gneznensis predicte etiam similiter per eundem archiepiscopum eligendam, necnon rectoriam parrochialis ecclesie plebanie nuncupate in Zueva eiusdem Gneznensis diocesis, cum primum vacaverint, ex nunc eisdem auctoritate et tenore supprimimus et extinguimus, liceatque extunc suffraganeo ecclesie Gneznensis illorum fructus, etiam quotidianas distributiones eidem suffraganeo ratione eiusdem residentie debendas, propria auctoritate prout alii canonici et prelati illius ecclesie residentes seu presentes ex statuto et consuetudine eiusdem ecclesie Gneznensis percipere consueverunt, percipere et levare, ac iuxta ordinationem per eundem archiepiscopum fiendam in capitulo dicte ecclesie Gneznensis, necnon in ecclesia Gneznensi etiam circa divina et in omnibus aliis locis et actibus etiam capitularibus una cum capitulo dicte ecclesie Gneznensis interesse, ac etiam vocem habere ac dicte ecclesie parrochiali per vicarium ad nutum dicti suffraganei amovibilem deservire: quodque archidiaconatus ac canonicatus et prebende predicti vigore gratiarum expectativarum (non) acceptari, nec de illis alicui quavis auctoritate provideri possit, ac etiam quod de fructibus et proventibus canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum et officiorum collegiatarum ecclesiarum totius regni et dominiorum predictorum eorum, qui non resident in huiusmodi beneficiis, seu in divinis non deservierint, aut in futurum non residebunt seu non deservient, etiam si ex indulto apostolico aut alias quovismodo ex consuetudine aut statuto de iure non tenerentur, possit libere in sinodo provinciali certam partem proventuum beneficiorum illorum designare, illamque in utilitatem servientium ecclesie aut residentium, prout ei melius videbitur, erogare, et ut ad quedam beneficia, que non nisi lectoribus, doctoribus, magistris seu baccalariis scole Cracoviensis per universitatem eandem Cracoviensem concedi consueverunt, idoneiores assumantur, quod de cetero concessiones seu quevis alie dispositiones, etiam auctoritate apostolica, dictorum beneficiorum non valeant, nisi ad id saltem medietatis doctorum et aliorum legentium dicte scole expressus accedat assensus, necnon ut importuni motus et ambiciosi exquirentium fictas lites reprimantur, quod derogationes illarum de annuali possessione ac alterius, quod nulla commissio cause valeat nisi litteris expeditis, in quibusvis gratiis seu commissione causarum beneficiorum predictorum dicti regni et dominiorum, etiam in gratiis, si neutri, si nulli, si alteri vel perinde valere, etiam motu et scientia ac potestate similibus, ac derogationes iuris patronatus laicorum quovismodo vacantium, etiam apud sedem apostolicam, preterquam per obitum nullo modo valeant, nec de cetero alicui suffragentur etiam statuimus et ordinamus, et ut nonnulla statuta et ordinationes dicti Regni et ecclesiarum etiam cathedralium et metropolitanarum eius eo firmius persistant, quo fuerint nostro munimine confirmata, statutum seu consuetudinem ecclesiarum predictarum, quibus cavetur, quod illi, qui recipiuntur in canonicos seu ad aliquam dignitatem, vel ad aliud quodvis beneficium in aliqua ecclesiarum predictarum, solvere teneantur iocundum ingressum commutandum in utilitatem et honorem dictarum ecclesiarum respective, ac aliud provinciale statutum, quo cavetur, quod notarii investiturarum de beneficiis ecclesiasticis non possint pro eorum mercede recipere ultra duos florenos auri Hungaricales, quod incipit: Licet sacris canonibus; et aliud quod incipit: Cum ex eo etiam provincialia; in quibus circa imperitiam notariorum et diversorum, qui pro notariis se gerunt et non sunt, de signis et protocollis eorum et de ponendo eos in matricula, et de eorum examine antea quam officia exerceant, et multis aliis licitis et honestis providetur, necnon de pontificalibus et aliis sacris exercendis iuxta ritum Romane ecclesie, necnon quecunque alia statuta provincialia nuncupata ac facta in provinciali et primaciali sinodo Gneznensi, dummodo alias legittima et honesta sint, necnon quia idem venerabilis frater noster Iohannes Episcopus (sic) Gneznensis considerans, quod tam sede vacante ecclesie Gneznensis quam non vacante negligentia prelatorum, qui sepe bona et possessiones dicte ecclesie visitare non

curant, multa sepe occupantur et dissipantur, volens oportune providere, quoddam officium iconomi seu visitatoris rerum et bonorum dicte ecclesie Gneznensis, erexit ac desuper quasdam ordinationes, statuta et applicationes utiles et proficuas dicte ecclesie fecit et ordinavit, tam omnia et singula premissa statuta, consuetudines et ordinationes, quam etiam erectionem dicti iconomi cum suis ordinationibus et applicationibus, ut premittitur, factis, tenore presentium confirmamus et approbamus, illaque perpetuo inviolabiliter observari volumus, supplentes omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui intervenissent in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis, consuetudinibus, privilegiis et indultis regni et dominiorum dicti regis et ecclesiarum predictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus seu alia quavis speciali forma specialis mentio habenda foret, decernentes statutis, ordinationibus, voluntati et confirmationi nostris premissis et eorum singulis derogari non posse nec derogatum censeri, ac quotiens forsan in aliquo derogari vel contra premissa seu aliquod premissorum indulgeri per nos aut sedem predictam contingeret, totiens eo ipso premissa omnia et singula iterum statuta et ordinata ac decreta censeantur, necnon quicquid secus a quoquam quavis auctoritate contra premissa seu aliquod premissorum contigerit attemptari, irritum fore et inane decernimus. Nulli ergo etc. nostri statuti, ordinationis, suppressionis, extinctionis, confirmationis, approbationis, suppletionis et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Sancte Severe Portuensis diocesis anno incarnationis millesimo quingentesimo terciodecimo, decimo octavo Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. VI. fol. 215.

CCCLXXIII.

Petro episcopo Lacedemoniensi monasterium S. Adalberti Plocensis dioec. in commendam conceditur.

Leo episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanum decet pontificem illa libenter concedere, per que personarum quarumlibet, presertim pontificali dignitate preditarum, pro earum sustentatione decentiori commoditatibus valeat salubriter provideri. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sancti Adalberti ordinis sancti Benedicti Plocensis diocesis, quod de iure patronatus Charissimi in Christo filii nostri Sigismundi moderni et pro tempore existentis Polonie regis existit, certo modo vacaverit et vacet ad presens; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Petri electi Lacedemoniensis petitio continebat, si dictum monasterium, quod alias, ut prefertur, vacans eidem Petro electo tunc in minoribus constituto, per eum quoad viveret tenendum, regendum et gubernandum, sub data videlicet tertio Kalendas Septembris pontificatus nostri anno primo, commendari concessimus, mense episcopali Lacedemoniensi, que in partibus infidelium existit, et cui hodie, quamdiu dictus Petrus electus ecclesie Lacedemoniensis, cui nuper tunc certo modo vacanti de persona dicti Petri electi auctoritate apostolica providimus, ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, preesset, dumtaxat parrochialem ecclesiam sancte Anne Cracoviensis, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Petrus electus asserebat, non excedebant, et quam dictus Petrus electus tempore provisionis et prefectionis huiusmodi etiam obtinebat, prout obtinet, uniri, annecti et incorporari concessimus, quamdiu idem Petrus electus dicte ecclesie Lacedemoniensi prefuerit, dumtaxat uniretur, ex hoc profecto commoditatibus et utilitati ipsius Petri electi non parum consuleretur, ipseque statum suum iuxta pontificalis exigentiam dignitatis decentius tenere ac onera sibi incumbentia facilius perferre valeret: pro parte eiusdem Petri electi asserentis fructus, redditus et proventus dicti monasterii centum ducatorum auri de Camera secundum extimationem predictam valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum monasterium eidem mense, quamdiu idem Petrus electus dicte ecclesie Lacedemoniensi prefuerit, ut prefertur, unire, annectere et incorporare aliasque in premissis oportone providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, prefatum Petrum electum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que idem Petrus electus ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum et commendam seu alias obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcun-

que et qualiacunque sint, eorumque ac dicte mense fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi concessionum et dispensationum tenores, necnon verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum monasterium quovismodo et ex cuiuscunque persona vacet, etiam si eius provisio ex quavis causa ad sedem apostostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium eidem monasterio de abbate provisum, aut illud alteri canonice commendatum non existat, et prefati regis ad hoc expressus accedat assensus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mense, quamdiu idem Petrus electus dicte ecclesie Lacedemoniensi prefuerit, dumtaxat auctoritate apostolica tenore presentium unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat eidem Petro electo per se vel alium seu alios regiminis et administrationis ac bonorum monasterii, iuriumque et pertinentiarum predictorum corporalem possessionem vel quasi propria auctoritate libere apprehendere, et quamdiu dicte ecclesie Lacedemoniensi prefuerit, ut prefertur, retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in suos ac monasterii et ecclesie Lacedemoniensis huiusmodi usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quoruncunque tenore existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas in dicto monasterio divinus cultus, ac solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed eius congrue supportentur onera consueta, quodque cedente vel decedente dicto Petro electo, seu dicte ecclesie Lacedemoniensi preesse se desinente, unio, annexio et incorporatio predicte dissolute sint et esse censeantur, dictumque monasterium in pristinum statum revertatur eo ipso, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXIII. Tertio Nonas Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bullar. Lib. XI. fol. 236.

CCCLXXIV.

Providetur quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Andree Ceziezki Decano ecclesie Lancitiensis Gneznensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi decanatum huius ecclesie. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXIII. XIV. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Cristoforo de Luchten preposito ecclesie Warmiensis, magistro in artibus, salutem etc. Confert ipsi preposituram dicte ecclesie, vacantem per resignationem Iohannis Conarsky. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXIII. IV. Non. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio magistro Iacobo Simoneta Capellano nostro et causarum palatii apostolici auditori, salutem etc. Curet ut Nicolao Lubiski clerico Gneznensi archidiaconatum Pomeranie in ecclesia Wladislaviensi vacantem per obitum Iohannis de Dambiowa conferatur. Datum Civitatisvetule Viterbiensis diocesis. Anno MDXIII. IV. Id. Novembris. Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Voschi presbytero Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi, qui de familia et armis Stanislai de Ostrog per Polonie regem pro obedientia prestanda et nonnullis arduis negotiis ad sanctam sedem oratoris destinati existit, unum Cracoviensis et alium Lancitiensis ecclesiarum canonicatum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum etc. Anno Incarnationis dom. MDXIII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Martino Ramebysky Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi, qui Iohannis Archiepiscopi Gneznensis, a rege Polonie una cum Stanislao de Ostrog ad sedem apostolicam pro prestanda obedientia Oratoris missi, nepos ac eiusdem regis scriba existit, unum Cracoviensis et alium Plocensis ecclesiarum canonicatum. Datum ut supra.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Mathie de Glonamia rectori parrochialis ecclesie in Conary Poznan. diocesis, salutem etc. Committitur ipsi etiam parrochialis ecclesia in Paczanow eiusdem diocesis regenda. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxiii. xiv. Kal. Aprilis. Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Alberto Pakoslavysky Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxiii. xiv. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Christoforo van Suchten clerico Wladislaviensi, salutem etc. Confert ipsi parrochialem ecclesiam SS. Laurentii et Elizabeth Wladislaviensis diocesis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxiii. vi. Id. Septembris. Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Bernardo Wapowsky Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, vacantem per obitum Stanislai Selyk. Datum Rome etc. Anno etc. mdxiii. xv. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Myelzynsky Canonico Plocensi, salutem etc. Confert ipsi in dicta ecclesia canonicatum cum prebenda, vacantem per obitum extra Curiam Michaelis episcopi Margaritensis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxiii. Prid. Id. Aprilis. Anno Primo.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Myckynsky Canonico Wladislaviensi, salutem etc. Constituit eum Notarium S. Sedis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxiii. v. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. divers. Tom. I. VII. VIII. IX. XVI. XXVIII. XXIX. XXXII. XXXIV. LXXXX. fol. 735, 240, 188, 78 et 308, 204, 263, 74, 36, 22, 6.

CCCLXXV.

Pontifex Erasmo episcopo Plocensi ob gratulatorias de sui evectione ad pontificatum gratum sese exhibet.

Venerabili fratri Erasmo Episcopo Plocensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Quae scripsit ad nos fraternitas tua gratulans nobis de suprema hac dignitate, ad quam Dei optimi maximi clementia et benignitate provecti fuimus, ea libenter legimus. Quamquam enim non ignorabamus, te longe antea, dum minorem honoris gradum gereremus, et nostri perquam studiosum, et S. Sedis huius observantissimum semper fuisse, tamen illud idem etiam ex litteris tuis abunde cognovisse, gratum admodum nobis fuit. Quod autem de nobis apud Regem istum serenissimum praedicare non cessas, officium huiusmodi tanquam probi et grati hominis et plane nobis chari non possumus in Domino non commendare. Quae preterea per dilectos filios suffraganeum et Vicarium Diocesis exponi nobis fecisti, ea eorumque petitiones libenter audivimus, quemadmodum ipsorum litteris ad te perlatum iri non dubitamus. Sed quo animo, quave in fraternitatem tuam voluntate simus, si occasio se aliquando nobis obtulerit tui vel ornandi, vel augendi, vel utcunque rebus tuis consulendi, longe melius id cumulatiusque ostendemus. Datum Romae etc. die i. Maii. mdxiiii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. ep. 99. fol. 203.

CCCLXXVI.

Universis christifidelibus ecclesiam Tarbatensem certo die visitantibus, vel pro aliarum ecclesiarum eiusdem dioecesis reparatione et defensione adversus Ruthenos opem ferentibus iubilaeus conceditur.

Venerabili fratri Cristiano (alias Tristano) Episcopo Tarbatensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Ex parte tua per dilectum filium nostrum Laurentium tituli SS. Quatuor Coronatorum sanctae Romanae ecclesiae presbyterum Cardinalem nuper, postquam te ad relationem ipsius Cardinalis in Episcopum et pastorem ecclesiae Tarbatensis de fratrum nostrorum consilio prefeceramus, nobis expositum fuit, quod alias paucis elapsis annis barbaricus Ruthenorum et aliorum infidelium populus Tarbatensem diocesim, cui sunt vicini, hostili manu ingressi fuerunt, illamque, Deo permittente, ferro et igne vastarunt, ac magnam Christianorum eandem diocesim tunc defendentium partem interfecerunt, et quam plurimos captivos abduxerunt, ecclesias et villas ipsius diocesis concremarunt, armis et aliis ad apparatum bellicum ac pro defensione dictae diocesis necessariis spoliarunt: unde valde timendum est (quod Deus avertat) tempore procedente, quod eadem diocesis et illius incolae, nisi cum novis armis et equis, aliisque ad defensionem necessariis tibi et eidem

diocesi tuae cito succurratur, deveniant in potestatem et sub imperio dictorum Ruthenorum. Nos itaque cupientes paterne ea tibi concedere, per quae Christifideles ad opem et auxilium tam necessariae rei, ac pro dictae diocesis defensione tibi praestanda eo facilius poterunt induci, de omnipotentis Dei misericordia universis et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui primae missae in dicta ecclesia per te in pontificalibus celebrandae, seu benedictioni tue populo ibidem post eandem missam solemniter elargiendae intervenerint, vel eadem die a primis vesperis usque ad secundas vesperas usque ad occasum solis eiusdem diei dictam ecclesiam devote visitaverint, seu pro aliarum ecclesiarum dictae diocesis per incursiones infidelium huiusmodi desolatarum et solo equatarum reparatione, necnon armorum et aliorum apparatuum bellicorum tibi et eidem tuae diocesi pro eius defensione quomodolibet necessariorum emptione, ipsiusque diocesis tuae devastatae restauratione, seu alias ad eisdem Ruthenis resistendum, et te tuamque diocesim praedictam defendendum, et eius necessitatibus succurrendum, etiam absentes, per quascunque vias et media manus eorum porrexerint adiutrices, verum iubileum ac plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam misericorditer in domino concedimus et elargimur. Et ut prefati Christifideles huiusmodi indulgentiam promereri valeant, et tanto promptiores ad prestanda auxilia sese exhibeant, tibi quoscunque confessores saeculares, et cuiusvis ordinis regulares presbyteros ad hoc idoneos deputandi, qui Christifidelium utriusque sexus confessione audita, illos etiam in casibus quantumcunque enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis (exceptis contentis in bulla Caenae Dñi) absolvere possint et valeant durante dicta die, plenam et liberam facultatem et potestatem dicta auctoritate concedimus et impartimur. Volumusque et eadem auctoritate decernimus, quod huiusmodi indulgentia prodesse et valere valeat etiam pro personis utriusque sexus, quae morbo aut senio aut alio perpetuo vel temporali impedimento, aut claustrali religione, vel alias ita et taliter fuerint impeditae, quod ad dictam ecclesiam dicto die personaliter nequeant pervenire, seu quae eorum pias eleemosinas, etiam in quocunque genere metalli ad reparationem armorum, machinarum et aliorum bellicorum apparatuum necessariorum pro tuitione diocesis praedictae adversus dictos Ruthenos duxerint erogandas, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis similium indulgentiarum revocationibus seu limitationibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac Cruciatae pro tempore concessarum, editis vel edendis, per quas effectum presentium impediri minime posse decernimus, caeterisque contrariis quibuscunque, Praesentibus post primam vicem celebritatis huiusmodi minime valituris. Datum Romae etc. die x. Maii MDXIV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXX. ep. 428. pag. 830.

CCCLXXVII.

Nicolao Volski militi Posnaniensis dioecesis usufructus quarumdam villarum ad mensam archiepiscopalem Gnesnensem pertinentium confirmatur.

Leo episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ad ea, que personarum quarumlibet commodum et utilitatem respiciunt, ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio intendimus, et hiis que propterea provide facta fuisse dicuntur, ut firma persistant et illibata, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Nicolai Volsky laici Poznaniensis diocesis, militis sepulchri dominici Ierosolomitani et sancte Catherine in Montesinay nuncupate, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias Venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Gneznensis, tunc ad nos et sedem apostolicam per carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie regem illustrem orator destinatus, provide attendens magna et fida undecim annorum vel circa spatio sibi, etiam in rebus arduis ecclesie Gneznensis honorem et dignitatem ac illius iurium tutelam concernentibus, per dictum Nicolaum prestita obsequia, et que in dies etiam ipsum Iohannem Archiepiscopum in Romana Curia sequendo prestare non desinit, ac propterea cupiens suam et dicte ecclesie gratitudinem erga dictum Nicolaum, prout ipsius Iohannis Archiepiscopi predecessores Archiepiscopi Gneznenses id pluries erga similes servitores fecerant, liberaliter commendare non sine dicte ecclesie futura utilitate, consideratione quoque dilecti filii nobilis viri Iuliani de Medicis nostri secundum carnem fratris germani, qui apud eundem Iohannem Archiepiscopum super hoc precibus institit, unam de Ostrow et aliam de Conari ac aliam de Pezeloth, nec non reliquam de Podgorzycza possessiones seu villas in ducatu Mazovie et territorii Cyrnensis Poznaniensis vel alterius diocesis locis quidem a prefata ecclesia longo

satis itinere distantibus sitas, et propter distantiam huiusmodi multis circumvicinorum incursionibus dispendiisque subiectas, ex quibus ad dictum Iohannem Archiepiscopum eiusque mensam archiepiscopalem quinquaginta ducatorum auri de camera annuatim secundum communem extimationem provenire consueverint, eidem Nicolao per eum quoad vixerit tenendas, possidendas et usufructuandas cum omnibus et singulis earum possessionibus, advocatis, scultetis, tabernatoribus, ortulanis, inquilinis, colonis, piscatoribus, servis et quibuslibet incolis, agris, pratis, campis, prediis, ortis, ortulanis, granareis, orreis, domibus, edificiis, allodiis, aceruis, frumentis, seminibus, segetibus, bladis, pascuis, hortis, nemoribus, silvis, gaiis et cuiuslibet generis arboratis, rubetis, venationibus, aucupiis, mellificiis et melle ex eis proveniente, fluviis, fluminibus, rivis, rivulis, torrentibus, paludibus, stagnis, lacubus, aquis, piscationibus, piscaturis, piscibus, obstaculis aquarum, decursibus et exundationibus earum, molendinis aquaticiis, ventilibus et equinis ac earum emolumentis, censibus, laboribus, serviciis, honoribus, oneribus, dationibus, stationibus, erectionibus et quibuslibet utilitatibus, usibus et fructibus nunc et in futurum in eisdem villis existentibus eidem Nicolao, quoad viveret, etiam cum facultate conditiones novas et meliores in villis et possessionibus predictis pro sua utilitate et commoditate [meliores] faciendi, ac quecunque per industriam humanam in eisdem villis et earum terris, agris, aquis, pascuis, piscationibus inveniri et denuo erigi potuerint, et cum eo quod ville predicte post dicti Nicolai obitum cum omnibus predictis et quibusvis aliis iuribus et pertinentiis ipsius Nicolai opera et industria quesitis et productis in totum, vel in certum tunc expressum eventum pro duabus tertiis partibus, reliqua tertia parte ad liberam eiusdem Nicolai dispositionem remanente, ad dictam mensam pleno iure reverterentur et devolverentur, illiusque propterea imperpetuum essent et esse censeantur, ac cum diversis aliis pactis et conditionibus tunc expressis prefati Iohannis Archiepiscopi et successorum eius honorem, et mense predicte indemnitatem concernentibus, dummodo ad hoc beneplacitum et auctoritas sedis apostolice, ac dilectorum filiorum capituli dicte ecclesie consensus accederent, ex sua certa scientia, gratia, largitione concessit, prout in quodam publico instrumento dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Nicolai asserentis se castellanum Schocha Czowiensem existere, ac tunc et dictum Iohannem Archiepiscopum adhuc in dicta Curia residere, seque ob eius absentiam a civitate Gneznensi et eiusdem civitatis ab Urbe distantiam non mediocrem absque magno eius incommodo consensum dicti capituli obtinere non sperare, nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni huiusmodi pro illius subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur prefatum Nicolaum a quibusvis excommunicationis, suspensionis etc. censentes, ac villarum seu possessionum huiusmodi denominationem, situationem, confines, qualitates ac verum annuum valorem presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem predictam ac prout illam concernunt, omnia et singula in dicto instrumento contenta auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, illamque, etiamsi dictorum capituli ad hoc non accederet consensus, firmitatis robur obtinere et per dictum Iohannem et successores suos Archiepiscopos Gneznenses, qui pro tempore fuerint, ac eosdem capitulum, quamdiu idem Nicolaus in humanis egerit, inviolabiliter observari debere decernimus, supplemusque omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint (in) eisdem. Quocirca Venerabili fratri nostro Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis custodi ac scolastico ecclesie Plocensis mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eidem Nicolao in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant, auctoritate nostra concessionem predictam ac omnia et singula in dicto instrumento contenta inviolabiliter observari, ac eundem Nicolaum vel procuratorem suum eius nomine possessione dictarum villarum pacifice gaudere, sibique de illarum fructibus per eos, ad quos spectat, integre responderi, non permittentes eundem Nicolaum vel procuratorem predictum super illis per Iohannem et successores suos Archiepiscopos Gneznenses pro tempore existentes ac capitulum prefatos, seu quoscunque alios contra presentium tenorem quomodolibet indebite molestari aut perturbari, Contradictores etc. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus Constitutionibus etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, confirmationis, approbationis, decreti, suppletionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quingentesimo quartodecimo, decimoseptimo Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. Tom. VI. fol. 222.

CCCLXXVIII.

Episcopo Tarbatensi, ut cum viginti personis in quarto affinitatis gradu dispensare et statuta edere possit.

Venerabili fratri Tristano Episcopo Tarbatensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Sedis Apost. indefessa clementia circumquaque pervigil, ea potissimum circumponere non desinit, per quae animarum periculis obvietur, ac paci et tranquillitati Christifidelium consulatur, iuris rigorem temporum et ipsorum Christifidelium qualitatibus pensatis moderando, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Exponi nobis nuper fecisti, quod civitas et diocesis tua Tarbatensis in longinquis mundi partibus ac finibus infidelium consistit, et tam parrochiales ecclesiae diocesis tuae praedictae, quam habitationes, loca et terrae inibi consistentes, ab eisdem infidelibus et inimicis destructa, diruta et combusta fuerunt, et magis in dies destrui et dirui formidantur, adeo quod tam Christifideles propter paupertatem, quam etiam propter longinquam distantiam, qua partes ille a nostra Curia distant, multoties in gradibus prohibitis matrimonia contrahunt, ac ecclesiasticae personae regulares et saeculares, ecclesiasticae disciplinae laxatis habenis, inordinate et contra honestatem vivunt, in grave animarum eorum periculum, divinae Maiestatis offensam, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro parte tua, qui more solliciti pastoris gregem tibi commissum vigiliis et studiis sollicitis custodire et prospicere laboras, ne propter ignorantiam et paupertatem fidelium, ac longinquam terrarum distantiam huiusmodi, necnon ecclesiasticarum personarum negligentiam animae ovium tibi commissarum pereant, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus tibi cum aliquibus Christifidelibus in gradu prohibito matrimonialiter coniunctis, vel coniungendis super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis dispensandi, et ecclesias tibi commissas civitatis et diocesis huiusmodi, illarumque rectores, personas et beneficia ad meliorem vitam et modum vivendi honestum reducendi, statutaque et constitutiones, etiam synodales tam maioris, quam aliarum ecclesiarum civitatis et diocesis huiusmodi, quibus personae ipsae gubernentur, in melius corrigendi et limitandi, ac alia de novo edendi, illaque et personas predicta in eorum moribus, et alia quae necessaria videris, tam in capite quam in membris reformandi licentiam concedere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes tam laudabile propositum huiusmodi zelo charitatis erga gregem tibi commissum foveri, laudabile desiderium tuum plurimum in domino commendantes, tibi cum viginti coniugibus sive personis, viro et uxore pro uno computatis, in civitate vel diocesi tuis huiusmodi subditis, volentibus matrimonium ex aliquibus rationabilibus causis invicem contrahere, in quarto seu uno eorum quarto, altero vero tertio a communi stipite consanguinitatis vel affinitatis gradibus coniunctis, vel se attinentibus, quod impedimento consanguinitatis vel affinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium inter se contrahere, et in eis postmodum, etiamsi iam vel in futurum ignoranter contraxerint, ut in eorum matrimoniis remanere, seu illa de novo contrahere, libere et licite possint et valeant, dispensandi, dummodo mulieres ipsae propter hoc ab aliquibus raptae non fuerint, prolem ex matrimoniis ipsis susceptam et suscipiendam legitimam decernendo, eosque qui propter contractum matrimonium huiusmodi excommunicationis sententiam incurrerint, a sententia, incestus reatu et excessibus huiusmodi absolvendi, nec non statuta, synodales constitutiones tam maioris, quam aliarum ecclesiarum civitatis et diocesis huiusmodi in his, quae videris, de consensu Capituli tui corrigendi, emendandi, supplendi et limitandi, ac alia de novo edendi, illaque et ecclesias et illarum personas huiusmodi tam in capitibus quam in membris reformandi, prout temporum et personarum qualitatibus pensatis, id videbis in Dño salubriter expedire, aliaque ad id necessaria et opportuna faciendi, et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratiae licentiam concedimus, et etiam facultatem, Non obstantibus premissis ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod dupla [sint] transumpta dispensationum per te vigore presentium super matrimoniis faciendarum sub sigillo tuo in forma authentica ad officium Poenitentiariae nostrae, in ea pro utilitate partium perpetuo conservanda, quantocitius transmittere cures, et numerum viginti copularum minime excedas. Quod si secus egeris, quod absit, nullius roboris vel momenti fore et esse decernimus. Datum Romae etc. die xxix. Maii Millesimo quingentesimo quarto decimo. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXX. pag. 404.

CCCLXXIX.

Eidem, ut in quoddam monasterium a senatu Tarbatensi erectum moniales tertii ordinis sancti Francisci introducat.

Venerabili fratri . . . Episcopo Tarpatensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Dum ad uberes fructus, quos exemplaris vita personarum sub suavi religionis iugo viventium in ecclesia Dei producit, nostrae considerationis dirigimus intuitum, digne ducimur, ut ad ea favorabiliter intendamus, per quae religio quaelibet ad Dei laudem et animarum salutem per nostrae provisionis auxilium valeat ubilibet propagari. Exponi siquidem nobis nuper dilecti filii Senatus et Consules civitatis Tarbatensis fecerunt, quod ipsi dudum in praedicta civitate Tarbatensi quandam domum cum ecclesia, campana et campanili ac aliis aedificiis necessariis pro inhabitatione religiosarum virginum, ac mulierum altissimo ibidem in vitae castimonia servire volentium, ad Dei honorem et animarum suarum salutem erexerant. Quare cum Senatus et Consules praedicti ad sorores tertii ordinis beati Francisci in congregatione, et sub tribus votis substantialibus viventes singularem gerant devotionis affectum, pro parte eorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis ad dictam domum aliquas sorores dicti tertii ordinis introducendi, quae ibidem de caetero iuxta regularia instituta dicti tertii ordinis in obedientia, castitate et paupertate vivere debeant, licentiam concedere, ac obedientiae, visitationi et correctioni fratrum Minorum de observantia provinciae Saxoniae et custodiae Livoniae perpetuo subiicere, atque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis propagationem, divini cultus augmentum et animarum salutem nostris presertim temporibus sinceris desideramus affectibus, et ea, per quae salubri statui feminei sexus consulitur, libenter annuimus, pium eorumdem Senatus et Consulum desiderium, ad quod etiam, ut dicitur, tuus accedit consensus, plurimum in domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus, si ita est, aliquas sorores dicti tertii ordinis, sub dictis tribus votis substantialibus viventes, ad eandem domum, sine alterius tamen praeiudicio, introducas, et pro hac vice eis unam ex ipsis in Ministram seu Matrem praeficias, eisdemque, (ut) de cetero vacante Ministrae aut Matris officio sive alias iuxta regularia instituta dicti tertii ordinis, et laudabilem consuetudinem sororum sub huiusmodi tribus votis in congregatione viventium ad electionem Ministrae vel Matris procedere, ac sub obedientia, visitatione ac correctione fratrum Minorum de observantia predictorum perpetuis futuris temporibus vivere et manere debeant, auctoritate nostra mandes et decernas. Nos enim, si introductionem huiusmodi feceris, ut prefertur, eidem domui et Ministrae Matri et sororibus, quae eam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, indultis, exemptionibus et concessionibus in spiritualibus et temporalibus dicto tertio ordini, et illius domibus, Ministris Matribus et sororibus per sedem apostolicam in genere vel in specie concessis seu quomodolibet concedendis uti, potiri et gaudere possint et valeant, ac etiam nulla persona, cuiuscunque sexus fuerit, ad interiores officinas dictae domus seu monasterii, praeterquam in casibus in iure permissis, et hoc nonnisi de licencia Visitatoris sororum predictarum, ingredi presumat, sub pena excommunicationis latae sententiae, a qua non possit nisi ab Ordinario, preterquam in mortis articulo, absolvi, concedimus, statuimus et inhibemus, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus dicti ordinis caeterisque (contrariis non obstantibus). Dat. Romae etc. die xvi. Iunii mdxiv. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXX. ep. 289. pag. 562.

CCCLXXX.

Sigismundo Poloniae regi de reservatione iuris patronatus et praesentandi personam ordinario loci ad custodiam ecclesiae Plocensis.

Leo episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri, salutem etc. Dum ad illam fidei plenitudinem eximieque virtutis et devotionis affectum, quibus more clarissimorum Regum Polonie per Christiane fidei devotionem in nostro et totius orbis conspectu clarere dinosceris, diligenter attendimus, inducimur non indigne, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que personis tibi bene meritis et condignis valeat provideri. Hinc est, quod nos volentes te favore prosequi gratioso, tibi et successoribus tuis Regibus Polonie, qui pro tempore fuerint, ius patronatus et presentandi personam ordinario loci ad Custodiam ecclesie Plocensis, que inibi dignitas non tamen maior post pontificalem existit, et ad quam consuevit quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum, dum illam deinceps perpetuis futuris temporibus per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimis-

sionem tam dilecti filii Nicolay de Barthinky moderni, quam eius successorum dicte Ecclesie Custodum, qui pro tempore fuerint, etiam apud sedem apostolicam aut in mensibus Ordinariis Collatoribus per Constitutiones nostras, litteras alternativas aut alia privilegia et indulta vel alias quovismodo concessis et imposterum concedendis vacare, etiam si ex quavis causa specialiter dispositioni apostolice reservari, et super ea inter aliquos litem, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, indecisam pendere contigerit, auctoritate apostolica tenore presentiam perpetuo concedimus et elargimur, quodque iuri patronatus huiusmodi non nisi de tuo et pro tempore existentis Regis Polonie expresso consensu derogari possit, auctoritate et tenore premissis statuimus et ordinamus, decernentes irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac quibusvis gratiis expectativis, specialibus vel generalibus reservationibus, Cancellarie apostolice regulis, unionibus, annexionibus, incorporationibus, nominationibus ac nominandi et nominatis et aliis conferendi, uniendi, annectendi, incorporandi mandatis, facultatibus necnon coadiutoriis, nostro tamen de consensu ac regressibus, accessibus et quibuslibet aliis gratiis, concessionibus et litteris, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine quavis consideratione, intuitu vel respectu, etiam regum, reginarum, ducum, principum et prelatorum ecclesiasticorum, iurium cessorum vel ablatorum, etiam ratione obsequiorum et servitiorum nobis et Romane ecclesie ac sedi prefate, etiam pro fide catholica impensorum quibusvis personis, etiam sancte Romane ecclesie Cardinalibus per nos et sedem eandem hactenus concessis et imposterum concedendis, quas et que omnia et singula, in quantum presentium effectum impedirent, suspendimus ac suspensas et suspensa fore, presentesque litteras sub quibusvis revocationibus seu suspensionibus similium vel dissimilium gratiarum, que a nobis et sede predicta pro tempore emanabunt, nullatenus comprehensas fore, nec comprehendi debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre concessionis, elargitionis, [statuti,] ordinationis, statuti et suspensionis infringere. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXIV. sexto Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Bull. Lib. XXVI. fol. 75.

CCCLXXXI.

Quibusdam clericis beneficia ecclesiastica conferuntur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sculteto Decano ecclesie Warmiensis, salutem etc. Habilitat ipsum, qui litterarum apostolicarum scriptor, Accolitus, Capellanus, Cubicularius et continuus Pontificis commensalis existit, ut quecunque beneficia, dignitates, personatus, prebendas in Cathedralibus et Collegiatis regni Polonie ecclesiis acceptare possit. Datum Rome etc. Anno etc. MDXIV. III. Kal. Octobris. Anno II.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Derslao Benedicti de Gostkowo clerico Plocensi, salutem etc. Concedit ipsi, ut Paulo Gulislai de Liesky Canonico Plocensi, in senio constituto, coadiutor esse possit in canonicatu suo, fundato in decimis super Sirarabo, Pczethbocz, Conradzycz et Zawyscha. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXIV. VII. Id. Martii. Anno II.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Olestri Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi ecclesiam parrochialem ville Szwanzcehow eiusdem diocesis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXIV. XVIII. Kal. Ianuarii. Anno II.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Bartoldo de Elsen Scolastico ecclesie Tarbatensis, salutem etc. Confert ipsi dictam Scolastriam vacantem per obitum Iohannis de Loen. Datum Rome etc. Anno MDXIV. Prid. Id. Maii. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XXVIII. fol. 152., Tom. XXX. fol. 120. et Tom. XLIV. fol. 184 et 292.

CCCLXXXII.

Pontifex Poloniae regem ad bellum in Selinum Turcarum imperatorem, opportunitate data, inferendum concitat, ut Graecia, Thracia aliaeque provinciae recuperentur.

Carissimo in Christo filio . . . . Regi Polonie Illustri.

Leo PP. X. Carissime etc. salutem etc. Quotidie ad nos constantiori fama et certioribus nunciis affertur, Selinum Regem Turcarum in hoc congressu, quem cum Ismaele Sophi Persarum Rege

habuit, magno prelio superatum, multo maximam ac validissimam exercitus sui partem amisisse, spoliatumque viris et equis, tormentis etiam et omni apparatu bellico, quo prius abundabat, usque adeo fractum animo esse, debilitatum viribus, ut constare videatur, si modo divinam oportunitatem agnoscere, et sicut christiana virtute ac relligione dignum est, agere atque adniti volucrimus, facilem fore Grecie ac Thracie earumque provinciarum, que in Europa ab immani illo hoste Dei erepte fuerant, recuperationem. Quod nos admirabili Dei providentia, et erga nos misericordia ita factum fuisse non dubitamus: nisi enim Domini dextera pro nobis intercessisset, res erat christiana in extremum iam deducta discrimen. Hostis enim imminebat non solum suis copiis prepotens, sed discordiis nostris etiam ferocior, acer contra remissos, paratus in imparatos, qui quocunque se immitteret, nulla resistendi spes, nulla erant parata subsidia, quibus salutem nostram sustentare possemus, cum oblitus aliquantisper peccatorum nostrorum, et recordatus multitudinis misericordie nominis sui exurrexit deus, et dissipati sunt inimici eius, et sicut deficit fumus, defecerunt. Primum enim ille in Selinum Turcam arma contra nos moventem in alternis belli cupiditatem impulit, deinde Persarum viribus ita perfregit et contudit, ut iam non solum nobis non terribilis, sed ultro contemnendus esse videatur. Sed nos hac occasione divinitus, ut cernimus, patefacta, superiora nostra consilia pacis inter Christianos principes constituende, ac eorum demum coniunctis viribus huius sanctissimi belli suscipiendi, in quibus multum ac diu laboravimus, quamquam partem eorum ad exitum deduxerimus, reliquum vero Salvatoris nostri opitulante gratia sperare posse videamur: tamen tardiora esse iudicamus, quam huic tante oportunitati et communi saluti expediat. Maxime enim celeritatem putamus adhibendam esse, antequam hostis vires resumat, qui quando est quam ante effectus debilior, tantum est nobis de cura et studio longi apparatus remittendum, ac celeritas magis incitanda, dum suspensis omnium animis, ac multis rebellandi occasionem spectantibus, nichil impeditum aut difficile obviam futurum nobis videtur. Itaque nos hac re diu multumque intra nos agitata et consulta, quemadmodum et nostra perpetua in Dei fidem sanctissimam et christianam relligionem voluntas nobis usque a pueris innata et insita, et communis omnium fidelium patris ac pastoris persona officiumque requirit, ita decrevimus et deliberavimus non deesse, nec ipsi Deo nos palam vocanti, nec dignitati nostre, nec communi saluti, quantumque nostre et huius sancte sedis tam celestes quam terrene opes efficere possunt, omne id in hoc unum preclarissimum opus impendere et erogare: utinam personam quoque nostram aptam huic bello et opportunam intelligeremus, nulli quidem parceremus nec periculo, nec labori! Sed consultius factum videtur esse, preficere huic expeditioni ducem virtute prestantem, auctoritate magnum. Diu autem querendum nobis non fuit, quoniam Maiestas tua esset, in quam spes nostre omnes huius clarissimi operis perficiendi incumberent: nam et virtus tua, et scientia rei militaris animusque in Dei fide propugnanda egregius et constans nobis plane notus est, multo quidem maxime ex factis, sed etiam ex hiis, quas ad nos quandoque misisti, litteris, quibus pietatem erga deum tuam nobis declarasti. Accedit locorum et regionum vicinitas, que sicut efficiebat, ut te propter propinquitatem stante adversario in maiore regni tui periculo versare, ita prestare nunc potest, eo deiecto, ut ad muniendum te in posterum cautior sis, et ad rationem inferendi belli meliorem habeas commoditatem. Quapropter accito ad nos dilecto filio nostro A. tituli sancti Sixti presbitero Cardinali, cuius erga tuam Maiestatem studium observantiamque perspeximus, atque Venerabili fratre Iohanne Archiepiscopo Gneznensi, oratore apud nos tuo, aperimus illis penitus animum consiliumque nostrum, que nostra esset voluntas, cuiusmodi deliberatio, quam amplum et honorificum de tue Maiestatis virtute et magnanimitate iudicium, eisque mandavimus, ut tibi omnia plane perscriberent: quos etsi scimus functos esse officio perdiligenter, tamen videntur quoque alique partes nostre te admonendi. Nos, Carissime fili noster, nisi summam tuam amplitudinem omni paterno amore et studio expeteremus, nunquam in te uno potissimum collocavissemus non solum spes nostras, sed etiam copias et rationes constituende salutis communis, sed profecto et benevolentia flagramus, et iudicio tue virtutis non fallimur, in quam quidem te gloriam vocemus, vides, quam autem facilem et paratam tibi proponamus rerum maximarum et pulcherrimarum occasionem, cum hostium ipsorum clades ac debilitas, tum communis fama declarat, omnia enim in Grecia presidiis nudata, animis perturbata sunt, et partim terrore accepte cladis, partim novarum rerum cupiditate suspensa, ut ostentatis tantummodo armis, putetur reliquum bellum per se ipsum quasi confectum iri: ita vero subsidia tibi pollicemur, que non solum ex facultatibus nostris, sed etiam supra facultates huic tanto negocio oportuna statuentur. Hanc nostram voluntatem ut certius et celerius scire posses, hunc tabellarium nostrum data opera ad

te misimus, qui tibi nostras litteras redderet, et tuas nobis referret. Nunc si huic tante glorie et deliberationi nostre consenseris, non consentire autem pro tua virtute et pietate erga Deum qui potes? erit prudentie tue reliquum considerare, quantum efficere possis, et quid tibi per finitimos tuos moliri et sperare liceat, atque in primis curare, ut hec nostra cogitatio et communicatio tanti consilii quam maxime occulta sit, omnibusque de rebus nos primo quoque tempore certiores facies, ut ceteris rebus omissis omnibus, huic nostre cure animum studiumque dedamus. Illud iterum monebimus, rem istam requirere in consulendo taciturnitatem, in agendo summam celeritatem. Deum supplices precamur, ut nobis huius sancte cogitationis eum exitum tribuat, quem optamus, ut cum totius christiane reipublice salute, et dignitate amori quoque erga te nostro et cupiditati augende tue amplitudinis satisfacere possimus. Datum Rome etc. xxv. Martii MDXV. Pont. nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XXVIII. fol. 195.

CCCLXXXIII.

Regi Poloniae, ut recepto a clero gratuito dono XLM. florenor. pro bello continuando eundem ab aliis praestationibus eximere velit.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem votis personarum sibi et sedi apostolice devotarum, presertim regali et archiepiscopali dignitate fungentium, et per que dissentiones et iurgia tolluntur, libenter annuere, et hiis, que propterea provide facta fore prospexerit, apostolici adiicere muniminis firmitatem, ac illa statuere, que circa premissa conspexerit fore oportuna. Sane pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis illustris, ac venerabilis fratris nostri Iohannis de Lasko Archiepiscopi et Primatis Gneznensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet alias loca et terre regni Polonie tam ob bellorum discrimina, quam mortalitatis ac alia impedimenta antea excoli non potuerant, tamen postea, multiplicatis in dicto regno deo benedicente hominibus, per arborum supputacionem et radicum extirpationem ac evulsionem ad culturam redacta, et nove ville in illis locate et constructe fuerunt. Cumque a multis verteretur in dubium, ad quem decime earundem villarum vel locorum et terrarum, an videlicet ad locorum ordinarios, an vero ad parrochialium ecclesiarum dictorum locorum rectores pertinere deberent, et inde lites et controversie inter bone memorie Iohannem Archiepiscopum Gneznensem, et quondam Arnoldum ceterosque canonicos ecclesie sancti Floriani suburbii Cracoviensis super huiusmodi decimis novarum villarum, ac novalium in Biecensi et Smigradensi territoriis consistentium coram bone memorie Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi, et clare memorie Kazimiro Polonie Rege, dum in humanis agerent, et eiusdem regni baronibus suborte fuissent, Iohannes tunc Episcopus Cracoviensis ad lites huiusmodi sopiendas quoddam instrumentum dubiorum et litium huiusmodi decisorium a bone memorie Ianussio Archiepiscopo Gneznensi iam a ducentis annis lapsis emanatum in medium produxit, continens, quod cum inter clare memorie Wladislaum Polonie Regem, dum in humanis ageret, clericorum et ecclesiarum, quarum ipse Wladislaus Rex et milites dicti regni patroni existebant, ex una, ac bo. me. Iohannem Episcopum Cracoviensem ecclesie sue Cracoviensis nominibus super decimis novalium, quas videlicet Wladislaus Rex et milites ad ecclesias, quarum patroni existebant, ut prefertur, Iohannes vero Episcopus prefati ad mensam suam episcopalem Cracoviensem respective de iure spectare asserebant, controversia fuisset suscitata: ac tandem Iohannes Archiepiscopus et Wladislaus Rex prefati litium anfractus et discordias predictas per viam amicabilis concordie terminare decernentes, prefatus Iohannes Archiepiscopus et quibus quoad huiusmodi dissentionum et litium decisionem idem Wladislaus Rex vices suas commiserat, et quondam nobiles viri Nanogius castellanus, Spicimirus palatinus Cracoviensis et Petrus Castellanus Sandko iudex Sandomiriensis, et Petrus decanus ecclesie Poznaniensis cancellarius Polonie et Sulko alias Swonk pincerna Sandomiriensis decretorum doctores, attendentes consuetudinem moribus utentium approbatam ac iuri communi satis consonam dissentionem predictam determinarunt, quod ubicunque silve vel merice aut pars earum ab agris progrediens antiquis simul vel successive extirparentur, agrorum novalium huiusmodi decimam rector parrochialis ecclesie vel clericus ratione beneficii perciperet, ut prius, ac eo modo, quo agrorum antiquorum decimam percipiebat, ubi vero intra gades et limites ville antique in silva et merica, seu in agro aut prato intra silvam vel mericam villa locaretur de novo radice, sive nuncuparetur ut villa prior et vicina sive non, novalium huiusmodi decime ad Epi diocesani mensam pertinerent. Si vero villa antiqua more polonico locata de uno inculto loco ad alium cultum et arabilem locum transferretur, et eius incole antiquos agros colentes aliquid progressive ex-

tirpareut, is decimam perciperet, ad quem antea antiquorum agrorum decime perceptio spectasset. Quo quidem instrumento Regi et baronibus lecto et vulgariter sermone polonico exposito, iidem Kazimirus Rex et barones omnia et singula in illo contenta rata et grata habentes laudaverunt et approbaverunt, ac dilectos filios capellanum Spicimirium et Iohannem prepositum ecclesie Gneznensis ac Ottonem cancellarium Polonie ad videndas et distinguendas novas villas ab antiquis in territoriis predictis destinarunt, prout in dicto instrumento dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorundem Sigismundi Regis et Iohannis Archiepiscopi prefati, qui ad nos per eundem Regem orator destinatus existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut decreto et decisioni predictis ac desuper confecto instrumento robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem et concordiam precipue inter ecclesiasticas personas perpetuo vigere summis desideriis exoptamus, dicti instrumenti tenorem presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum, decisionem et concordiam huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, supplemusque omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: et nichilominus, quod ubicunque in regno Polonie et locis ibi vicinis ac tota provincia Gneznensi silve vel merice aut earum pars ab antiquis agris progrediens simul vel successive in futurum extirpabuntur, agros antiquos contingentes, agrorum novalium huiusmodi decime rector parrochialis ecclesie vel clericus, aut canonicus vel alius quecunque ratione beneficii per eum obtenti in villa vel territorio novalia huiusmodi evenerint, percipiat, ut prius ac sicut antiquorum agrorum decimam percipiebat, ubi vero intra gades et limites ville antique in silva aut merica, sive in agro aut prato intra silvam vel mericam villa locabitur seu construetur de novo, aut nuncupabitur ville vicine nomine sive non, dictarum villarum decime novalium huiusmodi ad Archiepiscopi, Episcopi diocesani, in cuius diocesi nova villa ipsa consistet, mensam spectet et pertineat. Si autem villa antiqua modo polonico locata de inculto loco ad alium locum cultum et arabilem transferatur, et eius incole antiquos agros colentes aliquid progressive extirpent, is decimam percipiat, ad quem antiquorum agrorum decime perceptio spectabat, auctoritate et tenore premissis statuimus et decernimus. Sicque per quoscunque iudices ac causarum palacii apostolici auditores iudicari et interpretari debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi aut interpretandi facultate, ac irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernimus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli etc. nostre approbationis, confirmationis, supplecionis, statuti et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo quintodecimo, tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VI. fol. 211.

CCCLXXXIV.

Christifidelibus capellam S. Ioannis Bapt. in ecclesia S. Mariae in Circulo Cracoviae sitam visitantibus, eique manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.

Leo episcopus etc. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. De salute gregis dominici cure nostre divina dispositione commissi, prout ex debito pastoralis officii astringimur, sollicite cogitantes, fideles singulos gregis eiusdem ad pia et meritoria opera exercenda quibusdam spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus libenter invitamus, ut per eorundem operum exercitium eternam salutem ab omnibus desideratam valeant facilius promereri. Cupientes igitur, ut capella sancti Iohannis olim sancti Spiritus, nunc vero sancti Iohannis Baptiste sita in parrochiali ecclesia sancte Marie in Circulo Cracoviensi, ad quam, sicut accepimus, dilectus filius Iohannes Boner civis ipsius capelle vivens patronus, et carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis illustris depositarius et secretarius, necnon venerabilis fratris nostri Iohannis de Lasko archiepiscopi Gneznensis pro eodem Sigismundo rege ad nos et sedem apostolicam oratoris destinati familiaris, singularem gerit devotionis affectum, a christifidelihus congruis frequentetur honoribus, ac in suis structuris et edificiis debite reparetur, construatur et manutcneatur, ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad dictam capellam confluant, et inibi pro premissis manus promptius adiutrices porrigant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, dei omnipotentis misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus

christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui capellam predictam in conceptionis et nativitatis, visitationis et assumptionis beate Marie Virginis, necnon sancti Ioannis Baptiste et sancti Iohannis evangeliste festivitatibus devote visitaverint annuatim, et ad reparationem, conservationem et manutentionem predictas manus adiutrices porrexerint, pro singulis festivitatibus predictis, quibus id fecerint, viginti annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Volumus autem, quod si alias dictam capellam visitantibus et ad premissa manus adiutrices porrigentibus, aut inibi pias elemosinas erogantibus, vel alias aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo quintodecimo, tertio Kalendas Aprilis. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VI. fol. 221.

CCCLXXXV.

Quaedam decimae ab archiepiscopo Gnesnensi ecclesiae in Lasko concessae et alia confirmantur.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum pontificem votis personarum sibi devotarum quarumlibet, presertim archiepiscopali dignitate fulgentium, per que divinus cultus et personarum ipsarum animarum salus procurantur, libenter annuere, et hiis, que propterea provide facta fore conspexerit, apostolici adiicere muniminis firmitatem, ac nonnulla alia concedere, prout rerum et temporum qualitate pensata conspicit in domino salubriter expedire. Sane venerabilis frater noster Iohannes de Lasko Archiepiscopus Gneznensis nuper nobis exposuit, quod cum ipse ad parochialem ecclesiam in Laszko Gneznensis diocesis, que de ipsius ac familie et progenitorum suorum iure patronatus existit, maximum gerat, prout semper gessit, devotionis effectum, illamque tam circa divinum cultum, quam etiam in structuris et ministris ac aliis piis operibus augere summopere intendat, ac propterea ut divinus cultus in dicta ecclesia augeatur, nonnulla beneficia ecclesiastica mansionarias nuncupata in eadem ecclesia ordinaria auctoritate erigi, et ex parte dotis illorum per bone memorie Alexandrum Polonie Regem, dum in humanis ageret, ius patronatus altaris unius, quod Nakycluycza dicitur, siti in ecclesia oppidi Sgyecz dicte diocesis, ad dictum et alios reges Polonie pro tempore spectantis donari et concedi, ac dictum altare cum omnibus iuribus et pertinenciis suis et eisdem mansionariis dicte ecclesie per ordinarium applicari procuravit: quod quidem altare de consensu carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie Regis illustris postmodum eciam cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis prepositure ecclesie Lanciciensis, consentientibus preposito et mansionariis dicte ecclesie in Lasko, ordinaria auctoritate unitum extitit. Ipsis autem preposito et mansionariis ecclesie in Lasko huiusmodi tanquam in vim contentationis et recompense pro dicto altari certas decimas manipulares nuncupatas de fundo prepositure Lancitiensis, videlicet in villis Dobrun, Sulawkovicza et Ianowicze, idem Iohannes archiepiscopus tunc in minoribus constitutus ordinaria auctoritate, ac etiam de consensu dicti Sigismundi Regis, cuius etiam ius patronatus prepositure Lancitiensis existit, applicari procuravit. Et quia decime huiusmodi pro dote prepositi et mansionariorum dicte ecclesie in Lasko non sufficiebant, cum in archiepiscopatu Gneznensi promotus fuisset, ac postquam nonnullas decimas notabiles mense sue Gneznensis magnum valorem constituentes, in districtu Langoviezensi consistentes per antecessores suos venditas et alienatas redemit, castra, piscinas et molendina ac bona alia dicte mense archiepiscopalis magna in parte nonnulla collapsa, nonnulla vetustate seu negligentia predecessorum annichilata restauravit, et in eis augmenta fieri procuravit impensis propriis et non modico sumptu, quo dictus Iohannes archiepiscopus pro augmento dicte ecclesie in Lasko ac contentatione suorum consanguineorum, quibus non modicum tenebatur, commodius facere potuisset, ac fiducia et equitate ductus, decimas parvi valoris, videlicet marcharum decem communium, de dicta mensa archiepali, videlicet in Vylkowia et in Wyessyola ex universis agris seu agrorum laneis, et in Lopathky unius lanei ac in Orpylow trium laneorum preposito et mansionariis in supplementum dotationis eorum ecclesie predicte in Lasko perpetuo etiam ordinaria auctoritate, et de consensu capituli sui concessit et donavit, et quia ecclesia in Lasko ex antiqua fundatione decimas manipulares in oppido et predio Laskao et Lasskawotya, in Lopathky, in Pelessyny maiori et minori, in Ocpylow tam agris quam prediis, et in Orpeslow, ac que predia aliquando per cancellarios ecclesie Gneznensis adempta, sed tandem restituta sunt in Rehow, habere consuevit, easdemque antique fundationis decimis etiam de consensu

capituli dicte ecclesie Gneznensis annexuit, ascripsit et incorporavit, prout in quibusdam litteris patentibus desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, bona et redditus decimarum huiusmodi pro futura sustentatione dictorum mansionariorum sufficere non videantur, dubitetque dictus Iohannes archiepiscopus, ne tempore procedente divinum servicium in dicta ecclesia propterea non inveniatur, cupiatque de consensu dicti capituli nonnullas decimas ultra predictas dicte sue mense, ad valorem marcharum polonialium communium quartuordecim annis singulis, eidem ecclesie de Lasko et illius mansionariis donare: pro parte eiusdem Iohannis Archiepiscopi, qui dictam mensam in reparandis illius bonis ac nova hospitalitate et erectione(?) magno sumptu piscinis et molendinis auxit et restauravit, ut prefertur, ac ad maiorem, deo favente, condicionem deducere intendit, nobis fuit humiliter supplicavit, ut premissa omnia confirmare et approbare, sibique, eidem preposito et mansionariis ecclesie in Lasko alias ultimo dictas decimas quartuordecim marcharum de mensa sua archiepiscopali de consensu dicti sui capituli licentiam dandi concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum nostris potissime temporibus sinceris exoptamus affectibus, eundem Iohannem Archiepiscopum, qui per prefatum Sigismundum Regem ad nos sanctamque sedem apostolicam pro obediencia prestanda orator destinatus existit, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tenores singularum litterarum super premissis omnibus tam per reges, quam per Iohannem et alios Archiepiscopos Gneznenses desuper confectarum pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem dictorum mansionariorum ac concessionem dicti iuris patronatus, et altaris applicationem permutationemque factam cum prepositura Lanciciensi, et decimarum mense archiepiscopalis Gneznensis separationem et concessionem, ut prefertur, factas, ac litteras desuper in premissis expeditas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac eidem Iohanni Archiepiscopo decimas predictas quatuordecim marcharum a sua mensa archiepiscopali separandi, illasque eisdem preposito et mansionariis pro eorum dotis augmento perpetuo donandi, de consensu tamen sui capituli, auctoritate et tenore premissis licentiam concedimus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie Gneznensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice Millesimo quingentesimo quintodecimo, III. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. fol. 194.

CCCLXXXVI.

Sigismundus rex Poloniae commendat pontifici electum coadiutorem ecclesiae Cameracensis.

(Sanctissimo in Christo Patri et dño dño Leoni X. divina providentia Sacrosancte ac Universalis Ecclesie Pontifici, dño meo Clementissimo). Post oscula pedum Sanctitatis vestre Beatorum, et mei humilem ac devotam commendacionem. Sanctissime Pater et domine domine mihi clementissime. Inter eam curarum molem, quas vel regnandi racio, vel hostium, quibus regnum meum est undique obrutum et expositum, sevicia, vel rotantis fortune varietas mihi assidue suggerit, hec cum primis animo meo insidet, ut quos fide, industria, prudentia, rerumque gerendarum usu ac pertractacione claros conspicuosque esse nosco, eosdem meis, quatenus facultas suppetit, officiis auctiores ornatioresque reddere contendam. Ubi vero nulla alia ratio per memet illos demerendi se offert occasio, apud reliquos quoque, quibus cum charitatis ac benevolencie iure me devinctum esse sencio, pro eorundem dignitate ac incremento intercedere nihil omnino reformido, arbitratus et pulchrum et gloriosum Principi esse de eruditis ac insignibus viris omni studio omnique conatu quam optime mereri. Tanta vero est vestre Sanctitatis erga me clemencia ac pietas, ut non dubitem in aliorum quoque nedum in meis propriis rebus ac negociis vestre Sanctitati supplicare. Quamquam hec res, pro qua eidem in presenciarum supplicare decrevi, nequaquam a me aliena esse videatur. Nam cum ob eam coniunctionem et necessitudinem, que mihi cum Maiestate Cesarea fratre meo charissimo est, tum ob merita ac virtutes eius, qui commendatur, perinde huic ipsi rei bene consultum esse cupio, ac si de aliquo peculiari ne-

gocio meo ageretur. Intellexi, Beatissime Pater, agi nunc apud Sanctitatem vestram de Rev. dño domino Iacobo de Bonissis Secretario Cesaree Maiestatis in Coadiutorem Ecclesie Cameracensis assumendo atque instituendo. Quare cum mihi et virtutes ipsius domini Iacobi doctrinaque non vulgaris sint exploratissima, et obsequia quoque, que idem summa cum integritate ac fide ipsi Maiestati Cesaree exhibet, non ignota, supplico et ego Sanctitati vestre, dignetur mea etiam causa virtutum eius racionem habere, et me una cum Cesarea Maiestate in hoc eius presenti negocio clementer exaudire. In quo a Sanctitate vestra perinde me beneficio affectum existimabo, ac si Sanctitas vestra, quod in ipsum dominum Iacobum dignitatis et ornamenti contulerit, in aliquem meorum conferret. Deus optimus maximus Sanctitatem vestram semper conservet felicissimam et incolumem, Cui me et regnum ac subditos meos humillime commendo. Datum Posonii die vigesima mensis Maii anno domini Millesimo quingentesimo quinto decimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius
Sigismundus Rex Polonie mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCLXXXVII.

Idem rex pontifici Bernardinum de Comitibus Papiensem commendat.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater et domine dñe clementissime. Venerabilis Bernardinus de Comitibus Papiensis, iuris utriusque doctor et prothonotarius apostolicus, qui cum Revmo dño Cardinali Strigoniense, vestre Sanctitatis et sedis apostolice legato, huc venerat, ut in obeundis legacionis muneribus eum iuvaret, istuc redire constituit, qui profecto, uti ex multis regnorum meorum subditis accepi, in hoc officio tanta humanitate erga eos, qui agendarum rerum suarum gratia ad dominum legatum veniebant, usus est, ut apud omnes summam sibi benivolenciam hoc genere humanitatis conciliaverit. Ego vero hac hominis commendacione invitatus nolui sibi quoque deesse, quin eum ob hanc eius commendabilem virtutem vestre Sanctitati litteris meis commendem, et quam honorifice, quamque caste et integre in hisdem actionibus se gesserit, testimonium perhibeamus, non ignarus vestram Sanctitatem hos potissimum gracia prosequi solere, quos aliquibus virtutibus prestare cognoscat. Commendo igitur eum vestre Sanctitati, et oro dignetur et virtutum eius et mee commendacionis talem habere racionem, ut vel ad aliquod officium vel dignitatem eum evehendo liberalitatem suam apostolicam sibi impartiri non dubitet, qua adiutus eiusdem vestre Sanctitatis obsequiis, ut cupit, ydoneus efficiatur. Commendo me vestre Sanctitatis gracie, ad cuius pedum oscula beatorum me pronum offero, Eiusque voluntati me totum dedo et trado. Datum Posonii ultima die Maii anno salutis humane Millesimo quingentesimo quinto decimo. Regni mei anno nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
Sigismundus Rex Polonie.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCLXXXVIII.

Idem orat pontificem, ut iuvenem Frangipanem a suo ordinem S. Francisci ingrediendi proposito revocare velit.

(Sanctissimo in Christo Patri et dño dño Leoni X. divina providentia Sacrosancte et Universalis ecclesie Pontifici, dño meo Clementissimo). Post oscula pedum Sanctitatis vestre beatorum et mei humilem ac devotam commendacionem. Sanctissime Pater et domine dñe mihi clementissime. Cum ex litteris sermi Principis domini Wladislai Hungarie, Bohemie etc. Regis fratris mei charissimi sciam Sanctitatem vestram cognovisse, qualem iacturam hiis superioribus mensibus illustris Frangipanum familia acceperit, et quanto merore non ipsa familia sola et Revmus D. Archiepiscopus Colocensis Cancellarius fraterne Maiestatis, sed totum Hungarie Regnum et universi eius Regni Proceres ex unius adolescentis ex ea familia orti religionem fratrum ordinis sancti Francisci nuper ingressi amissione affecta sit, superfluum erit me hiis litteris meis illa eadem rursus repetere, et aures Sanctitatis V. maximis semper curis occupatissimas offendere. Hoc tamen et ego V. Sanctitati litteris meis explican-

dum putavi, hanc rem mihi quoque non mediocrem dolorem attulisse reputanti mecum identidem, et quali defensore illa regio extremis iam suis temporibus sit viduata, et in quantum merorem homo mihi carissimus, et multis et in me et in fratrem meum officiis insignis ipse Archiepiscopus Colocensis esset adductus, unico ex fratre nepote et unico et nominis et Patrimonii successore, eximie indolis ac virtutis adolescente sibi preter spem mirabili et optatissimo casu erepto. Movet me etiam omnium ordinum, omnium statuum incredibilis consensus, cum de hoc ipso adolescente optime sencientium, tum eius hanc amissionem vehementissime deplorantium. Quapropter non potui mihi temperare, quin et ego et fratris litteris meas has apud Sanctitatem V. preces adiungerem. Supplico igitur Sanctitati V. dignetur adoloscentem illum non minus (quod nemo ambigit) aliquorum male suadentium dolo et calliditate, quam etatis errore lapsum ex vinculis, quibus se irretivit, liberare, et Patrie nobisque tantopere desiderantibus redonare. Nullum per hoc, Beatissime Pater, religio sancti Francisci incommodum, nullam iacturam accipiet: non enim deerunt in ea religione innumeri, qui laudes Christi personent. Et utinam tantum habundaret Croacia milite ac defensore, quantum habet ille ordo cultores. Atque ille adolescens, si ea in religione (quod nollemus) persisteret, nil plus ibi prestare posset, quam quod quivis vel infime condicionis monachus. Redditus autem patrie (quod summopere omnes expetimus) plus sola generis nobilitate, sola tam alti et antiqui stemmatis fama (si cetera omnia desint) prestare poterit, quam universa militum multitudo, quam multorum virorum forcium arma, et cum duabus potissimum rebus et regatur et propagetur christiana res oracionibus simul et armis, vestram Sanctitatem, que utroque est ense insignis, meo iudicio dare operam decet, non solum ut quamplurimi sint, qui oracionibus ad deum fundendis invigilent, sed sint etiam, qui arma tractantes christiani nominis hostes ab ovili Sanctitatis vestre procul abigant, qui semper ex ea familia strenui ac precipui fuerunt. Quid enim proderit tot cenobia per terrarum orbem esse instituta, quid tot insignes ecclesias tam frequenti cultore decoratas, si hec ipsa hostili furori erunt exposita, si defensore carebunt, si limites christiani Imperii, quorum hec ipsa familia tutrix et defensatrix semper extitit, erunt hostibus pervii, et si nos ipsi fines ipsos talibus defensoribus viduabimus. Quamobrem supplico Sanctitati V. vehemenciori quo possum studio atque ardore, dignetur nobis hunc ipsum adolescentem restituere. Afficiat Sanctitas V. et mea et fratris Imperia universa singulari atque incredibili et beneficio et consolacione. Me vero, qui huius rei sum cupidissimus, hac una re super infinita sua in me beneficia ita devinciet, ut non illum adolescentem Croacie vel Hungarie, non familie Frangipanum, que splendidissima est, et de republica christiana optime merita, non denique Archiepiscopo Colocensi, cuius multa sunt et in me et fratrem meum obsequia, sed regno meo, sed familie Casimiree, ex qua ipse progenitus sum, ac postremo mihi ipsi restitutum esse sim existimaturus. Me et regnum ac subditos meos humilime commendo. Datum Posonii xx. die Iunii anno domini Millesimo quingentesimo quintodecimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS REX POLONIE.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCLXXXIX.

Regi Poloniae, ut recepto a clero gratuito dono XL. milium florenorum pro bello continuando eundum ab aliis praestationibus eximere velit.

Charissimo in Christo filio Sigismundo Regi Poloniae Illustri.

LEO PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Venerabilis frater Iohannes Archiepiscopus Gneznensis, a tua Maiestate ad nos pro praestanda nobis et Apost. Sedi obedientia destinatus orator, id muneris sibi iniunctum adeo honorifice praestitit, et reliqua tua simulque et christianae reipublicae negotia etiam in sacro Lateranensi concilio hoc biennio, quo apud nos fuit, ob eius singularem ingenii animique praestantiam ac praecipuam in rebus agendis dexteritatem et fidem ita prosecutus est, ut eum nos velut de orthodoxa fide ac de tua amplitudine optime meritum, tibique propterea gratissimum praecipue diligamus, et Maiestati tuae non parum commendemus, quod talem virum ad tua negotia delegeris. Cum autem acceperimus maxime instari ex parte status saecularis regni tui, ut per clerum provinciae dicti archiepiscopi de bonis, decimis et fructibus beneficiorum ecclesiasticorum expeditionibus bellicis dicti regni contribuatur, ac expeditiones fierent, sub pretextu scilicet quod felicis recordationis Iulius II. praedecessor noster per litteras in forma Brevis fortasse non bene informatus,

et in gravamen dicti cleri concesserit, duximus ad Maiestatem tuam scribendum, et cum archiepiscopi ipsius una cum aliis dictae provinciae praelatis, ut sese a dictis exactionibus et molestiis ac bellicis expeditionibus eximerent, quadraginta millia florenorum monetae istic currentis per dictum clerum hac una vice contribuendum, ad comparandum scilicet certa bona temporalia, de quibus perpetuum servitium pro defensione dicti regni ordinaretur, consenserint. Et propterea Celsitudo tua illis promiserit, quod neque a te, neque a successoribus tuis super huiusmodi exactionibus et bellicis expeditionibus molestarentur, nec ad solvendum quicquam praeter taxam consuetam cogerentur, quando scilicet tua Maiestas in generalem expeditionem dicti regni proficisceretur, quod si pluribus vicibus in uno anno fieri contingeret, facta una contributione ad aliam eodem anno non tenerentur, et decimae ex frumentis et aliis annuis fructibus iuxta dicti regni consuetudinem ecclesiis darentur, eorumque decimatio, venditio et locatio ab omnibus saecularibus et decimas debentibus sub paenis gravioribus in contravenientes et contrafacientes per tuam Maiestatem apponendis liberae et exemptae essent. Idcirco eandem Maiestatem tuam omnesque et singulos regni tui principes et duces tibi militantes hortamur in Domino, et quanto magis ex animo possumus, paterna charitate requirimus, ut pro nostra et huius Sanctae Sedis reverentia et iustitiae debito, ac pro ea ratione, quam catholici omnes illis presertim, qui aliis personis rerum ecclesiarum habere debent, viros non molestent ecclesiasticos, quos Deus omnipotens utpote divino dicatos ministerio a saecularibus illaesos intactosque esse iussit. Et propterea quam plurimorum Romanorum pontificum sanctiones, Bonifacii praesertim Octavi felicisque et Clementis V. et constitutiones dicti Lateranensis concilii nuper editae sub paena anathematis et interdicti prohibent quibuscunque principibus temporalibus, ne collectas et decimas aliaque onera personis ecclesiasticis vel imponant vel exigant, vel quidem a sponte dantibus accipiant. Sed cum Maiestas tua velut christianae reipublicae defensor acerrimus contra teterrimos hostes christiani nominis haereticosque et schismaticos bella fere continue gerat, contentamur, ut praedictae conditiones inter te et archiepiscopum, praelatos et clerum praedictos, ut praefertur, initae observentur. Et propterea Amplitudinem tuam dictosque principes et duces tibi militantes etiam atque etiam hortamur et requirimus, ut more progenitorum tuorum libertatem clero tuo in bonis ac decimis conserves et manuteneas, ac ab impedimentis et depopulationibus a proficiscentibus in bellum tuearis et defendas, ac conditiones ipsas super dictis tractatibus initas, prout aequum est, subscribas, robores, easque inviolabiliter observari facias et perpetuae firmitatis robur adiicias, in quo primum omnipotenti Deo, deinde praecipuae voluntati et desiderio nostro auctoritatique dictae Sedis et sacri concilii praedicti, ac honori et dignitati Celsitudinis tuae satisfactum iri cognosces. Dat. Romae etc. die XX. Iulii MDXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XXXI. ep. 41. pag. 90.

CCCXC.

Archiepiscopus Gnesnensis absolvitur ad cautelam a censuris, quas incurrere timebat, quod librum constitutionum regni compilaverat, quo aliqua statuta libertati ecclesiasticae adversa inserta deprehendebantur.

Venerabili fratri Ioanni Archiepiscopo Gneznensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Accepimus siquidem, quod cum tempore recolendae memoriae Alexandri Regis Polonie diversae constitutiones, statuta, privilegia, indulta ac litterae tam apostolicae quam imperiales et regiae in confusione quadam sine aliqua compilatione etiam in regno Poloniae essent, ac propterea variae orirentur discordiae et difficultates in scribendis negotiorum et causarum decisionibus, ac tam praefatus Rex, quam etiam praelati et barones et aliae quaecunque personae dicti regni cuperent ex illis aliquem librum ordinare, in quo praedicta omnia insimul reducerentur, essetque facilior in iudicio quam extra illarum exhibitio ac causarum decisio, videntesque tibi, qui officium secretariatus maioris, quod cancellariatum regni appellant, exercebas, ratione dicti secretariatus officii onus huiusmodi melius quam cuique alteri incumbere: Rex, praelati et barones praedicti ordinarunt tibique mandarunt, ut constitutiones, statuta et omnia praedicta in unum librum reduceres, tuque tum ratione publicae utilitatis dicti regni, tum quod id tuo officio convenire videretur, ac etiam ut eorum ordinationi satisfaceres, onere huiusmodi per te libenti animo suscepto omnia, quae tam in archivis, quam aliis locis publicis reperisti, in unum collegisti, et ne notari posses, quod magis unam quam aliam ex dictis constitutionibus approbares, omnes et singulas constitutiones, statuta et indulta ac litteras per te collecta, prout inveneras, in unum librum compilasti, quo hodie in iudicio et extra in dicto

regno utuntur. Verum quia in compilatione huiusmodi aliquae constitutiones apparent, quae contra personas ecclesiasticas seu ecclesiasticam libertatem esse videntur, licet aliae quam plures existant, quae favorem ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum concernunt; ac propterea dubites aliquam paenam seu censuram ecclesiasticam incurrisse, bonaeque mentis sit timere culpam, etiam ubi culpa non sit, ac cupias ab excessu huiusmodi et paenis, si quas propterea incurristi, absolvi: Nos itaque motu proprio ab excommunicationis sententia et aliis sententiis, censuris et paenis, si quas propterea incurristi, auctoritate apostolica, tenore praesentium absolvimus, teque in eum statum, in quo eras antequam praemissa faceres, restituimus et plenarie reintegramus, teque propterea a quoquam de caetero molestari non posse, eadem auctoritate decernimus, constitutionibus apostolicis caeterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, quod poenitentiam per confessorem, quem duxeris eligendum, iniungendam adimplere omnino tenearis: alioquin praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae etc. die xx. Iulii MDXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XXXI. ep. 43. pag. 97.

CCCXCI.

Archiepo Leopoliensi, quod ad provinciam suam et limina apostolorum vitanda per decennium non teneatur.

Venerabili fratri Bernardino Archiepiscopo Leopoliensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod ecclesia tua Leopoliensis ab acerrimis christiane religionis hostibus, Turcis videlicet et Tartaris ac aliis Scismaticis, oppressa, et in suis proventibus adeo diminuta et exhausta est, quod aliunde victum querere cogeris, et Seretensem, Valachiensem et Kyoviensem Episcopos, Suffraganeos tuos, eorumque ecclesias, civitates et dioceses, ac ipsarum ecclesiarum capitula, monasteria et alia religiosa et pia loca divino cultui deputata, que, ut asseris, ampla et diffusa sunt, ac clerum et populum tuae provinciae subiectos commode et absque periculo propter imminentes assiduas eorundem hostium incursiones visitare, et visitationis officium, prout et iuxta quandam constitutionem nostram nuper desuper editam teneris, in toto vel in parte adimplere nequis: Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi statuique tuo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut donec ecclesia Leopoliensis fructus suos recuperaverit et provincia huiusmodi ab hostili incursu liberata fuerit, provinciam predictam, prout de iure teneris, necnon limina apostolorum, quae prout tempore provisionis et prefectionis de persona tua ecclesie Leopoliensi tunc certo modo vacanti, factarum, etiam iuramento, ut moris est, prestito, visitare promisisti, usque ad decennium a data praesentium computandum visitare minime tenearis, neque ad id a quoquam invitus compelli valeas, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, teque interim a iuramento prestito quoad visitationem liminum huiusmodi dumtaxat, dummodo ad illam alias non sis astrictus, necnon periurii reatu et aliis penis forsan ob non visitationem liminum huiusmodi hactenus incursis eadem auctoritate et tenore absolvimus, premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Rome etc. die XXIIII. Iulii MDXV. Pont. nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Archetyp. Tom. III. ep. 50.

CCCXCII.

Rex Poloniae commendat pontifici cardinalem Gurcensem, exorans, ut ipsi munus legationis Germanicae conferre velit.

(Sanctissimo in Christo patri et domino Leoni divina providentia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño suo clementissimo.) Beatissime pater et domine domine clementissime. Antequam cum Imperiali Maiestate convenire constituissem, non vulgaris apud me fama precesserat, Reverendissimum dominum Cardinalem Gurcensem magnis animi ac ingenii dotibus ita preditum esse, ut nihil sit tam arduum, quod non eius ingenio et industria transigi et perfici possit. Cum autem Posonii cum fraterna Maiestate Serenissimi Domini Hungarie et Bohemie Regis convenissem, ipseque a sacra Imperiali Maiestate ad nos missus de rebus tam nostris privatis quam Reipublice Christiane quedam agere cepisset, usus est profecto mihi in ipsa rerum actione non solum non diminuisse famam, que de se precesserat, verum eciam multo auctiorem eam fecisse, cum omnia a Vestra Sanctitate et ab Imperiali Maiestate sibi iniuncta, summa prudencia nec minore animi dexteritate obiret, que omnia in hoc nostro conventu eadem sua prudencia ita confirmavit, ut ego qui Sanctissime istius

Sedis Apostolice et imprimis Vestre Sanctitatis nominis et glorie sim studiosissimus, non possim non vehementer eidem vestre Sanctitati gratulari, cum videam inter clarissima Cardinei ordinis lumina hunc esse adnumeratum et ascriptum, qui cum summis viris nature et animi dotibus sine controversia merito conferri potest, qui me quoque preterea singulari humanitate sua tantum sibi devinxit, ut ad eam augendam et ornandam, quod mea ope et facultate perfici posset, nihil unquam pretermittendum existimarem. Et quia inter loquendum cognovi Sacram Imperialem Maiestatem a Vestra Sanctitate identidem petere solere, ut eidem domino Cardinali Gurcensi legationem Germanicam committere, atque eius titulo insignire ipsumque ornare dignetur, cuius Maiestatis precibus obtemperando, aliquas facultates in certis Diocesibus Germanie eadem Vestra Sanctitas benignissime concedere dignata est, quarum in me fructum ego quoque nuper reportavi, cum in quodam solemni sacrificio cum Imperiali Maiestate adessem, ut cum ceteris Christi fidelibus remissionem peccatorum, quam vulgo indulgenciam vocant, consequerer. Et quamvis satis contentum esse hac vestre Sanctitatis gratia et concessione ipsum dominum Cardinalem cognoverim, quia tamen video virtutes eius multo maiora mereri, non potui me profecto continere, quin ab eadem Vestra Sanctitate orarem, ut pro solita sua in me benevolentia et gratia, id quod revera reipublice christiane magnitudo rerumque agendarum summa necessitas postulare videtur, munus Legationis Germanice ampliatis facultatibus eidem domino Cardinali Gurcensi hac lege concedere dignetur, ut eas integras et firmas, omnique insperate revocationis, suspensionis vel derogationis generalis et specialis impedimento vacuas retinere possit, ut senciat mearum precum auxilium, et in impetrando facilitatem et in retinendo, quod petit, firmam Vestre Sanctitatis voluntatem. Quicquid autem beneficii Vestra Sanctitas in eundem dominum Cardinalem hoc genere liberalitatis conferet, erit mihi perinde gratum, ac si res esset mea. In eum preterea hominem idipsum beneficii conferre videbitur, qui et dignus est, ut ornetur, cuiusque merita erga Vestram Sanctitatem, et hanc Sanctissimam Sedem satis superque mihi cognita iure id requirunt et exposcunt. Commendo me Vestre Sanctitatis gratie, quam diu ab omnipotenti Deo felicem et incolumem conservari oro. Datum Vienne xxvi. die Iulii Anno Domini Millesimo Quingentesimo quintodecimo. Regni mei Anno Nono.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCXCIII.

Christifidelibus ecclesiam metropolitanam Gnesnensem visitantibus indulgentiae conceduntur.

Leo episcopus etc. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Si populus Israeliticus sub umbra legis frequenter ad locum, quem dominus elegerat, oraturus accedens vota sua et donaria plurima offerebat, tanto magis populus christianus, cui apparuit beniguitas et humanitas salvatoris, tenetur ecclesias, presertim metropolitanas insignes, in quibus Christus ad abolendam nostrorum criminum corruptelam quotidie immolatur, congruis honoribus frequentare et munera cum animi puritate offerre, quanto certiora sunt experimenta figuris: eapropter dignum, ymo debitum reputamus, ut ecclesias ipsas gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum remissionibus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia Gneznensis, que sicut accepimus, inter alias metropolitanas et cathedrales ecclesias regni Polonie plurimum insignis et celebris, ac in honorem et sub invocatione sancti Adalberti presulis et martiris dicti Regni patroni dedicata existit, ac in qua caput ipsius Sancti, cuius intercessione, ut pie creditur, altissimus inibi plurima hactenus operatus est et in dies operari dignatur miracula, prout contigit in persona clare memorie Octonis tertii Romanorum imperatoris, qui Rome gravi infirmitate detentus se eidem Sancto commendans, illa liberatus in Poloniam se contulit et corpus eiusdem Sancti devote visitavit, ac inter alia pro honore eiusdem Sancti tunc ducem Polonie in regem creavit, et ob eius immensam devotionem illius brachio donatus extitit, quod postea Romam detulit et in ecclesia beati Bartholomei in Insula de Urbe reposuit, ubi usque in hodiernum diem in die festi eiusdem sancti Bartholomei christifidelibus ecclesiam ipsam sancti Bartholomei visitantibus ostenditur, et quam plures alie Sanctorum et Sanctarum reliquie decenter recondite existunt, et ad quam venerabilis frater noster Iohannes archiepiscopus Gneznensis, pro parte carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis Illustris ad nos et sedem apostolicam ac sacram sinodum Lateranensem ora-

tor destinatus, singularem gerit devotionis affectum, in debita veneratione habeatur et a christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ac in suis structuris et edificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, necnon libris, calicibus, luminaribus, ornamentis et rebus aliis divino cultui necessariis decenter fulciatur, ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad eandem ecclesiam confluant et ad premissa manus promptius adiutrices porrigant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam Gneznensem in natalis, quod de Maii, et translationis eiusdem sancti Adalberti, que de Octobris mensibus celebrantur, ac ipsius sancti Bartholomei et eiusdem ecclesie Gneznensis dedicationis festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum earundem festivitatum, et dictorum immediate sequentium devote visitaverint annuatim, et ad reparationem, conservationem, manutentionem et fulcimentum predicta manus porrexerint adiutrices, pro singulis festivitatibus et diebus predictis, quibus id fecerint, quadraginta annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, ac illis, qui ecclesiam ipsam Gneznensem in dicto festi sancti Bartholomei proxime futuro ac die illud immediate sequente, et deinceps singulis septenniis ac die immediate sequente perpetuis futuris temporibus a primis vesperis usque ad occasum solis prefati diei sequentis, ut prefertur, devote visitaverint, et ad premissa manus adiutrices porrexerint, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quas consequuntur visitantes ecclesiam beate Marie Aquisgrani Leodiensis diocesis singulis septenniis, consequantur et consequi (possint), necnon eidem Iohanni archiepiscopo, ut per se vel alium ex terra seu superficie terre cimiteriorum campi sancti et sancti Gregorii de Urbe recipere et ad dictam ecclesiam Gneznensem deferri, ac cum illa cimiterium eiusdem ecclesie Gneznensis ad hoc deputatum et sepulchra mortuorum inibi deputata seu deputanda aspergi et commisceri facere, ac quod ex tunc de cetero cimiterium predictum sic aspersum et commixtum, necnon omnes et singuli utriusque sexus christifideles, quorum corpora inibi pro tempore sepelientur, omnibus et singulis privilegiis, concessionibus, indultis, facultatibus, libertatibus, iuribus, gratiis, indulgentiis et peccatorum remissionibus, quibus campi sancti et sancti Gregorii de Urbe cimiteria huiusmodi ac christifideles in eis sepulti utuntur, pociuntur et gaudent, ac quas consequuntur et consequi possunt in omnibus et per omnia perinde, ac si in campi sancti seu sancti Gregorii cimiteriis predictis corporaliter sepulti forent, uti, potiri et gaudere ac consequi possint, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et pariter indulgemus, ac huiusmodi indulgentias sub quibusvis revocationibus seu suspensionibus similium vel dissimilium indulgentiarum, etiam durante indulgentia pro fabrica basilice principis apostolorum de Urbe et cruciata per nos et sedem apostolicam concessa vel concedenda pro tempore, factis nullatenus comprehensas, sed ab illis semper exceptas existere decernimus. Volumus autem, quod si alias dictam ecclesiam Gneznensem visitantibus et ad premissa manus adiutrices porrigentibus, aut alias aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius sint roboris vel momenti, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis dominice MDXV. sexto Kalendas Augusti. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. VI. fol. 217.

CCCXCIV.

Pontifex Sigismundum Poloniae regem ad Belgradum, opportunitate data, armis recuperandum excitat.

Charissimo in Christo filio nostro Sygismundo Polonie Regi Illustri.

LEO PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Scimus Maiestati tue, cui alias scripsimus, notissimum esse, omnes Turcarum Tyrannos, christiani nominis hostes, exitio christiane reipublice continuo invigilasse, multaque et magna nostra etiam etate in Grecia et Illirico occupasse, novissime vero iuvenem hunc (quem imbellem et quietum multi arbitrabantur), pacatis tam subito rebus Egypti et Syrie (Sophi attenuato quiescente), talia primordia dedisse, ut Schardonam, que in sinu Adriatico tanti est, aliaque oppida, et Belgradum, Hungarie Christianorumque portam et arcem, quod predecessores eius obtinere nunquam potuerunt, occupaverit, Rhodum nunc oppugnet ac obsideat, cui ni occurratur, et inter cetera, nisi Belgradum e manibus eius auferatur, de reliquo totius reipublice Christiane agi manifestissime constat. Is enim locus in Europa est (sicut apprime nosti), per quem Turcus potentissimus et solus, cui omnia semper ad quecunque magna gerenda parata sunt.

Hungariam, Christianorum omnium antemurale, terra continenti in finibus suis suo arbitrio et ex tempore invadere potest, antequam Christiani principes, quomodo ei occurrendum sit, vix sibi ipsis scribere incipere possint, et is locus est, qui in manibus Christianorum positus potentiam, furorem et commoditatem Turci moderetur et comprimat, ne Turcus Christianos ulterius nisi maximis incommodis, periculis ac tempore invadere possit: immo (ut experimento cognitum est) Christianis Belgradum obtinentibus, Turcorum vires contra Christianos impedite videbantur, ut erant, et is tandem locus est, per quem solum (ut nosti) Turcus ab Europa commode et faciliter a Christianis expelli potest. Proinde quanta sit omnibus Christianis cura habenda, ut locus hic recuperetur et Regi Hungarie restituatur, Maiestatis tue prudentie relinquitur, que (Dei gratia) filios regni sui successores et Hungarie Regem nepotem obtinet. Itaque cum Regnum ipsum Hungarie, quod multis annis pace dormierat (et propterea Belgradum perdidit), iam excitatum, Deo auxiliante, unitis animis arma ceperit, et Valachiam minorem, quam Turcus etiam occupaverat, magnis sumptibus recuperaverit, ac contra Turcas Belgradi recuperandi causa ardens existat: Turcusque Rhodi attenuatus et illic intentus oportunitatem Schardone et Belgradi recuperandi prebeat, statuit Rex consilio exercitatissimorum militie ducum, inspirante Domino, principibus Christianis vicinis maxime adiuvantibus, temporis oportunitatem (que raro venit) amplecti, ac Schardonam et Belgradum recuperare, seque et rempublicam Christianam a tanto periculo liberare. Cuius necessarium et pium propositum in Domino commendantes, Nos qui (ut tibi cognitum est) nihil magis animo nostro die noctuque fixum habemus, quam conservationem et liberatienem Christiane religionis, Maiestatem tuam quanto possumus studio et ex abundantia charitatis requirimus in Domino, ut pro tua virtute catholicoque animo, et in rempublicam Christianam singulari pietate huic tam necessarie recuperationi animum, subsidia et vires tuas cum eodem Rege et nobiscum, qui quecunque cum Deo possumus, facultatibus nostris facere non obmittimus, intendas, ut proximo vere, quemadmodum necessitas et oportunitas postulant, et alios principes Christianos litteris, nunciis monemus et incitamus, recuperatio ipsa fieri possit. Vides, charissime fili, quam maximas vires et animum Turci iuvenis huius undique pacati, quid cogitet, que initia dederit, quid possit, et in quo discrimine Regnum Hungarie et respublica Christiana laboret. Belgrado apud Turcos remanente, vides quanti sit recuperatio ipsa, quo pacto Turco cum electo exercitu Rhodi occupato et attenuato, oportunitas a Deo data sit illud recuperandi: quo pacto Regnum Hungarie unitum ad id sit promptissimum, que uniones raro videntur; sed auxiliis egeat, et scimus te reminisci, quo pacto tot principes Grecie et Illirici temporibus sese non adiuvantes, ac pastori et oportunitatibus tunc non credentes, a tunc Turcorum Tyrannis longe impotentioribus, quam sit hic iuvenis hostis, cesi vel profugi facti fuere: et vides tandem omnibus Christianis graduatim labentibus periculum hoc esse commune, nisi occurratur, uti et necessitas salutis et oportunitas Regni Hungarie uniti et ardentis, et Turci Rhodi intenti requirit. Tibi itaque, qui Hungarie proximus es, cui Dei beneplacito numerosissimi milites et fortes ac alia sunt, qui (ut iucunde accepimus) cum Scythis sive Tartaris hostibus tuis indutias triennales fecisti, et proinde potens es, Hungarie Regem nepotem tuum, subsidiaque, Belgradi recuperatione urgente, a qua Regnum ipsum et respublica Christiana pendet, iterum atque iterum toto corde nostro commendamus: nihil enim te dignius, nihil Deo acceptius, nihil nobis gratius ac filiis tuis utilius accommodatiusve facere potes. Datum Rome etc. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XXVIII. fol. 206.

CCCXCV.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Orzechowsky clerico Premisliensi, salutem etc. Datur Coadiutor Iohanni Gulha Rectori parrochialis ecclesie in Bucz Cracoviensis diocesis, senio confecto. Datum Florentie anno etc. MDXV. II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Conarski archidiacono ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, salutem etc. Confert ipsi, qui regis Polonie Secretarius existit, canonicatum et prebendam, nec non archidiaconatum, quos Petrus episcopus Premisliensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Viterbii anno etc. MDXV. Non. Novembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Mauritio Ferwecz Canonico Lubucensi, Causarum Palatii Apostolici Notario et familiari nostro, salutem etc. Confert ipsi parrochialem ecclesiam SS. Petri et Pauli

Suburbii oppidi Gedanensis Wladislaviensis diocesis, quam Fidemannus Gise Canonicus Warmiensis iniuste detinet. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXV. III. Non. Aprilis. Anno Tercio.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iosepho de Clepacz alias de Novacinisau Rectori parrochialis ecclesie de Goizkow Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi, qui Capellanus Iohannis Archiepiscopi Gneznensis existit, et per regem Polonie ad prestandam obedientiam orator ad Sedem Apostolicam destinatus, dictam Rectoriam, vacantem per obitum Mathie de Trezana. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXV. III. Non. Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Leo episcopus etc. Venerabilibus fratribus Cavallicensi et Asculano episcopis, ac dilecto filio officiali Poznaniensi, salutem etc. Mandat eisdem ut Mathie de Gostyn presbytero Poznaniensis diocesis parrochialem ecclesie in Krsywyn dicte diocesis conferri curent. Datum Malliani Portuensis diocesis anno etc. MDXV. IV. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Marnusio de Sarzana clerico Ianuensi, familiari nostro, salutem etc. Confert ipsi pensionem sexdecim ducatorum auri de camera super canonicatu in ecclesia Wladislaviensi, vacante per obitum Stanislai Zamburski. Datum Rome etc. anno MDXV. XV. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XLVI. fol. 13, Tom. L. fol. 214, Tom. LIII. fol. 214, Tom. XL. fol. 278, Tom. LX. fol. 92 et Tom. CLXXII. fol. 215.

CCCXCVI.

Rex Poloniae pontifici supplicationem capituli Vilnensis pro canonisatione B. Kasimiri commendat.

Sanctissime in Christo Pater et domine domine clementissime. Post devota pedum oscula beatorum. Binis iam litteris Sanctitati Vestre supplicavi, ut divum Kasimirum, quem omnis gens patria ob actam eius vite integritatem et sanctimoniam magnasque virtutes, ac demum ob stupenda miracula, que meritis illius fiunt, et in dies divina clementia apud sepulchrum eius multiplicantur, pro beato habet, credit et veneratur, seriei atque cathalogo Sanctorum ascribere dignetur. Nunc autem nonnullo equidem affectu necessitudinis in exaltationem eiusdem divi Kasimiri ductus, quam frequentibus peticionibus adhortacionibusque Reverendi domini Episcopi, ac prelatorum et tocius Capituli Ecclesie Vilnensis, necnon ab Universo Cleri ordine omnibusque Consiliariis meis, ac omni populo Catholico mihi subiecto, et vexilla veri Vicarii Christi in terris adoranti, precibus maxime permotus, et adductus, tercio per presentes decrevi ad Sanctitatem Vestram ... scribere idem summopere supplicando, dignetur tam humilibus meis precibus, quam piis et religiosis omnium populorum votis unanimiter et sine discrimine meum supplicancium ... ac imprimis divine voluntati, que merita et sanctitatem fidelis servi sui miris et variis beneficiis mortalibus ad opem eius confugientibus exhibitis ..... non cessat, minime refragari. Quo in negotio memoratum Reverendum in Christo patrem dominum Albertum Epum Vilnensem sincere dilectum, et venerabilem Lau ... prepositum et Canonicum predicte Ecclesie Vilnensis, Secretarium meum fidelem dilectum, plene instructos ad Sanctitatem Vestram mitto, quos dignetur elementer ... in eo ipso negotio aliisque per me commissis benigne expedire. Dominus Deus Sanctitatem Vestram pro incremento Reipublice christiane in longissimos vite terminos .... consolationem conservare dignetur. Datum Vilne die Decima Mensis Maii Anno Domini Millesimo Quingentesimo (decimo sexto .... *).

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius
Sigismundus Rex Polonie mpp.

CCCXCVII.

Bernardinus Korner Andreae Copernyco canonico Varmiensi coadiutor constituitur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Bernardino Korner clerico Culmensis diocesis, familiari nostro, salutem etc. Circumspecta sedis apostolice providentia ad ea libenter intendit, per que canonicatuum et prebendarum ecclesiarum quarumlibet, presertim Cathedralium, indempnitati consuli possit, ad illos quoque dexteram sue liberalitatis extendit, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommen-

*) Haec epistola originalis in charta membranacea scripta existit inter Instrum. miscell. et valde corrosa.

dant. Sane pro parte tam tua, quam dilecti filii Andree Coppernyck Canonici Warmiensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse, qui morbo quodam incurabili lepre laborat et gravatus existit, et propter morbi huiusmodi contagionem ad dictam ecclesiam accedere, ac canonicatui et prebende ecclesie Warmiensis, quos obtinet, in divinis deservire, ac incumbentia illis onera perferre, prout decet, non potest per seipsum, et propterea coadiutor ydoneus sit sibi plurimum necessarius: quare pro parte tam tua, quam ipsius Andree nobis fuit humiliter supplicatum, ut te eidem Andree, quoad vixerit, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem quoad regendum et gubernandum in spiritualibus et temporalibus dictos canonicatum et prebendam dare, facere, constituere et deputare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui beneficiorum ecclesiasticorum omnium indemnitati libenter consulimus, volentes tibi, qui obsequiis dilecti filii nostri Bernardi sancte Marie in porticu diaconi Cardinalis insistendo etiam continuus commensalis noster existis, ob grata familiaritatis obsequia, que nobis hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, necnon vite ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experientia, quam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, multipliciter commendato, horum intuitu gratiam facere specialem, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et censurarum, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, te eidem Andree, quoad vixerit, in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione predictis cum plena libertate, et omnimoda facultate et potestate omnia et singula, que ad coadiutoris officium de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinent, faciendi, gerendi, exercendi et exequendi, ipsius Andree ad id per dilectum filium Valentinum Rabanum clericum Warmiensis diocesis, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expresso accedente consensu, auctoritate epostolica tenore presentium damus, facimus, constituimus et deputamus, et nihilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus sex marcarum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, quamprimum illos per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem prefati Andree, etiam apud sedem apostolicam, etiam in mensibus ordinariis collatoribus tam per concordata nationis Germanice, seu alias per constitutiones nostras sive litteras alternativas, aut alia privilegia et indulta concessis hactenus, vel in posterum concedendis, aut etiam nobis per easdem seu iuris constitutiones nostras desuper editas, unam videlicet XXVIII. Novembris, secundo et aliam XIX. Aprilis, tertio et reliquam XXIX. etiam Aprilis quarto anno pontificatus nostri mensium diebus in Camera apostolica publicatis, vacare contigerit, etiam si alias quovis modo vel ex cuiuscunque alterius persona vacent, etiam si specialiter vel iuxta constitutiones nostras predictas alias generaliter reservata, seu ex generali reservatione apostolica affecta fuerint, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis exnunc prout extunc, et converso, etiam si tempore vacationis huiusmodi dictum coadiutoris officium exercere non inceperis, et presentes littere eidem Andree intimate non fuerint, prefata tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, ac illos tibi collatos et de eis provisum fore, ac quicquid secus super hiis a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri et attemptari contigerit, irritum et inane decernimus etc. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Cavallicensi et Casertano Episcopis ac dilecto filio preposito ecclesie Warmiensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios te, vel procuratorem tuum tuo nomine, postquam provisio huiusmodi sortita fuerit effectum, in corporalem possessionem canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes te vel pro te procuratorem tuum predictum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in Capitulo eiusdem ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, tibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, ac te officio coadiutoris huiusmodi pacifice frui et gaudere, non permittentes te per dictum Andream seu quoscunque alios desuper indebite molestari, Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus concordatis et aliis premissis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicte

ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, illis videlicet, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod vacantibus prebendis eiusdem ecclesie, antiquiores canonici eiusdem illas sic vacantes optare possint, si velint, ad eas gradatim et per optionem fiat ascensus, quibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac quibusvis gratiis expectativis, specialibus vel generalibus reservationibus, extensionibus, ampliationibus, revalidationibus, ac collationum earundem mutationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus etiam perpetuis, et specialibus suppressionibus, applicationibus, appropriationibus, nominationibus, ac uniendi, annectendi, incorporandi, reservandi, nominandi, ac nominatis et aliis conferendi, seu commendandi, et quibusvis aliis facultatibus et mandatis, ac sine simili consensu dicti Andree Coadiutoris deputationibus, etiam cum provisionibus seu commendis aut aliis dispositionibus, citra tamen regressus et accessus, etiam extunc per cessum vel decessum in quarumvis personarum cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentium, etiam dicte Curie officialium, quevis officia in ea etiam exercentium, aut familiarium nostrorum continuorum commensalium, etiam in certis litteris nostris, etiam in forma Brevis, seu rotulo descriptorum seu describendorum, aut Episcopali, Archiepiscopali, seu maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentium, seu Episcopalium, Archiepiscopalium, Capitularium aut aliorum mensarum, dignitatum, vel aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, ac etiam in nullius commodum et favorem sub quibusvis formis et expressionibus verborum, etiam sub quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitissimis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam talibus, quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et forma derogari, seu illorum effectus suspendi possit, etiam a nobis vel sede predicta, seu eius legatis aut nunciis etiam cum potestate legati de latere, etiam scientia et auctoritate similibus, ac motu proprio et de apostolice potestatis plenitudine, et Regum, Reginarum, Ducum, Principum, Marchionum, prelatorum et Cardinalium, et aliorum dominorum ecclesiasticorum et temporalium, aut universitatum studiorum, iurium cessorum vel ablatorum, aut damnorum et spolii etiam per infideles eis illatorum, aut servitiorum et obsequiorum etiam nobis et dicte sedi, etiam pro fide catholica impensorum, seu ex quavis alia excogitabili et grandi consideratione, intuitu vel respectu, et ex quibusvis urgentissimis et maximis causis in genere vel specie, etiam nominatim de dictis canonicatu et prebenda perpetuo vel ad tempus facta et concessa, et imposterum forsan concedenda, que omnia et singula, eorumque vim et effectum, tenores illorum ac si de verbo ad verbum exprimerentur, ac nomina, cognomina et qualitates personarum ac titulos etiam Cardinalium, quibus et causas, propter quas concessa forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, quo ad premissa omnia et singula omnino suspendimus, ac in canonicatus et prebende vacatione huiusmodi effectum sortiri vel habere, et locum sibi vendicare non posse, ac pro nullis et prorsus infectis haberi debere decernimus, contrariis quibuscunque, aut si aliqui apostolica vel alia quavis firmitate in dicta ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis dicte ecclesie speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in assecutione dictorum canonicatus et prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem canonicatuum et prebendarum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Venerabili fratri nostro Epõ, et dilectis filiis Capitulo Warmiensibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Volumus autem, quod etiam coadiutorie officio huiusmodi durante, ab alienatione quorumcun-

que bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum Canonicatus et prebende prorsus abstineas, et de eis, que ratione dicti officii coadiutorie gesseris, non solum in districto examine, sed etiam dicto Andree iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri plenariam rationem reddere tenearis, liceat tamen tibi de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus et proventibus, coadiutoria huiusmodi durante, iuxta constitutionem eandem sumptus percipere moderatos. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre absolutionis, dationis, facti constitutionis, deputationis, derogationis, mandati, suspensionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo sexto decimo, decimo septimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Bull. An. IV. Tom. LXXIV. fol. 15.

CCCXCVIII.

Ioannes episcopus Vratislaviensis camerae apostolicae fructuum collector in regno Poloniae constituitur.

Leo episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea que fraternitati tue commiserimus, solerti diligentia et fideliter exequeris. Cum itaque nos ex certis causis dilectum filium Magistrum Philippum de Adumariis, notarium et cubicularium nostrum secretum, de cuius persona specialem in domino fiduciam obtinemus, Collectorem fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice in toto regno Polonie debitorum duxerimus deputandum, et idem Philippus in nostris obsequiis mancipatus existat, et cuius presentia nobis plurimum est necessaria, officium Collectoris huiusmodi in partibus illis per se ipsum personaliter exercere nequeat, nos de tui probitate plurimum in domino confidentes, te loco dicti Philippi in dicto regno, et toto dominio Charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie Regis Illustris ac provintia Gneznensi, ac eorundem regni, provintie et dominii civitatibus et diocesibus nuntium apostolicum, et denarii sancti Petri apostoli, ac fructuum et proventuum, censuum, aliorumque iurium quorumcunque nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice inibi debitorum, et in antea debendorum, seu ad nos vel easdem ecclesiam et cameram coniunctim vel divisim nunc et pro tempore quomodolibet spectantium et pertinentium Collectorem, ac generalem receptorem usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes et singulos alios huiusmodi collectores, et presertim dilectum filium Magistrum Martinum Riembieski Canonicum Gneznensem, nuntium nostrum, quem loco dicti Philippi Collectorem deputaveramus, quique tui contemplatione deputationi huiusmodi per nos de persona sua facte sponte et libere cessit, et succollectores ac receptores in regno, provintia, dominio, civitatibus et diocesibus predictis per nos aut quacunque alia auctoritate deputatos, ac quascunque apostolicas litteras etiam in forma Brevis, ac commissiones et facultates omnes super huiusmodi collectorie et succollectorie ac receptorie officiis, aliasque sibi sub quacunque verborum forma per dictam sedem aut alia auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Martinum et alios collectores, succollectores et receptores, etiam dilectum filium Bernardum Vapovski, cui forsan huiusmodi officium antea per nostras in forma Brevis litteras vel alias quovis modo etiam concesseramus, ab eorum officiis et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter amovendo, tibi nichilominus per te, vel alium seu alios, dumtaxat fide et facultatibus idoneos, nostro et dicte ecclesie et camere nominibus a quibuscunque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemxtis, ordinum quorumcunque, ac etiam laicalibus personis, necnon universitatibus et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumcunque regni, provintie, dominii, civitatum et diocesum predictarum omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates nobis et ecclesie ac camere apostolice predicte debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon etiam fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum auctoritate apostolica collatorum et in antea conferendorum, ac census annuos, decimas, aliaque omnia et singula iura nobis et ecclesie ac camere predictis in regno, provintia, dominio, civitatibus, et diocesibus huiusmodi quacunque ratione vel causa debita seu debenda, ad nos et eandem ecclesiam ac cameram nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, communibus et minutis servitiis prelatorum ad quorumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis,

levandi, petendi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a Martino et Bernardo ac aliis quibuscunque collectoribus, succollectoribus et receptoribus apostolicis, necnon inquisitoribus heretice pravitatis et officialibus aliis pro dicta camera in regno, provintia, dominio, civitatibus et diocesibus predictis pro tempore deputatis hactenus, et personis aliis, in quantum negotia et iura camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad hoc compellendi, et per ipsos recepta etiam petendi, recipiendi et de receptis quietandi, liberandi dumtaxat et penitus absolvendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et preeminentie existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam ac bonorum suorum sequestrationem et alia iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendi, necnon contra quoscunque tibi vel succollectoribus vel aliis officialibus tuis iniuriantes, seu te vel alios coniunctim vel divisim in executione negotiorum dicte ecclesie directe vel indirecte quomodolibet impedientes, auctoritate predicta procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis aut Camerario nostro seu locumtenente personaliter, vel alias infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores tuos, vel eorum succollectores coniunctim vel divisim latas, et imposterum quomodolibet ferendas, aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi et suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis et censuris, quotiens tibi videbitur, absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, siquam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, divina celebrando vel se illis immiscendo quomodolibet contraxerint, auctoritate apostolica dispensandi, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri de una et duabus dietis in Concilio generali edita, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus habenda esset mentio specialis, seu si aliquibus vel eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium vocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate prefata plenam et liberam harum serie concedimus facultatem; ita tamen quod de fructibus, redditibus et proventibus et bonis aliis quibuscunque ipsi camere debitis persolvendis ultra annum dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, si vero parve, in duabus etiam ultra unum dumtaxat succollectorem non deputes seu constituas, et quod omnium et singulorum succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, ad dictam Curiam clare et distincte transmittas, et singulis bienniis de receptis, gestis per te et substitutos tuos in huiusmodi collectorie officio rationem et computum reddere, et calculum ponere in Camera apostolica coram gentibus ipsius tenearis, necnon quiquid in predictis te recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis aut Camerario nostro vel eius locumtenenti predictis, vel gentibus ipsius, quantotius poteris, transmittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris nostri Raphaelis Episcopi Ostiensis, Camerarii nostri, aut ipsius in eadem camera locumtenentis per te vel procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum vel constituendum fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique succollectores per te deputandi idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur, quodque imprimis cum collegio archivii Romane Curie, cui huiusmodi collectoriarum officia applicata et incorporata etiam dinoscuntur, super proventibus ad ipsum collegium pertinentibus debite concordes et componas, receptis ab eisdem scriptoribus litteris patentibus in forma consueta. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a domino prudentiam sic studeas bene, fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati fructus exinde subsequantur, tuque apud nos et sedem predictam non immerito valeas commendari. Et quia difficile esset originales nostras litteras ad diversa loca transferri, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod earum transumpto seu transumptis per Notarium publicum subscripto seu subscriptis, et sigillo alicuius Episcopi roborato seu roboratis plena fides adhibeatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, sexto Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. Tom. LXIII. fol. 169.

CCCXCIX.

Christophoro de Schidovyecz eiusque successoribus ius patronatus in ecclesia B. Martini Opathowiensi confirmatur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Cristophoro de Schidovyecz domino in temporalibus oppidi Opathow Cracoviensis diocesis, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis, per quas tuo successorumque tuorum honori consulitur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias, postquam ecclesia beati Martini oppidi Opathow Cracoviensis diocesis, in qua quatuor dignitates, videlicet Decanatus, Scolastria, Custodia et Cantoria, nonnullique Canonicatus et prebende instituti existunt, per clare memorie Polonie Reges, qui pro tempore fuerant, ut ipsius oppidi in temporalibus dominos, fundata et dotata fuerat, dignitates necnon canonicatus et prebende predicti, alia beneficia in eadem ecclesia existentia pro tempore vacantia, ac parrochiales ecclesie consistentes in nonnullis villis sub eodem oppido seu illius iurisdictione constitutis, iuxta privilegia apostolica Regibus Polonie pro tempore existentibus, tunc ipsius oppidi in temporalibus dominis concessa, ac antiquam et approbatam consuetudinem per Reges prefatos eiusdem oppidi tunc in temporalibus dominos partim conferri, et partim ad illa persone ydonee presentari ac sic presentate per ordinarium loci institui consueverant. Et deinde prefati Reges, tunc domini temporales oppidi huiusmodi, ex certis causis moti, prefatum oppidum tunc Episcopo Lubicensi donaverant, ac idem Episcopus in possessione seu quasi iuris presentandi et conferendi huiusmodi respectibus longo tempore extiterat, cum de dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac beneficiis et parrochialibus ecclesiis prefatis pro tempore vacantibus, utpote tunc de iure patronatus clericorum existentibus, per sedem apostolicam provideretur, seu etiam sepe illa per clericos vigore gratiarum expectativarum eis concessarum acceptarentur, fructus quoque mense Capitularis ecclesie prefate in censibus, quos dilecti filii illius Capitulum et Canonici et Vicarii a tabernariis et aliis dicti oppidi incolis seu habitatoribus exigebant, prout exigunt pro muneris parte, consisterent, prout consistunt, ac ob Tartarorum incursiones necnon sterilitates et incendia, aliosque fortuitos et sinistros eventus et casus pro tempore occurrentes, tabernarii seu incole et habitatores huiusmodi aliquando partem censuum predictorum, aliquando omnes solvere recusarent, sicque litium et controversiarum materia inter Capitulum et Canonicos ac Vicarios tabernariosque ac incolas et habitatores prefatos oriretur, ac tabernarii, incole et habitatores prefati ad instantiam eorundem Capituli et Canonicorum ob non solutionem censuum predictorum excommunicationis sententia pluries innodati, et in illa etiam insordescentes, indignatione moti ad prefatam ecclesiam eorum matrem, et sub cuius Capituli et Canonicorum predictorum cura semper fuerunt, accedere recusarent, prout recusant, Capitulumque et Canonici prefati ex non solutione censuum predictorum, temporalium rerum inopia alibi sibi victum querere, et dictam ecclesiam, in qua retroactis temporibus singulis diebus hore canonice decantari et divina officia celebrari, deoque debita obsequia exhiberi consueverant, deserere cogerentur in non parvam divini cultus diminutionem, incolarumque et habitatorum maximum periculum, necnon ecclesie, Capituli et Canonicorum predictorum preiudicium et gravamen. Tunc Episcopus Lubicensis dictum oppidum cum omnibus illius iurisdictione, iuribus et redditu tibi cum consensu dilectorum filiorum Capituli ecclesie Lubicensis, et de licentia sedis predicte vendidit, ius patronatus predictum cum universitate in te tacite transferendo, tuque venditionis huiusmodi causa possessionem oppidi et iurispatronatus huiusmodi assecutus, illud extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides de presenti. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut ius patronatus et presentandi ordinario loci personas ydoneas ad dignitates, canonicatus et prebendas, ac beneficia et parrochiales ecclesias huiusmodi pro tempore vacantia tibi tuisque heredibus et successoribus dicti oppidi in temporalibus dominis, prout Reges prefati eiusdem oppidi in temporalibus domini existentes illud habuerunt, perpetuo reservare et concedere, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te, qui etiam, ut asseris, palatinus et Capitaneus generalis Cracoviensis ac regni Polonie supremus Cancellarius existis, a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ius patronatus et presentandi ordinario prefato personas ydoneas ad dignitates, canonicatus, et prebendas ecclesie beati Martini et beneficia in ea existentia, necnon parrochiales ecclesias in villis eidem oppido seu illius temporali domino subiectis consistentes, huiusmodi illorum vacatione pro tempore occurrente, tibi tuisque heredibus et successoribus dicti oppidi in temporalibus dominis pro tempore

existentibus, prout Reges prefati tunc dicti oppidi in temporalibus domini illud habuerunt, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo reservamus, concedimus et assignamus, ac eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo statuimus et ordinamus, quod dignitates, Canonicatus et prebendas ac beneficia, et parrochiales ecclesias huiusmodi vigore gratiarum expectativarum seu specialium, aut aliarum reservationum vel mandatorum quorumcunque per sedem prefatam et eius legatos etiam quibusvis personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis et nobilitatis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, etiam ex quavis causa, etiam in reintegrationem damnorum etiam pro fide catholica passorum, ac obsequiorum etiam dicte sedi impensorum, necnon iurium cessorum vel ablatorum, aut ex quavis alia grandi et excogitabili consideratione, intuitu vel respectu, etiam ad quorumvis Regum, Reginarum et Cardinalium instantiam, etiam motu proprio et ex certa scientia et de apostolice potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, efficacioribus et insolitis, etiam urgentissimis concessis et imposterum concedendis acceptare, et de illis sibi provideri facere quoquomodo non possint, decernentes etiam acceptationes, collationes, provisiones et alias dispositiones de illis pro tempore faciendas, et inde secuta quecunque nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti esse, nullumque ius alicui in eis vel ad ea tribuere, sicque per quoscunque iudices ordinarios, delegatos et subdelegatos, etiam Cardinales prefatos, et causarum palatii apostolici Auditores in Romana curia et extra eam in quavis instantia sententiari, iudicari, decidi et interpretari debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter sententiandi, decidendi, iudicandi et interpretandi facultate, ac irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus premissis ac Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicte ecclesie beati Martini iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre absolutionis, reservationis, concessionis, assignationis, statuti, ordinationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aut hoc attemptaverit etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo sextodecimo, decimo septimo Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. Tom. XCIX. fol. 39.

CCCC.

Fratres Vilnenses Franciscani exorant pontificem, ut B. Casimirum inter sanctos referre velit.

Sanctissimo in Christo Patri, ac domino dño Leoni divina Providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino nostro Clementissimo, humillimarum assiduarumque oracionum nostrarum recommendationem cum devotissimis pedum beatorum osculis. Sanctissime in Christo Pater et domine dñe clementissime. Cum annis paulo superioribus ordinem nostrum Reges Polonie et Magni Duces Lituanie in diocesim et Civitatem Wilnensem, que hac in terra prima est et precipua, amore conservande atque augende fidei Christi Salvatoris nostri hic non omnino antiquitus plantate induxerint, ac loco congruo et aliis appendicibus ornaverint: nos ab illo tempore erecti huc conventus atque incolatus nostri ea, ad que ex professione religionis nostre obligamur, semper et omnibus quibus possumus diligentiis, vigiliis et curis custodimus ac perficimus, ipsam fidem Christi per crebram verbi Dei seminacionem conservando et ampliando. Etenim ut nihil pretereat Sanctitatem Vestram, solus hic Magnus Ducatus Lithuanie non modo circumseptus est undequaque conterminis ethnicis Tartharis, Scithis et perfidis saxoque durioribus Scismaticis Moschovitis, verum illis intro abundat et repletus est. Attamen Deus optimus maximus et in misericordia copiosus volens populum in fide sua eodem in Magno Ducatu Lithuanie tenere, ac corda fidelium proselitarum ad sue Maiestatis obsequia devocionis ardore de sua pietatis abundancia succendere, dignatus est Principem Kasimirum pudicum secundo genitum Serenissimi Regis Polonie felicis memorie ad augendum ipsam fidem suam eligere, ac in eo spiritum timoris, consilii, iusticie, veritatis et amoris ponens, accensiones in corde suo disposuit, ut non solum de virtute in virtutem proficientem, sed in eisdem virtutibus permanentem atque in omnibus bonis operibus confirmatum ex hac vita recepit, sicque receptum gloriosum reddit ad sepulcrum, quo conditum est corpus suum, assidue variis et diversis illustrans miraculis, que nobis predicantibus vere narrantur, publice quoque passim manifestantur, ita quod ab omni clero et populo creditur esse beatus, tam ob sanctimoniam vite, quam ob plurima miraculorum insignia superna disponente

gracia. Qua de re divine voluntati et presciencie in hoc non refragantes, sed ecclesie eius, que Spiritu Sancto regitur, humillime consencientes, preclarissimum istud et divinum opus Sanctitati Vestre Sacrosanctam Sedem Apostolicam moderanti, que in suis actibus veritatem prosequitur, et lucem amat, ex debito professionis nostre notificamus, supplicantes, dignetur Sanctitas Vestra omnium fidelium hic in re nostra et omnis populi religiosa ac pia vota benigno favore exaudire ac prosequi, memoratum videlicet Principem Kasimirum sacro moderamine ad divini cultus augmentum exaltare, atque cathalogo Sanctorum inscribere. Quod cum fecerit, magnum in hac terra Lithuanie stabilimentum fidei collocabit Sanctitas Vestra; pro cuius felici ac incolumi vita nos altissimum assidue supplices invocamus. Datum Wilne XVIII. februarii anno ab Incarnatione domini Millesimo quingentesimo decimo sexto nostri Conventus sub Sigillo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Frater Paulus ord. Minorum S. Francisci FF. Minorum contrate LithwanieVicarius ad B. Virginem Wilne in arena cum aliis fratribus et toto Conventu assidui exoratores.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCI.

Capitulum Vilnense pontifici id ipsum supplicat.

Sanctissimo in Christo Patri et domino dño Leoni divina providentia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Katholice Summo Pontifici, domino nostro clementissimo. Post devota pedum beatorum oscula, assiduam et indefessam obedientiam cum ea qua decet reverencia. Sanctissime in Christo pater et domine dñe clementissime. Cum beneficia altissimi, que generi humano ex gratia sua maxime per firmitatem fidei, ac per virtutes et merita electorum suorum in filios Dei computatorum impartiri dignatur, reticere atque ecclesie et capiti eius non revelare indignum et ingratum esse dignoscitur: hinc est, quod nos non ingrati existentes de beneficiis, que ipse omnipotens Deus generis humani creator assidue mortalibus egris ad sepulcrum divi Kazimiri principis, et secundogeniti Regis Polonie Serenissimi in ecclesia nostra Kathedrali Vilnensi tumulati opem eius implorantibus concedit et largitur, ita quod non modo totus huius magni ducatus Lituanie populus, sed etiam vicine et extere naciones longe lateque ad eius suffragia confugientes et sublevamen referentes, beatum illum concordi voce proclamant. Id Sanctitati Vestre et eius sacrosancte Sedi Apostolice significamus, testimoniumque de sanctimonia vite eiusdem divi Kazimiri ac de tot et tantis miraculis divina clementia, et per intercessionem illius, ut pie creditur, confugientibus ad suffragia sua impendi solitis perhibemus, supplicantes et obsecrantes, dignetur Sanctitas vestra hoc testimonium a nobis humilibus famulis suis pro officio suo vera profitentibus pie acceptare, acceptando quoque clementer preces nostras exaudire, quatinus memoratum divum Kazimirum principem omni virtute et vite integritate ac sanctimonia preditum in numerum sanctorum dei referat, atque cathalogo eorum ascribat. Quam ut longeve sanam felicemque ydem Deus omnipotens pro tranquillo totius reipublice Christiane statu conservet, quotidie suam ineffabilem clementiam exoramus. Datum Vilne die decima octava mensis februarii anno ab Incarnacione domini Salvatoris nostri Millesimo quingentesimo sexto decimo, Nostris sub sigillis in fidem et testimonium premissorum subappensis.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humiles creature

Albertus Epūs nec non Prelati, Canonici et totum Capitulum Ecclesie Cathedralis Vilnensis.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCII.

Quibusdam clericis beneficia ecclesiastica conferuntur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Dabuslay Rectori parrochialis ecclesie in Mindziborz nove plantationis Plocensis diocesis, salutem etc. Concedit ipsi, ut alia beneficia ecclesiastica in Cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Polonie acceptare possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. MDXVI. XVI. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Raseck Rectori parrochialis ecclesie in Radlow Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi dictam rectoriam. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXVI. Prid. Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Martini de Gorky Rectori parrochialis ecclesie in Grampkowo Poznaniensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi dictam rectoriam, quam quondam Paulus de Branysko alias de Lassi obtinebat. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXVII. Prid. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Botaczynsky Iuniori clerico Poznaniensis diocesis, salutem etc. Constituitur Coadiutor Iohanni Botaczynsky Seniori Canonico Cracoviensi, senio iam confecto. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXVI. v. Id. Iunii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XLIII. fol. 120, Tom. LXXXIV. fol. 27,
Tom. LXXXVII. fol. 195, Tom. CXV. fol. 148.

CCCCIII.

Praepositura domus Michoviensis ord. S. Augustini Cracoviensis dioecesis unitur mensae episcopali Premisliensi.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad apostolice dignitatis apicem divina dispositione vocati ex suscepte servitutis officio votis illis, per que ecclesiarum omnium, presertim cathedralium insignium, et personarum illis presidentium pro earum decentiori sustentatione commoditatibus consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Petri episcopi Premisliensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum bona mense episcopalis Premisliensis propter frequentes Tartarorum, Turcorum et aliorum infidelium incursus et alios succedentium temporum sinistros eventus, quibus partes ille sepius affliguntur, plurimum devastata, et illius fructus, redditus et proventus tenues et exiles effecti fuerint, ut ad commodam et decentem dicti Petri et pro tempore existentis episcopi Premisliensis sustentationem et onerum sibi, qui etiam regni Polonie vicecancellarius existit, etiam ratione reipublice christiane pro tempore incumbentium supportationem vix sufficiant, ac prepositus pro tempore existens domus de Miechoviensis sepulcri dñici Ierosolimitani ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis, bona ad ipsam domum et illius preposituram spectantia a militibus et armigeris ad bella pro defensione confinium partium earundem contra infideles pro tempore proficiscentibus, ut opporteret, tueri et deffendere non possit, si dicta prepositura, que conventualis est, et ad quam, dum pro tempore vacat, electio persone ydonee in prepositum ipsius domus per Polonie regem pro tempore existentem, pro illius electione confirmanda episcopo Cracoviensi similiter pro tempore existenti presentande, de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine pertinet, prefate mense perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex hoc profecto eidem Petro et pro tempore existenti episcopo Premisliensi pro eius decentiori sustentatione, et onerum predictorum faciliori supportatione uberior succederet provisio, et bona prepositure huiusmodi a devastatione militum et armigerorum predictorum per ipsum Petrum et pro tempore existentem episcopum Premisliensem, dicti regni vicecancellarium, illesa facilius preservari possent: Quare pro parte eiusdem Petri episcopi asserentis fructus, redditus et proventus prepositure tercentorum ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut preposituram predictam eidem mense perpetuo unire, annectere et incorporare aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, prefatum Petrum episcopum a quibusvis excommunicationis etc. fore censentes, necnon fructuum, reddituum et proventuum dicte mense verum annuum valorem presentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, consideratione etiam carissimi in Christo filii nostri Sigismundi moderni Polonie regis illustris nobis super hoc humiliter supplicantis, preposituram predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem mense, cum ad hoc ipsius Sigismundi regis expressus accedat assensus, prout per publicum documentum nobis legitime extitit facta fides, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod si actum nunc quovismodo et ex cuiuscunque persona vacet exnunc, alioquin cedente vel decedente dilecto filio moderno dicte domus preposito, seu dictam preposituram

alias quomodolibet dimittente et illa quovismodo vacante, etiam apud sedem apostolicam, liceat eidem Petro et pro tempore existenti episcopo Premisliensi per se, vel alium seu alios corporalem possessionem prepositure ac illius bonorum, iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in suos et mense ac prepositure predictarum usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus priori voluntate nostra predicta et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domus et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon quibusdam litteris felicis record. Innocentii pape VIII. predecessoris nostri, postmodum per pie memorie Iulium papam II. etiam predecessorem nostrum, ac etiam forsan per nos approbatis et innovatis, per quas inter alia idem Innocentius predecessor ex certis tunc expressis causis de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio archiprioratum sancti sepulchri dominici Ierosolimitani dicti ordinis sancti Augustini illiusque prioratus, preceptorias et membra alia cum eorum iuribus et proprietatibus, ac in eiusdem ordinis prioratibus, preceptoriis, domibus et membris illorum, quibus denominabantur, nomina ac dependentias et pertinentias omnino suppressit et extinsit, illaque omnia per universum orbem existentia et constituta hospitali sancti Iohannis Ierosolimitani pro illius membris de simili consilio perpetuo univit, incorporavit, concessit et assignavit, et dicti suppressi ordinis ab illius regularium institutorum observatione, exceptis tribus substancialibus votis per eos forsan emissis, et habitus eiusdem suppressi ordinis delatione de simili consilio absolvit, et ad hospitale ipsum et illius ordinem transtulit, ac voluit, ut extunc decetero illum gestarent habitum, qui per fratres dicti hospitalis gerebatur et habebatur, ac illius regularibus institutis se conformarent, et tam qui in titulum quam qui in commendam illa tunc obtinebant, ad aliorum fratrum dicti hospitalis ac conventus Rhodi hospitalis eiusdem, aut ab eis auctoritatem habentium moderationem pro temporum qualitate de eorundem membrorum, que sic obtinerent, proventibus communi thesauro dicti conventus suffragia et onera exhiberent annuatim, ac magistri et conventus predictorum mandatis obtemperarent, nec quovismodo clam vel palam illi, qui huiusmodi prioratus aut loca dicti ordinis suppressa tenerent, eis cederent aut renunciarent, vel de eis donationem facerent absque expresso consensu, licentia et auctoritate magistri et conventus predictorum, quod si secus facerent, irritum et inane, quod factum foret, nulliusque roboris esse decrevit, et nichilominus penam privationis beneficiorum et excommunicationis late sentencie eo ipso incurrere censerentur, plenam magistro dicti hospitalis pro tempore existenti et prefatis conventui ac habentibus ab eis potestatem ex eisdem sic suppressi ordinis prioratibus, domibus, preceptoriis et membris huiusmodi prioratus, baiulivas et preceptorias ad instar aliorum membrorum dicti hospitalis auctoritate apostolica ordinandi, et cum pro tempore vacarent, de eisdem disponendi concessit facultatem, decernens prioratus, preceptorias, domos et membra dicti sepulcri dominici dicto hospitali, ut prefertur, applicata et illa tunc et pro tempore obtinentes privilegiis, favoribus et indultis, quibus alias eiusdem hospitalis membra et fratres potiebantur et gaudebant, uti, potiri et gaudere posse et debere, et in hiis, que hospitali et membris ac illa obtinentibus concederentur imposterum, parimodo includi, irritum quoque et innane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, quibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prepositurис huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, et si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde secuta quecunque, necnon quascunque speciales vel generales reservationes, etiam mentales, expectativas, et alias gratias ac alias uniones, annexiones et incorporationes perpetuas vel temporales suppressiones, extinctiones absque consensu coadiutorum, deputationes, nominationes, nominandi et conferendi ac uniendi, supprimendi et extinguendi et alia, citra tamen accessus et regressus, facultates, litteras, mandata, concessiones et indulta quecunque, etiam cum provisionibus seu aliis dispositionibus et specialiter, nominatim et expresse de dicta prepositura, etiam extunc prout ex die vacationis illius et econtra, quibusvis personis, etiam nostris et antiquis et pro tempore descriptis familiaribus continuis commensalibus, ac Romane curie officialibus et officia sua actu exercentibus, et alias cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, et quacunque, etiam episcopali, archiepiscopali vel alia maiori ecclesiastica et cardinalatus honore, seu mundana, etiam regali, reginali, ducali aut alia maiori dignitate,

auctoritate et excellentia fungentibus, seu in eorum aut ecclesiarum, monasteriorum, mensarum et beneficiorum ecclesiasticorum, aut universitatum et studiorum generalium favorem, et regum, reginarum, ducum aut aliorum principum contemplatione vel intuitu, aut ob remunerationem laborum et obsequiorum etiam nobis et dicte sedi impensorum, aut in recompensam iurium cessorum vel ablatorum, seu ex quavis alia quantumcunque grandi, maxima et urgentissima causa et ad illorum seu cuiuslibet, aut etiam ad nullius instantiam et alias quomodolibet, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine, ac cum quibusvis antelationibus, suspensionibus, restitutionibus, modificationibus, attestationibus, declarationibus, derogationibus et aliis efficacissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, etiam talibus, quod illa nullatenus, aut non nisi sub certis modo et forma in eis contentis suspendi vel limitari possint, irritantibus, ac quod illa extunc vere et non ficte effectum sortita sint, et illis, quibus concessa sunt, ius in re quesitum sit, illique beneficio reale de non tollendo ius quesitum gaudere ac gratie ipse inter eos et nos ac sedem eandem vim initi contractus habere deceant, ac aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, et alias sub quacunque forma et expressione verborum per nos et sedem eandem etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concessas et concessa hactenus et imposterum concedendas et concedenda, quas et que illorumque omnium vim et effectum, etiam si de illis eorumque totis tenoribus et datis specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes, mentio dispositive fieri deberet, alioquin quevis dispositiones, etiam per nos pro tempore facte pro nullis et infectis haberentur huiusmodi tenores et formam ac decreta in illis apposita, necnon nomina, cognomina et qualitates personarum et cardinalium, quibus et causas, propter quas reservationes et alie gratie predicte concesse et facte fuerint, seu in quorum favorem et commodum quomodolibet emanarunt et imposterum emanabunt, pro sufficienter expressis habentes, quo ad hoc motu, scientia et potestatis plenitudine similibus suspendimus, et in dicta prepositura effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus, (et) ad dictam prepositaram volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prepositurarum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de [qua] quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod prefatus Petrus et pro tempore existens episcopus Premisliensis in dicta domo sufficientem et consuetum numerum fratrum dicti ordinis tenere, et illis de congrua portione pro eorum sustentatione ex fructibus dicte mense providere teneantur, alioquin unio huiusmodi dissoluta sit eo ipso, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas dicta prepositura debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed eius congrue supportentur onera consueta. Et insuper unionem, annexionem et incorporationem predictas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et derogationibus similium vel dissimilium unionum, annexionum et incorporationum effectum non sortitarum per nos et sedem predictam, et in favorem quarumcunque personarum, etiam cardinalium aut mensarum ecclesiasticarum et beneficiorum ecclesiasticorum, et motu, scientia et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter sub quibusvis verborum formis etiam cum quibusvis antelationum prerogativis, decretis, declarationibus et aliis, et derogatoriarum derogatoriis fortioribus et insolitis clausulis factis et faciendis minime comprehendi, sed ab illis semper exemptas censeri, et ad hoc ut sub illis non comprehendantur, ex nunc vere et non ficte suum plenarium effectum sortitas, ac de non vacatura, sed vacante prepositura predicta factas fuisse, ac eidem Petro et pro tempore existenti episcopo Premisliensi ius in re et ad rem acquisitum existere, ac cum regula nostra de non tollendo ius quesitum gaudere, et illi in omnibus et per omnia uti debere, sicque per quoscunque iudices, etiam eosdem cardinales et causarum palacii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate sententiari, iudicari et diffiniri debere, ac exnunc quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, irritum et inane decernimus. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, derogationis, suspensionis, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo decimoseptimo, duodecimo Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. VII. fol. 332.

CCCCIV.

Marchioni Brandeburgensi, ut episcopum Revalensem commendatum habeat, et inter regem Daciae et regnum Scotiae concordiam conciliet.

Dilecto filio Nobili viro Ioachim Marchioni Brandeburgensi Principi Electori.

Leo PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Retulit nobis venerabilis frater Ioannes episcopus Revaliensis, Nobilitatem tuam bonam ac amplam ei spem praebere omnis favoris et auxilii tui, ut aliquam cathedralem ecclesiam ex eis, quae sub tuo temporali dominio constitutae sunt, earundem occurrente vacatione, assequatur. Quod nobis pro nostra in eum gratia et benivolentia gratum admodum est: quare cum in praesentia ad Nobilitatem tuam iter suscipiat, eandem hortamur, velit pro nostra etiam ac Sedis Apostolicae reverentia eum commendatiorem habere, ac operam dare, ut res ad optatum effectum perducatur, intelligamusque nostra eum apud te commendatione plurimum fuisse adiutum. Ex eodem etiam intelliges, quanta benivolentia et paterno affectu tuam Nobilitatem ac illustrem domum tuam Brandeburgensem prosequamur, et quantum nobis cordi sit, ut bellum, quod inter Carissimum in Christo filium nostrum Christianum Daciae Regem illustrem et gubernatorem ac populos regni Scotiae ortum esse intelligimus, tua etiam prudentia, interventu et auctoritate sopiatur, christianique sanguinis effusio evitetur. Cui in iis, quae retulerit nostro nomine super ea re et concordia fidem indubiam adhibere velis. Datum Romae etc. xiv. Septembris mdxvii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XXXI. ep. 12. pag. 653.

CCCCV.

Providetur quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis.

Leo episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Revaliensi, sal. etc. Conceditur ipsi ad restaurationem fabrice sue ecclesie, ornamentorum, vestium ac paramentorum sacrorum emptionem ac pauperum alimoniam quartam partem omnium reddituum, proventuum, fructuum etc. Monasteriorum de Padis Revaliensis ac Rume in Galandia Lincopiensis diocesium ord. Cisterc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxvii. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Mathie Lobotsky clerico Gneznensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi Archidiaconatum in dicta ecclesia, mense Archiepiscopali Gneznensis ecclesie in perpetuum nuper annexum et incorporatum, quem Vincentius Wintski obtinebat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxvii. iv. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Iaroslai de Lasco Custodi ecclesie B. Marie Lanciciensis Gnezn. diocesis, salutem etc. Confert ipsi dictam custodiam necnon canonicatum et prebendam in Cracoviensi et Plocensi ecclesiis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. mdxvii. Prid. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. XII. fol. 267. et Bull. Tom. LXXXIX. fol. 150. XCIX. fol. 33.

CCCCVI.

Nicolaum Sambirg ord. Praed. de his, quae cum Basilio Moschoviae duce contra Turcam egit, laudat, et ad maiora peragenda excitat.

Leo episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Nicolao Sambirg ord. predicatorum, nuntio nostro, salutem et apostolicam benedictionem. Que scribis ad nos de dilecto filio Nobili viro Basilio Duce Moscovie, ea libenter legimus, prudentiamque tuam, et in agendis rebus diligentiam ac ingenium mirifice in Domino commendavimus: rem enim a nobis iam diu ante exoptatam atque agitatam, illum Ducem fortissimum, maximis ab omnium bonorum largitore Deo et animi et honorum instructum muneribus, ad nostram sanctam amicitiam coniunctionemque reconciliandi, vidimus tua opera ac industria ad aliquam spem perficiendi esse deductam: quod quidem dominum Deum nostrum supplices deprecamur, ut pro ipsius nominis honore fideique catholice utilitate, ac supradicti Ducis non solum amplitudine, verum etiam salute ex animi nostri sententia confectum reddat. Ac in hiis quidem, que tu pro eo a nobis supplicasti ad incrementum illius dignitatis pertinentia, nostra promptissima est voluntas morem illi gerendi, si modo ipse talem se prestiterit christiane reipublice, cuius ipse quoque nobile membrum est, ut dignus habeatur, quod in illa summi honoris titulum gerat. Et huius quidem glorie promerende in manibus est occasio. Si enim ad communem Christianorum principum concordiam accesserit, propriis viribus suaque dignitate ad obsistendum immanissimo Turce sanctamque expedi-

tionem in illum movendam studium ac virtutem suam contulerit, non modo illum in nostrum sancteque Romane ecclesie ac sedis apostolice gremium atque complexum accipiemus, ea tamen pacta legesque servantem, quibus sancta salutarique concordia orientalis ecclesia Romane ecclesie per felicis recordationis Eugenium quartum predecessorem nostrum, et clare memorie Iohannem Paleologum imperatorem Constantinopolitanum in Concilio Florentino coniuncta fuit, verum etiam regali illum honore et titulo decorabimus, habebimusque illum in Carissimorum in Christo filiorum nostrorum numero, omnibusque ornamentis, quibus cum Dei et huius sancte sedis honore honestari poterit, illum et libenter et letissimo animo afficiemus. Que volumus tue devotioni nota esse, ut possis nostro nomine, si tibi videatur, hec illi promittere et polliceri, super quo amplam tibi tenore presentium facultatem concedimus simul et potestatem, ratum et firmum habituri, quicquid illi in hanc formam de fide catholica, ut prefertur, benemerito pollicitus fueris, ac promissionum tuarum fidem opere ipso comprobaturi. Tu ergo, dilecte fili, perge Deo navare hanc operam, talemque principem, quem nos paterno amore eligentes, optavimus semper filialem nobis prestare benivolentiam, ad caritatis vincula nobiscum et cum hac Sanctissima Sede revocare insta, ut nos tali filio, tanto propugnatore fides catholica, ipse vero clarissimis premiis sue pietatis et in Deum reverentie gaudere possimus, sicut domini freti misericordia futurum confidimus. Datum Monteflasconis Anno etc. millesimo quingentesimo decimo octavo, Kalendis Octobris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. Tom. XI. fol. 166.

CCCCVII.

Eidem, ut principes christianos ad Turcarum tyrannum debellandum concitet.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Sambirg ord. predicatorum professori nuntio nostro, salutem etc. Misimus te cum benedictione illius, cuius vices in terris gerimus, et qui curam gregis sui nobis committere dignatus est, ad Carissimos filios nostros Maximilianum Romanorum Imperatorem electum aliosque reges et principes christianos, ut illis nostro nomine de sevissimo Turcarum Tyranno vel potius horribili monstro significares, quod contra ius naturale gentium et divinum violenter agens, in patrem parricida, in fratres fratricida fuit, suasque impias manus eorum sanguine fedare non dubitavit, ac dominandi libidine quadam furens, magnum Egypti Sultanum penitus delevit, ac Sophi totis viribus profligare ac delere nititur, ut facilius reliquas nationes, et presertim christianos, quos inexplibili odio prosequitur, subigere et crudelissime tyrannidi sui submittere possit, eisdemque regibus et principibus persuaderes, ut pro communi salute ac illius honore, qui omnium bonorum largitor est, et qui eos regnare permictit, unitis animis iunctisque viribus arma nobiscum sumere, ac tam diri portenti nephariis conatibus resistere, ipsumque, omnium creatore actus nostros dirigente et desideria nostra complente, superare atque opprimere vellent, scientesque quanti ad hoc perficiendum momenti esset, si potentes ac validas Moschoviorum vires nobis adiungere possemus, tibi etiam in mandatis dedimus, ut omnes ingenii tui nervos intendere omnemque operam impendere non desineres, quo nobilem ac strenuum virum Basilium ipsius Moschovie ducem salubriter persuaderes, ut nobiscum sentire, suisque viribus ad premissa peragenda nos iuvare vellet. Quibus omnibus tibi per nos iniunctis, et a te singulari dexteritate prudentiaque tractatis, divinaque inspirante gratia ad optimam spem reductis, cum novissime ex litteris tuis intellexerimus, te cum prefato Moschoviorum duce talem operam novasse, ut speretur ipsum omnia, que ab eo nobis prestari desideramus, prompto animo prestare paratum fore, non mediocri letitia affecti fuimus, te qui hoc tam carum preciosumque talentum superlucrari tam diligenter ac sedulo curasti, plurimum in domino commendantes, ipsique immortali deo, a quo bona procedunt omnia, maximas agimus gratias, qui pro sua fide augenda et salute nostra conservanda operari, taleque nobis subsidium ac tantam virium accessionem, et ad prefatum hostem nostrum debellandum oportunitatem prebere, velle ostendens, omnium regum ac principum christianorum corda ad sanctam necessariamque adversus tam immanem belluam, omnibus cedem et exitium minitantem, salutiferam expeditionem sumendam hortari, et quasi impellere videtur. Tuam itaque devotionem in domino hortamur attenteque requirimus, ut in opere tam sancto perseverans, ipsum Moschoviorum ducem hortari, et cordis eius fores assidue pulsare non desistas, ut ipse cum tota gente ac natione sua pro illo, qui cuncta creavit, ac grege nobis commisso strenue viriliterque adversus tam impium Tyrannum pugnare, sanctamque expeditionem huiusmodi iuvare velit. Quod si, ut in domino

speramus, fecerit, ei non modo, que pro illo nobis supplicasti, benigne concedemus, ipsumque regio honore ac titulo decorabimus, et inter Carissimos filios nostros habebimus, verum etiam, si domino concedente de hostibus nostris victoriam reportabimus, eius vires ac regnum augere et ampliare, ipsumque, quantum cum deo fieri poterit, omnibus commodis et ornamentis honestare curabimus. Que ut ei nostro nomine promictas largeque pollicearis, tibi per presentes commictimus, ratum et gratum habituri quicquid ei per te promissum et cum eo conventum fuerit. Datum Montefiasconis Anno etc. millesimo quingentesimo decimo octavo, Kalendis Octobris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secr. Tom. XI. fol. 164.

CCCCVIII.

Acta legationis epi Plocensis apud Leonem PP. X. et Maximilianum Imp. in comitiis Augustanis anno MDXVIII.

Anno Domini MDXVIII. et sequentibus Reverendus Pater Dñus Erasmus Episcopus Plocensis, dum apud Leonem Papam X. et Maximilianum Imperatorem nomine Serenissimi Principis Dñi Sigismundi Regis Poloniae oratorem ageret, haec suarum expedicionum et aliorum quae memoria digna censebat, recolligere curavit.

Oracio Augustae habita per eundem Plocensem Antistitem in Conventu Imperiali coram Maximiliano Caesare et omnibus Sacri Imperii Electoribus plurimisque Germaniae Principibus die Veneris xx. Augusti Anno MDXVIII.

Venimus a Rege nostro, Sacratissime Imperator, ad hunc celeberrimum Conventum, quem solita vigilancia tua pro salute Christiani status aeque comendate ut opportune hoc loco et tempore instituere curasti, acturi Maiestatis Regiae et amplissimorum eius Dominiorum nomine, quae ad sanctam expeditionem generalem contra immanissimos Turcas totiens propositam commode attinebant. Quantum vero necessariae sint simulque cum vita omnium nostrum desyderatissimae praeparaciones iste Christianorum coadunatis viribus, hostis aucta potentia testatur. Iam annos circiter septuaginta post infelicem et calamitosam Bysantii capcionem, quae patulam ad nos hostibus ianuam praebuit, nil aliud audimus, quam clades atque excidia continua Christianorum a Thurcis, et dum omnes ad resistendum, ut par esset, consurgere negligimus, tot Principes cum subditis suis, tot Reges cum eorum populis, tot denique Regna ditissima cum magna iniuria religionis nostrae et maxima indignitate Christiani Imperii miserabiliter deleta sunt, quae sigillatim enumerare dolor profecto moerore plenus prohibet, quandoquidem neque ea me referre, neque vos audire siccis oculis liceret. Capita utcunque decerpam. Nonne videmus Asiam universam, que e tribus orbis triangulis maior est, his et aliis Infidelibus occupata, Affricam vero totam impiis ac sceleratis eorum manibus desolatam, Europae magnam partem tot incendiis et assiduis vastacionibus debilitatam, et hucusque dormitavimus. Sed neque his contentus hostis, ut forcior fieret, Aegipti et Syriae Regem (quem Solthanum dicunt) aggressus, superavit, totiusque Syriae et Aegipti ea victoria (sed et Hyerosolimae matris nostrae ubi salus orta est) unicum se dominum constituit, et altero fere Imperio longe ante formidabilem potentiam suam auxit. Nos vero torpemus, et bellis intestinis plus insolenter quam necessario exagitati, gladiis nostris domesticos fidei aut pocius nos ipsos detestanda malignitate confodimus, nec Prophetae sapientis verba, quae adversus nos tanquam Ethnicos clamitant, attenduntur, dignaque facinore supplicia annunciant. Ipsi (inquit) contra sanguinem suum insidiantur, et infra: Ego vero, dum eis repentina ingruerit calamitas, non exaudiam. Parat nunc in Christianos terra marique arma sua, instat Turcarum framea capiti et collis nostris, et adhuc oscitamus, vixque ad pacem mutuo complectendam tanta periculi magnitudine urgente componere mentes volumus, Leone Sanctissimo id dies noctesque curante. Hortatur nos hostis, excitat a somno, commonefacit desides, torpentes terret, dum iampridem ad ostia Tyberina, nunc vero ante paucos menses circum Racanati moenia, et hisce iam diebus, dum hic agimus, iterum ad Ostiae portus ferro et sanguine debachatus sit. Nos tamen fatis sic volentibus omnia haec quae ultimum omnibus exicium minantur, ridiculum putamus, ut iam illud divi Petri naufragantis, dum sibi in fluctibus dextram dari poposcit et meruit, dicere libeat: Salva nos, Domine, perimus. Collegerat similem conventum Ratisponae felicis recordacionis charissimus genitor tuus post insperatam Carniolae suae depopulacionem: multa illic in eam sententiam a viris doctissimis declamata sunt, multa etiam prophetico quodam spiritu praedicta, nisi tunc instantibus et evidentissimis periculis aliter obviatum fuisset. Quae omnia flebilis tandem effectus complevit, cum nulla consulta invicem et constituta nulla suo ordine (ut necessitas postula-

bat) debitae execucioni mandarentur, et omnis rei bene gerende commoditas simul cum tempore amissa fuit turpiter aut neglecta. Nunc iterum, Caesar invictissime, pro dignitate et debito tuo Conventum hunc bono coeptum omine diligenter prosequeris, ut labenti reipublicae Christianae efficaci opera subvenire possis. Et iuste quidem. Sic enim Christianorum Imperator re pariter constabis et nomine, dum pii, qui tuo subsunt Imperio, a Cesare suo adiuti fuerint et defensi. Quam equidem deliberacionem multo iam tempore pro connata animi tui magnitudine conceperas, qui annis his proximis tres Christianos Reges potentissimos in Austriae tuae urbe primaria tum splendide, tum honorifice tecum habueris, foedereque simul immaculata fide percusso plura cum eis in rem Christianam mutuis tractasti consiliis. Quod re vera pro singulari gloria tua omnium ora passim praedicare non desistent, pluresque adamantinis scriptis perpetuare curabunt. Neque enim parens tuus, neque Caesares alii tantum actum tryumphis Octavii merito aequandum pro suo unquam desiderio efficere poterant. Omitto nunc catervam immensam victoriarum tuarum, quae tibi semper optatis ubique successibus respondebant, ut quilibet bonae mentis metiri ex his possit, quae et quanta in arbitrio et moderacione tua consistant. Quin etiam luce sit clarius, plus ornamenti Imperio tua prudencia et felicitate allatum esse, quam tibi Imperii Maiestate. Atque ideo pater patriae a tota Germanica nacione (quae sub coelo maior est) merito appellaris, quibus immorari, ut volui, temporis vetat angustia, dum ista vulgata iam sint et toti mundo notissima. Tu deinde tua sponte et virtute, Regumque illorum hortamentis incitatus, non modo in optimum propositum et tua amplitudine dignum devenisse perhiberis, sed ultro etiam totius belli gerendi progressum, raciones, ordinem et modum concinne describere curasti, tanta pericia rei militaris tantoque studio et omnium digna consideracione, ut facile appareat, invencione hac tua, nedum Imperatoris summi, sed excellentissimi quoque armorum Ducis et animum fortem et consilium circumspectissimum non deesse. Habet rem hanc cordi aequa lance sedes sancta, religionis nostre caput et magistra, quae tot annorum Concilium foeliciter continuans, singulares et urgentissimas admoniciones qualibet sessione ad hunc effectum instituere solebat, ubi et Turcarum tela pectoribus suis infixa Episcopi declamantes ostendere visi sunt, ut non verbis tantum, sed rebus et sanguine ipso pungerent segniciem nostram, et deiectos Christianorum animos, quantum possent, erigerent. Cuius naviculae gubernator verum se leonem in his praestat, quippe qui salutiferos rugitus et vigilantissimas cogitationes suas, summoque etiam vero pastore dignas ad hoc unum convertit, ut communi potencia tantis periculis ultimum iam interitum secum ferentibus quantocius succurratur.

Quae omnia dignissimi hii Legati Sanctitatis Suae magis abuude explicarunt. Recte gubernabant populum Dei Moyses et Aaron, David et Nathan, pluresque Romani Pontifices cum Imperatoribus Christianis, iuncta simul gratia utraque potestas. Binum nobis reliquit gladium transiturus ad patrem Salvator noster, bina coluerunt elementa Persae, ignem et aquam, duobus etiam nos salvamur, fide et opere. Curabis etiam tu, Caesar inclite, cum Leone Sanctissimo utroque iuncto gladio eripere de faucibus inimicorum et tot calamitatibus oves Christi. Inconsutilem enim tunicam repraesentatis, quae sub hoc tempore vestro non abs re profecto inventa est. Adhibebit ignem oracionis et spiritum fortitudinis benedictum Sacerdotium, neque impensa deerit. Tu aquam non gelidam, sed ferventissimae defensionis cum Regibus Christianis indefesse suggeres, fidemque nostram et spem omnem opere adimplebis, ut a ferocitate Turci salvi simus. Unica namque est gloria, penates nostros et Religionem, in qua nati sumus, tueri et defendere, pro qua iam omnes maiores tui tot Reges et Caesares, sanctorum nonnulli cathalogo ascripti, foelices et candidissimae animae, plura bella in Europa et Asia gloriose susceperunt, qui semper magnanimitate ingenita aliena quaerere, non sua amittere didicerant. Gignit nos natura misere, vivimus demum tot onusti curis, et tanquam flos decrescimus, decidimus tandem et morimur. Solus is diu vivere perhibetur, qui cum vita excesserit, perpetuam sui nominis bene gestis aut factis memoriam propagaverit. Quo fit, ut adsimus absentes, mortuique vivamus. Tritum fuit adagium apud veteres, pulchrum mori decorat vitam, quod plurimi, ut patriam conservassent, corpus simul et animam devoventes vivis effectibus comprobarunt. Tu itidem, Sacratissime Imperator, (ut tui Secretiores referunt) priora de Christiano statu secum repetens, et futura ante oculos ponens, mente (ut fit) liberiore dicere soles, nullum mortis genus te gracius excipere velle, quam quod in castris militaribus contra infideles ad virentes campos feliciter eveniret. O virtus animi commendatissima, sic corporis robori tanti Principis insita et coniuncta! Non hominis profecto deliberacio ista est, sed numinis vox quaedam, et solo digna Caesare. Dum non lectum eburneum, non sericeum pulvinar, non auratum

cubiculum, sed prata virentia et foenum rusticum pro deliciis Regalibus exposcas, ut debito Imperiali, quo toti Christianitati teneris, ingenue satisfacias, pro quo tibi omnes mentem sanam in corpore sano, vitaeque diuturnitatem precabuntur, et ut in hoc tam gloriosissimo proposito animo inconcusso persistas, erectis in coelum palmis attencius orabunt. Sed iam factis res aggredienda foret constantique pectore, sine omni ulteriore cunctacione prosequenda, post tot consilia et decreta multa, post tot conventus et exhortaciones varias, post tot instruciones et tractatus plurimos, armis tandem, non argumentis opus est. Iam enim de his tam crebris, sed vanis aut nullis consultacionibus et praeparamentis nostris (ut quidam Mediolanensis ex Turcia profugiens nuper in conspectu Regis nostri protulit), saepius dicit Turcus ad modum subsannantis: Consulant Christiani, consulant, et ego faciam; quod re ipsa et stupendis in dies victoriis demonstrat. Nos si veri Christiani sumus, quemadmodum Turcus in dedecus pocius nostrum affirmat, Christi fidem ad sanguinem usque mente intrepida, non ostentacione solum, sed effectibus sinceris observare, tueri, et quantum in nobis est, manutenere debemus, quoadusque vita nostra Christiano adversabitur nomini, ut qui Christum imitari, pro Christo nos opponere religionis vinculo arctamur, contra eius legem, contra oves suas, contra ipsum Christum ignavia, arrogancia et excessibus nostris in coelum usque cum gigantibus letiferas sagittas impudenter dirigimus. De locis certamus publica negligentes; hostis vero nos et nostra omnia ac loca simul deglutire contendit. Unum hoc conclamatum est, Turcas consiliis quibuscunque non convertemus, si armis non vincemus, quae divini verbi concionatoribus elucidanda relinquo. Quandoquidem multa nunc messis est, et operarii multi. Neque id deterreat, quod tam longo tempore orientali imperio hostis crudelitas posita sit, et desidia nostra eius potencia sic increverit, ut firmata esse videatur. Ad occasum intueri volenti possibilia omnia et facillima comperiet. Cum Sarracenorum immanitas Granatam et magnam Hispaniae partem supra septingentos annos haereditario admodum iure possederit: at Ferdinandi Regis victoriosissimi constancia Reginaeque Elizabeth devocione et suorum fortitudine paucis annis nedum recuperata sunt omnia, sed tota infidelium potencia non a Regni solum finibus abacta est, verum ad usque inferiora Mauritaniae littora cum perenni illius Regis gloria eiecta. Ille vero propriis tantum viribus et unica suorum manu strenue haec gessit. Tu commune bellum paras, generalem (ut aiunt) expedicionem tua opera, consilio et auspiciis Regumque omnium assensu et horum prudentissimorum Principum consilio, qui tuo lateri tanquam validissimae columnae adhaerent, instituere debes. Quis, oro, tot Regibus, tot principibus et tam numerosae multitudini resistere poterit? Dum et pacem exulantem multisque ante saeculis inter Christianos desyderatam nunc iam commodissime pro tui et Leonis animi satisfactione restitutam vides, et novo quodam quinquennali foedere cum omnium, qui bona voluntatis sunt, gratitudine firmatam intueris, ut nichil sit amplius, quod ad rem propositam feliciter gerendam desit, aut quod impedire possit. Non deerit votis tuis et Leonis Sanctissimi Serenissimus Rex noster cum omnibus Dominiis suis et tota illa septentrionis ora, modo bellis aliis, quibus continuo impetitur, finem optatum imponere possit. Quos vero hostes Regnum nostrum habeat, et quibus difficultatibus Rex ille bellicosissimus detineatur, paucissimis explicabo, ne piis auribus fastidii praebeam offendiculum. Notum est hac aetate nostra Sigismundi nomen celebre, longe lateque plurimis victoriis, fama refertissima pervolante. Nolo nunc genelogiam et ortum clarissimi Regis texere, quae Tuae Celsitudini et his omnibus satis cognita esse debent. Casimirea domus est, quae regnare semper didicit et vincere, praesenciam matura pulcritudine et aspectu iucundissimo decoram tu nosti, ita ex omni parte compositam, proceraeque gravitati coniunctam, ut ad Maiestatem ipsam nata esse videatur. Hic avito paternoque et fratrum Regno Senatu vocante successit, bello fortissimum, pace vero splendidissimum se praestitit et reddidit: quippe qui incomparabili iusticia, clemencia et liberalitate sic apud omnes suos charus est, sic eorum affectus aequitate et mansuetudine ac modestissimis legibus in se devinxit, ut inter tot bellorum tumultus non quod ex veteri instituto solitum est, sed quod Rex ipse praecipit, aut nutu solo designat, illico a suis omnibus cum summa animi alacritate perficitur. Quae profecto suprema laus Regum est, dum quisque subiectionis suae debitum amore illectus, non timore perculsus serena fronte et libera exequitur, idque efficit, ut dum Scythae fugaces (quod nostri Tartaros vocant) subito interdum et insperate fines nostros irruant, mox nobilitas e centro Regni primaria benignitati Principis satisfaciens vitam propriam et salutem mera ipsorum virtute devovet, et in media usque hostium agmina obiicere non metuat, spem reponens firmissimam in optimi Regis munificencia, qui benemerita cuiusque dignis praemiis excitare consuevit. Urgetur namque multis hostibus Regnum illud

amplissimum tribus, a parte una Scytharum ducibus potentissimis multa centena milia bellatorum in stacione campestri secum ducentibus, qui se etiam Caesares dicunt, uno Theodosiae propinquo post Boristenem ad latus maris Pontici in Thaurica residente, alter circum Tanaim et paludem Meotydem loca tenet, et is in manibus Regis est. Tercii sunt remociores Asiatici vastissimam incolentes solitudinem, et latissimos tenentes campos, hii omnes repentinis incursionibus Regnum depraedari et continue defatigare non cessant, famem, sitim, aestum et algorem ac omnem inediam contemnentes, saepius etiam Turcis iuncti, qui Monocastum et Licostomum occuparunt, maiora et horrenda damna nostris inferunt. Turcarum enim nutu Scythae omnes dependent, dum eadem secta sit Machometicis simul erroribus implicata. E quibus plane deprehendi potest facilius catulos a maternis uberibus, quam Tartaros a Turcarum assistencia divelli posse, qui nunc etiam contra Regem Persarum optatas viginti millium equitum suppecias tulerunt. De his Rex noster multas et insignes reportavit victorias, ut arces et loca Regni munitissima ostendunt, quae pacis tempore pro sui nominis immortalitate ordinatissime restaurat, ubi Scytharum catenatae acies latericiis in muris erigendis certamine quottidie congredi videntur. Est et alter hostis non minor ad rigentem Arcton citra mare glaciale consistens Roxolanorum Dux, quem nos Moschum dicimus, sola perfidia et detestando scismate famosus. Is partem Regni, Lithuanorum videlicet provinciam magno etiam bellorum motu turbat in dies, sed et hunc Rex noster patrocinante iusticia fudit saepius, eiusque potenciam triginta millibus in loco caesis profligavit, quam plurimis primoribus ad vincula coniectis, qui in omnibus Lithuaniae castris arctissima detinentur custodia, multis etiam aliis captivorum millibus per universum fere orbem variis Christianorum Principibus mancipiorum loco dono datis, iamque cruentum hoc bellum decennium superavit, dum sint qui eas discordias seminent et concitent, ac turpiter alere non verentur. Sed prochdolor non pudet etiam Religionis professores tantorum malorum auctores et faces esse, qui litteris et nunciis ad eam rem fovendam magisque irritandam terra marique sursum ac deorsum cursitant, ut Reges et Principes alioquin forte quieturos ad pugnam inflamment. Salutis insigne et candidam innocenciae vestem deferunt tanquam pacis amatores, et fratrum perniciem sitiunt, bellorumque fomitem et totam causam praestant: hi sunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: sed revera Deus fucis non illuditur: brevi namque eis secundum nequiciam adinvencionum ipsorum retribuet. Tuae vero Sacratissimae integritatis studium erga se et statum suum pacandum cognitum habet Rex noster, pro qua benivolencia ut parentem alterum observat, veneratur et colit, velleque vicissim eius Maiestatem omni opera et facultate eniti, ut quacunque occasione et modis tuae Celsitudini mutuo gratificari, et aeque firmum officium praestare possit. Et ut finem dictis imponam, his hostibus et quidem assiduis Regnum nostrum a trecentis pene annis premitur. Verum suo aere tantum, suo milite, et maximis laboribus totam hanc belli molem sustinuit, nemine Christianorum Principum suffragante, spe alebamur continua et nudis semper pollicitacionibus detinebamur, sumptibus et humeris nostris vicina hucusque ocia fovebamus, ut iam tanquam defessi et imbecilles a maioribus impensis continere nos possemus et deberemus merito. Nunc tamen ut privatos affectus publica vincat utilitas, expedicionem hanc generalem commendat summopere et approbat Serenissimus Rex noster, laudat modum de colligendo nervo bellico et exercitu congregando, quem Sanctissimus Dominus noster et tuae Celsitudinis providencia constituit, aliique Reges et Principes Christiani proponunt. Sed neque de eo pro nunc Maiestatem Regiam cum Senatu et subditis suis quicquam decernere potuisse inter domesticas difficultates et bellicam occupacionem cum ea quam memini hostilitate, quibus aliqua ex parte utcunque compositis et deliberacione huius dignissimi Conventus procedente, mox Maiestatem suam et de colligendo nummo, et de scribendo milite in Regno et dominiis suis itidem constituere velle, nec praetermissuram quicquam, quae vires eius, ac Regni et dominiorum suorum ferre poterint, et quae ad tam sanctum diuque desyderatum opus pertinebunt, dummodo aliquando cum effectu aliquo Christianae saluti consulatur, pro qua (ut verbis utar Regiis) et thesauros omnes et sanguinem ipsum cum vita effundere parata est. Perge igitur, quo coepisti, Sacratissime Imperator, et tot ac tantis gloriosisimis tryumphis tuis unicum hunc, qui cunctos alios superabit, apponere contende, ut utriusque Imperii habenas Christiani omnes te moderante aspiciant et laetentur. Vinces procul dubio in Signo Crucis, hostes teterrimos profligabis cum tanto apparatu et omni potencia Turcas impios, exterminabis cum Leone Sanctissimo et tot Regibus, spurcissimos infideles, et ad ultimos usque fines terrae, tanquam Christo alienos propulsabis, ut qui te Augustum in Augusta tua, et mense hoc Augusti auguste com-

perimus, post multas de infidelibus partas victorias, Machometique deleto nomine augustissimum tandem videamus. Iter autem parabis et diriget Dominus, cuius res agitur, carmine Prophetico attestante, Revela, Domine, viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.

Assistebant eidem Magnifici duo alii Oratores D. Raphael Castellanus Landensis et Boguslaus Lythuaniae Marsalcus. Aderant in hoc Conventu tres Reverendi Domini Cardinales Caietanus, Gurcensis et Maguntinus, pluresque Regum Oratores et omnes fere Germaniae Duces cum magna parte Episcoporum et nobilitatis suae primariae, qualis in Imperio supra triginta anno visus non est.

Exemplar mandati super Electione Regis Romanorum Oratoribus ad eundem Conventum Augustensem missis dati.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lythuaniae, Russiae, Prussiae etc. Dominus et haeres Notum facimus tenore praesentium universis, quod cum ut accepimus Electio Romanorum Regis multis racionabilibus ex causis imminet facienda, Nos ut patruus et tutor Serenissimi Principis Domini Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis, et Sacri Romani Imperii Principis Electoris, Reverendum in Christo patrem Dominum Erasmum Episcopum Plocensem, et Magnificum Raphaelem de Leschno Castellanum Landensem, Consiliarios nostros syncere nobis dilectos, de quorum prudencia et fidelitate singulari plurimum confidimus, ipsos omni iure, modo et forma, quibus melius et efficacius possumus et debemus, in veros et legittimos procuratores et nuncios speciales facimus, constituimus et ordinamus ad tractandum ubilibet una cum aliis principibus Sacri Romani Imperii Electoribus tam ecclesiasticis quam saecularibus, et cum ipsis concordandum, conveniendum et concludendum de persona quacunque habili et idonea in Regem Romanorum eligenda, ac ipsis tractatibus super electione talis persone habendis, pro nobis veluti tutoris et curatoris supra nominati Dñi Ludovici tanquam Bohemiae Regis et Principis Electoris interessendum, personam nominandum et in ipsam consenciendum, ac etiam in Regem Romanorum promovendum, et in animam nostram quodcunque iuramentum necessarium seu debitum praestandum, quod circa praemissa et quodlibet premissorum consuetum fuerit, prout de iure sigilloque nostro Regio, quod primus eorum secum habet, Electionem ipsam obsignandum, ac omnia alia et singula faciendum, quae in praemissis et circa praemissa et usque ad consummacionem tractatuum, nominacionis, deliberacionis et electionis huiusmodi de praesenti faciendae necessaria aut utilia fuerint, seu etiam quomodolibet opportuna, etiam si praemissa et eorum quodlibet mandatum magis speciale exigerent, etiam si maiora et magis singularia fuerint supradictis, et quae nosmetipsi nomine quo supra facere possemus, si huiusmodi tractatuum, deliberacionis, nominacionis et electionis futurae, aliisque negociis praesentes et personaliter adessemus, gratum et ratum habentes et habere volentes, et nos tutorio nomine supradicto pro Serenissimo Domino Ludovico Hungariae Bohemiaeque Rege etc. fratre et nepote nostro charissimo perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos nostros procuratores et nuncios in praemissis seu eorum quolibet actum, dictum, gestum factumque fuerit, aut quomodolibet ordinatum. Quibus omnibus et singulis praesentibus litteris contentis in evidens robur et testimonium sigillum nostrum de certa nostra sciencia et voluntate appendi fecimus. Datum Cracoviae decima Iulii Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo octavo, Regni nostri duodecimo.

Exemplar litterarum Maximiliani Caesaris et Oratorum Poloniae super ratihabicione Regis Bohemiae et Hungariae Ludovici, quantum ad electionem Romanorum Regis attinebat.

Nos Maximilianus Divina favente clemencia Electus Romanorum Imperator semper Augustus etc. et nos Erasmus Episcopus Plocensis et Raphael de Leschno Castellanus Landensis, tanquam Consiliarii et pleni Mandatarii Serenissimi Principis Dñi Sigismundi Regis Poloniae etc. Domini nostri gratiosissimi, Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis. Cum nos Imperator Maximilianus tanquam tutor et curator Serenissimi Principis Dñi Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis etc. Principis Electoris fratris et filii nostri charissimi, et nos praedicti Erasmus Plocensis et Raphael de Leschno tanquam pleni mandatarii praenominati Regis Poloniae, cuius Serenitas una cum praefato Caesare Maximiliano Domino nostro observandissimo iam dicti Serenissimi Dñi nostri gratiosissimi Regis Ludovici legittimus et naturalis tutor et curator existit, vigore huiusmodi tutelae et curae nomine praedicti Regis Ludovici, tamquam Regis Bohemiae et Principis Electoris, una cum Rño in Christo patre Dño Alberto Sanctae Romanae ecclesiae presbytero Cardinali Archiepiscopo Maguntino et Magdeburgensi, Administratore Alberstatensi, ac etiam Venerabili et Illustri Hermanno Archiepiscopo

Coloniensi ambobus sacri Romani Imperii per Germaniam et Italiam Archicancellariis, Ludovico Comite Palatino Reni et Duce in Bavaria, ac Ioachim Marchione Brandeburgensi, Stetinensi, Pomeraniae, Cassubiorum et Vandalorum Duce, Burgravio Nurembergensi et Principe Rugiae, ambobus Sacri Romani Imperii Archidapifero et Archicamerario, Principibus Electoribus, amicis et consanguineis nostris charissimis, ex summis consyderacionibus, rationalibusque et necessariis respectibus, Serenissimum Principem Dñum Carolum Regem Hispaniarum et Archiducem Austriae etc. filium et fratrem nostrum, ac Dñum gratiosissimum in Romanorum Regem eligere constituerunt, cuius etiam nos babemus plenam facultatem sive mandatum, quod nos subinde coniunctim et divisim vigore huiusmodi nostrae tutelae atque curae et pleni mandati nobis traditi consensimus, promisimus et polliciti sumus, consentimus, promittimus atque pollicemur ex certa scientia et per tenorem praesentium, si contingeret, quod praefatus Serenissimus Rex Ludovicus aut aliquis alius Serenitatis eius nomine huiusmodi electionem impugnarent, et sacri Romani Imperii Electores, qui una nobiscum huiusmodi electionem fecissent, convenire praetenderent, quod nos Caesar Maximilianus vel nostri haeredes, et Serenissimus nostrorum Mandatariorum Dominus Rex Poloniae, aut eius Serenitatis haeredes iam dictos Principes Electores coniunctim et divisim racione iam tactae impugnacionis, sive convencionis erga Serenitatem Regis Poloniae et alios quoscunque omnimodo excusare, pro eis respondere et indemnes eos relevare et manutenere, ac omnino curare et efficere debemus et volumus, quod praefatus Serenissimus Rex Ludovicus, postquam attigerit decimum octavum aetatis suae annum, praenominatam Electionem tanquam Rex Bohemiae et Princeps Elector ratificet, et in eam consentiat, prout nos eam virtute praefatae tutelae atque curae ac pleni nostri mandati ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc nomine et vice Serenitatis suae tenore praesentium ratificamus, et in ipsam consentimus, dolo et fraude semotis, et in fidem praemissorum nos Imperator Maximilianus has praesentes Caesarei sigilli nostri, et nos praefati Mandatarii dicti Serenissimi Regis Poloniae Dñi nostri gratiosissimi sigilli appensione fecimus communiri. Datum in civitate nostra Imperiali Augusta ultima mensis Augusti Anno Domini MDXVIII.

Consensus, assistencia, mutua obligatio quinque Electorum cum Caesare super futura Electione Caroli Regis Hispaniarum Catholici in Romanorum Regem ad Conventum Frankfordiae memoratum tunc instantem et ibidem voto omnium designatum.

Nos Maximilianus Divina favente clemencia Electus Romanorum Imperator semper Augustus etc. tanquam tutor et curator Serenissimi Principis Dñi Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis etc. Principis Electoris, filii et fratris nostri charissimi, et nos Dei gratia Albertus sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Archiepiscopus Maguntinus et Magdeburgensis, Administrator Halberstatensis, et nos Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, Dux Angariae et Westvaliae, ambo sacri Imperii per Germaniam et Italiam Archicancellarii, ac nos etiam Erasmus Episcopus Plocensis et Raphael de Leschno Castellanus Landensis, tanquam Consiliarii et plenum mandatum habentes Serenissimi Principis Dñi Sigismundi Regis Poloniae etc. Dñi nostri gratiosissimi, curatoris et tanquam contutoris gratiosissimi Dñi nostri Imperatoris iam dicti Regis Ludovici, et nos Ludovicus Comes Palatinus Reni et Dux Bavariae, sacri Romani Imperii Archidapifer, ac nos Ioachim Marchio Brandeburgensis, Stetinensis, Pomeraniae, Cassubiorum et Vandalorum Dux, Burgravius Nurembergensis, sacri Imperii Principes Electores, Recognoscimus coniunctim et divisim, et notum facimus tenore praesentium universis, quod nos ex rationalibus et arduis respectibus, ac eciam super singulari voluntate, instancia et requisicione nostri Maximiliani Imperatoris Electi, pro universalis Christianitatis beneficio, ac ad honorem sacri Imperii et Theutonicae nacionis commodum et utilitatem in omni bono consyderavimus, consensimus, et per verba nostra Caesarea et Electoria, ac etiam veritatis promisimus, et hoc per has facimus in praesenciarum ex certa sciencia tenore praesentium, quod nos Serenissimum Principem Dñum Carolum Regem Hispaniarum et Archiducem Austriae etc. filium et fratrem ac consanguineum nostrum charissimum, tanquam natum Archiducem Austriae ad eam diem, quae nobis secundum antiquam consuetudinem per citationem proxime denominabitur in civitate Frankfordiae ad Menum, per nostram tanquam tutorum et Electorum Principum vocem et electionem ad fastigium et dignitatem Coronae Romanorum Regis et futurae gubernacionis sacri Romani Imperii prae omnibus aliis dare et evehere, ac quantum in nobis est, Serenitatem Suam Romanorum Regem eligere et creare, ac decretum desuper (prout convenit) erigere et expedire, et in hoc nullo impedimento quovis modo aut via nos impediri permittere debemus, et volumus nos etiam praenominati omnes, super hoc invicem constrinximus et obligavimus

ac consensimus, etiam pro nostra Caesarea et Principum Electorum ac veritatis verba promisimus et polliciti sumus, et hoc facimus pro nunc ex certa sciencia per tenorem presentium, quod nos in huiusmodi electione indivisi et inseparati insimul permanebimus, et si aliquis in hoc nobis errorem et impedimentum, aut propterea aliquam querelam sive instanciam, contrarietatem et molestiam, aut quicquid aliud, quod hominis ingenium excogitare poterit, nichil excipiendo, inferre et inducere attentaret, contra talia unusquisque nostrum maiori suarum virium qua poterit facultate firmiter, et simul omnes conservare, auxiliaque et consilia pro manutencione omnium nostrum coniungere et invicem facere, et de eis nos minime abstrahere et separare debemus, et volumus harum testimonio litterarum manu uniuscuiusque nostrum subscriptarum sigillorum nostrorum appensione roboratarum. Datum in Civitate Augusta die XIIII. Septembris Anno Domini MDXVIII.

Oracio habita Augustae coram Caesare et omnibus Electoribus ac toto illo Conventu per Rños Dños Sedis Apostolicae Legatos de latere, Thomam tituli sancti Sixti Caietanum et Matheum tituli sancti Angeli Gurcensem presbyteros Cardinales.

Boni adsumus Nuntii, Illmi Principes. Leo X. Pontifex Maximus post apostolicam benedictionem, Romanum Christianum idemque vestrum Imperium occupatum a Thurcis restitutum vobis iri, vestra ac Christianae reipublicae virtute et opera cupit, disponit, primumque a vobis petit. Memoria siquidem cum repetimus maiorum vestrorum gloriam, animi magnitudinem, et ea quae fortiter et strenue gesserunt pro republica, si Ecclesiae religionisve causa ageretur, non possumus non laeti atque hilares nos ipsos continere, cum non intra nos ominemur, non coniiciamus, non extimemus, sed ipsis (ut aiunt) oculis conspiciamus, quanto sitis animo, quantis sitis viribus ad Christianam rempublicam atque religionem capessendam, priscorum vestigiis insistendo occursuri: ita ut qui annis prope septingentis Romanum Imperium ereptum a Graecis, receptum a Gallis summa fide Apostolicae Sedi servastis, idem quoque nunc sit non modo defendendum, sed quacunque orbis patet, vestra quoque virtute ac fide propagandum. Italia omnis si quam reliquam spem habet, in Germanis habet, si quam victoriae lucem videt, in Germanis videt, Germanos Christiani huius belli auctores ac duces, eosdemque confectores sibi pollicetur: nulli enim tantum Christiani nominis ac fidei patrocinium quam hic esse, quod in Caesare et Germanis Principibus residere arbitratur. Nec vos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, et id genus aliis in periculo praesertim religionis et Imperii sibi persuadet. Nolite itaque pati, ut quam tantam de vobis opinionem omnes conceperunt, irritam ac inanem fuisse postea fateantur, praesertim cum praesidere Deum Optimum Maximum vestris ductibus sciamus. Cum enim causa haec agitur, Dei causa agitur, cum in nefarium impurumque Thurcam acies instruitur, pro Deo pugnatur, cum in hoc genus mortis itur, pro Deo cadimus, foelicissimum profecto mortis genus, quo vita comparatur, et ea aeterna. An forte timendum vobis est, Germani, ut hostibus cedatis, qui ipsas quoque Romanas legiones, alias invictas, profligastis? Et si enim qui imminet hostis late dominetur (ne dicam regnet), licet Syriam Aegiptumque nuper subegerit, nichil est quod ultra admiremur, quam si imbelles quoscunque devicisset: cum Orientalibus quippe pugnatum est. Sinite, sinite, cum Germanis congrediatur, inveniet legittimos milites, experietur invicti roboris viros, senciet omnipotentis Dei in vobis manum: persequimini enim (ut divinum usurpem oraculum) inimicos nostros et corruent coram vobis, persequentur quicunque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia. An forte abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, aut aggravatae sunt aures eius, ut exaudire non possit? An quia pacta nostra diviserunt inter nos et Deum nostrum, adortum ire facinus tantum non debemus? In promptu est, unde convertatur Dominus et ignoscat. Dabunt tot millia hominum nomen in Christi miliciam: signum Crucis siquidem culparum omnium expiativum tanta multitudo suscipiat, criminaque nostra passim piis in sanctum hoc opus largicionibus redimemus, ut procul dubio factus caro et frater noster Deus non seviat in suos, qui cum nisi Dominus humani generis esset, pugnavit pro externis. Agite quod vestra interest, et venite et arguite me, si deero vobis, dicit Deus omnipotens maximus. Imminentia bella tum domi, tum foris non usquequaque extingui, verum ne tam necessario divinoque operi impedimento sint, somnum capere et Apostolicis, ut par est, mandatis obtemperando quinquennalibus induciis tolli rogamus, Iesu Christi proprium admiramur veneramurque opus efficere in terra pacem bonae voluntatis. Nobiscum bene agitur, si aliquantula fiat quies, iniquo animo retento solo. De nervo autem belli nummo, qua via quove modo habendus sit, licet quot capita tot sensus, probata tamen plurimorum sapientum ac Principum consilio sentencia fuit, opportere sacris iniciatis decimam, plebeis quinquagesimam, cuique domui

stipendium unius militis, divitibus annui census ac lucri vigesimam, et his vocatam Cruciatam apponi. Nec vos terreat decimae, vigesimae aut quinquagesimae insuetum novumque nomen, horrenda nos vobiscumque haec affirmaverimus, si nudae occurrerint. Verum cum quinquagesimas, vigesimas, decimasque non solvere, sed deponere, idque tutissime et ea lege, ut nisi diffinito tempore in expedicionis istius opus conferantur, illis, qui deposuerint, restituantur, pium, sanctum optabileque cuique fore Christiano censebitis. Quocirca trepidare timore, ubi non est timor, desinant, verendum expedicionem hanc fucatam esse, auri sacram subtergere famam. Nos, inquiunt, Turcae sumus, quibus expilandis incumbit, in nos expedicio tota saeviet: vacate et videte, quaeso, qui supervacaneus est rumor et metus iste, percipite quam pie, quam sancte, cum et sacris iniciatis et populis universis agatur, nolumus Thesaurarii aut exactoris officio fungi, non eo tendimus, ut in nostram potestatem aera redigantur: veteres revolvite historias, requirite, si ullo unquam tempore sanctae Romanae ecclesiae Cardinales de latere Legati, interdictis etiam a iure facultatibus ad Pontificum eorumque rem pertinentibus, ut in praesencia cernitis, prodierunt, quod animadvertite, omni exceptione laudeque maiorem Leonis Pontificis pietatem atque liberalitatem ex propriis tot per Regna Legatis opportuna conferentis, non quaerit profecta vestra, qui sua pro vobis sponte magnificeque largitur. Sed quid Pontificii animi argumentis immoramur? re ipsa pocius comprobare operae precium est. Invenite vos ipsi, inveniant metuentes ipsi modum quempiam, quo quicquid auri argentique collatum fuerit, tutum adeo sit, ut nec in exactorum custodumve stipendia aliquid cedat, sed integra universa aut ad expedicionis huius usum deriventur, aut ad eos, qui dederint, redeant. Non quaerimus Germanum aerarium in Italiam transferre, in Germanorum militum stipendia erogari cuncta Summus Pontifex vult atque praecipit, nullum dolo fraudique locum relinqui, quae clara luce videtis: Christiana se respublica, religio, Regnum, templa, urbes et omnia in vestra propugnacula, nobis credite, contulerunt, vestram opem implorant, vestris genibus advolvuntur, si illa destituitis, vos ipsos Germanos destituitis, quando omnes in Maximiliani aquilas respiciamus. Nec aliunde Romani quam a Romano Imperio auxilium expetamus, quando res vestra non minus quam aliarum regionum agatur. Contermina siquidem Turcis Germania prae aliis est: Italia enim quamvis Turcarum classi magis est pervia, prius tamen quam Italiam copiae terrestri invadent exercitu (in quo constat vim omnem belli victoriaeque sitam esse), Germaniam petere oportet, nisi Carynthiam, Stiriam, Crovaciam et Hungariam Germaniae moenia esse inficiati fuerimus. Clementissimus Leo Pontifex (dici non potest) quantis vigiliis in rem hanc incumbat, non dies neque noctes ab hac cogitacione avelli potest, non si comedat aut bibat, aliud pectore agitat, non sua iam, sed seipsum, sanguinem et vitam pro Christiana religione et Imperio gestit exponere. Superest, ut Caesareus hic Senatus expedicionem in Turcas indicat, efficiendamque suscipiat, expectat Romana Ecclesia, universae Christianae reipublicae capita et membra in Serenissimum hunc Conventum suspiciunt: si diffinitur nunc nil, si in alium conventum differtur, confundemur omnes ab expectacione nostra. Cavete, ne dilacio hostibus componendi cum Persis finitimisque aliis tempus praebeat, Germanos Principes linguarum morsibus exponat, Christianisque populis desperacionem inferat. Animadvertite gravissimum istum Conventum fundamentum esse, super quo tantae moles nobis expedicionis erigenda est, cunctantibus quippe vobis, Christiani Principes reliqui retrahent procul dubio animum et manum ab hac expedicione. Si Germania (aiunt), cuius interest, quae Romani Imperii dignitate gloriaque illustratur, cui Ecclesiae defensio est, credita verba dat, deque conventu in conventum diffinicionem transfert, quod nobis facillimum sit, discimus facile ab exemplo, sic vestra mora Christianae reipublicae (quod absit) ruinam pariet. Causabunt multi absentium libertatem, iureiurando, aiunt, nostris tenemur ecclesiis, nil contra earum commoda illis inconsultis agere, non est nobis delegata potestas absentes colligandi, ibimus illos consultatum atque hortatum, referemus deinde altero in conventu: verba (cum bona istorum venia dixerim) sunt haec non multum dissidencia ab inficiis. Impossibilia a vobis petit nemo, fidem violari horremus, quam et hosti servandam esse dicimus, quod vestra interest, quod in vestra situm est potestate, poscimus decerni, scilicet nunc expedicionem in Turcas diffiniri, modum comparandi nummos nullius cum iniuria, iureiurando demum spontaneo praesentes astringi, daturos se bona fide operam, ut hic diffinita execucioni demandentur. Non sunt haec contra iurisiurandi cultum, non excedunt haec vestrae limites potestatis, non obsunt haec absentium libertati, tollite itaque moras, semper nocuit differre paratis, an non parata sunt omnia ad expedicionem indicenda, quando universa oblata sunt? Quid amplius a Romana Ecclesia, quid ultra ab externis exigitur, quando se et omnia sua dedunt, foelix iuicium Serenissimi Caroli Catholici Regis

foeliciore vos auspicio trahat, Turcarum Imperium ille adhuc adolescentulus nuper in Affrica extinxit, pellite vos Europa, nec longe absunt maxima quaeque praemia. Etenim si cupidine gloriae ardet animus, nunquam honestior, nunquam facilior ad summam gloriam via vobis patuit: capessentibus quippe Germanis expedicionem in Turcas, si qua a nobis dicta sunt, fient suprema, vos belli auctores et duces, gloria manet: sin vero (quod Deus nolit) irrita esse contingit, parta iam vobis in decreta expedicione gloria, integro apud omnes splendore fulgebit, nullo accepto incommodo. Si Regnum appetitis, de propagando vestro Imperio agitur, si terrarum orbis non sufficit, paratum vobis a constitucione mundi coeleste Regnum adest. Si in ius causa deducitur, astricti estis pro Christi nomine ac fide bellum inire, quandoquidem prior ipse Rex Regum aereas proprio sanguine ac cruce potestates debellavit, ut nos de perenni captivitate in libertatem filiorum Dei referret. In manu igitur vestra populorum libertas atque salus posita cum sit, exaudite nos, benignissimi Principes, nos pro Apostolico nomine, pro universa Ecclesia supplicantes, miseremini simul tam vastae multitudinis absque baptismi gracia in aeternae mortis interitum praecipitis, si quid uni ex minimis sit factum, sibi censet Christus Dominus, quanti facturum putatis illum, quum innumeris suis Ecclesiis tam ingens beneficium collatum fuerit. Vobiscumque igitur, quia partiri curas et rerum molem summus Christi ovium pastor desyderat, ab utrisque par est, ut oves protegantur et lupi arceantur, ab illo Cruce, a vobis gladio, quo sub utraque protectione quietam tranquillamque vitam transigamus.

In oblacione mitrae sacratae et gladii per Cardinalem Caietanum Legatum de latere, dum eadem a Leone Papa X. Caesari Maximiliano missa et praesentata recenseret.

Petrum Apostolum, Serenissime Caesar, constat gladios habuisse duos, alterum omni ex parte suum, alterum ita suum, ut a te educendus sit, idem nunc in successore suo Leone Pontifice Maximo illius in terris Vicario, cui data est omnis potestas in coelo et in terris, ensem istum Evangelicae veritatis defensorem nuncupatum, qui et Apostolicae potestatis super gentes et Regna sacrum est mysterium, et Divinae nichilominus in Ihesu Christo nato, quamvis secundum carnem parvulo, quiescentis omnipotenciae est sacramentum, Maiestati tuae offert, utpote de Romana ecclesia, de Apostolico throno, deque sedente in illo optime meritae, ad haec fortitudinis, magnanimitatis, pietatis, religionis, iusticiae sapientiaeque splendoribus effulgenti, et iure quidem Maiestati tuae ensis iste debetur: tuum enim est, tuum esse ritus ille satis comprobat, quo inter sacra Pontificia anniversario die Natalis Dominici, si te Caesarem contingat interesse, eductum hunc de theca gladium galeaque hac adopertus, dum Evangelium Iohannis cantatur, Evangelicae veritatis assertor et tutor vibras: tuus est, solus namque Ecclesiae defensoris advocatique nomen accepisti, tuum esse atque futurum esse nostra haec tempestas exposcit, quando Christianorum omnium oculi in te sperant, Domine, ut aperias manum tuam ad hunc ensem capiendum stringendumque, inque Christi hostes educendum. Sume igitur, Caesar invicte, Spiritus Sancti galeam in columba gemmea, ut reconditi animi mentisque sedes absque dolo et fraude tranquilla et fecunda a Spiritu Sancto in columbae specie donante et protegente servetur: non enim Christianissimum Imperatorem Gentilium Tyrannorumque decet ferinos imitari mores, verum ita se iustum, fortem magnanimumque victorem exhibere, ut columbina mansuetudine mitis, serenus, semperque Augustus perseveret. Accipe et gladium hunc nunc, quo mystice non solum iusticia et iudicium praeparacioque sedis tuae tribuuntur, sed Evangelicae veritatis professores universi sub tua protectione locantur: firmetur itaque manus tua, et exaltetur dextera tua contra Thurcarum rabiem atque feritatem: Faustum autem felixque sit, quod hodiernus his sacris obtigerit dies, cominus primo Romano Pontifici, primoque Augusto, Petro siquidem Apostolorum Principi hic dies dicatus est, sed et Octavius devictis hac die Cleopatra et Antonio orbis monarchia potitus, auctaque vehementer republica Augusti nomen accepit, sextilique mensi dedit. Felicissimo igitur hoc ense post Constantinopolim Hierosolimamque partam Romanum Imperium Apostolicamque Ecclesiam ad fines usque orbis terrarum propagare Maiestati tuae semper Augustae largiatur Ihesus Christus Dominus noster. Amen.

Impositio galeri Cardinalicii per eundem Legatum Rmo Dno Alberto sacri Imperii primario Electori, Maguntino et Magdeburgensi Archiepiscopo, praesente Caesare et aliis omnibus Electoribus Augustae in Ecclesia Cathedrali.

Serenissime Caesar, Leo X. Pontifex Maximus, Maiestate tua intercedente, praeclarum proindeque in terris rarum opus nunc effecit: fiunt saepe orbis cardines, splendore fulgentes, verum hominem invenisse unum omni ex parte probatum non facile fuit. Ascivit siquidem in sanctae Romanae Eccle-

siae presbyterum Cardinalem Albertum Maguntinae ecclesiae praesulem, primatemque Germanicae gentis, fortunae, corporis animaeque bonis non mediocribus ornatum: illustrissimus quippe genere, corpore vegeto atque pulchro, aetate florida, genio, mentis acumine, sacris litteris, diviciis, dignitate, potestate auctoritateque praestans, continenciae, religionis Ecclesiasticaeque reformacionis radiis sic splendet, ut et aliorum sit effector operum, per quem lucet lux sua coram hominibus. Accedit ad haec, qui dum Imperatores Summique Pontifices, hinc unus atque idem Elector emergit, et vos Pontificii et nos Caesarei Electoris gloria illustramur: commune itaque ornamentum, decus atque beneficium communis laeticia comitetur. Surge itaque, Illm̃e Princeps ac observantissime Dñe, et Cardinaeae dignitatis insigne, tuis debitum virtutibus susceptum veni.

Proposita in eodem Conventu per eosdem Legatos Apostolicos super expedicione generali contra Turcos.

Primo decernatur a Conventu hoc summa equitum atque peditum, non solvendorum, sed solutorum, quantum scilicet parata est dare huic expedicioni Germania, si et quando alii Reges pro rata ista contribuent.

Secundo, quod instituatur seu fiat mandatum manifestum ac stabile ab eodem Illustrissimo Conventu, quo mandato alicui vel aliquibus committatur, ut quocienscunque Oratores aliorum Regum apud Summum Pontificem obligabunt Reges suos ad bellum hoc suscipiendum, concurrentibus ipsis Regibus pro suis porcionibus, tunc etiam non aliter obligent ipsi procuratores sacri Romani Imperii Germaniam seu dictum Imperium ad tantam summam peditum atque solutorum a Germanis contribuendum huic sanctae expedicioni.

Est autem necessitas faciendi nunc hoc mandatum, quia sacrum Romanum Imperium non est semper congregatum, et multo egeret tempore iterata congregacio, periculum vero est in mora, cum iam Imperator Turcarum sit in Constantinopoli, et Zophi Rex Persarum retrocesserit, et ultra hoc quia Romanum Imperium est caput aliorum, decet primo decernere et mandatum facere, ut non desit exequucio simul cum aliis, si et quando alii exequentur.

In computando autem quantitatem peditum atque equitum congruam Germanicae nacioni opportet animadvertere et diligenter attendere, quod sit satis factura, ita ut ex ipsa et aliorum Regum porcionibus confici possit tota expedicio, et hoc dicetur pro tanto, quia expedicio ista opportet, quod constituatur ex maritimo apparatu et ex terrestri exercitu, et quia non speratur Germaniam collaturam aliquam partem subsidii ad classem, dum etiam alii Reges tanto minus contribuent terrestri exercitui, quanto magis conferent ad maritimum bellum: ideo opportet Germaniam tanto maiorem summam solutorum equitum et peditum contribuere, quanto nichil auxilii ad classem datura sit. Et propterea videtur, quod minus quam quinquaginta millia pugnatorum solutorum Germani offerre non possunt, si in veritate intendunt Christiani Rempublicam adiuvare: tantundem enim esset offerre parum, et nichil offerre. Itaque si parva offerent, facile intelligemus, quod non intendit Germania expedicionem istam factum iri, aliae naciones propter malum exemplum Germanicae nacionis minus contribuent, et sic Germania erit caput tocius mali, et ipsa de omnibus racionem Deo redditura.

Responsio finalis Principum Electorum aliorumque Ducum et Episcoporum, ac Statuum variorum sacri Romani Imperii data Augustae Reverendissimis Dñis Cardinalibus Apostolicae sedis Legatis, et Regum Oratoribus super generali expedicione et nonnullis gravitatibus ipsorum xx. Septembris.

Acceperunt sacri Imperii Electores caeterique Principes, Potestatus atque Status a vobis Reverendissimis in Christo patribus sanctae Apostolicae sedis de latere Legatis, quanto iam tempore sacrosanctae fidei nostrae perpetui hostes immanissimi atque spurcissimi Turcae multa praeclara imperia, et dominia reipublicae Christianae variis excursionibus, stragibus caedibusque everterint, discerperint ac dicioni suae subiecerint, fusisque et attritis potentissimis Orientis Principibus, ac populis Christiani sanguinis sicientissimum illum Tyrannum non modo in nos cruenta arma struere, sed et totum Orbem subdere parare, et nisi tam certis crudelissimi hostis conatibus opportuna remedia adhibeantur, verendum est, ne accrescentibus suis viribus tot iam victoriarum gloriosi Christiani Principes populique impares illi difficillime postea congredi, atque tantae suae potentiae resistere possint. Et ob eam rem beatissimum Pontificem, communicato Sacratissimae Caesareae Maiestatis tanquam Sanctae Ecclesiae Catholicae veri advocati et invictissimi defensoris consilio, accedentibusque aliorum Regum et Principum sacri Romani Imperii Potentatuumque Christianorum suppeciis et auxiliis, decrevisse expedicionem

suscipere universalem ad infringendum robur et opprimendum conatus perfidissimorum Turcarum, priusquam in Italia et reliquis Christianorum provinciis Regnisque vicinis suam tyrannidem exerceant.

Cumque eiusce rei gratia Principes Statusque Germanorum commemoratis maiorum suorum zelo et affectu piissimo in Sedem Apostolicam, fortiterque gestis pro eius incolumitate hortati et requisiti fuerint, ut memores avitae virtutis rei militaris experimenta ipsi quoque pro dignitate et officio suo in sancta hac praecipue expeditione edant, declarato modo auxilii ferendi, ab Ecclesiasticis decimi, a secularibus dicioribus, a quibus annuus penditur census, vigesimi nummi, a plebe vero quinquagesimi cuiusque viri in hanc miliciam contribuendi et deligendi, quemadmodum Paternitates Vestrae Reverendissimae haec singula et copiosius et luculencius oracione sua complexi sunt.

Ad hanc tam paternam et tam sanctam proposicionem et simul requisicionem Beatitudinis suae non modo sacri Imperii Principum et Statuum animi excitati, sed et maiorem in modum consolati sunt, Deum Optimum Maximum ab excelso ad Sanctam suam Ecclesiam respicientem ex intimis visceribus laudantes, qui Sanctae Ecclesiae suae eum Pontificem praefecerit, quo auspice pax inter Christianos Principes exorta, nomen Christianum Crucis hostibus formidabilius annunciat, quo auctore tam utilis, tam necessaria tamque sancta expedicio in hostem communem suscipienda proponitur; agentes Beatitudini suae vero Vicario Christi devotissimas gracias, quod privatis omnibus sepositis pastoralis officii sui in gregem Dominicum tanta cura, tanto animo tantoque studio meminerit, quicquid sit Ecclesiarum opus in medium conferens. Quod itidem Principes et Status sacri Romani Imperii, ut filii obsequentissimi, se una cum caeteris Regibus Potentatibusque Christianis pro virili facturos offerunt atque pollicentur, haud quaquam a maiorum suorum pietate in Deum, in Beatissimum Principem observancia, et erga ipsam sanctam Sedem Apostolicam benemeritis degeneraturi, pro ea etiam animi et corporis vires et fortunas omnes more maiorum et fideliter et fortiter semper exposituri.

Consideratis igitur singulis diligenter propositis, quibus ipsi et personas et opes ac subditorum suorum fortunas, quantum vel res ipsa iure postulat, vel humeri eorum ferro valent, propensis animis nunc praesto contulissent, admodum tamen verentur, ne novitas propositorum modorum, etiam si hi communi voto in his sacris comiciis sancirentur, communis Germaniae populos subditorumque animos, ut et ab istis Dominis Legatis sapienter sua oracione intimatum est, iustis ex causis nunc partim aperiendis non parum deterrere possit.

Liquidum namque est, Germanicam nacionem multis ab annis et personarum et rerum incredibilem iacturam subiisse, siquidem frequentissimis tumultibus agitatam, incommoditatibus variis conquassatam, fame, peste, bello laborasse, morbis quoque animantium corpora absumpta, multam tellurem iacere incultam, nec cultam expectatum respondere fructum, unde colonis neque ordinarios redditus pendere et solvere amplius prompta sit.

Attendendum primo, quoniam vires hostium validissimae sunt, ut non minus quam quinquaginta armatorum millia e Germanis essent ad bellum datura, et propterea de annuo stipendio, ac de incredibili commeatuum copia racio habenda, cum per loca Thraciae Misiaeque, ubi nulla frumentacionis praedaeve occasio datur, iturae copiae sint: Germanos siquidem suis viribus, non alienis confisuros.

Obstare demum, quod omnia Sacerdotum Collegia ad decimam persolvendam haud facile induci possent, cum nullus in Germania locus sit, qui propterea, quae indies perperam committentur, querelis vacet: quandoquidem omnia sacerdocia ita passim et sine discrimine conferuntur, aut venduntur pocius, ut neque compactata Germanicae nacionis, neque iura gentilicia intacte remanserint, tantumque abesse, ut Principum, Municipiorum liberarumque Civitatum ac Collegiorum sacerdocia a dolis Curialibus immunia sint, ut eorum omnia iura suspendantur, debilitentur, frangantur, irritentur, ac ne Episcopatibus quidem parcatur: unde illae auditorum, advocatorum, procuratorum, sollicitatorum et mille id genus officialium Romae male partae et conflatae diviciae.

Accedit ad hoc assiduarum expedicionum gravitas, quae Romae indies propter nova officia crescere atque augeri videntur, ordinariasque collaciones impediri multitudine graciarum expectativarum, reservacionum et aliarum facultatum a Sede Apostolica ambientium importunitate extortarum, Regulas (quas Cancellariae vocant) quottidie novas promulgari, iuribus patronatus vim inferri, externos beneficiis et Ecclesiis praefici atque ipsas antiquissimas electionum consuetudines infringi.

Recensendum etiam duximus, quomodo nobis super materia ista consultantibus venit in medium nostrum ante dies aliquot Nuncius ex collegio Sacerdotum Leodiensium, oraturus mox, nisi Prin-

cipes pro rerum magnarum taedio, quo affecti erant, vetuissent: in schedula tamen, quae dicturus erat, uti describeret, iusserunt. Is cum in sinu haberet, porrexit, quae quidem nichil aliud continebat, nisi maledicta et convicia in Romanensem Curiam, numerabat fraudes omnes, vicia, scelera, sycophancias et deceptiones, in quibus Curiales nostri temporis versantur, omnia corrupta esse, nichil boni, nichil pii, nichil iusti, nichil sancti foveri, et pleraque alia huiusmodi nulla alia de causa recitabantur, nisi quod iura omnium beneficiorum essent abolita. Illud tantum de omnibus et ubique agi, quod sycophantae illi ac impostores Romae volunt, tantumque abesse, ut aliquid certum in sacerdociis habere possis propter impetraciones, coadiutorias, subrogaciones, pensiones, regressus, accessus, reservaciones, et ut perinde valeat expectativas, revocaciones et mille id genus, ut pedales quoque ac tibiales reservaciones post mentales paulo post sint proditurae. Et quod gravissime ferendum est, ignari ac infimae condicionis homines, non virtute ulla, non litteris praediti, in stabulis tantum ac popinis victitare soliti, ingenio malo pravoque ad magnas plerumque efferuntur dignitates. Quod quidem cum ubique hoc patrari, sed potissimum in Leodiensi consuetum est, rogare Principes obsecrareque, ut effraenata Curialium libido aliquando coerceatur. Quando haec, ignorante Pontifice Maximo omnium optimo et Sanctissimo, committuntur, non vereri, si de his omnibus, ac omnium fere collegiorum querela a Principibus Germaniae cercior fiat, qui pessimi quique, qui Romanam Curiam labefactant, poenas daturi sint.

Praelati etiam Ecclesiastici ordinis et dignitatis cuiuscunque exhausti frequentissimis annatarum solucionibus, quae non modo in summis, sed quibusvis etiam minoribus personatibus et sacerdociis, quamvis exigui proventus et census sint, cum ipsis annis crescere videntur, redditibus Ecclesiarum vix divino cultui sufficientibus absque colonorum et subditorum suorum suffragio iustum contribuere auxilium minime possunt, tametsi quam maxime velint atque desyderant.

Porro nondum excidit animis popularibus, in eundem usum, in par negocium, in consimilem expedicionem, non parvam argenti aurique vim partim sacris concionibus sanctissimae Cruciatae, partim largissimis scelerum condonacionibus conquisitam ex omni Germaniae angulo cessisse, ob id maximo labore, opere et industria enitendum esse, ut suspicio futuri eventus, quem ex praeteritis pertinax multitudo argumentatur, animis eius alioquin in contraria studia pronis penitus evellatur, sine quorum ministerio haec rei moles suscipi gerique nequaquam potest, dum iam publice contra Principes et Dominos suos vociferare, qui tociens subditis suis ob hanc causam turpiter expilatis, se tociens pueriliter decipi sinerent. Numerare quociens datae pecuniae sint, tum demum in pecunias diripiendas, non in Turcas bellum gestum esse; repetere et annatarum originem, quas a principio institutas fuisse, ut contra Turcas Sarracenosque exponerentur; interrogare identidem tantus pecuniarum acervus quorsum periit, et in quem usum Ecclesiasticae praedae tandem conversae fuerint: quamobrem ne illud quoque de decimis ac vigesimis fiat.

Multa sunt praeterea nacionis Germanicae incommoda atque gravamina, quae a subditis popularique multitudine aegre feruntur, quae tamen brevitatis studio minime commemorantur. Unde cum tantas incommoditates ac populares exactiones maxima cum molestia perferunt, timendum est, ut concepta haec mediocris proposicio, quibus sancta exposicio assumi debeat, apud eos surdas proculdubio aures hac potissimum tempestate sit habitura, quae omnia pio ac modesto animo sacri Imperii potentatus Dominationibus Vestris Reverendissimis, quo de Germanicae nacionis statu condicioneque aliqualiter edoceantur, insinuanda duxerunt.

Attamen ne ipsi, quorum maiores inclitae virtutis et fortitudinis suae fidem religiose semper praestiterunt, in tam sanctissimo opere partes suas negligant, hic sacri Imperii Senatus, accedente Sacrae Caesareae Maiestatis prudentissimo consilio, huic uni negocio prae caeteris maxime intentus fuit ad instituendum et inveniendum alias faciliores commodioresque vias et modos, quibus a popularibus subditisque suis et opem invenire et consilia conquirere sperant, nichil intemptatum relicturi, quo difficiles popularium animi emolliantur, suspicio omnis tollatur, armaque et auxilia suppeditentur, ac tandem hunc modum cum subditis suis super ea re diligentissime agere velle decreverunt, quod singuli utriusque sexus homines, qui communione Sacratissimae Eucharistiae Sacramenti participant, triennio nunc proximo succedente, aurei unius nummi decimam partem ad hanc propositam tam praeclaram, tam utilem tamque necessariam miliciam singulo anno contribuant atque persolvant: ad hoc accedente, quod Principes maiores, potentatus locupletes ac insignes negociatores pro cuiusvis in Deum fidemque Catholicam religione, pietate aut devocionis voluntate iustum contribuant auxilium,

nichil dubitantes istiusmodi devota contribucione non mediocrem auri argentique vim ad hanc saluberrimam expedicionem proventuram: si tamen prius per Beatitudinem Pontificis Germanicae nacionis gravaminibus ac incommoditatibus modo partim explicatis provisum fuerit, sique annatae ipsae potissimum ad hoc institutae huic sacro negocio, uti Principes Statusque ipsi minime diffidunt, accesserint.

Et quicquid huius instituti auxilii post exactam diligenciam quisque Princeps ac Status apud suos obtinuerit, id in proximo Imperii conventu, quem Sacra Caesarea Maiestas protinus ad hoc indictura est, a quolibet referendum erit, atque deinde quod communi voto auxilium comparatum fuerit, quamprimum ad benignissimas beatissimi Pontificis aures cum nacionis Germanicae gravaminibus incommoditatibusque deducere curabunt.

Postremo si quam forte Paternitates Vestrae Reverendissimae ex hac consultandi morula molestiam concepissent, obnixe Principes caeterique Status rogant, eam ipsius rei magnitudini ac negocii gravitati concedere velint. Ipsi namque una cum Sacra Caesarea Maiestate huic negocio sacratissimo fidelissime incumbendo, nichil penitus studii, assiduitatis ac laboris tantillo hoc tempore praetermiserunt, minime tamen hac in re tam gravi, tam necessaria, tamque ardua ac iusta et communi fideliter atque utiliter consulendo, sese celerius expedire potuerunt. Sunt etenim alioquin animi eorum ad hoc quam maxime propensi, ut cum caeteris Christianae fidei potentatibus multis piisque officiis afflictam Rempublicam Christianam fidelissime et quam celerrime adiuvare, de eaque uti filii obsequentissimi quam optime mereri possint, ad quod omni opera ac ope, fideque ac sedulitate nullis unquam cessuri laboribus, summopere sunt semper conaturi.

Responsio data Legatis Apostolicis a Caesare in praesencia suae Maiestatis et Legatorum per medium Episcopi Tergestini post dissolutum Augustensem Conventum in fine Septembris.

Cum Beatitudo Summi Pontificis ex debito suo, quo immortalis Dei vice in terris fungitur officio, Caesaream Maiestatem superioribus mensibus requiri fecerit, ut ad universalem pacem in Christiano orbe constituendam intenderet, quo domesticis bellis, quibus Christianum genus tam acriter hactenus vexatum est, e medio sublatis, eo liberius tota Respublica Christiana iunctis simul viribus salutiferae Crucis hostibus Thurcis aut bellum inferre, aut illatum propulsare posset, quippe qui duobus Solthanis devictis ac Syria, Phoenicia, Aegipto et aliis opulentissimis provinciis superatis, foelici rerum successu tumentes una cum insolentissimo eorum tyrannno in Europam reversi, expedicionem in Christianos terra marique parare indies non desistunt. Sacratissima Maiestas Caesarea, quae ab ineunte aetate sanctissimam hanc expedicionem una cum caeteris Christianis Regibus et Principibus assumere in hunc usque diem concupivit, huiuscemodi propterea Summi Pontificis deliberacionibus annuere merito dignum existimavit. Quae dum miseris Christianae Reipublicae cervicibus tam manifestum periculum impendere ante oculos intueretur, dicti Pontificis paternis ac salutaribus monitis obtemperans universis Christianis Regibus scripsit, eosque adhortata est, ut quemadmodum Maiestas sua, sic et ipsi Beatitudinis Summi Pontificis votis pareant et laudatissimum hoc opus ad immortalis Dei sempiternam gloriam unanimiter amplectantur: atque ideo Maiestas sua nunc etiam omnes Status sacri Romani Imperii Germanicae nacionis hic Augustae congregaverat, quo eorum animos ad universalem expedicionem suscipiendam incenderet, et auxilium ab eis contra impios Thurcarum impetus impetrare potuisset, pro quibus bona iactata sunt fundamenta.

Insuper quinquennales inducias cum magno rerum suarum dispendio cum Venetis inivit, ne Maiestas sua tanquam sacrosanctae fidei nostrae suppremus defensor atque anterior clipeus intestinorum bellorum mole distraheretur, et propterea caeteri Christiani Reges, Principes, Status se ad hoc excusandi opportunam nanciscerentur occasionem, commemorans Maiestatem suam domesticis bellis implicitam detineri, atque ideo aegris et laborantibus rebus Christianis opem ferre non posse. Cum vero iam Maiestas Caesarea Conventum hunc Augustensem perfecerit, minime videtur necessarium Maiestati suae, ut vobis Rm̃is Dñis Legatis Summi Pontificis, quid in eodem Conventu super hoc actum conclusumve sit, declararetur, quoniam iam negociis omnibus praesentes semper extiterunt, et insuper vestris Procuratoribus nomine Principum Electorum ac omnium Statuum dicti Conventus satis abunde in scriptis responsum fuit, et modus subsidii per totam Germaniam ferendi designatus, quae per easdem singula iam Sanctitati suae ex ordine Maiestas sua significata fore non dubitat, quippe dum ob id solum Vestrae Paternitates missae fuerant, atque ideo silencio haec omnia praetereunda existimavit. At ut bonus et invictus Caesareae Maiestatis animus circa id Sanctitati suae clarius pateat, quo huiusce-

modi expedicio ad aliquam effectualem execucionem celerius deduci possit, Vestrae Paternitati ista et Sanctissimo Dño Nostro declarabunt, Maiestati suae videri, praesentis temporis condicionem Christiani generis impendentem necessitatem expostulare, ut Sanctitas Summi Pontificis una cum Maiestate sua in proxima Imperiali Dieta, quae infra quinque menses vel circa futura est, incoeptum opus perficere, et sacri Romani Imperii Electores, Principes et Status ad laudabilem hanc expedicionem capescendam tamdiu cohortari non desistat, donec verbum veritatis tandem exaudientes afflictae Christianae reipublicae eorum opem clara voce imploranti auxilium ferant, et subsidia pecuniarum in hoc Conventu Augustensi petitarum et promissarum, in hos tam sanctos et salutares usus convertenda impigre subministrare non recusent. Quanquam interea Sanctitas Summi Pontificis, quemadmodum et Maiestas sua facere vult, omnium Regum et Statuum Christianorum mentes igne divini amoris indies ardencius incendere, atque eo magis ac magis cohortari perseveret, quo in laudando eorum proposito, prout Beatitudini Summi Pontificis et Caesareae Maiestati declaraverunt, persistere, nec alter alterum bello lacessere velint, excusacionesve in medium afferre, quo eorum promissa non exequantur, ne per hoc Christianorum Regum et Principum aures paternis Sanctitatis suae vocibus iam arrectae occludantur, illisque opportuna occasio exhibeatur ab eorum opinionibus sanctae huius expedicionis suscipiendae declinandi, variosque ac diversos super id evasionum modos reperiendi. Pro conclusione autem Caesarea Maiestas offert se Beatitudini Summi Pontificis ac universo Christiano statui, omnesque eius vires sub unum fortunae ictum exponere, nec proprio corpori aut ingravescenti iam aetati parcere velle paratissimam esse, donec supranominata expedicio in optatum salutis portum divino accedente auxilio deducatur, quemadmodum hoc idem Sanctitatem suam in corde habere Maiestas sua firmiter existimat. Quae ut salutiferum hoc opus perficere possit, Caesarea Maiestas omnipotentem Deum rogat, ut Sanctitatem suam semper incolumem conservet.

Responsio Caes. Maiestatis circa expedicionem Sm̃i Regis Poloniae Oratorum data Augustae in praesencia Caesaris et Card. Gurcensis, necnon Thesaurarii Scalci et aliquot Secretariorum die xxi. Sept.

Reverende et Magnifici Dñi Oratores, Sacratissima Caesarea Maiestas agit ingentes gracias Serenissimo Dño Regi Poloniae fratri suo charissimo, quod ad requisicionem suam miserit ad hunc Conventum Imperialem Dominationes vestras Oratores suos, personas dignas et insignes, et Maiestati suae Caesareae gratas. Agit et Dominationibus vestris gracias de bonis operibus, quae in dicto Conventu cum summa prudencia et dexteritate diligenter praestiterunt. Recessum et conclusiones huius Conventus vobis repetere existimat sua Maiestas superfluum, cum omnia sint Dominationibus vestris notissima, et ideo hoc omisso sua Sacratissima Caesarea Maiestas imprimis, Rev. Dñe Episcope, cum Reverenda Dominatio Vestra sit Romam profectura, rogat eam, ut nomine suae Maiestatis facere velit Sanctitati Domini Nostri Papae convenientem commendacionem, et declarare suae Beatitudini ipsius filialem obsequenciam erga eam et Sedem Sanctam Apostolicam, cui sicuti hactenus fuit, ita in futurum semper erit obsequentissimus filius, rogando suam Sanctitatem, ut pariter continuo suam Maiestatem Caesaream paterna charitate mutuo complectatur. De actis in hoc Conventu dicet Reverenda Paternitas Vestra suam Sanctitatem ab Rm̃is Dñis Legatis fuisse copiose informatam, de quibus et Dominatio Vestra poterit ore proprio particularius eam informare, dum omnibus aderat, et dicere nomine suae Maiestatis Caesareae, quod quamvis hic non sit factum totum illud, quod sua Sanctitas et Maiestas Caesarea voluissent, tamen postquam iam bonum principium iactum sit, sperat sua Caesarea Maiestas cum auxilio Dei quod in proximo Conventu, qui erit intra paucos menses, prout vobis cognitum est, erit bonus finis, pro quo non est sua Caesarea Maiestas quicquam omissura. Romae Orator suae Caesareae Maiestatis Dñus Dux de Carpi in omnibus, quae poterit, rebus Serenissimi Domini Regis vestri faciet tanquam pro sua Maiestate, sicuti etiam confidit sua Caesarea Maiestas Reverendam Dominationem Vestram facturam in rebus ipsius, cum ambae Maiestates sint boni fratres, et communis eorum sit fortuna atque idem in omnibus animus: atque ideo Caesarea Maiestas Vestram Reverendam Dominationem pro Oratore suo eam nominat, et res maximae importanciae sibi ad illam Sedem committit. Intellexit enim sua Maiestas, quantum benignum Pontificem in se habitura sit, in cuius fide et diligencia nichil dubitat, quod in illis secrecioribus, quae pridie Caesarea Maiestas sola ore proprio vobis credidit et agenda commisit, ita se geret, ut de ea semel iam optimam spem concepit. Sua vero benemerita digna praemia comitabuntur. His vero cifris de eisdem et aliis secrecioribus Vestra Reverenda Dominacio cum sua Maiestate utitur.

Peractis autem Romae, quae agenda sunt, Dominatio Vestra Rña redibit ad suam Caesaream Maiestatem, ut ipsa et Dñus Raphael sint testes in Ierusalem etc. sicuti Reverenda Dominatio Vestra est informata.

Vos autem, Dñe Marsalce Lythwaniae, cum sitis reversus ad Serenissimum Dñum Regem vestrum, Caesarea Maiestas rogat Maiestatem Vestram, velit nomine ipsius dicere ei ultra praedictam graciarum actionem, etiam fraternalem salutem et commendacionem cum desyderio omnis eius incrementi et boni, pro quo sua Caesarea Maiestas sit semper factura tanquam pro suo proprio. Deinde declarabit circa expedicionem Turcarum, quae acta sunt, et sicuti Sua Maiestas rogavit Dñum Epum, ut referat Sanctissimo Domino Nostro Papae.

Circa negocium de Moschoviticis sua Caesarea Maiestas dicet, quod gratanter intellexit excusacionem et iustificacionem Serenissimi Dñi Regis vestri, et accepit illam in bonam partem, et quod sua Caesarea Maiestas valde cupit illarum rerum quietem et bonum finem, pro quo hactenus elaboravit, nec cessatura est usque in finem, et quod nunc mittit unum novum Oratorem etiam, quoniam unus ex illis duobus, quos misit, proximis mensibus factus est infirmus in itinere, et iste novus ibit ad Moschum, et simul cum alio Oratore exequetur, et operabitur omni studio mandata suae Caesareae Maiestatis, nota Serenissimo Regi vestro et vobis, et illis pactis ambo Oratores venient ad Serenissimum Regem vestrum. Requirit et hortatur Caesarea Maiestas etiam Vestram Maiestatem, ut nomine ipsius praefatum Dñum Regem bonum fratrem suum adhortetur, et roget pro acceptione illarum treugarum et abstinencia totali armorum, ut hoc etiam possit esse adiumento suae Caesareae Maiestati, et aliis Principibus Christianis ad dictam expedicionem contra Turcas, et ne si haec controversia remaneret in ruptura, magis quotidie cresceret ignis, et ex eo maiora impedimenta succederent circa hanc expedicionem Turcarum, et interea quoad durabit illa treuga, sperat sua Caesarea Maiestas illam controversiam omnino componere.

Caesarea Maiestas rogat Maiestatem Vestram, faciat nomine suo fraternalem salutem Serenissimae Dñae Reginae, et congratuletur ambabus Maiestatibus, quod praefata Dña Regina sit gravida, et cupere suam Caesaream Maiestatem, ut Deus concedat ei felicem partum filii digni tantorum parentum.

Haec sunt, Reverende et Magnifici Dñi Oratores, quae Caesarea Maiestas desyderat, vos Reverendum Dñum Episcopum Romae agere, et vos Magnificum Dñum Marsalcum in hoc reditu vestro referre nomine suae Caesareae Maiestatis Serenissimo Dño Regi Vestro; vos autem, Magnifice Dñe Raphael, iuxta simul conclusa remanebitis cum sua Maiestate, quae semper, ut consuevit, tum ob respectum Dñi Regis Vestri, tum ob personam vestram dignam libenter vos videbit, et quae occurrent tractabit vobiscum: interim vero Dñus Episcopus rebus feliciter perfectis ex Urbe redibit.

Polit. Var. Tom. LXXII. fol. 376.

CCCCIX.

Universis capellam regiam Cracoviensem visitantibus eique manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.

Leo episcopus etc. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Pastoris eterni etc. Cupientes igitur, ut capella Regia nuncupata in ecclesia Cracoviensi, in qua, sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Erasmi episcopi Plocensis, per carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie regem illustrem oratoris ad nos et sedem apostolicam destinati, didicimus, corpus clare memorie Barbare regine Polonie sepultum, ipsumque Sigismundum ad eandem capellam, quam a fundamentis reedificat, singularem devotionis affectum gerere, in debita veneratione habeatur, et a christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsosque fideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et inibi manus promptius adiutrices porrigant, quo exinde pro animarum suarum salute maiora munera spiritualia se adipisci posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis seu confitendi propositum habentibus, qui dictam capellam in assumptionis beate Marie Virginis et sancti Sigismundi regis et martiris ac sancte Barbare festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet festivitatum earundem inclusive devote visitaverint, et ad premissa manus adiutrices porrexerint, pro sancti Sigismundi mille, et pro assumptionis centum, et sancte Barbare festivitatibus predictis etiam centum annos et totidem quadragenas, quibus id fecerint, de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, Presentibus, quas sub quibusvis

revocationibus, suspensionibus plenariarum indulgentiarum per nos et succcessores nostros et in favorem fabrice basilice principis apostolorum de Urbe, seu cruciate et expeditionis contra infideles et alias quomodolibet, et sub quibuscunque tenoribus pro tempore factis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere decernimus, perpetuo valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo decimo octavo, decimo Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. Tom. VII. fol. 195.

CCCCX.

Universis capellam S. Ioannis Bapt. ecclesiae B. Mariae Cracoviensis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Leo episcopus etc. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. De salute gregis dominici etc. Cupientes igitur, ut capella sancti Iohannis Baptiste sita in parrochiali ecclesia beate Marie Virginis Cracoviensis per Iohannem Bonar Zuparium et Bugrabium Cracoviensem fundata et dotata, ad quam, sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Erasmi episcopi Plocensis, per carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Polonie regem illustrem oratoris ad nos et sedem apostolicam destinati, didicimus, ipsum Sigismundum regem singularem devotionis affectum gerere, in debita veneratione habeatur et a christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ac in suis structuris et edificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, necnon paramentis et aliis ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum necessariis decenter fulciatur, ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad dictam capellam confluant et ad premissa manus promptius adiutrices porrigant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis seu confitendi propositum habentibus, qui dictam capellam in nativitatis sancti Iohannis Baptiste, necnon sancti Iohannis Evangeliste, et decolationis eiusdem festivitatum diebus a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet diei festivitatum earundem devote visitaverint et ad premissa manus adiutrices porrexerint, pro festo sancti Iohannis Baptiste in Iunio centum, et pro decolationis quinquaginta, et pro festo sancti Iohannis Evangeliste quinquaginta annos et totidem quadragenas, quibus id fecerint, de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, Presentibus, quas sub quibusvis revocationibus et suspensionibus plenariarum indulgentiarum per nos et successores nostros et in favorem fabrice basilice principis apostolorum, seu cruciate et expeditionis contra infideles et alias quomodolibet, et sub quibuscunque tenoribus pro tempore factis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere decernimus, valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo decimo octavo, decimo Kalendas Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. Tom. VII. fol. 194.

CCCCXI.

Vicarius generalis archiepiscopi Gnesnensis autenticas quasdam litteras indulgentiarum a Leone PP. X. nonnullis Poloniae proceribus concessas declarat.

Vincencius de Lagiewinski Archidiaconus, Reverendissimique in Christo patris et domini domini Iohannis Dei gratia Archiepiscopi Gneznensis, Legati nati et Primatis Viccarius in spiritualibus et officialis Gneznensis generalis, Universis et singulis presentes litteras, sive hoc presens publicum transumpti instrumentum inspecturis, lecturis, visuris et audituris, Salutem in Domino, et presentibus fidem indubiam adhibere, exigentibus frequenter necessitatum articulis provida utriusque Iuris declaratione statuitur, quod transumptum ex originali sumptum fidem faceret ubilibet in agendis. Notum igitur facimus per presentes, litteras apostolicas in forma: Beatissime Pater etc. cum certis indultis et facultatibus infrascriptis per Sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum dominum Leonem divina providencia papam Decimum feliciter modernum concessas, ac manu sue sanctissime paternitatis signatas, nobis pro parte Generosi domini Thome Soboczki in dictis litteris principaliter nominati coram notario publico et testibus infrascriptis presentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse, huiusmodi sub tenore: Beatissime Pater, ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum Stanislai Goreczki Prepositi Calisiensis, Custodis Plocensis, Stanislai Haliciensis de Chodecz Regni Polonie Marsalci, Othe Haliciensis de Chodecz Palatini Russie, Ioannis Cobilyenski Castellani Rosperiensis, Bartolomei Grusczynski de Cozmyn Custodis Gneznensis, Stanislai Miclzynski Canonici Wladislaviensis,

Thome Soboczki, Ioannis Gorczki, Iacobi etiam Gorezki, Nicolai Crosinski, Stanislai Schikowski, Laurencii de Gycski viccarii perpetui Calisiensis, ac coniugatorum coniugandorumque uxorum, et utriusque sexus liberorum presencium et futurorum Gneznensis, Leopoliensis, Wladislaviensis et aliarum Civitatum et Diocesum salubrius consulatur. Supplicarunt igitur humiliter Sanctitati vestre oratores prefati, quatenus eos spiritualibus favoribus et graciis prosequentes, eis et eorum cuilibet, ut confessor idoneus secularis vel cuiusvis ordinis regularis presbiter, quem quilibet ipsorum duxerit eligendum, ipsos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis excommunicationis, suspencionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione, auctoritate vel causa latis seu promulgatis, ac votorum quorumcumque et mandatorum ecclesie transgressionibus, periuriorum et homicidiorum casualium vel mentalium reatibus, manuum violentarum in quasvis personas ecclesiasticas, non tamen prelatos, de preterito iniectionibus, ieiunorum horarumque canonicarum, divinorum officiorum, penitentiarum iniunctarum in toto vel in parte omissionibus, nec non ab omnibus et singulis eorum penis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, eciam si talia sint, propter que sedes apostolica merito fuerat consulenda, et de reservatis in vita singulis annis semel et in mortis articulo, eciam si mors tunc non subsequeretur, de aliis vero non reservatis et tociens quociens opus fuerit, absolvere et pro commissis penitenciam salutarem iniungere, ac vota quecumque, ultramarino, liminum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ac Iacobi in Compostella, religionis et castitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, Iuramenta quecumque sine Iuris alieni preiudicio relaxare, necnon semel singulis annis in vita, et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et absolucionem a pena et culpa auctoritate apostolica impendere possit et valeat; quodque liceat eis et eorum cuilibet nobilium presbiterorum aut gradum habentium habere altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, eciam non sacris, eciam interdicto ecclesiastico vel apostolica aut ordinaria auctoritate suppositis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, et per eos non restet, quominus fiat debita executio eius, propter quod positum fuerit huiusmodi interdictum, et fecerint quantum in eis fuerit, quod illa, propter que interdictum apostolicum appositum fuerit, executioni debite demandentur, eciam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, eciam circa meridiem in sua et familiarium suorum domesticorum, ac omnium et singulorum suorum consanguineorum, affinium et amicorum presencia inibi pro tempore confluentium missas, et alia divina officia sollemniter per proprios seu alios, tam seculares quam cuiuscumque ordinis regulares sacerdotes celebrari facere, ac sacerdotibus eligendis huiusmodi missas, et alia divina officia celebrare et exercere tempore interdicti, eisdem divinis interesse et ea audire, ac Eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta sine Iuris alicuius preiudicio, eciam in Paschate, (ministrare) ac eorum omnium et singulorum cadavera, eciam tempore huiusmodi interdicti, ecclesiastice tradi sepulture cum funerali pompa, et insuper quod dicti Oratores et alii omnes et eorum liberi coram dive Marie Virginis imagine coronam devote dicendo, tot quot clesiam beate Marie de Populo de Urbe visitantes consecuuntur, indulgentias et remissiones consequantur et consequi possint, perinde ac omnes predicti et eorum liberi beate Marie Virginis de Populo ececclesiam huiusmodi personaliter visitarent, et quod iidem Oratores, uxores et liberi eorum unum vel duo sue Cappelle, aut cuiuscumque alterius ecclesie Altaria in partibus, ubi eos pro tempore residere contigerit, eligendi, quadragesimalibus et aliis anni temporibus et stationum Urbis diebus devote visitando tot et singulas indulgencias, et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulis diebus easdem singulas in Urbe et extra eam ecclesias dictis temporibus personaliter visitarent, et quilibet ex ipsis visitaret, quodque quadragesimalibus et aliis temporibus prohibitis saltem de corporalis medici consilio, ovis, butiro, caseo et aliis lacticiniis et carnibus libere et licite vescendi absque conscientie scrupulo, postremo ut Oratrices cum quibuscumque honestis mulieribus per eas eligendis quecumque monasteria monialium cuiusvis, eciam sancte Clare, aut alicuius alterius arctioris ordinis de presidencium licencia ingredi, et cum eisdem Monialibus conversari et refectionem sumere, dummodo ibidem non pernoctent, libere et licite possint et valeant, plenam et liberam licenciam et facultatem concedere et indulgere dignemini de gracia speciali, Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitucionibus et ordinacionibus, necnon quibusvis Cancellarie regulis Apostolice in contrarium forsan editis, quibus derogare placeat, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis consuetis, et de reservato modo et forma predictis,

ac commutacione votorum, relaxacione iuramentorum ut supra, et de non reservatis tociens quociens opus fuerit, ac plenaria remissione et absolutis per omnia ut supra, et de Altare portatili cum clausula ante diem et ante meridiem et alias modo et forma predictis, et quod tempore interdicti corpora eorum ecclesiastice tradi possint sepulture, ut prefertur, et de indulgentiis beate Marie de Populo ac stacionum Urbis (ecclesias) visitando et recitando ut supra, et de esu ovorum, butiri, casei et aliorum lacticiniorum ac carnium ut premittitur, et de ingrediendo monasterio monialium pro Oratricibus prefatis, ut prefertur, et de premissis omnibus et singulis Oratoribus predictis et eorum quolibet respective ut supra, et quod presens indultum duret nec censeatur revocatum vita Oratorum durante, et semper a quibusvis revocationibus et suspensionibus exceptum sit et ipsis suffragare debeat, et quod presentis indulti sola signatura sufficiat eiusque transumptis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius prelati ecclesiastici munitis fides plenaria et indubitata ubique locorum sicut proprio originali adhibeatur, et transumpta fieri possint pro quolibet Oratore, et pro utriusque sexus liberis ad partem nulla facta mentione de aliis, et eorum nomina et cognomina exprimi possint in eisdem. Que quidem littere tali claudebantur signatura: Fiat ut petitur. Quibus quidem litteris per nos sicut premittitur receptis, visis, palpatis, lectis et diligenter inspectis, fuimus pro parte prefati Generosi Dñi Thome Soboczki in preinsertis litteris nominati principalis debita cum instantia requisiti, quatinus litteras ipsas in forma debita et autentica ad finem et effectum, quodque earum transumpto ubilibet locorum fides adhibeatur iuxta et secundum earundem et Decreti prefati Domini nostri Pape in eisdem appositi, vim, formam, continenciam et tenorem, transsumi, exemplari, necnon publicandum facere, et transsumptum huiusmodi ingrossare et decretum nostrum, imo verius prefati Sanctissimi Domini nostri Pape interponere, fidemque indubiam in iuditio et extra ubilibet eidem adhiberi, mandari dignaremur. Nos igitur Vincencius de Lagiewinski Archidiaconus et officialis prefatus attendens requisitionem huiusmodi fore iustam et rationi consonam, cum littere prefate singulorum in eisdem nominatorum negocium tangant, difficileque foret easdem ad singula queque loca, ubi expediens esset, deferre, quodque iusta petentibus non est denegandus assensus, peticionibus et requisicionibus pro parte domini Thome Soboczki in eisdem litteris nominati nobis factis inclinati, litteras predictas nostra imo verius apostolica auctoritate transumendas et exemplandas duximus, transumimusque et exemplamus per presentes, decernentes ex nunc prout Dominus noster Papa prefatus predictas preinsertas litteras decrevit, quodque huiusmodi nostro transumpto in iudicio et extra iudicium ubique locorum stetur fides, qualis et quanta ipsis litteris originalibus data est et adhibita, seu daretur et adhiberetur, si in medium producerentur. Quibus omnibus et singulis supradictis tamquam rite et legittime coram nobis factis et celebratis, nos igitur Vincencius de Lagiewinski Archidiaconus et officialis prefatus nostra, imo vero Sanctissimi Dñi nostri Pape potestate interposuimus, et presencium per tenorem interponimus auctoritatem pariter et decretum. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras, sive presens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, et per notarium publicum infrascriptum subscribi et publicari mandavimus, sigillique nostri iussimus et fecimus legittima subappensione communiri. Actum et datum Gnezne die Iovis vigesima secunda mensis Iulii Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo octavo, Indictione sexta, Pontificatus prenominati Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Domini Leonis divina providentia Pape Decimi anno ipsius sexto, hora terciarum vel quasi, presentibus tunc discretis Nicolao Czyzewski, Georgio Chwalczewski, Mathia Schiskowski, Ioanne Vythkowski, Vincencio Byskupski Notariis Consistorii Gneznensis, Testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L.S.) Et ego Albertus Vincentii de Carsovo clericus diocesis Gneznensis, sancta Apostolica auctoritate Notarius publicus, et coram memorato Reverendo patre dño Vincencio de Lagiewnyki Archidiacono Vicarioque in spiritualibus et offitiali Gneznensi generali causarum et actus presentis scriba, quia predictarum litterarum Apostolicarum presentationi et oblationi earumque transsumptioni et regrossationi, auctoritatis interpositioni, et presentium decreto aliisque omnibus et singulis premissis, dum sic ut premittitur fierent et agerentur, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula premissa sic fieri vidi et audivi ac in notam sumsi, ex qua hoc presens publicum transsumpti instrumentum manu alterius scriptum confeci, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meo solitis et consuetis una cum appensione sigilli prefati domini Archidiaconi et offitialis consignavi, et communivi in fidem et in testimonium premissorum rogatus et requisitus.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXII.

Quibus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Gabrieli Parszneywosky Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVIII. VI. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Floriano Czurilo Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum cum prebenda in Cracoviensi et Wratislaviensi ecclesiis, quos quondam Iohannes Schillnick obtinebat. Datum Malliani Portuensis dioc. Anno etc. MDXVIII. IV. Non. Ianuarii. Anno VI.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Mathie de Stachlewo Rectori parrocchialis ecclesie in Gluchow Gnezn. diocesis, salutem etc. Conceditur, ut propter tenuitatem prebende sue alia beneficia ecclesiastica acceptare possit. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVIII. V. Id. Decembris. Anno VI.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Handa Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi parrochialem ecclesiam in Wobborz Gnezn. diocesis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVIII. pridie Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Valentino Grabano clerico Warmiensi, familiari et continuo commensali nostro, salutem etc. Habilitat eum ad quecunque beneficia in regno Polonie acceptanda. Datum Rome apud Santum Petrum Anno MDXVIII. XV. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Leo episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Przemisliensi, sal. etc. Conceditur, ut octo personis idoneis per reginam Polonie sibi designandis de beneficiis ecclesiasticis providere possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVIII. X. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. Tom. CXVII. CXLVI. CLIII. CLV. CLXXXII.
et Secret. Tom. X. fol. 84, 4, 152, 217, 132, et 23.

CCCCXIII.

Canonicatus et praebenda ac domus canonicalis ecclesiae Cracoviensis perpetuo uniuntur mensae episcopali Plocensi.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que ecclesiarum omnium, presertim cathedralium, statui et decori, ac illis presidentium personarum pontificali dignitate preditarum, quas in partem solicitudinis evocavit altissimus, commoditatibus valeat salubriter provideri. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Erasmi episcopi Plocensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod experientia, que omnium rerum esse magistra dicitur, docuit, et propterea credit ex pluribus causis expedire, quod canonicatus et prebende unius cathedralis ecclesie mense alterius similis ecclesie uniantur, presertim ut presules ecclesiarum earundem in emergentibus negociis invicem se coniungant, eaque ratione sibi persuadet, alias canonicatum et prebendam ecclesie Plocensis mense archiepiscopali Gnesznensi perpetuo unitos fuisse, sicque desiderat canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, quos ipse Erasmus episcopus ex concessione et dispensatione apostolica obtinet, mense sue Plocensi etiam perpetuo uniri, annecti et incorporari, ac domum canonicalem, que uni ex canonicis de capitulo ipsius ecclesie Cracoviensis iuxta illius statuta et consuetudines dari et concedi consuevit, canonicatum et prebendam mense Plocensi etiam perpetuo applicari: ita quod prefati capituli domum ipsam iuxta statuta et consuetudines huiusmodi uni canonico de capitulo, qui episcopus non esset, quique dictam domum inhabitaret et manuteneret, et cum episcopus Plocensis pro tempore ad dictam civitatem Cracoviensem se conferret, donec inibi resideret, canonicus ipse aliquas cameras superiores et aliquas inferiores cum penu seu cantina pro sua et familie sue necessitate in dicta domo in presentia episcopi Plocensis dumtaxat retinere, Episcopo vero a dicta civitate absente secum in dicta domo unum vel duos ipsius episcopi Plocensis consanguineos, qui ibidem litterarum studio operam darent, habere eisque aliquas cameras pro illorum necessitate et commoditate assignare teneretur. Ipse vero Erasmus episcopus pro ipsius domus recompensa certam decimam valoris viginti florenorum vel circa in villa Naquassono Plocensis diocesis, ad episcopum seu mensam episcopalem Plocensem legittime pertinentem, dilectis filiis canonicis dicte ecclesie Cracoviensis pro una in dicta domo fabrica et illius reparatione et conservatione, pro alia vero partibus in anniversario in ecclesia ipsa Cracoviensi pro ipso Erasmo episcopo annis singulis celebrando convertendam assignaret, et ex hoc profecto domus huiusmodi conservationi ac eiusdem prefati

Erasmi et pro tempore existentis episcopi Plocensis commoditatibus non parum consuleretur. Quare pro parte ipsius Erasmi episcopi, qui carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis illustris ad nos et sedem apostolicam orator destinatus existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod volentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, prefatum Erasmum episcopum a quibusvis excommunicationis etc. fore censentes, ac ultimo dictorum canonicatus et prebende necnon mense episcopalis Plocensis predictorum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi piis et honestis supplicationibus inclinati, canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem mense episcopali Plocensi auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat eidem Erasmo et pro tempore existenti episcopo Plocensi per se vel alium seu alios corporalem canonicatus per presentes unitorum, iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem propria auctoritate de novo libere apprehendere, seu continuare et perpetuo retinere, ac illorum fructus, redditus et proventus in suos et mense episcopalis, ac per presentes unitorum canonicatus et prebende huiusmodi usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita; dictam vero domum, postquam ipse Erasmus episcopus decimam huiusmodi eisdem capitulo Cracoviensi modo premisso convertendam consignaverit, eidem canonicatui et prebende per presentes unitis auctoritate et tenore premissis perpetuo appropriamus et applicamus, ita tamen quod capitulum prefati domum ipsam alias secundum statuta et consuetudines huiusmodi uni canonico de illorum capitulo, qui episcopus non existat, et qui dictam domum inhabitet et manuteneat, et cum Erasmus ac pro tempore episcopus Plocensis ad civitatem Cracoviensem se contulerit et in ea resederit, quasdam cameras inferiores dicte domus et aliquas superiores cum penu seu cantina pro sua et familie sue necessitate, donec episcopus ipse ibidem fuerit, dumtaxat retineat, ipso vero episcopo a dicta civitate absente, canonicus ipse in dicta domo unum vel duos episcopi Plocensis pro tempore consanguineos, qui inibi litterarum studio operam dederint, secum retinere et illis aliquas cameras pro illorum necessitate et commoditate assignare teneatur, Non obstantibus voluntate nostra predicta et aliis constitutionibus etc. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. VIII. Secret. fol. 10.

CCCCXIV.

Ioanni Loz ius patronatus praepositurae ecclesiae S. Michaelis Plocensis a rege Poloniae concessum confirmatur.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que in favorem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum omnium, presertim per reges et principes orthodoxos, provide facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, apostolici adiicimus nostri muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis Loz moderni capitanei et pro tempore existentis arcis episcopalis oppidi Pollomensis Plocensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias carissimus in Christo filius noster Sigismundus Polonie rex illustris, cui ius patronatus et presentandi personam idoneam ad prepósituram ecclesie sancti Michaelis Plocensis, que inibi dignitas principalis existit, dum pro tempore vacabat, ex privilegio apostolico pertinebat, ac alias quomodolibet legittime competebat, et cui per nullos actus contrarios in aliquo derogatum fuit, et in cuius pacifica possessione existebat, ius patronatus huiusmodi ex regia munificentia et liberalitate sibi ac capitaneo dicte arcis pro tempore existenti perpetuo donavit, prout in litteris ipsius regis desuper confectis dicitur plenius contineri: quare pro parte ipsius capitanei nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi et concessioni predictis robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi ac venerabilis fratris nostri Erasmi episcopi Plocensis, ipsius regis ad nos et Romanam ecclesiam oratoris destinati, supplicationibus inclinati, in cuius contemplatione dicta donatio regia facta fuit, donationem et concessionem predictas, ac prout illis omnia et singula in dictis litteris contenta et inde secuta quecunque auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes

omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie sancti Michaelis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Lib. CCX. fol. 14.

CCCCXV.

Uniuntur ecclesiae Pollomensi Plocensis dioecesis quidam proventus et decimae ad mensam episcopalem Plocensem pertinentes.

Leo episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad sacram beati Petri sedem meritis licet imparibus divina dispositione vocati, ad ea, per que nostre provisionis ministerio in ecclesiis quibuslibet divinus cultus et ministrorum ecclesiasticorum numerus ad dei laudem et gloriam vigeat et augeatur, ac divine laudes iugiter exsolvantur, et personis illis insistentibus opportune subveniatur, libenter intendimus, et illa, que propterea per prelatos episcopali dignitate fulgentes facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo et inconcussa permaneant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis presidio roboramus, ac in hiis nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout in domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Erasmi episcopi Plocensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias ipse cupiens in ecclesia Pollomensi Plocensis diocesis divinum cultum, ac circa divina ministrorum numerum ad dei laudem et animarum salutem augere, certos tunc expressos proventus et decimas, ad mensam suam episcopalem Plocensem pertinentes, cum consensu dilectorum filiorum capituli ecclesie Plocensis ab eadem mensa ordinaria auctoritate dismembravit, et separavit ac in dicta ecclesia Pollomensi tresdecim perpetuas vicarias pro totidem perpetuis vicariis inibi in divinis deservituris dicta auctoritate erexit et instituit, necnon eisdem vicariis sic erectis pro earum dote proventus et decimas dismembratos et separatos huiusmodi, ac certos alios proventus et oblationes ad mensam capitularem eiusdem ecclesie Pollomensis similiter legittime spectantes, quibus ac iuri illos percipiendi ipsi capitulum seu eorum maior et sanior pars cesserint, eadem auctoritate perpetuo applicavit et approbavit, prout in litteris ipsius Erasmi episcopi desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, canonici dicte ecclesie Pollomensis iuxta illius fundationem, seu institutionem ac statuta cum canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie Pollomensis alia beneficia ecclesiastica obtinere nequeant, ac fructus canonicatuum et prebendarum necnon dignitatum ecclesie Pollomensis huiusmodi, qui de iure patronatus capitanei Pollomensis, arcis et oppidi episcopalium pro tempore existentis fore noscuntur, adeo tenues existant, ut canonici predicti ex illis sustentari et inibi residere, ac onera eis incumbentia perferre non possint, quo fit, ut canonicorum predictorum in dicta ecclesia Pollomensi digna et necessaria quandoque non fiat residentia in divini cultus diminutionem ac fundatorum voluntatis eiusdem defraudationem, si ipsi canonici alia beneficia, ex quibus condecens vite subsidium suscipere possent, obtinere valerent, ac in eadem ecclesia Pollomensi una scolastria et una custodia ac una cantoria, que inibi dignitates post principales et alias dignitates in ipsa ecclesia Pollomensi iam institutas existerent, pro uno scolastico et uno custode ac uno cantore, qui post alias dignitates inibi obtinentes et ante canonicos eiusdem ecclesie stallum in choro a parte sinistra episcopalis, ac locum et vocem in capitulo eiusdem ecclesie Pollomensis activam et passivam, necnon processionibus et locis publicis haberent et obtinerent, erigerentur et instituerentur, ac scolastrie in Dzyerszenyno et custodie in Zlothoria ac cantorie huiusmodi sic creatis pro earum dote in Wronyc dicte Plocensis diocesis parrochiales ecclesie perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, profecto ecclesia ipsa magis decoraretur, et in illa divinus cultus peramplius vigeret et augeretur, ac scolastriam et custodiam necnon cantoriam predictas pro tempore obtinentibus pro eorum decenti substentatione commoditatibus salubriter provideretur. Quare pro parte dicti Erasmi episcopi, asserentis fructus, redditus et proventus dictarum parrochialium ecclesiarum insimul centum triginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dismembrationi, separationi, erectioni, institutioni et approbationi per eum factis huiusmodi robur apostolice confirmationis adiicere, ac in dicta ecclesia Pollomensi unam scolastriam et unam custodiam ac unam cantoriam pro uno scolastico et uno custode ac uno cantore,

ut prefertur, erigere et instituere, illisque sic erectis in Dzyerszenyno et Wronic ac in Zlotoria parrochiales ecclesias predictas respective perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, quique ecclesiarum omnium decorem et in illis divini cultus augmentum nostris potissime temporibus summis desideramus affectibus, prefatum Erasmum episcopum, qui pro parte Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis illustris ad nos et sedem apostolicam orator destinatus existit, a quibusvis excommunicationis etc. fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dismembrationem, separationem, erectionem, institutionem, applicationem et approbationem predictas, ac prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris erectionis contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac illis perpetue firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos defectus iuris et facti, si qui forsan intervenerint in eisdem, et insuper in dicta ecclesia Pollomensi unam scolastriam et unam custodiam ac unam cantoriam dignitates inibi post principalem, et alias dignitates ante iam in ea institutas pro uno scolastico et uno custode ac uno cantore, qui post alias dignitates inibi obtinentes ac ante canonicos ipsius ecclesie Pollomensis stallum in choro a parte sinistra, ac locum et vocem activam et passivam in capitulo et actibus capitularibus eiusdem ecclesie Pollomensis, necnon processionibus et aliis locis solemnibus ac publicis et privatis habeant et obtineant, auctoritate apostolica et tenore predictis erigimus et instituimus, ac in Dzyerszenyno scolastrie ac in Zlothoria custodie necnon in Wronyc cantorie parrochiales ecclesias predictas cum omnibus iuribus et pertinenciis suis predictis sic erectis, ita ut in Dzyerszenyno scolasticus et in Zlotoria custos, ac in Wronyc cantor parrochialium ecclesiarum predictarum moderni rectores dicte ecclesie Pollomensis exnunc existant et esse censeantur, et a dilectis filiis illius capitulo recipi ac eis stallum in choro a parte sinistra huiusmodi assignari debeant, liceatque eis corporalem possessionem parrochialium ecclesiarum, iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere continuare, seu de novo apprehendere et perpetuo retinere, ac illarum fructus, redditus et proventus in suos et scolastrie ac custodie et cantorie, necnon parrochialium ecclesiarum predictarum usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, sic tamen, quod capitulum ecclesie Pollomensis ex decimis cuiuslibet parrochialium ecclesiarum huiusmodi unam decimam valoris septem sexagenarum pro prestimonio et aliam trium sexagenarum pro distributionibus quotidianis annuatim percipiant, eisdem auctoritate apostolica et tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, et nichilominus iuspatronatus et presentandi personas ydoneas ad scolastriam, custodiam et cantoriam predictas, quotiens illas tam hac prima vice ab earum erectione huiusmodi, quam deinceps pro tempore quoquomodo etiam apud sedem apostolicam vacare contigerit, prefato capitaneo Pollomensi pro tempore existenti, qui alias omnes dignitates et prebendas dicte ecclesie confert, perpetuo reservamus et concedimus, neque quoad primam dignitatem eiusdem ecclesie quascunque clausulas aut reservationes nostras aut successorum nostrorum extendi volumus, dum semper a primeva erectione dignitatum et prebendarum ipsarum eadem prima dignitas cum aliis ad collationem dicti capitanei pro tempore existentis pertinet, ac singulis canonicis dicte ecclesie Pollomensis pro tempore existentibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, eorum singuli unacum illius canonicatu et prebenda per eorum singulos respective pro tempore obtinentes, quecunque, quotcunque et qualiacunque alia cum cura et sine cura alias se invicem et cum eisdem canonicatibus et prebendis compatibilia beneficia ecclesiastica, et canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineret animarum, si eis canonice conferantur aut eligantur, presententur vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere et retinere libere et licite valeant, prefata auctoritate apostolica earundem tenore presentium perpetuo indulgemus, Non obstantibus voluntate nostra predicta et aliis apostolicis constitutionibus, ac Plocensis et Pollomensis ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos

per easdem, ac inde secuta quecunque ad dictas parrochiales ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis specialibus vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas dicté parrochiales ecclesie debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed earum congrue supportentur onera consueta. Et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, reservationis, concessionis, indulti, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Lib. CCX. fol. 6.

CCCCXVI.

Regi et reginae Poloniae indulgetur, ut in locis interdictis divina celebrari facere possint.

Leo episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi, et Carissime in Christo filie Bone Regine Polonie Illustribus, salutem etc. Vestri pro reipublice christiane adversus infideles tuitione indefessi labores, eorumque erga Romanam ecclesiam intemerata fides exposcunt ac merentur, ut devotioni vestre pro votis respondeamus. Hinc est, quod nos vestris in hac parte nobis per venerabilem fratrem nostrum Erasmum episcopum Plocensem, pro vobis apud nos ac sedem apostolicam destinatum oratorem, porrectis supplicationibus inclinati, vobis ac regi et regine Polonie pro tempore existentibus, ut quotiens vos et successores vestros reges et reginas, aut eorum seu vestrum aliquem in locis ecclesiastico interdicto ordinaria vel apostolica aut utraque auctoritate, etiam ante vestrum ad ipsa loca adventum, ex quavis causa suppositis permanere contigerit, inibi in cathedrali, etiam metropolitana, aut collegiata seu parrochiali, aut domorum regalium ecclesia seu capella vel alio loco, quam seu que quilibet vestrum totiens, quotiens etiam singulis diebus duxerit eligendam seu eligenda, illius ianuis apertis et campanis pulsatis, etiam alta voce misse et alia divina officia diurna et nocturna etiam solemniter in vestra et alterius vestrum et aliorum quorumcunque, excommunicatis tamen et interdictis prorsus exclusis, christifidelium utriusque sexus presentia celebrari, et corpora christifidelium inibi decedentium cum funerali pompa tradi ecclesiastice sepulture, dummodo causam non dederint interdicto huiusmodi, neque id vobis contingat specialiter interdici, quinymo ut eidem interdicto causam dantes ab hoc desistant, et mandatis pareant ecclesiasticis, et ea, propter que fuerit appositum apostolicum interdictum, executioni debite demandentur, prout vestre convenit Maiestati, operam dare et efficere curetis, libere et licite valeant, quodque tu in Christo filia Bona ac Regina Polonie pro tempore existens, quandocunque et cum quibuscunque mulieribus vobis placuerit, ac magistro curie, cancellario, secretario et tribus aliis ex virili sexu pro arbitrio tuo et successurarum reginarum Polonie eligendis quecunque monasteria mendicantium et aliorum quorumvis ordinum monialium ingredi, et in eis quamdiu tibi, in Christo filia Bona Regina, et succedentibus ac mulieribus placuerit, manere et pernoctare libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus ac facultatem concedimus, Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibus illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli etc. nostri indulti, concessionis et derogationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, tertio Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Lib. CCX. fol. 13.

CCCCXVII.

Reginae Poloniae indulgetur, ut episcopus Premisliensis octo personis ecclesiasticis a se nominandis beneficia ecclesiastica conferre possit.

Leo episcopus etc. Carissime in Christo filie Bone Regine Polonie Illustri, salutem etc. Cum alias nuper tue Maiestati gratificari cupientes, venerabili fratri episcopo Premisliensi tamquam eius gratie mero executori commiserimus pro octo personis per te sibi nominandis, duo in Gneznensi, et duo in Cracoviensi, et duo in Poznaniensi, et unum in Wladislaviensi et etiam unum in Warmiensi ecclesiis vel civitatibus consistentia, etiamsi canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia, et ex quavis causa dispositioni apostolice, preterquam ex personis ibi expressis, et ratione illorum vacationis apud sedem apostolicam generaliter reservata vel affecta, et alias modis ibi expressis qualificata, et cuiuscunque annui valoris forent, si qua tempore nominationis huiusmodi faciende vacabant, aut cum simul vel successive vacarent, ipsis nominandis personis auctoritate apostolica conferenda et reservanda, et quoad canonicatum et prebendam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium dicte ecclesie Cracoviensis, dilecto Iohanni de Gorra archidiacono ecclesie Poznaniensis, Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Polonie Illustris secretario, quem acceperamus sue Maiestati singulariter esse gratum, iuxta instructionem oratori suo datam, quam nobis exhibuit, venerabilis fratris nostri episcopi Cracoviensis quoad eius menses suos ordinarios ad id accedente consensu, nuper pro nobis extitit legittime facta fides, quibus moti eundem Iohannem in dictis litteris facultatis nominandi ad canonicatum et prebendam, seu dignitatem dicte ecclesie Cracoviensis primo vacaturos specialiter et expresse nominavimus, et alia circa hoc voluimus, decrevimus et ordinavimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut ex litteris tue Maiestatis vidimus, tu desideres liberam apud te esse potestatem ad canonicatum et prebendam, aut dignitatem in eadem Cracoviensi ecclesia primo vacaturos iuxta voluntatem tuam personam tibi gratam nominandi: Nos huiusmodi tuo desiderio libenter annuentes, et dictarum litterarum tenorem presentibus pro sufficienter expresso habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia nominationem de persona dicti Iohannis, ut premittitur, factam cassamus penitus et annullamus, ac Maiestati tue aliam personam, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura obtinentem et expectantem, ad canonicatum et prebendam seu dignitatem ecclesie Cracoviensis primo vacaturos huiusmodi nominandi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, et ut nostrum erga te animum indies gratiorem cognoscas, facultatem huiusmodi et litteras predictas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis ad secundum canonicatum et secundam prebendam ecclesie Wladislaviensis, et ad secundam ecclesie Warmiensis, et ad duo ecclesie Plocensis de expresso consensu venerabilis fratris nostri Erasmi dicte ecclesie episcopi, cui ob benemerita ipsius, de mense Novembris omnium beneficiorum in episcopatu suo provisionem concessimus, pro quattuor aliis personis per te nominandis extendimus et ampliamus, decernentes nullas alias similes vel dissimiles extensiones, seu ampliationes per litteras sub data anteriori, aut posteriori quoad ecclesias prefatas vim ullam habituras, quas per presentes omnino cassamus et extensione per presentes tibi concessa et non alia re uti posse volumus, Non obstantibus etiam premissis ac omnibus illis, que in dictis nostris litteris volumus non obstare ceterisque contrariis quibuscunque. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, tertio Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. Tom. VIII. fol. 34.

CCCCXVIII.

Litterae passus pro episcopo Sardicensi eiusque socio nuntiis apostolicis in Moscoviam missis.

Leo episcopus etc. Universis et singulis presentes nostras inspecturis, lecturis pariter et audituris, quacunque ecclesiastica et mundana prefulgeant dignitate, salutem etc. Mittimus ad nobilem virum ducem Basilium Moscovie et Russie principem venerabilem fratrem Zachariam episcopum Sardicensem, prelatum nostrum domesticum et referendarium secretum, ac dilectum filium nobilem virum Iohannem de Thedaldis equitem auratum, nobis consanguineum, nostros et apostolice sedis nuncios et oratores, et quoniam per terras, civitates, villas, oppida, castra et regna vestre dictioni subiecta eos iter facere continget, vos omnes et singulos, quantum enixe possumus, in Domino exhortamur, ut pro nostra et sancte sedis apostolice reverentia vestrisque erga christianam religionem amore ac pietate eos-

dem Zachariam episcopum et Iohannem equitem, nuncios et oratores nostros, debitis cum honore et humanitate per loca vestra, ad que eos divertere contigerit, suscipiatis et tractetis, suscipique et tractari faciatis, eisque, cum opus fuerit, de scortu, salvoconductu ac itineris securitate et aliis opportunis provideatis ac provideri faciatis, eosdemque nuncios nostros cum eorum familiis, equitariis ac rebus omnibus, quas secum deferent, absque pedagii, guidagii et gabellarum solutione libere intrare, manere, transire et exire sollicite studeatis et curetis, ut omnipotentis Dei gratiam et nostram benedictionem ac vite eterne premia promereri valeatis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quingentesimo decimonono, quintodecimo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. CCX. Secret. fol. 264.

CCCCXIX.

Sigismundo regi Poloniae, ut revocet, quod per regios consiliarios contra Stanislaum Mudzynski canonicum Posnaniensem in re iudicata minus prudenter factum sit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri.

Leo PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Nuper accepimus, quod postquam alias quondam genitor dilecti filii et familiaris nostri Stanislai Mudszynky Canonici Poznaniensis, ex regno tue Maiestatis oriundi, pro quondam Mathia Moszynki, etiam Maiestati tuae subdito, in diversis pecuniarum summis apud acta tam Consistorii Archiepiscopalis Gnesnensis, quam iudicii terrestris districtus etiam Gnesnensis diversis personis eiusdem Mathie creditoribus fideiusserat et fideiubendo se obligaverat, genitor ac Mathias prefati decesserunt, prefatus Stanislaus et eius frater tunc pupilli coacti fuerunt pecuniarum summas predictas, vel earum aliquas dictis creditoribus persolvere, ita ut eorum bona paterna et materna in solutione huiusmodi conversa sunt: postmodum vero, cum dilectus filius Ieronimus dicti Mathie filius et heres, eiusdem Maiestatis tuae etiam subditus, dictis Stanislao et eius fratri de dictis pecuniis satisfacere non curaret, ipseque Stanislaus fecisset propterea prefatum Hieronymum super premissis coram certis iudicibus ecclesiasticis in Regno tuo ad iudicium evocari, et successive fuisset nomine Maiestatis tue dictis iudicibus inhibitum, ipsique iudices causam huiusmodi ad Cancellariam apostolicam remisissent, et prefatus Stanislaus causam eandem certo causarum palatii apostolici auditori committi fecisset, et coram eo procedendo diffinitivam condemnatoriam sententiam cum expensarum condemnatione pro se, et contra prefatum Ieronimum non comparentem nec excipientem reportasset, ipsaque sententia in rem transivisset iudicatam, litteris executorialibus desuper decretis, et idem Ieronimus ob earum non paritionem sententiis, censuris et penis in illis contentis innodatus, et contra eum brachium seculare invocatum fuisset, prefatus Stanislaus Canonicus, dicto Hieronimo debitore, ut verisimiliter creditur, instigante eundem Stanislaum de mandato Maiestatis tue tanquam tue auctoritatis offensorem ad comparendum personaliter coram eadem tua Maiestate, et audiendum se de tuo Regno banniri, ac bona sua mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, arrestari et tue mense Regie confiscari, et alia tunc expressa fieri videndum citatus, et forsan contra eum super premissis processum fuit, quod nobis certe persuadere non possumus, cum ista manifesta sint contra libertatem ecclesiasticam et apostolicas constitutiones, graves censuras in se continentes contra proscribentes personas ecclesiasticas per Romanos Pontifices predecessores nostros editas, nobisque constet eandem Maiestatem tuam libertatem ecclesiasticam nunquam impugnasse, ymo illam et que orthodoxa sunt, pro viribus in nostrum et huius Sancte Sedis honorem et tuam commendationem semper defendisse, et propterea, si talia contra dictum Stanislaum Canonicum in premissis facta sint, credimus per officiales eiusdem Maiestatis tue et non per eam facta fuisse. Eapropter Maiestati tuae per presentes significandum duximus, ut eadem Maiestas tua pro nostro et eiusdem Sancte Sedis honore, quod contra prefatum Stanislaum per suos consiliarios minus prudenter gestum fuit, sua solita prudentia, prout iustitia expostulat, revocet et revocari faciat, ac permittat, quod persone ecclesiastice que in causis suis in auditorio rote sententias et litteras executoriales reportarunt, in suo regno libere exequi possint, quod si fecerit dicta Maiestas tua iustitie et aequitati satisfaciet, ac Deo condignam retributionem, a nobis vero commendationem et benedictionem recipiet. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta Novembris 1519. Pontificatus nostri anno septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Brev. Tom. XXXIII. fol. 196.

CCCCXX.

Regi Poloniae prorogat pontifex iubilaeum pro magno ducatu Lithuaniae, conceditque pecunias inde collectas pro bello contra Turcas et pro munitione castri Kyoviensis.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri.

Leo PP. X. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Alias, ut tue Maiestati rem gratam faceremus, plenariam indulgentiam ad Ducatum tuum Lithuanie eo modo concessimus, ut una pars pecunie exinde collecte contra infideles et pro reparatione castri Kyoviensis eisdem hostibus vicini exponeretur, due vero partes pro expeditione generali contra Turcas, et pro fabrica basilice beati Petri fideliter consignarentur. Cum autem Ven. frater noster Erasmus episcopus Plocensis Maiestatis tue apud nos orator eiusdem nomine nobis nuper exposuerit, eandem indulgentiam propter continuos bellorum motus ac penurie et famis difficultatem, quibus incole ducatus illius annis preteritis plurimum laboraverunt, modicos fructus attulisse, addideritque Maiestatem tuam eosdem infideles indefesso animo urgere non desistere, nobisque propterea humiliter supplicaverit, ut tempus predicte indulgentie ad festivitatem purificationis beate Marie Virginis proxime futuram expirans prorogare, et future indulgentie offerenda omnino ad unicum tantum effectum contra infideles et pro restaurando dicto castro convertenda concedere dignaremur: Nos, qui summo desiderio semper cupimus, ut apparatus contra christiani nominis hostes, et castrorum municiones ac alia ad hoc sanctum opus necessaria omni ratione in dies fiant, quique fortitudinem et constantiam animi tue Maiestatis contra ipsos infideles cum magna felicitate a plurimis adeptis victoriis sepe cognovimus, libenter votis omnibus tuis acquievimus, et tam prorogationem prefate indulgentie, quam oblata omnia ex ea colligenda ad unicum effectum contra infideles, et pro castri nominati reparatione cum solita gratitudine nostra, qua tuam Maiestatem prosequimur, admisimus et concessimus, quemadmodum ex tenore litterarum super hoc confectarum Celsitudo tua plenius intelliget. Preterita vero, que ex oblationibus dicte indulgentie in Ducatu illo collecta sunt, ita Maiestas tua dispensari faciat, videlicet media pars contra infideles et pro eiusdem castri munitione exponatur, alia vero medietas apud Iohannem Bonar supparem tuum fideliter conservanda deponatur, cui id per singulares litteras nostras curandum committimus: nos enim postmodum ei significabimus, quibus in rebus pecunias ipsas convertere debeat, super quibus Maiestas tua ita providere velit, ut res ipse fide et diligentia pertractentur. In reliquis autem Dominus noster cum Maiestate tua semper adesse dignetur, et gressus tuos continuo ac feliciter, sicuti optamus, sua gratia dirigere. Datum in villa nostra Malleana die xv. Ianuarii 1520. Pont. nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXXVII. Brev. Indulg. fol. 73.

CCCCXXI.

Episcopus Premisliensis ad sedem episcopalem Posnaniensem transfertur.

Venerabili fratri P. Episcopo Poznaniensi nuper Premisliensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Cum nuper te a vinculo, quo ecclesie Presmiliensi, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad ecclesiam Poznaniensem tunc per obitum bone memorie Iohannis olim episcopi Poznaniensis, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destitutam de simili consilio dicta auctoritate duxerimus transferendum, teque illi in episcopum et pastorem prefecerimus, curam et administrationem eiusdem ecclesie Poznaniensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: Nos, ne interim ante expeditionem litterarum apostolicarum super translatione et prefectione predictis ecclesia ipsa Poznaniensis in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineat, providere, teque tuis exigentibus meritis gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut vigore presentium possessionem seu quasi regiminis, et administrationis ac bonorum dicte ecclesie Poznaniensis per te vel alium seu alios libere apprehendere et retinere, ac fructus, redditus et proventus mense episcopalis Poznaniensis percipere, exigere et levare libere et licite valeas, auctoritate apostolica concedimus per presentes. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Guzonlensi (?) et episcopo Ecenensi (?) per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios tibi in adipiscenda possessione vel quasi regiminis, et administrationis ac bonorum ecclesie Poznaniensis huiusmodi auctoritate nostra assistant, facientes tibi a dilectis filiis illius capitulo et clero civitatis et dioce-

sis Poznaniensis obedientiam et reverentiam debitas et devotas, necnon a vassallis et aliis subditis dicte ecclesie Poznaniensis consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhiberi, Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii pape VIII. predecessoris nostri, que incipit: Iniuste, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie Poznaniensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome etc. die 20. Iunii 1520. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. XXXV. fol. 158.

CCCCXXII.

Regi Poloniae super rebus magni magistri Prussiae.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie etc. Regi Illustri.

Leo PP. X. Charissime in Christo fili, salutem etc. Cum alias ex Maiestatis tue litteris intellexerimus, que inter eam et magnum Magistrum Prussie secuta fuerant, Nos, qui nihil magis quam firmam pacem et unionem inter Christianos Reges et Principes desideramus, nec aliud quicquam molestiore animo ferimus, quam si inter ipsos Reges alique dissensiones et simultates exoriantur, non potuimus non dolere, summaque animi et cordis nostri mestitia affici, nec ullum magis presens remedium fore vidimus, quam ad Maiestatem tuam scribere eamque benigne hortari, ut singulari sua prudentia et bonitate gravioribus malis et scandalis, que succedere possent, occurrere atque obviare vellet, idque paterna charitate ac sincera dilectione fecimus, non Maiestatem tuam reprehendentes, sed factum ipsum (ut par erat) damnare et improbare volentes. Ex litteris autem Maiestatis tue, que nuper nobis per venerabilem fratrem Herasmum Episcopum Plocensem, eiusdem Maiestatis tue apud nos Oratorem, reddite fuerunt, intelleximus, eandem Maiestatem tuam dicta nostra, que ex intimo charitatis affectu nata ac pastorali officio nostro scripta fuerant ad Maiestatem tuam, interpretatam fuisse eamque suspicari, quod falsis calumniis aurem prebentes contra eam partem susceperimus. Quod quantum ab intentione menteque nostra alienum sit, novit ille qui nihil ignorat, Nosque nobis ipsis optime conscii sumus, qui nullam prorsus causam unquam habuimus, quin te tanquam peculiarem filium nostrum ac de fide christiana optime semper meritum in visceribus charitatis gereremus. Cum tu (ut Christianum principem ac vere Catholicum Regem decet) assidue bellum adversus Schismaticos et Infideles gesseris, ex eisque plures et insignes victorias reportaveris, Nosque sepius ob eas unacum venerabilibus fratribus nostris sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalibus, ac tota Romana Curia publicam letitiam ostenderemus, ac debitas omnipotenti deo per solemnis misse celebrationem gratias egerimus, nec unquam tristem ac sinistrum nuntium istinc nobis allatum fuisse meminerimus, hoc uno excepto, quo tanquam re nova et insolita nos valde commotos fuisse mirari non decet, cum de omnibus etiam minimis, nedum maximis rebus coram deo rationem reddituri simus, ac propterea solliciti et vigiles esse deberemus, ne gregis nobis commissi curam et custodiam neglexisse censeamur. Gratias autem deo nostro agimus, quod ex novissimis Maiestatis tue litteris rem ipsam magis distincte aperteque intelleximus, cognovimusque ipsam Maiestatem tuam solita sua prudentia et modestia in huiusmodi negotio processisse, et quod in prefatum Magistrum sive eius exercitum fecit, id invitam et coactam fecisse, sepiusque (apud) nostrum ac alios Regum et principum nuntios et oratores apud eam existentes testatum fuisse, quod per eam non staret, quin bonam pacem et concordiam cum prefato Magistro iniret placuitque nobis intelligere, celsitudinem tuam etiam nunc paratam esse pacem et concordiam huiusmodi sub nostro et huius sancte sedis beneplacito concludere, ad quam celsitudinem ipsam tuam in domino hortamur, eamque per viscera misericordie illius, cuius vices in terris gerimus, rogamus et obtestamur, ut ab intestino isto contra dictum Magistrum bello, prout convenit, abstineas, nec illi malum pro malo, sed potius bonum reddere cures, minimeque hostilem adversus eum, sed benignum ac patentem animum induas, non ignarus, quod omnium victoriarum, que acquiri compararique possent, nulla est specialis magisque deo et hominibus grata, quam se ipsum vincere ac proprios affectus (quod hominis proprium est) superare, acceptamque iniuriam clementer potius remittere et condonare, quam hostiliter ulcisci et persequi. Quod si, ut speramus et optamus, feceris, eundem Magistrum, quem bello et armis non sine magna rerum omnium con-

fusione vincere posses, clementia, quam cetera quoque animantia sentiunt, eaque mansuefiunt, lenies atque placabis, ac eius duritiem paterna indulgentia franges, nec nos pro parte nostra deerimus et ad hoc auctoritatem quoque nostram interponemus, sicut aliis nostris litteris nuntiis apud Maiestatem tuam committimus, speramusque, quod huiusmodi concordia Christi nominis hostes nulla re magis quam Christianorum principum discordiis exultantes et confidentes, unitis animis convertere ipsosque debellare ac Reipublice Christiane terminos augere et propagare curabitis. Id quod ab omnipotenti deo continuis precibus humiliter poscere ac implorare non omittemus. Datum Rome etc. die xv. Iulii MDXX. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. XXXVI. fol. 137.

CCCCXXIII.

Reginae Poloniae de filio nato pontifex gratulatur.

Carissime in Christo filie .... Regine Polonie Illustri.

Leo PP. X. Carissima etc. salutem etc. Gratulamur Serenitati tue ex toto animo, quod nobili prole a deo decorata iam hoc vinculo firmiorem constituisti et coniugalem charitatem et nominis tui memoriam: itaque et deo omnipotenti gratias agimus, et ob illam nostram perpetuam, qua te et tuos omnes semper cum domino prosecuti sumus, benivolentiam nobis tecum commune hoc bonum atque ornamentum ducimus. Quin etiam confidimus, eodem deo adiuvante, ex prestantissimo atque invictissimo rege et nobilissima et omni virtute predita matre natum filium similem futurum parentum maiorumque suorum, sitque in eo constitutum non solum regnis istis et nationibus, sed etiam universe christiane reipublice presidium, idque ut ita eveniat, deum eundem salvatorem nostrum supplicare deprecamur. Que nostre preces deo ut auspice felicius procedant, Serenitati tue et isti invictissimo regi coniugi tuo, ac ipsi in tantam spem et laudem suscepto filio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti benedicimus. Atque hanc letitiam et gratulationem nostram ut presens ad te deferret, dilectum filium Florianum canonicum Cracoviensem, cubicularium nostrum, dedita opera, istuc venire iussimus, quem Serenitas tua benigne audiet. Datum Rome etc. die XXIX. Augusti MDXX. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. XXVIII. fol. 141.

CCCCXXIV.

Regi Poloniae super eodem argumento.

Carissimo in Christo filio .... Regi Polonie Illustri.

Leo PP. X. Carissime fili, salutem etc. Cum de filio tue Serenitatis nato nuncius ad nos allatus esset, accepimus nos quidem singulare gaudium de optimi et prestantissimi, nobisque et huic sancte sedi amicissimi Regis commodo, quodque ex eo alterum futurum, ut in dei clementia confidimus, patris sui simillimum, idem ille deus omnium bonorum dator in lucem productum voluisset. Verum ad hunc privatum benivolentie affectum communis illa gratulandi ratio accedebat, quod spem maximi presidii, quo per tuam virtutem et prudentiam fulta adversus fidei hostes christiana est respublica, in eodem filio tuo propagatam ad diuturniora tempora gaudebamus: licet enim spem suam et fiduciam in deo collocantes pie augurari, hunc, qui tibi a deo filius datus est, et successorem regni ac potestatis, et imitatorem tue virtutis fore. Quapropter cum agimus gratias eidem omnipotenti deo, qui et tibi et nobis, et eidem imprimis reipublice sue tanto bono consuluit, tum Serenitati tue ex animo gratulamur, tecumque nobis commune hoc commodum atque ornamentum ducimus, tuamque in filium patriam charitatem nostro pariter affectu paterno consequimur. Tibi enim heres nominis et honoris tui datus est, quod quidem maxime est iucunditatis, nobis et sedi apostolice universeque fidei christiane tutela sue dignitatis in eo ipso designata. Et si is, qui precibus nostris et fidelium suorum sua benignitate nunquam abfuit, omnipotens et misericors deus optata nostra secundare dignabitur, et optamus et speramus, ut hoc tibi et coniugi tue carissime in Christo filie regine electissime perpetuum sit gaudium, utrique vestrum in celo salutare, in terris gloriosum, sueque sancte fidei proficuum. Que preces nostre ut eodem auspice deo felicius procedant, et vobis parentibus et eidem ipsi in tantam spem et laudem producto filio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti benedicimus. Hanc letitiam et gratulationem nostram ut presens ad te deferret, dilectum filium Florianum canonicum Cracoviensem, cubilarium nostrum, dedita opera, ad tuam Serenitatem misimus, quem humaniter audies. Datum Rome etc. die XXIX. Augusti MDXX. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. XXVIII. pag. 140.

CCCCXXV.

Rex Poloniae commendat cardinali de Medicis res calamitosas regni sui, petitque efficiat apud pontificem, ut subsidium quoddam sibi mittatur pro bello contra Turcas, fratres Theutonicos et Moscovitas.

Reverendissimo in Christo patri domino Iulio miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso presbytero Cardinali de Medicis S. R. E. Vicecancellario, et Bononie Legato, amico carissimo et honorando.

Sigismundus Dei gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres. Rm̃e in Christo Pater et domine dñe noster charissime ac honorande. Quamvis et scribimus Sanctissimo Domino nostro Revm̃isque Cardinalibus in commune, et nuntius hic eius Sanctitatis Magnificus Ioannes de Thedaldis abunde referet statum rerum nostrarum, voluimus tamen speciatim Rm̃e Dominationi vestre uti singulari amico et fautori nostro declarare, quanta procella Regno nostro, imo universe rei christiane impendeat. Tartarus enim vicinus noster, et idem Imperatoris Turcarum socius, devicto altero Imperatore Scythico inimico suo, et illius gentibus in potestatem suam redactis, adeo vires suas auxit, ut supra ducenta millia bellatorum conficere possit, cuius periculi causa oportet nos ingentia presidia in finibus tenere, et alia in aliis finibus a Moscis haberc: quam difficultatem considerantes, Magister ordinis Theutonicorum in Prussia et sui adherentes, qui huc usque nos promissis de pace et concordia duxerunt, tantam in Germania adversum nos expedicionem fecerunt, quantam non facerent unquam adversus Turcas, ut his diebus nos ex improviso et occupatos adoriantur, nos preter ea presidia, que servamus, altera in finibus Moscorum, in finibus Scytharum altera, et hic pariter in Prussia exercitum relinquere oportet pro tuicionc subditorum nostrorum, licet cum summa difficultate adeo distracti, et in celeritate, quam res exigit, quartum exercitum comparamus, quo adventantibus ex alia parte Germanorum copiis obsistamus, tamen freti iusticia nostra et divino auxilio, quibus viribus fieri tumultuarie poterit, nos et nostros defendemus: quam iniuriam et vim indignam, que nobis infertur, vestra Revm̃a D. dignetur Sanctissimo Domino nostro declarare, rogareque illam, ut nobis consilio et favore suo adesse dignetur, ne qui tantam molem infidelium solis humeris nostris sustinemus, eciam a tergo per christianos impetiti desistere, et private rei nostre citra pietatem christianam consulere cogamur, quod ab animo nostro semper alienum. Commendamus nos et negocia nostra Revm̃e Paternitati V. quam sanam et sospitem esse desideramus. Datum in Civitate nostra Thorunensi XXIV. Septembris Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo. Regni nostri Anno Quintodecimo.

Sigismundus Rex Polonie scripsit mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXXVI.

Burgravius Pragensis exhortatur Pontificem, ne electionis Alberti marchionis Brandeburgensis in ep̃um Vratislaviensem citra consensum procerum Silesiae et regis Poloniae factam confirmet, sed illam Iacobi de Saltza omnium ordinum Silesiae desiderio exoptatam.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post devotissima beatorum pedum oscula humilem sui subiectionem. Maxima cum voluptate intellexi post mortem felicis memorie Reverendissimi domini Iohannis Episcopi Wratislaviensis unanimi omnium canonicorum consensu electum esse nobilem et magnificum virum dominum Iacobum de Saltza Regium consiliarium et in Slesia Ducatus administratorem, nec enim alter poterat magis ydoneus reperiri, cui hanc dignitatem pro tocius provincie commodo ac salute apcius committere potuissent, ita omnibus virtutibus cumulatus existit. Eo est consilio, ea animi magnitudine, ut afflicte religioni christiane, hereticorum contagioni solus opem ferre, ac sacrosancte Romane ecclesie dignitatem tueri ct denuo restituere valeat. Intelligo autem Sanctitatem vestram, non obstante canonica electione contra principum compacta et concordata, de episcopatu illustri domino Marchioni Brandeburgensi providisse propter nonnullas Regum et Principum commendaciones per importunam eius instanciam forte clanculum et subrepticie, et sine Regnorum consuetis Sigillis in suis consiliariis Regni Boemie obtentas, neque accedente ad hoc consensu et voluntate Serenissimi Regis Polonie, non sine gravi preiudicio unici eiusdem Regis tutoris: que provisio quam periculosa et tocius provincie paci et tranquillitati inimica futura sit, hi demum cognoscere poterunt, quibus perspecte sunt huius patrie condiciones et omnium ordinum ad dissensiones propensissima studia, quod imprimis heresem illam nobis invexit, perniciem universe Christia-

nitati dedecorosam. Cum itaque ego tocius Regni Boemie, sub quo est ecclesia Wratislaviensis, supremus locumtenens Regie Maiestatis sim, et demandata mea interesse putavi ista Sanctitati vestre patefacere ac declarare, ut opportune his malis anteverti et provideri possit, et eo magis, quod timendum est, longe atrociora emergere posse, quam ut in tempore previderi vel litteris tuto committi possint: cum aperte per hoc Regni Boemie privilegiis et indultis derogaretur, et precipue Bulle auree Caroli Quarti Imperatoris felicis memorie de extraneis non admittendis ad Regni dignitates tam seculares quam spirituales. Nam usque adeo consternati sunt tocius Regni prefati proceres ex indebita illa legittime Electionis difficultate, ut nisi atroci peste et mortalitate pro nunc impediti forent, quisque privatim pro se scripturus esset, et singuli Sanctitatem vestram requirere litteris non dubitassent, ne scilicet legittimam tanti viri electionem Sanctitas vestra quovismodo impedire pateretur. Supplico igitur Sanctitati vestre nomine omnium, dignetur canonicam illam electionem nobilis et magnifici dñi Iacobi de Saltza confirmare ac roborare, quam eciam omnes magnatum omniumque ordinum consensus approbat, commendat et in celos usque extollit, adeo ut quicumque tandem preter prefatum dominum Iacobum de Saltza tentaverit se in Episcopatus possessionem ingerere: non poterit citra publicam perniciem et omnium rerum turbulenciam quovis pacto admitti, et quod ne fiat, Sanctitas vestra pro sua in omnes clemencia et populum christianum sub sancte Romane sedis obediencia constitutum pietate misericorditer et graciose avertere velit, cuius pietati ac gracie me humilime commendo, quam deus altissimus felicem et incolumem ad multos annos conservet. Datum Prage die xxii. mensis Octobris anno domini millesimo quingentesimo vigesimo.

Sanctitatis Vestre

humilis et devotus filius

Zdenko Leo de Rossental Baro in Blatna
Supremus Burggravius Pragensis.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXXVII.

Consules civitatis Vratislaviensis super eodem argumento.

Beatissimo ac summo patri et dño, dño Leoni divina providentia SS. Romane Sedis ac tocius Ecclesie catholice Antistiti maximo, domino nostro clementissimo.

Beatissime ac summe pater, clementissimeque domine. Genibus sanctissimis suppliciter advoluti, nos cum indefessis serviciis humiliter commendamus, clementissime pater ac domine. Quandoquidem Venerabile Capitulum Vratislaviense sua, qua a vetustissimo tempore ultra hominum memoriam gaudebat, libertate unanimi voto et proculdubio divinitus inspirato in prelatum et Ep̃um nostrum delegerit, Reverendum dominum Iacobum de Saltza legum doctorem clarissimum, qui ex optimis maioribus generis nobilitate fulgentibus originem ducit, et iis vir est moribus, ea quoque vite integritate et undiquaque inculpatus, ut nihil mali facinoris sibi recte impingi valeat, nil penitus verebamur, humillimas nedum nostras, sed eciam aliorum supplicaciones ad Sanctitatem vestram confirmacionis gracia perscriptas iri vacuas, cum presertim nil aliud, quam quod ad omnipotentis Dei gloriam et christiane reipublicae emolumentum et honorem conducit, postulaverimus: sed accepimus, quod non nobis solum, sed ceteris eciam nacionibus admiracionis et perturbacionis plurimum adfert, Sanctitatem Vestram pretextu cuiusdam mentalis, ut fertur, reservacionis episcopatum hunc alteri contulisse, qua reservacione prius nobis incognita Sanctitas Vestra infringere conaretur, et non hanc dumtaxat canonica et divina, ut credimus, dispensacione factam Capituli Vratislaviensis electionem, verum eciam infirmaret penitus privilegia et libertates dominorum Baronum, Principum et Statuum omnium tocius corone Bohemie, Marchionatuum Moravie Lusacieque et ducatuum Silesie, qui non pacientur privilegia et iura sua infirmari abolerique. Cum itaque Sanctitati Vestre, ut non ambigimus, exploratissimum est, quanta maiores nostri damna et quantas iacturas pro fidei constancia pertulerint, et in id miseriarum deciderint, ut nos illorum reliquie in hodiernum usque diem cum successura nostra posteritate tanto simus erimusque miseriores, Vestram Sanctitatem iterum atque iterum petimus, et pro suo maximo in Christum amore obsecramus, dignetur christiane reipublice commodo consulere, et secum perpendere, quantum controversie et differencie Sanctitas Vestra hac sua pariet reservacione et collacione, quantumque mali exempli suis fidelibus, quantum denique gaudiorum illis hominibus, qui in finitimis Silesie oris degunt

et ab obediencia ecclesie desciverunt, sit prebitura, utque id malum omne evitetur, prefatum dominum Iacobum, qui Dei presidio in religionis cultu forti et infracto perstabit animo, nec sinet fidei veritatem ullis oppugnationibus labefactari, beneficentissimo gracie sue munere amplecti et per eiusmodi mentalem reservacionem ius ipsius quesitum non tollere, sed cum confirmacionis donare beneficio; nobis enim absque ulla ambiguitate persuadere iam volumus, Sanctitatem Vestram, quam decet solum crediti sibi gregis spectare salutem, id clementissimo affectu esse facturam, que maiorem pacis et tranquillitatis quam dissidii habebit racionem pro Christi Iesu gloria, qui ut Sanctitatem Vestram suo vigoret numine et cum regiminis felicitate diu incolumem servet, assiduo deprecabimur. Datum vigesima quarta Octobris Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humillimi famuli
Consules Civitatis Vratislavie.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXXVIII.

Idem petit Capitulum ecclesiae Vratislaviensis.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Leoni divina providencia pape decimo, sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo Pontifici, domino nostro, domino clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et dñe et dñe noster clementissime. Post devotissima beatorum pedum oscula salutaris obedientie debitum. Cum paulo ante episcopalis sedes in ecclesia nostra Vratislaviensi morte prelati nostri vacaret, nos pro veteri more, iure et consuetudine, quam a plurimis abhinc annis Romanorum pontificum gracia predecessorum Sanctitatis Vestre obtinuimus inconcussam, concordi et unanimi electione sancte, innocenter ac iuris ordine celebrata, convenimus in personam reverendissimi Iacobi de Salcza ecclesie nostre scolastici et canonici, in virum videlicet generis nobilitate insignem, sciencie quoque virtutumque ornamentis multis preferendum, Regum preterea ac principum favore, singulari gracia a deo conspicuum, ut suo consilio, authoritati, fidei iam a multis citra annis maximarum rerum, et precipue ducatus in Slesia administrationem commiserint. Et cum prohdolor huiusmodi sit status et condicio nostre ecclesie propter vicine heresis pestem ac contagionem, quotidie magis ac magis effervescentem, ut vehementer expostulet explorati consilii virum rebus tam perplexis prefici, inherendo privilegiis predecessorum Sanctitatis Vestre, nec non iuri communi ac concordatorum et compactatorum principum, quibus concordatis ut conclusa omnium Electorum sacri imperii publico consensu sunt, ita eisdem sine Regni Boemie similiter assensu nihil preiudicii ac derogationis fieri unquam iure potest, nondum Rege Boemie administrationem regni habente, ut nuper practicatum in Cesaree Maiestatis electione palam est, prefatum dominum Iacobum de Salcza, regium consiliarium ducatusque in Slesia gubernatorem, canonice elegimus, virum integra iam etate, preclaris virtutibus preditum, optime frugis, preterea ab hiis viciis, quibus vel plurimum nostra etas obnoxia est, valde alienum, confidentes eum ecclesie nostre, Reipublice Christiane ac Romane sedis authoritati non parum momenti allaturum, neque tam ample sunt ecclesie nostre opes, ut magnatum fortune, forsitan attrite inde instaurari aut restitui possent. Iam eo ventum est hereticorum et malorum principum iniuria, ut plane necesse sit talem nobis dari antistitem, non qui ecclesiam ambiat aut cupiat, sed quem sibi ecclesia iam labefactata in tutelam et subsidium efflagitet. Intelleximus autem Sanctitatem Vestram contra electionis nostre iura, diuturnam possessionem, et longam prescriptam consuetudinem alii cuipiam de episcopatu ecclesie nostre providisse. Quiscumque demum is fuerit, ecclesie nostre ac universe provincie minime accomodus esse poterit, aut quovis pacto tolerandus sine communis pacis ac tranquillitatis iactura et detrimento, videlicet eum accipere in antistitem, qui salvis iuribus et privilegiis Regni Boemie, sub quo nostra est ecclesia, admitti nec possit nec debeat, presertim accedente ad hoc consensu magnatum et primorum tocius nostre provincie. Sanctitati itaque Vestre omni, qua decet, reverencia et devotione supplicamus, ut electionem per nos canonice et legittime factam admittere, et eandem clementer confirmare dignetur. Ne si aliter contingat, ecclesia ipsa, pro qua servanda Romani pontifices predecessores Sanctitatis Vestre et nostre et parentum nostrorum memorie omnem curam, laborem et vigiliam impenderunt, certissimum cogatur subire discrimen,

quod ne fiat, Sanctitas Vestra pro sua in omnes clementia, et populum christianum pietate misericorditer avertere velit, cuius sanctissimorum pedum osculis supplices nos omnes offerimus, et humiliter commendamus. Datum Wratislavie die vigesima sexta Octobris. Anno domini MDXX.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Humiles et devoti capellani et servitores
CAPITULUM ECCLESIE VRATISLAVIENSIS.

Instrum. Miscell. Poloniae.

EPISTOLA HADRIANI PP. VI.

CCCCXXIX.

I. Albertus marchio Brandeburgensis constituitur episcopus Plocensis.

Dilecto filio Iohanni Alberto Marchioni Brandeburgensi, Electo Plocensi.

ADRIANUS PP. VI. Dilecte fili, Salutem et apostolicam benedictionem. Nuper ecclesia Plocensi, ex eo quod bonae memoriae Erasmus episcopus Plocensis, qui illi praeerat, in Romana Curia diem suum clausit extremum, vacante, et pastoris solatio destituta, Nos eidem ecclesiae de ydoneo pastore providere volentes, ad te tum ob tuam ex nobilissima Marchionum Brandeburgensium prosapia, tum propter multiplices animi et corporis dotes tuas animum nostrum convertimus, dictaeque ecclesiae sic vacanti de persona tua de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio providimus, teque illi praefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Itaque volentes commoditatibus tuis paterna charitate consulere, et ne illius fructus interim distrahi contingat, tibi, ut per te vel legitimum procuratorem tuum ad id specialiter constitutum, dictae ecclesiae eiusque iurium et pertinentiarum possessionem cum integra fructuum, reddituum et proventuum perceptione vigore presentium adire libere et licite possis et valeas, concedimus et indulgemus per presentes, constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus tamen, quod tu infra sex menses, a die habitae possessionis eiusdem ecclesiae incohandos, Bullas desuper expedire et iura camerae et aliis solvere tenearis, alioquin ecclesia ipsa vacare censeatur eo ipso. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. Septembris MDXXII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Arm. IV. Caps. II. Nro. 29.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

CCCCXXX.

Magister hospitalis S. Mariae Theutonicorum pontifici, ut electus archiep̄us Lundensis in Urbe carceribus eximatur.

Sanctissimo in Christo Patri et Dño Dño Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Humilem ad pedes commendacionem, paratissimam obsequendi voluntatem, debitam reverentiam et obedientiam offero, Sanctissime pater et domine Clementissime, Serenissimus et Illm̄us Princeps Dominus Cristiernus Datie, Svetie et Norvegie, Gottorum et Wandalorum Rex, Holsatie, Sleswigie etc. Dux, Dominus et affinis meus observandissimus, dolenter mihi recensuit, consiliarium et oratorem suum reverendum in Christo patrem dominum Iohannem electum ad metropolitanam ecclesiam Lundensem, quem apud Sanctissimum Dominum Adrianum etc. Pontificem maximum, Vestre Sanctitatis felicis recordationis predecessorem, legationis causa habuit, ab Reverendissimo Cardinale de Cesis contumeliose captum et in Urbe artissimis vinculis et carceribus detineri, admirationem ductus (sic) cum eundem sue Regie Serenitatis oratorem et electum, summa integritate, virtute et prudentia preditum, qua de re violenta manu contra celum, qui legatorum solito et infracto apud omnem federe utique illesus functo sue commissionis munere remeare debuisset, grassatum sit, sue Regie celsitudini eiusdem captivitatis et invasionis dedecus, uti ad Regiam personam refertur, graviter impurgendum abhorret atque veretur, me idcirco rogitans, quo Regie sue Serenitati pro dicti captivi oratoris sui redemptione intercessione mea prodessem: iste igitur considerans Regium honorem, ex sui oratoris illata vi haud modice lesis Vestre Sanctitati, quo ut id factum displicere non dubito, imo ad antefati Regis augendam magnificentiam previorem, Vestram Sanctitatem humilime ac obnixissime rogo, quatenus dignetur quantocitiens mandare apud Reverendissimum dominum Cardinalem de Cesis, etiam efficere, quo orator ille Regius carceribus eximatur, necnon sine quoquo gravamine liberari et immunis ad patriam redire possit. In eo V. Sanctitas faciet rem sue Sanctitati condignam, Serenissimo Regi Datie et mihi gratissimam, omni obsequiorum studio erga V. Sanctitatem, quam Deus O. M. felicissime incolumem assidue conservet, pro viribus promerendam. Date ex Colonia cis Spream die xxx. mensis Octob. Anno etc. vigesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obedientissimus filius

Albertus manu propria scripsit.

Albertus Ord. Teutonic. B. Virginis Magister Generalis etc.

Marchio Brandenburgensis.

Litt. Principum Tom. I. fol. 108.

CCCCXXXI.

Committitur episcopo Laodicensi et abbati Tynniensi, ut de canonicatu et praebenda in ecclesia Cracoviensi unitis mensae episcopali Plocensi se informent.

Venerabili fratri . . . . Episcopo Laudicensi, ac dilecto filio . . . . Abbati Monasterii Tynniensis Ordinis sancti Benedicti Cracoviensis diocesis, vel eorum alteri.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, et dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris, quod bonae memoriae Erasmus Epus Plocensis, tunc Orator suus ad felicis recordationis Leonem papam X. praedecessorem nostrum, et secundum carnem fratrem patruelem nostrum destinatus, canonicatum et praebendam in ecclesia Cracoviensi, quos hic obtinebat, mensae suae Episcopali Plocensi ex certis causis tunc expressis perpetuo uniri obtinuit, prout in litteris ipsius Leonis praedecessoris desuper confectis plenius continetur; quodque si Episcopus Plocensis unionis huiusmodi vigore canonicatus et prebendae unitorum huiusmodi possessionem adipisci vellet, gravia exinde inter Plocensem Episcopum et Capitulum ecclesiae Cracoviensis scandala exoriri possent, nec Sigismundus Rex ipse unionem canonicatus et prebendae, quorum et aliorum canonicatuum et prebendarum ecclesiae Cracoviensis huiusmodi praedecessores sui Reges Poloniae fundatores fuerunt, aequo animo tolerare posset: et propterea nobis humiliter supplicavit, ut litteras et unionem canonicatus et prebendae huiusmodi revocare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, desiderantesque, quantum cum Deo possumus, scandalis obviare, ac ipsius Sigismundi Regis honestis desideriis satisfacere, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis committendum duximus, quatenus vos vel alter vestrum de praemissis vos diligenter informetis, et habita per vos diligenti informatione, per vestras litteras, quae repereritis, nobis quantocius significare curetis, ut mature deliberare, et quantum nobis licebit, eiusdem Sigismundi Regis desiderio satisfacere possimus. Datum Romae etc. die xxi. Ianuarii mdxxiiii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 103. pag. 238.

CCCCXXXII.

Episcopus Cracoviensis generalis collector annatarum et iurium ad cameram apostolicam spectantium in regno Poloniae constituitur.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi in Regno Poloniae et provincia Gneznensi fructuum Camerae nostrae apostolicae debitorum Collectori et Nuntio nostro.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Singularis tuae fidei sinceritas, providentia circumspecta et operosa industria, aliaque tuarum virtutum dona, quibus illarum largitor Altissimus personam tuam insignivit, digne promerentur, ut ea tibi committamus, per quae tui honoris augmento et Camerae nostrae apostolicae utilitati consulatur. Confidentes itaque, quod non minus fideliter, quam probe et diligenter per nos tibi commissa exequeris, harum tenore te in Regno Poloniae et provincia Gneznensi Nuncium nostrum, ac fructuum, reddituum et proventuum, censuum, annatarum communium et minutorum servitiorum, ac iurium et emolumentorum nobis et Romanae ecclesiae ac dictae Camerae debitorum generalem Collectorem ad annos octo proxime futuros, et deinde ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum facimus, constituimus et deputamus, dantes tibi plenam auctoritatem, facultatem et potestatem per te vel subcollectores tuos, clericos tantum, in singulis civitatibus et diocesibus dictorum regni et provinciae per te deputandos, idoneos tamen et fideles, nostro et dicte Camerae nomine a quibuscunque Praelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, ecclesiis, monasteriis, ecclesiasticisque personis saecularibus et ordinum quorumcunque regularibus, etiam quantumcunque exemptis, regibus quoque, ducibus, marchionibus, principibus et dominis temporalibus, communitatibus civitatum, terrarum et locorum ac laicalibus personis eorundem quascunque pecuniarum summas, fructus, redditus et proventus, res et bona, census, iura et emolumenta ac annatas communes, et alia minuta servitia nobis et Romanae ecclesiae ac Camerae huiusmodi debita et debenda quacunque ratione vel causa, etiam occasione confiscationis bonorum, huiusmodi petendi, exigendi, colligendi, levandi, recipiendi et recuperandi, ac de solutis et receptis quietandi, et quoscunque ad id hactenus deputatos revocandi, et ab eis ac aliis quibuscunque, etiam inquisitoribus haereticae pravitatis, computa et rationes exigendi et habendi, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et interdictum, bonorum sequestrationem et personarum arrestationem, et alia opportuna remedia, appellatione remota, compescendi, Invocato etiam ad hoc,

si opus fuerit, auxilio brachii saecularis inclusive, necnon contra quoscunque personam tuam aut officiales et subcollectores tuos quomodolibet iniuriantes, vel negocia dictae Camerae perturbantes, prout iuris ordo requirit, procedendi, et ad comparendum personaliter in Camera apostolica sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis penis monendi, rursusque censuris ecclesiasticis innodatos, si postea paruerint, ab illis absolvendi, interdictum relaxandi, aliaque faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, quae Collectores huiusmodi pro tempore existentes ex privilegio apostolico, aut ex consuetudine facere potuerunt, seu etiam debuerunt. Volumus autem, quod solvendis fructibus ac iuribus huiusmodi dilationem ultra annum dare nequeas, ac nomina et cognomina subcollectorum per te deputandorum ad eandem Cameram transmittas, quodque singulis bienniis de receptis in dicta Camera computum et rationem reddere, et exactum ipsi Camerae, vel cui per nos tibi forsan committetur, persolvere, necnon de huiusmodi officio Collectoris fideliter exercendo in manibus dilecti filii I. Armellini Medices tituli sanctae Mariae in Transtyberim presbiteri Cardinalis, Camerarii nostri, per te vel procuratorem ad id per te constitutum, dictique subcollectores in manibus tuis debitum in forma solita iuramentum praestare, ac cum dilectis filiis Collegio scriptorum Archivii Romanae Curiae, cui officium dicate Collectoriae per sedem apostolicam applicatum fore dignoscitur, desuper concordare teneamini, antequam officium incipias exercere, alioquin praesentes nulle sint eo ipso, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis, indultis et litteris apostolicis cuipiam in specie vel in genere concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc. die xv. Februarii MDXXIIII. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 161. pag. 398.

CCCCXXXIII.

Cancellario regni Poloniae super expeditione baronis Burgii in Hungaria nuncii.

Dilecto filio Nobili viro Christophoro Schidlowieczki Palatino et Cancellario regni Poloniae.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Reversus ad nos nuper ex Hungaria dilectus filius Iohannes Antonius Pulleo Baro Burgii, quem nos in praesentia nuncium illuc nostrum remittimus, cuique hoc munus ob fidem, prudentiam et probitatem eius recte mandari iudicavimus, multa nobis retulit cum de virtute et prudentia tua, quibus ad istam auctoritatem merito sublatus es, tum de pietate erga deum et fidem eius sanctam a te cum saepe alias, tunc praecipue ostensam, quum Carissimi in Christo filii nostri Poloniae Regis Illustris in Hungaria oratorem ageres. Quare tametsi tuae huius egregiae erga deum voluntatis satis amplum praemium inter homines laudis adeptus es, et divinae retributionis expectas, tamen pro nostro erga ista regna, nostrae fidei propugnacula, paterno et peculiari patrocinio tuam hanc pietatem, qua debemus, prona et prompta charitate complectimur, hortantes te, ut in eodem itinere pergas, deique amorem indies ampliorem provoces: quemadmodum super hiis late colloquetur tecum idem nuncius noster, cui et fidem adhibere, et apud Serenitatem tui Regis, ad quem litteras nostras defert, opportune favere te cupimus. Dat. Romae etc. die xx. Februarii MDXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Vol. XLIV. ep. 179. pag. 435.

CCCCXXXIV.

Regi Poloniae super eodem negotio.

Carissimo in Christo filio ... Regi Poloniae Illustri.

Clemens PP. VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Revertente ad nos dilecto filio nostro Thoma Cardinali sancti Sixti, legato in Hungaria nostro, id quod Serenitati tue iam notum credimus, nos illius Regni in nostra protectione et amore precipui curam paternam gerentes, nuncium illuc nostrum istum, qui tue Serenitati has reddet, dilectum filium Iohannem Antonium Pullionem Baronem Burgii, nobis ob virtutes suas carum, et huic muneri parem iudicatum remisimus: ubi sane eum nostro nomine apud illum tibi et amore et sanguine coniunctum Regem, nostrum in Christo filium carissimum, eius ac regni sui securitati et commodis post dei omnipotentis honorem incumbere iussimus: parteque alia dilectum filium nostrum Laurentium Cardinalem Campegium, virum, de cuius auctoritate et multiplici virtute Serenitas tua audire potuit, legatum nostrum in Germaniam misimus, non minus ut eidem Hungariae regno presidia et auxilia, rebus ibi compositis, ... quam ipsis componendis invigilaret. Hec nos quoque tue Serenitati significanda duximus, ut quam sciamus pro pietate erga

Deum et necessitudine erga eumdem Regem tua illius, quem filii loco in amore habes, suique regni curam non minorem, quam tui istius semper gessisse et gerere. Itaque quamquam nos illi legato et isti nuncio nostris, viris prudentibus et nobis probatis ... longe tamen plurimum spei ac praesidii in eodem Regno tuendo nobis affert et pollicetur virtus atque auctoritas tua, quam quum semper in Christi hostes validam ac victricem experti simus, nostris etiam temporibus, pronam ac felicem fore speramus. Quare ex praeteritis tuis gestis te incitantes, hortamur Serenitatem tuam in Domino, ut pro Dei omnipotentis honore suaeque sanctae fidei dignitate, proque consuetudine et virtute tua ad illius cognati Regis ac regni sui commoda et dignitatem omne tuum consilium atque auxilium accommodes, nobis precipue hortantibus, qui et tibi et illi omni amoris significatione, quantum poterimus, defuturi non simus: quemadmodum hec pluribus verbis aget cum Serenitate tua idem nuncius noster, quam hortamur, ut eius dictis plenam fidem adhibeat. Datum Romae etc. die xx. Februarii MDXXIIII. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 176. pag. 431.

CCCCXXXV.

Episcopo Cracoviensi super eodem negotio

Venerabili fratri .... Episcopo Cracoviensi.

Clemens PP. VII. Venerabili frater, salutem etc. Venienti cum nostris litteris ad istum inclitum Polonie Regem, nostrum in Christo filium carissimum, dilecto filio Iohanni Antonio Pulleoni Baroni Burgii, nuncio nostro in Hungaria, libenter has ad te litteras dedimus: nam cum de pietate, prudentia ac virtute tua, quibus te in conspectu Dei omnipotentis in sancta eius fide istic tuenda gratum et hominibus commendabilem reddidisti, indies audiamus, facere non possumus, quin peculiari te amore et paterno affectu prosequamur. Itaque quamquam tuae virtutis debito coacti, tamen quam libenter nos ob eas res tibi et nunc debere fatemur, et indies magis debere optamus, hortamur fraternitatem tuam in Domino, ut sicut hactenus fecit, pro suo episcopali officio annitatur de cetero ad Dei honorem atque istius Serenissimi Regis commoda procurandum: quemadmodum super hiis latius cum fraternitate tua colloquetur idem nuncius noster, cui nostra causa apud tuum Regem opportune aderis, et fidem adhibebis. Datum Romae etc. die xx. Februarii MDXXIIII. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 178. pag. 434.

CCCCXXXVI.

Electo Curoniensi, ut munus consecrationis ab uno episcopo duobus abbatibus assistentibus accipere possit.

Dilecto filio Hermanno Electo Curoniensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cum nos pridem electionem de persona tua per dilectos filios Capitulum ecclesiae Curoniensis, tunc certo modo pastoris solatio destitute, concorditer factam et canonice celebratam, de fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium consilio auctoritate apostolica confirmaverimus et approbaverimus, teque prefatae ecclesiae Curoniensi in Episcopum et pastorem prefecerimus, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, necnon tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus aliis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres, ac eidem antistiti, ut recepto prius per eum nostro et Romanae ecclesiae nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam tunc annotatam, munus predictum impendere libere tibi posset, plenam et liberam facultatem concesserimus, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur: quia tamen, sicut pro parte tua nobis expositum extitit, dicta ecclesia Curoniensis in partibus Livoniae situata existit, ubi tot Episcopi pro impensione muneris consecrationis huiusmodi tibi faciende absque maximis laboribus et expensis, ipsiusque ecclesiae gravibus incommodis insimul propter locorum distantiam congregari minime possint, ideoque pro parte tua nobis humiliter supplicatum fuit, ut tuis et dictae ecclesiae indemnitatibus in premissis opportune consulere dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem dicte sedis apostolicae habente, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus abbatibus similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis predictum recipere valeas, ac eidem antistiti, ut accepto prius per eum nostro et Romanae ecclesiae nomine a te fidelitatis debite solito iuxta formam predictis litteris nostris aliis anno-

tatam iuramento, munus predictum impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate decernimus, ut si non recepto a te per dictum antistitem prefato iuramento, idem antistes munus ipsum tibi impendere, et tu illud suscipere presumpseritis, dictus antistes a pontificalis officii exercicio, et tam ipse, quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso, quodque formam a te tunc prestiti iuramenti predicti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quamtocius destinare procures, et quod per hoc Venerabili fratri Archiepiscopo Rigensi, cui predicta ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur, Non obstantibus supradictis litteris nostris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus seu aliis conciliis editis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque, certarum litterarum et aliorum forsan hic latius exprimendos formas et tenores pro plene expressis habentes. Datum Romae etc. die VII. Martii MDXXIIII. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 215. pag. 522.

CCCCXXXVII.

Ioannes Tarbatensis et Revaliensis episcopus praeficitur ecclesiae Rigensi in archiepiscopum.

Venerabili fratri Iohanni Tarbatensi et Revaliensi Episcopo.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Nuper ex certis causis te coadiutorem perpetuum, et irrevocabilem Venerabili fratri nostro Gasparo Archiepiscopo Rigensi in regimine et administratione ecclesiae Rigensis in spiritualibus et temporalibus, quoad ipse Gasparus Archiepiscopus viveret, de fratrum nostrorum consilio, et ipsius Gaspari Archiepiscopi ac dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli dictae ecclesiae expresso consensu auctoritate apostolica constituimus et deputavimus, ac ipso Gasparo cedente vel decedente, seu regimini et administrationi eiusdem ecclesiae preesse desinente, seu ecclesia ipsa quovis modo, etiam apud sedem apostolicam vacante, de persona tua extunc, prout ex die constitutionis et deputationis ac provisionis et prefectionis predictarum, et e converso, similibus consensu et auctoritate providimus, teque illi in Episcopum et pastorem prefecimus, curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, dictus Gasparus Archiepiscopus gravi infirmitate laborare dicatur, tuque dubites, si contingat ipsum Gasparem Archiepiscopum interim, donec litteras super constitutione, deputatione ac provisione et prefectione predictis habueris expeditas, ab humanis eximi, bona et iura dicte ecclesie, et illius archiepiscopalis mensae distrahi et usurpari, necnon hiis periculosis temporibus predictam ecclesiam aliis incommodis affici posse: Nos igitur ecclesie huiusmodi indempnitati paterne consulere, ac incommodis predictis obviare cupientes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut in eventum cessus vel decessus Gaspari Archiepiscopi, aut alterius vacationis ecclesiae huiusmodi regiminis et administrationis, ac bonorum dictae ecclesiae vel maioris partis eorundem per te vel procuratorem tuum legitimum corporalem possessionem propria auctoritate presentium vigore libere apprehendere, et mensae archiepiscopalis antedicte fructus, redditus et proventus in tuos usus et utilitatem convertere, necnon in divinis in ipsa ecclesia et extra eam more archiepiscoporum ac pallio dumtaxat excepto, omnibus insigniis archiepiscopalibus uti libere et licite valeas, auctoritate apostolica earundem tenore presentium licentiam concedimus et facultatem, ac tempus tibi ad pallium ipsum petendum a iure prefixum ad annum a data presentium computandum prorogamus, et nichilominus predictis Preposito, Decano et Capitulo sub interdicti ingressus ecclesiae pena, quatenus in eventum predictum tibi tanquam patri pastorique animarum suarum humiliter intendant, ac exhibeant tibi obedientiam et reverentiam congruentes, teque ad possessionem eandem earundem presentium vigore admittant, et admitti, ac tibi de fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi responderi faciant, necnon clero et populo civitatis et diocesis Rigensis, ac vassallis et subditis universis dictae ecclesiae sub excommunicationis pena, quas respective ipso facto, si contrafecerint, incurrere volumus, ut te pro nostra et apostolicae sedis reverentia benigne recipiant, ac tuis mandatis obediant, tibique fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura ab eis debita integre exhibeant, necnon ad expellendos et extirpandos Lutheranos et alios hereticos tibi per te requisiti efficaciter assistant, districte precipimus et mandamus, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. quae incipit: Iniuncte, qua cavetur, quod Capitula ecclesiarum promotos per sedem predictam ad easdem ecclesias absque eiusdem sedis super promotionibus ipsis confectis litteris reci-

pere, vel promotis eisdem obedire minime teneantur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod infra quatuor menses a data presentium computandos litteras super constitutione, deputatione ac provisione et prefectione predictis expedire, ac iura illarum ratione Camerae apostolicae debita persolvere tenearis. Dat. Romae etc. die XIII. Maii MDXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 345. pag. 881.

CCCCXXXVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Vladislaviensi committitur, ut de unione canonicatus et praebendae in cathedrali ecclesia Cracoviensi in favorem mensae episcopalis Plocensis se informent et referant.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi et Episcopo Wladislaviensi.

Clemens PP. VII. Venerabiles fratres, salutem etc. Alias cum Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris nobis exponi fecisset, quod bonae mem. Erasmus Episcopus Plocensis, tunc in humanis agens, et ipsius Regis apud felicis recordationis Leonem papam X. praedecessorem nostrum, et secundum carnem fratrem patruelem Orator, canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis, quos tunc obtinebat, mensae suae episcopali Plocensi perpetuo per ipsum praedecessorem uniri, annecti et incorporari obtinuerat, et quod si dictus Episcopus unionis huiusmodi pretextu possessionem eorundem canonicatus et prebende adipisceretur, gravia exinde inter Epum Plocensem et dilectos filios Capitulum ipsius ecclesiae Cracoviensis scandala exoriri possent, ipseque Sigismundus Rex, cuius praedecessores Poloniae Reges unitorum et aliorum canonicatuum et praebendarum dictae ecclesiae Cracoviensis fundatores fuerunt, unionem huiusmodi equo animo ferre non posset: Nos tunc de premissis certam notitiam non habentes, ac huiusmodi scandalis obviare volentes, Venerabili fratri Epo Laodicensi ac Abbati monasterii Tinniecensis Cracoviensis diocesis, eorum propriis nominibus non expressis, ac cuilibet eorum aliis nostris in forma brevis litteris dedimus in mandatis, quatenus de praemissis se diligenter informarent, et quae per diligentem informationem reperirent, nobis quantocius significare curarent, ut mature deliberare, et quantum nobis liceret, desiderio eiusdem Sigismundi Regis satisfacere possemus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut Venerabilis frater Raphael modernus Episcopus Plocensis nobis nuper exponi fecit, predictus Episcopus Laodicensis pontificalia officia pro Venerabili fratre moderno Episcopo Cracoviensi in civitate et diocesi Cracoviensi exerceat, et Abbas dicti monasterii canonicus natus dictae ecclesiae Cracoviensis et sub iurisdictione Episcopi Cracoviensis, ac propterea eidem Raphaeli Episcopo in praemissis suspecti existant, dictus Raphael Episcopus nobis humiliter supplicari fecit, ut aliquos alios probos viros in partibus illis pro earundem litterarum nostrarum executione, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos omnem super his suspicionis materiam summovere et debitis mediis providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, ad executionem earundem litterarum nostrarum, illarum forma servata, procedentes, de praemissis vos diligenter informetis, et quae per informationem huiusmodi repereritis, nobis fideliter transmittere curetis, iuxta ipsarum nostrarum litterarum continentiam et tenorem in omnibus et per omnia, perinde ac si ille vobis a principio directae fuissent, abdicantes ab eisdem Episcopo Laodicensi et Abbate omnem facultatem per dictas litteras nostras eis attributam. Datum Romae etc. die VII. Iunii MDXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 381. pag. 991.

CCCCXXXIX.

Raphaeli Episcopo Plocensi provisiones quorundam beneficiorum confirmantur.

Venerabili fratri Raphaeli Episcopo Plocensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum sicut exponi nobis nuper fecisti, tu de cuius persona alias felicis record. Adrianus Papa VI. praedecessor noster, ecclesiae Plocensi tunc certo modo vacanti apostolica auctoritate providit, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, antequam litterae apostolicae super provisione et praefectione praedictis, quas nuper expediri fecisti, confectae fuissent, regimini et administrationi ipsius ecclesiae, ne illa interim in spiritualibus et temporalibus detrimenta aliqua sustineret, te immiscueris, et a nonnullis de iuribus eorum, quae ordinis et iurisdictionis

Plocensis existunt, et per te interim gesta fuerunt, haesitetur: Nos litibus, quae super illis sic gestis exoriri formidantur, quantum cum Deo possumus, obviare volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, provisiones quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, et alia quaecunque per te post provisionem et praefectionem, et ante expeditionem litterarum huiusmodi alias rite gesta sine praeiudicio iuris cuiquam quaesiti, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac valida et efficacia existere, et robur firmitatis obtinere, et sic per quoscunque iudices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere, ac quicquid secus attentari contigerit, irritum et inane decernimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac mandantes Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi et Episcopo Vratislaviensi (sic) in virtute sanctae obedientiae, quatenus ipsi vel eorum alter tibi in praemissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra per te gesta huiusmodi firmiter observari, non permittentes te et illos, quos ea concernunt, desuper quomodolibet indebite molestari, Contradictores et molestatores quoslibet ac rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, Non obstantibus praemissis, ac piae mem. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit: Iniuncte, et quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Plocensis iuramento vel confirmatione apostolica roboratis statutis et consuetudinibus, et quibusvis aliis privilegiis illi sub quibuscunque tenoribus et formis concessis et approbatis, quibus, quatenus obstant, tenores illorum pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc. die x. Iunii MDXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 388. pag. 1011.

CCCCXL.

Capitulo ecclesiae Tarbatensis, quod quamvis eorum episcopus coadiutor datus sit archiepo Rigensi, qui est regularis habitus B. Mariae Theutonicorum, tamen propter hoc nullum praeiudicium ipsi capitulo inferatur.

Dilectis filiis Praeposito, Decano et Capitulo ecclesiae Tarbatensis.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Nuper nos ex certis causis tunc expressis Venerabilem fratrem Iohannem Episcopum Tarbatensem coadiutorem perpetuum, et irrevocabilem Venerabili fratri Iasparo Archiepiscopo Rigensi in regimine, et administratione ecclesiae Rigensis in spiritualibus et temporalibus de fratrum nostrorum consilio, et dicti Iaspari Archiepiscopi ac dilectorum filiorum Capituli dictae ecclesiae expresso consensu deputavimus, et ipso Iasparo cedente vel decedente, aût regimini et administrationi dictae ecclesiae alias quomodolibet praeesse desinente, de persona ipsius Iohannis Episcopi, nobis ac dictis fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta, de simili consilio providimus, ipsumque illi praefecimus in Archiepiscopum et pastorem, ita quod propterea Episcopus Tarbatensis esse non desineret, sed quoad viveret, Rigensi ut Archiepiscopus, Tarbatensi vero ecclesiis praedictis ut Episcopus praeesset, illarumque verus Presul et Antistes existêret, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Ne igitur pro eo quod ecclesia Rigensis praedicta ordinis beatae Mariae Theutonicorum existit, et propterea dictus Iohannes Episcopus in eventum praefectionis suae in Archiepiscopum huiusmodi habitum dicti ordinis deferre, et professionem regularem emittere tenetur, vos dubitetis, aut timeatis in aliquo vobis inde praeiudicari posse, motu proprio et ex certa nostra scientia tenore praesentium declaramus, quod licet dictum Iohannem Episcopum in habitu regulari huiusmodi dictae eccl. vestrae Tarbatensi in eventum praedictum praeesse contigerit, non tamen propterea dicta ecclesia vestra, seu vestrum aut civitatis vel diocesis Tarbatensis quisquam dicto ordini, aut illius Magistro seu personis vel earum alicui in aliquo teneatur, aut subiectus existat, seu praeiudicium quodcunque propterea generetur, aut sustinere possit, sed ecclesiam vestram praedictam, vosque ac vestrum, necnon omnium et singulorum Civitatis et diocesis Tarbatensis praedictarum quemlibet in eo statu et libertate, in quibus hactenus fuistis, et nunc estis, quoad omnia existere et permanere, et sic per quoscunque tam ordinaria, quam delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari, cognosci atque decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, cognoscendi et interpretandi facultate, necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus, Non obstantibus praemissis ac consti-

tutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiae Rigensis et ordinis predictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per quoscunque Romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et sedem apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, revocativis, restrictivis, preservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis mentis, attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus spcialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandos pro in individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc. die x. Iulii MDXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XLIV. ep. 417. pag. 1101.

CCCCXLI.

Cancellarius Poloniae significat pontifici se nihil apud regem intermissurum, quin avita fides in isto regno sarta tecta conservetur, laudatque pietatem regis ac dexteritatem nuntii apostolici.

Beatissimo in Christo Patri et Dño Dño Clementi pape septimo Sacrosante Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño Dño Clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum. Veniens huc ad sacram Maiestatem Regiam orator a Sanctitate Vestra Magnificus Dñus Iosephus Anthonius Pulleo Baro Burgii, vir profecto acris ingenii et in rebus benegerendis incomparabilis dexteritatis, reddidit mihi litteras in forma brevis Sanctitatis V. plenas paterne clemencie et benignitatis, quas ego, uti par est obsequentissimum filium et dedissimum servitorem (sic), cum summa reverentia recepi ac dulcissime deosculatus sum, in quibus Sanctitas Vestra dignatur mihi scribere, ut ipse dominus Burgii multa Sanctitati V. retulit de mea virtute, fide et integritate. Beatissime et clementissime pater, dici non potest, quam vehementer letatus sum in hiis, que mihi a Sanctitate V. scripta medioque eiusdem domini Baronis dicta sunt, ea omnia summa fide, integritate, sinceritate et reverencia complectar, et exequi pro virili mea curabo. Sum enim is quantuluscunque sum et ero, dum hac vitali aura perfruar, qui sancte Romane Ecclesie et Sanctitati V. Domino meo clementissimo, in his, que sanctam fidem catholicam et Apostolicam attinent, cuius Sanctitatem V. caput et Principem a Deo in terris constitutum ingenue profiteor, inservire gratissime et libentissime cupio, firmiter et fideliter credens amplum premium a domino Deo et a V. Sanctitate gratiam et benedictionem me relaturum. Est etiam mihi pre oculis beneficentia Decimi Leonis Pontificis Maximi, patrui Sanctitatis V. qui me inter alia gratie sue monimenta iurepatronatus omnium sacerdotiorum in opido meo Magni Opatow condonare dignatus est, pro quo ego V. Sanctitati et sancte Romane ecclesie obligatissimus servitor esse non immerito debeo. Sacram autem Maiestatem Regiam Domini mei gratiosissimi et Sanctitatis V. obsequentissimi filii video optime animatam esse adversum eos, qui supprimere auctoritatem sancte Romane Ecclesie non verentur, ac pestiferum dogma Lutherum (sic) tuentur: modo gratia Sanctitatis V. et auxilium aliorum Principum christianorum adsit. Ego certe currenti Regi meo calcar adiciam, sicuti ego, si gloriari licet, omnium primus effeci, ut gravissimum edictum contra Lutheranos publicaretur, sicut publicatum est, et sola Polonia hac labe commaculata non est. Quicquid insuper parvitas mea Sanctitati V. hic in remotis agens prestare poterit, nihil certe pretermittam, quod honori meo et saluti anime mee conducibile sit futurum. Commendo me iterum atque iterum in gratiam et clementiam Sanctitatis V. quam Deus optimus maximus salvam et incolumem servare dignetur quam diutissime. Datum Cracovie die XXI. Mensis Iulii Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus servitor

CRISTOFORUS de F. Palat. et Cracov. et Reipubl. Cancell.

Litt. Principum Tom. I. fol. 244.

CCCCXLII.

Regina Poloniae idem pontifici testatur.

Beatissime pater, dopo l havere basati li pedi alla Sanctita V. in la gratia sua humilmente me li ricomando. Io ben multo desiderava avanti ch io fossi visitata in nome dela Sanctita V. per el barone del Burgo, che li nuncii del Serenissimo re mio consorte et mei havessino in nome damedui fatta la debita riverentia a V. Sanctita, liquali gia per questo effecto serano inviati, et poscia per asectare le cose nostre de Bari, ma la necessitate per alcuni tumulti, che sorgeano, ha pervertito lordine: che prima è stato necessario andare in Bari, che venire ala Sanctita V. pigliando magiore fiducia dela clementia sua, che speranca dela inconstantia de vaxalli: non pero per la tartanza si pretermictera quanto è el debito de boni servi et figli dela Santa chiesia, dela cui siamo sempre con el Serenissimo re mio consorte stati fideli et devotissimi, et io particolarmente rengratio assai la Sanctita V. dele offerte et bone opere sue ad conservatione del stato mio de Italia, lequali li ha fatto si per la inata sua bonta, como ancora per seguitare li vestigii deli antiqui soi, liquali con casa sforcesca et aragona sonno stati sempre boni amici et parenti: et per non fastidire la Sanctita V. con la litera mia tropo longa, ho scripto certe cose al Reverendissimo monsignor Salviate circa il bisogno del stato mio: la suplico humilmente la voglia exaudire, poiche per sua inata clementia ha comenzato ad defendere le cose del statu mio, humilmente suplico la Sanctita V. voglia perseverare: ali pedi del quale humilmente baso. Cracovia 22 de Iuglio.

De V(ostra) B(eatitudine)

humile serva

(Lettera autografa.) Bona regina etc.

Litt. Principum Tom. I. fol. 245.

CCCCXLIII.

Rex Poloniae pontifici res coniugis suae circa ducatum Barensem commendat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Clementi VII. divina providentia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine dñe Clementissime. Post humilem mei Regnique et Dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Non sum ego nescius Vestrae Sanctitati esse cognitum Ius Coniugis mee Serenissime Dñe Regine in Ducatu Barensi, quod Illustrissime dñe Isabelle de Aragonia matri eius cum successione hereditaria, nulla exceptione nullaque conditione adiecta, donatum est. Eo itaque Iure fretus, mox audita morte eiusdem Illustrissime olim dñe Isabelle, misi Nunctios et procuratores ad capiendam possessionem meo nomine et ipsius dñe Regine, qui cum mandata perfecissent, et continuarent aliquanto tempore ipsam possessionem, nihilque suspicarentur, quod ex adverso futurum esset, quominus citra quodvis impedimentum eo ipso Ducatu potiremur, res minime sperata accidit. Scribunt enim iidem mei procuratores Viceregem Regni Neapolitani iussu Imperialis Maiestatis, ut ferunt, eiusdem Ducatus Barensis possessionem eis ademisse, assignato sequestre, qui eum gubernaret, quoad per suam Maiestatem decernatur, quid cum eo sit futurum, quasi lis esset sub Iudice, cum nihil unquam de eo sit iudicatum. Sed ne id quidem fieri posset, si quis velit: tanta vis est litterarum et privilegiorum, quibus nitimur, ut nemo possit aliquid Serenissime Coniugi mee dñe Regine super Iure eiusce Ducatus intentare, nisi aliqua cavillacione utens querere velit incommodandi occasionem. Non ignorat autem Vestra Sanctitas laboriosarum occupationum mearum seriem in his bellis, quibus sine intermissione dominia mea ab infidelium potencia acerrime urgentur et premuntur, que ego tanquam in stacione manens maximis impendiis pre omnibus fero, et tamen nulla racio habetur laborum meorum, et hoc amplius ea impedimenta ingeruntur, ne iure meo bonisque meis libere uti possim. Accedit, quod et huic secte pestifere, que se Luteranam apellat, queque odio Ecclesiae Romanae et Sedis apostolicae cum maximo detrimento et scandalo reipublicae christianae excitata erupit, tantopere resisto, quominus vires sumat in terris meis: suntque multis ex partibus terris meis vicini, nec desistunt sollicitare et allicere vicinos, ut se eodem veneno imbuant, et inexpiabili scelere contaminent, Iurisdictionem Romanam labefactare et enervare satagentes. Oro Vestram Sanctitatem, quam video omnes suas curas et vigilias ad id convertisse, ut rei christianae la-

banti et ex omni parte periclitanti opem ferre valeat: dignetur earum rerum, quam par est, racionem habere et mihi regnoque meo oportunis subsidiis adesse. In hac autem causa Ducatus Barensis, que sine controversia est iustissima, dignetur per litteras oratori suo, quem apud Imperialem Maiestatem habet, iniungere, ut una cum meo, quem in hac causa Barensi in Hispaniam usque ad suam Maiestatem misi, rem agat Vestre Sanctitatis nomine, ut possessio adempta citra omnem dilacionem mihi restituatur. Quicquid autem gratie et benivolentie rebus meis in hac et in aliis causis Vestra Sanctitas impartiri dignabitur, Ego pro virili parte, quibuscumque meritis et officiis potero, promereri et referre curabo, ac me totum eius graciae et amori paterno commendo et trado, optoque, ut in ista Sancta Sede quam diutissime presit sospes et incolumis, resque christianas felicissimis successibus moderetur. Datum Cracoviae octavo die Augusti Anno Domini MDXXIIII. Regni mei Decimooctavo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS REX POLONIE mpp.
BONA REGINA POLONIE mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXLIV.

Rex et regina Poloniae cardinali Campegio, ut partes suas apud pontificem et archiducem Ferdinandum in eodem negotio interponat.

Revmo in Christo Patri Dño Laurentio miseratione Divina tituli Sancti Thomae in Parione, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Campeio, Sedis Apostolicae Legato, Amico Charissimo ac honorandissimo.

SIGISMUNDUS ET BONA Dei gratia Rex et Regina Poloniae, Magni Duces Lituaniae, Russiae, Prussiaeque etc. Domini, Revmo in Christo Patri Dño Laurentio miseratione Divina tituli Sancti Thomae in Parione Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Campeio, Sedis Apostolicae Legato, Amico Charissimo ac honorandissimo, salutem et felicitatem. Revme in Christo Pater, et Dñe amice charissime ac honorandissime. Post obitum Illustrissimae olim Dominae Isabellae de Aragonia Ducis Mediolani etc. Matris nostrae, Ducatus Barensis ad nos haereditario iure devoluti possessionem accepimus, firmam habentes spem, quod in eo nulla impedimenta habere deberemus. Nunc nuntii nostri, quos illuc misimus, nobis significarunt, quod Vicerex Neapolitanus accepit nobis possessionem eiusdem Ducatus, et posuit illum in sequestrum, forte Caesareae Maiestatis mandato. Eapropter mittimus nos istum Nuntium Venerabilem Stanislaum Borgh Doctorem et Canonicum Cracoviensem, Secretarium nostrum, ad Caesaream Maiestatem, cui commisimus, ut descenderet ad Serenissimum Dñum Ferdinandum Archiducem Austriae, et ad Vestram D. Rmam, quibus exponeret hanc iniuriam nobis praeter spem illatam. Rogamus itaque Vestram Rmam D. dignetur hoc negotium nostrum commendare et Sanctissimo Dño nostro et Domino Duci Ferdinando, quatenus ipsi intercederent pro nobis ad Caesaream Maiestatem, ut iuberet nos restitui in possessionem, quae nobis per iniuriam adempta est, mandaretque, ne in eo Ducatu fieret nobis aliqua amplius molestia: quemadmodum latius is ipse Nuntius referet Dominationi Vestrae Reverendissimae, cui dignetur fidem adhibere omnimodam, et felicissime valeat nosque diligat. Datum Cracoviae octavo die Augusti Anno Domini MDXXIV. Regni nostri Decimooctavo.

SIGISMUNDUS REX etc.
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXLV.

Rex Poloniae de eodem negotio.

Beatissimo in Christo patri et dño, dño Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño clementissimo.

Beatissime pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Longum esset Sanctitati Vestrae universa huius regni mei negotia et pericula promere, sed summa necessitas me cogit, ut de singulis breviter perstringam. Siquidem hoc biennio perpetuum mihi bellum est non modo cum scismaticis et aliis in-

fidelibus, ut impium dogma Lutheranum e Regno et dominiis meis extirparetur, sed etiam cum Thurcis et Thartaris, contra quorum impetum ipse cum gentibus meis vel sub hoc tempore, quo in Regno meo maxima frigora sunt, in castris esse, meque et dominia mea, ymmo maximam partem christianitatis defendere cogor. Hec etsi, Beatissime pater, per se satis ardua difficillimaque sunt, non minus tamen angit me negocium Ducatus Barensis, qui, uti superioribus mensibus eidem Sanctitati Vestrae perscripsi, per Dominum Viceregem Neapolitanum in sequestrum positus est: quia vero accepi hiis diebus litteras Sanctitatis Vestrae in forma brevis, amoris et gratiae plenas, in quibus inter cetera declarare mihi dignata est, sequestrationem illam de iure fieri non debuisse, sed nec debere: factam autem esse (ut spero) sine iussu et mandato sacrae Cesareae et Catholicae Maiestatis, voluit propterea Sanctitas Vestra per litteras in forma brevis oratoribus reipublicae florentinae ibi existentibus committere, quarum etiam exemplum accepimus, ut quotiens ab oratore meo fuerint requisiti, vel alter eorum requisitus fuerit, causam meam sacrae Cesareae et Catholicae Maiestati commendarent. Ago et habeo Sanctitati Vestrae immortales gratias de hac gratia, qua me complecti dignatur, ac iterum atque iterum maiorem in modum eidem supplico, dignetur hoc negocium cordi habere, ac apud Cesaream Maiestatem tantisper promovere, donec optatum effectum consequatur. Commendo me ac liberos meos, Regnumque et dominia mea Sanctitati Vestrae, quam Deus Optimus Maximus pro incremento reipublice christiane meaque singulari consolatione diu salvam et incolumem conservare dignetur. Datum ex castris apud civitatem meam Leopoliensem Sexta die mensis Octobris Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Regni vero mei Anno Decimooctavo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE mpp. scripsit.

Instrum. Misc. Poloniae.

CCCCXLVI.

Regina Poloniae grates reddit pontifici de officiis in negotio Barensi interpositis.

Beatissime pater, dopo lo havere basate li pedi ala Sanctita V. nela bona gratia sua humilmente me ricomando. È stata tanta la consolatione, ch io ho ricevuta nel legere l amorevole et paterne offerte, quale nele proprie lettere promecte la Sanctita V. al Serenissimo re mio Signor et consorte: oltre lo intendera el cordiale officio inposto ali Magnifici oratori Fiorentini per la Sanctita V. apreso la Maesta Cesarea in favore mio circa la restitutione del statu de Baro, che veramente ha havuto forza de mitigare alquanto gli gravi affani neliquali io al presente me ritrovo: perche como credo sia manifesto ala Sanctita V. el Serenissimo re mio Signor per defendere el christiano sangue et regno suo è stato forzato personalmente opponersi contra Turchi et Tartari, liquali ci hanno dato et tuttavia danno grandissimo detrimento et ruina, et ce fanno stare con grandissima molestia: et dove sua Maesta et io doveressimo sperare aiuto et favore per potere piu arditamente resistere a tanto inpeto, invece de quello siamo turbati et spogliati del proprio nostro dali medesimi nostri christiani, cosa veramente da turbare ogni costante animo, ma quanto ci conforta è che vediamo la Sanctita Vostra come universale pastore del Christiano grege, a cui convene conponere le differentie che sorgono tra li principi et altri fideli, havere abbracciato questo negotio, per la cui autorita insieme cun la integrita dela Maesta Cesarea et nostra Iusticia seremo reintegrato nel nostro: pero supplico la Sanctita V. che come clemente voglia usare clementia verso di me in procurare incessantemente apreso la Maesta Cesarea, a cio ch io sia restituita nel mio statu, invitandola a questo l'antica amicicia tra casa et mia et la evidente iusticia vostra: desiderarei molto che Fabricio Pelegrino suo cubiculario, quale intendo da Napoli dovere andare in Fiorentia per servicio di V. Sanctita, restasse in Roma per sollicitare queste cose mee apreso V. Sanctita, laquale prego, me facia gratia de servirse di lui in Roma, et non absentarlo dala corte, et de questo ne ricevero singulare gratia dala prefata V. Sanctita, ala beneditione de cui humilmente me inchino et ricomando. Cracovia 11 octobro 1524.

De V. Sanctita

humile serva et figlia

(Lettera autografa.) BONA REGINA etc.

Litt. Principum Tom. I. fol. 291.

CCCCXLVII.

Sigismundus Poloniae rex pontifici res ecclesiasticas sui regni commendat.

Sanctissimo et Beatmo in Christo patri et Dno Dno Clementi divina providentia Sancte Romane ecclesie Summo Pontifici septimo, dno clementmo.

Sanctissime et beatissime in Christo pater et domine clementissime. Post humilem mei regnique et dominiorum meorum commendationem ac oscula pedum beatorum. Sub hac tumultuatione rerum christianarum, quibus non minus imminet periculi a pestifera Luterana doctrina, quam a bellis infidelium, quibus res ipse christiane undique urgentur et premuntur, existimavi opere precium esse id declarare Sanctitati vestre, quod necessarium esse existimo ad pacificum et tranquillum statum ecclesiarum regni mei, et quod statum ipsum ecclesiasticum, nisi mature provideatur, ob intestina dissidia et discordias perturbare posset. Que vero sint ista, que ego in favorem rei ecclesiastice a vestra Sanctitate impetrare cupio, Rmi domini Sanctorum quatuor de Columna et Salviati Cardinales vestre Beatitudini explicabunt, quibus, oro, dignetur vestra Sanctitas et aurem benignam prebere, et meas equissimas preces apud se impetrabiles habere, quod erga illam et eius istam sanctam Sedem omni studio et observantia mea perpetuo demereri studebo, quam dominus Deus religioni sue conservande propagandeque quam diutissime servet incolumem et felicem, et hanc graciam ei tribuat, ut qua fide et dexteritate cepit rebus christianis periclitantibus pacandis salubriter consulere, ad finem perseverare, dignitatemque atque auctoritatem istius sancte Sedis, ad quam divino munere evecta est, immotam retinere possit. Datum Cracovie tercia die Novembris Anno Christi MDXXIV. Regni mei anno decimooctavo.

SIGISMUNDUS REX POLONIE scripsit mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXLVIII.

Dux Ratiboriensis Clementi VII. de eius exaltatione gratulatur, eique calamitosum ecclesiae statum in Silesia exponit.

Sanctissimo in Christo patri domino nostro, domino Clementi Septimo Pontifici vere Summo, Universalis Ecclesie pastori vigilantissimo Christique Vicario haud penitendo.

Beatissimo Patri Clementi VII. Pontifici vere Summo Ioannes Illustrissimus Princeps Dux Oppolie et Glogovie Superioris ac Rathiborie etc. S. D. Quam, Beatissime pater, celsitudinis necnon et amplitudinis tue sanctitatis racio sit habenda, nemo profecto vel summorum principum poterit inveniri, qui non subvereatur ad tuam celsissimam scribere sanctitatem, eamque compellare litteris. Cui (saltem pio) in confesso non est tanto Summum pontificem Maiestate mortales universos preire, quanto mortales ipsi bruta antevertunt animalcula, adeoque quis dubitet Romanum pontificem inter homines Maiestate sua celeste quoddam agere in terris numen? Quum hec ita sese haberent, Pater Beatissime, subformidare cepi, ne male cesserit numina parum rite compellare: verum tamen tua, presul amplissime, singularis nature tue bonitas et incredibilis (qua ab omnibus predicaris) ingenii tui humanitas fiduciam ac calcar scribendi nobis addidit. Principio itaque tue gratulamur Sanctitati, quod ad hanc altissimam dignitatis sit evecta sedem, Galerumque Summi pontificii sit adepta, in hoc ut totis nervis in commoditatem gregis Christi incumbat, pacisque vindex existat indefatigabilis: Beatitudinem subinde tuam Pontificem maximum tociusque ecclesie Christiane principem saluto, confiteorque tuam amplitudinem esse illum Sacerdotem magnum, Principem Episcoporum, Heredem apostolorum, qui primatu refferas ipsum Abel, gubernacione representes Noheum, patriarchatu Abrahamum, Ordine Melchisedechum agas, dignitate Aaron vincas, Mosen auctoritate, Samuelem iudicio te prestes, potestate vero adposite Petri locum tibi vindices: Quinymmo me totum quantus quantus sum obediencie catholice ecclesie simulatque eiusdem principi, tibi inquam Pontifici Maximo, astringo, quatenus Christum et Orthodoxam fidem professus fueris, eatenus me tibi recipio a te stare strennue, et utinam ita ut in votis habemus, aliquando liceat vere beatissimis istis advolutum pedibus oscula figere. Nunc autem, Beatissime pater, a tua sanctitate auxiliarem expettimus manum, nobis presens adesse velis: quando quidem Ducatus dominii nostri (quorum septem a maioribus nostris iure hereditario in nos devolutos possidemus) ab hominibus Lutherane factionis undiquaque circumsepti sunt, qui tumultus varios et eos quidem pestiferos in latum ac porrectum excitant, sursum deorsumque cursitantes omnia sacra ac prophana temerant. Ad hec ecclesie Oppolitane (que sita est in dyocesi Wratislaviana) primores prelati a

sede Collegii absunt longissime, nulli prorsus alterius usui, quam ut pecuniam annue pensionis auferentes infandum, quam aut absumant obscene, aut sub terram defodiant multo obscenius ac sceleracius, anthichristo forsan venturo thesaurusantes, et quod non ferendum est, aliqui eorum quatter civitatem pretergressi edem sacram suam alumnam, non quod sacrum in ea non faciant, sed ne salutandi quidem gracia in eam vel descendunt. Nonnulli ut eas nacti sunt prebendas, ne semel quidem fuerunt in ea ede sacra, ex qua tamen sua marsupia optime replent, ventresque suos splendidissime farciunt ac saginant: interim universus chorus reliquorum inferioris note sacrificulorum deseritur illudendus ac lacerandus, ita ut nos vicem eius sepe doleamus, et ni, ut a maioribus nostris sancte memorie pyssimis principibus accepimus, pietatem ac pacem tueremur, ac ne impium aliquid in comunitatem inertis wulgi inferatur, gnaviter defenderemus minis ac penis deterrendo, iam hoc, quod in finitimis oris evenit, eis quoque evenisset. Proch deum atque hominum fidem, que circum circa dominia nostra offendicula, que blasphemie (ab ineruditis et sibi sapientibus dico) in deum, in Sanctos, in ieiunia, in festa, in sacerdocia denique et in ipsum Summum pontificem convicia indignissima! sed quis horum cathalogum censere possit, cum nihil non novum, nihil non inversum, nihil non flagiciosum audeant homines nimirum sine cerebro. Itaque plane fieret, ni nos talibus dorsum teneremus, ac insultus tales cohiberemus, sacerdotes ceteraque sacratorum turba ut usque alibi et hic iam animum despondissent: nam alias et audio et video hos uxores ducere, illos monasticam religionem deserere, hy hoc, illi rursus illud quisque, quod sibi libitum est, arripiunt. Eapropter tuam sacratissimam paternitatem summis, quibus possumus, non oramus solum, verum etiam obsecramus ac contendimus precibus, quin et adoramus, nobis hac supplicatione non minus utili quam pya te benignum ac presentem exhibere velis, eos prelatos Collegii nostri, qui redditus uberrimos annuos capiunt, eosdem ope et consilio in medium consulere cogas, ac hic ubi succum vite capiunt, adsidere compellas. Quoniam quidem, pater Sanctissime, collacio earum prebendarum ad tuam Sanctitatem et ad Episcopum dyocesanum attinet, quo quidem licencia eis maxima exorbitandi prestatur: ego preiudicium Sacratissime auctoritati fieri nolim, sed tali collacione dolet una ex parte sacerdotes inferioris note fraudari, ex altera parte vero subditos nostros nempe et nostra dominia circumveniri et labefactari, que onera videntur nobis importabilia, et quovis pyo ac candido iudice amplius non sustinenda: quod si itaque nobiscum ipsi rempublicam non curabunt, tum nos tales ad nichil utiles, nisi ad perdendum opes et ad expilacionem dominiorum nostrorum solum natos penitus e medio tollere opportebit, et partes subditorum nostrorum agere, cedat utcumque cedat (iam enim alea iacta est), ecclesieque pietatem, cultum et vigorem suum restituere, quod etiam tuam Sanctitatem velle non ambigimus. Obiter autem tuam Beatitudinem petimus, unum virum nobis sanctimonia vite ac rara erudicione moribusque nettitissimis probatum, honorabilem dominum Melchiorem Przysnosky presbiterum, fidelem nostrum ac dilectum circa collegium nostrum auctoritate talibus negociis obeundis constituas, eidemque prebendam Archidecanatus, hys fucis inutilibus viventibus, aut saltem posteaquam e vita excesserint, conferas: quem virum omnes pleno ore iudicabunt doctum ac satis aptum ad resistendum consilio tam virulentis tumultibus. Quod si tua sanctissima paternitas hoc non fecerit, ego impetus tam molestos ac presentissimos ferre non poterim, ac ipsemet dictum virum dignitate simulatque erudicione suspiciendum vi interudere cogar, ac reliquos inutiles sedi non adsidentes, nec opera, nec consilio in hac tumultuosissima rerum tempestate iuvantes sedibus eciam detrectantes velint nolint tanquam fucos inutiles turbabo. Que cum servire Christi glorie et dignitati sanctitatis tue videantur, confidimus, tuam paternitatem nobis in hoc negocio adsensu et auxilio adfuturam. Quandoquidem, pater sanctissime, tua maxime interest statum fidei christiane incolumem, incorruptum ac integrum servare: audio passim et video passim, quacumque christianus late patet orbis, summos pariter ac infimos sibi de tali principe gratulari, speramusque omnes fore, ut te ductore, tumultibus scismatibusque elimatis ac penitus eradicatis, vetustissima illa maiorum nostrorum pietas instauretur, ac pax orbi universo restituatur: faxit itaque tua amplissima paternitas, ut expectationi multorum, quam de te conceperunt, respondeat, non aliud nos a tua celsitudine postulamus, quam ut Christi ecclesia veris ac suis opibus locupletetur, ut sua preemineat gloria, ut sua polleat dicione: nempe id, quod ad statum universitatis pertinet, sanctitati tue materia in manibus est, qua haut mediocriter (si manibus ac pedibus adnixus fueris) decus nominis tui longe lateque promovebis, dilatabis, ymmo multa post secula cantatissimum effeceris. Hec enim proculdubio iniquitas temporis sevientis ac noverce fortune a superis certe permissa incidit, ut orbis ipse vetustissima instauraretur pietate. Hoc itaque tempore, si ut dixi tu gnaviter munia tua ges-

seris, virtus animi tui (velut aurum igni exploratur) omni cum pacto cunctis mortalibus spectatissima reddetur: egregium nempe nauclerum adversa arguit tempestas. Insignis celator quo duriorem ac minus obsequentem nactus est materiem, hoc magis sue artis prebet specimen: subinde et virtus nusquam clarior apparet, quam quocies noverca tunc Herculem suum omni genere malorum exercet. Quapropter tua celsitudo non cedat malo, sed contra audencior eat: nam si parum diligens tua paternitas fuerit, magis est formidanda ruina. Nihil enim accidere potest R(ei) P(ublice) pestilencius, quam si Summi Magistratus (quod a tua sanctitate longissime abest) pravitate ac stulticia armentur. Rursus a deo optimo mortalibus non alia res eque salutaris dari potest, quam candidus et ad omnia incorruptus Magistratus. Sed quid multis? non opus habet tua sanctitas monitoribus, cum per sese, quod optimum factu sit, calleat. Quapropter tua beatitudo, quod facit, perpetuo faciat, simul atque hac una in re te nobis da, accedat animus tuus, ut ad gloriam christi et ad commoditatem R. P. voto nostro compotes simus. Etsi condignum officium unquam tue sanctitati prestare non poterimus, quis enim prestat officium christo aut huic proximo Summo pontifici? tamen aliqua grati animi significacione magnitudini recepti muneris aliquando respondemus, et quicquid huic nostro Collegio, huic nostre ecclesie Oppolitane beneficencie a tua sanctitate collatum fuerit, id totum maiestati beatitudinis tue acceptum feret, seseque Clementi plurimum debere fatebitur. Precamur christum maximum, ut istam mentem tibi perpetuam velit teque nobis diuturnum servet, ut serus in celum redeat Clemens. Diploma a tua sanctitate expectamus. Vale. Datum Oppol die Iovis decima mensis Novembris Anno Incarnacionis dominice Millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

EX VERA NOSTRA SCIENCIA SCRIPTA P. M.

Litt. Principum Tom. I. fol. 375.

CCCCXLIX.

Archiep̃us Gnesnensis pontifici de eius exaltatione gratulatur, commendatque per nuntium ipsi res suae ecclesiae.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, dñe clementissime. Post humillimam serviciorum oracionumque mearum commendacionem ac pedum oscula beatorum. Dum alias fuissem Rome apud divum olim Leonem decimum pontificem maximum Sanctitatis V. predecessorem et secundum carnem fratrem patruelem, ex parte Serenissimi principis et domini, dñi Sigismundi dei gratia Regis Polonie, Magni Ducis Lytuanie, Russie, Prussieque etc. domini et heredis, domini mei graciosissimi, cum obediencia prestanda et ad sacrosanctum Latheranense Concilium orator destinatus, ibique non pauco tempore publica et privata negocia disponens, Sanctitatem V. que tunc noviter Deo ita disponente pro virtute suisque meritis ad dignitatem Cardinalatus sublimata fuerat, mihi rebusque meis satis optime faventem cognoscerem: vereor tamen, quia post eius tunc sublimacionem felicem brevi admodum tempore in Urbe manebam, quod Sanctitas V. me personamque meam erga se et Sanctam Sedem Apostolicam alioquin officiosissimam parum recordari seu cognoscere dignatur. Quia tamen virtus et probitas Sanctitatis V. que ipsam ad summum Apostolici culminis fastigium cum tocius mundi admiracione et leticia evexit, ignotos eciam penitus quosque non despicit, ideo ego in negociis ecclesie et provincie mee, rebusque meis et amicorum privatis ad pedes Sanctitatis V. tanto promptius et confidencius confugio, quanto magis illam et prudencia prevalere et benignitate pollere non ignorem, cuius ad Apostolatus dignitatem sublimacioni felici tum per presentes meas, tum eciam per hunc nuncium meum Venerabilem dominum Georgium Myskowski utriusque iuris doctorem, canonicum ecclesie et curie mee Cancellarium, officiosissime congratulor. Faxit Deus optimus, ut Sanctitas V. in hoc summo culmine residens ecclesiam universalem, sponsam suam in pace et optima felicitate diu gubernet, cui quidem domino Georgio doctori commisi Sanctitati V. referre nonnulla negocia christianam rempublicam, ecclesiam et provinciam meam, resque meas et amicorum privatas concernentia, quam propterea pedibus eius advolutus humillime rogo, dignetur eidem Georgio fidem adhibere in omnibus predictis perinde ac mihi ipsi, eique quociens opus fuerit, aurem benignam porrigere velit, factura pro immensa virtute, bonitate et clemencia sua, pro cuius salute et regimine diuturno et felici Deum precibus assiduis cum clero ecclesie et provincie mee universo semper exoro, eamque votive et felicissime in diuturna tempora valere desidero, meque, ecclesiam et provinciam meam et hunc nuncium tanquam meipsum

Sanctitati vestre unice commendo tanquam domino meo clementissimo. Datum in Arce mea Unieyow octava mensis Decembris Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Sanctissimorum pulvis pedum

IOHANNES ARCHIEPISCOPUS GNEZNENSIS.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCL.

Regina Poloniae pontifici nuncium archiepiscopi Gneznensis commendat.

Beatissimo in Christo patri domino dño Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane et universalis Ecclesie summo Pontifici, domino Clementissimo.

Beatissimo in Christo patri domino Clementi divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo, Bona Dei gratia Regina Polonie, Magna dux Lythuanie, Post beatorum pedum oscula et sui humilem recommendacionem. Beatissime in Christo pater. Consuevit Beatitudo V. votis ac precibus meis iustis ac honestis benignam semper tribuere aurem: propter quod eandem summa devotio mea immortali nomine assidue colit et integerrime veneratur: id quoque ab utroque huius regni statu pro mea constantissima fide et erga illam, ac sanctam sedem apostolicam religione summo meo studio et conatu observari cupio et volo, hac maxime turbulenta adversus eandem sedem apostolicam consurgente pravitate. Idem etiam facit et semper facere contendit Revm̃us in Christo pater dominus Iohannes Archiepiscopus Gneznensis et Regni huius primas, legatusque natus, qui in certis negotiis suis et suorum amicorum mittit ad Beatitudinem V. hunc Venerabilem et egregium virum Georgium Myscowsky doctorem et Cancellarium suum, quem ego Beatitudini vestre enixe commendo, ac diligenti animo rogo, dignetur eidem benignam et clementem prestare audientiam, ac illum in negotiis suis graciose et cum paterna pietate expediri mandare. Nam preterquam ille Archiepiscopus et primas summa semper pro illa sancta sede hic decertans fide et religione, hoc mereri non cessabit. Ego nichilominus eo magis debebo eidem Beatitudini V. et sancte sedi apostolice, quo eandem mihi et eis subditis huius regni, quos commendare soleo semper, clementem et benignam agnosco, quam omnipotens deus diu foveat sanam, semper autem incolumem et felicissimam pro Ecclesie et fidey sancte incremento meo etiam singulari desyderio. Illius sancte benedictioni et protectioni me et pueros meos recommendo. Datum Cracovie die IV. Ianuarii MDXXV.

Eiusdem Vestre Beatitudinis

Humilis serva

BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLI.

Episcopi Poloniae pontifici luctuosam rerum ecclesiasticarum in regno isto conditionem exponunt opemque implorant.

Sanctissimo in Christo patri et domino, dño Clementi divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime pater et domine, dñe clementissime, devotissimas oraciones cum osculo pedum reverenti vestre Sanctitati offerimus. Turbat nos creaturas et Capellanos vestre Sanctitatis, et in maximum metum detorquet modernus ecclesiasticus status, qui maiorem in modum a Laicis non modo impudentissime suggillatur, sed etiam quibusdam ex causis despicitur, et in persequucionem exponitur. Hinc est, quod hereses venenate Catholice fidei, quam ista sacrosancta sedes erudit et solertissime predicat, adverse cumulatissime pullulant, et passim diffunduntur, et nisi haberemus adeo christianissimum Regem sacrosancte Sedi isti Apostolice integerrimo affectu obsequentissimum, et hic quoque Relligio non parum caperet detrimenti. Siquidem obiicitur plerumque nostro statui ecclesiastico, quod omnia, quibus cultus divinus adornatur, avaricie causa a nobis in decepcionem plebis fierent, quodque derogacionibus, revocacionibus, suspensionibus et alia id genus donaciones Regibus aut principibus, ac eciam Ecclesiasticis, et aliis secularibus personis atque locis a vestra Sanctitate et aliis summis pontificibus felicis memorie predecessoribus eiusdem facte perimuntur vel suspenduntur, omnem charitatem inter Clericum et Laicum statum perturbant, sicut Venerabilis Georgius Mysskowsky utriusque

iuris doctor, per me Archiepiscopum nuper ad V. Sanctitatem missus, et Felix Naropinski Serenissimi domini nostri Regis Secretarii, Canonici Gnesnenses, nostrarum vero Gnesnensis et Wladislaviensis Episcopalium Curiarum Cancellarii, presentium exhibitores, aut unus eorum altero absente, plenius referent, quibus aut alteri eorumdem vestra Sanctitas credere dignetur. Pro debito itaque et officio nostro, vestre Sanctitati istud significandum putavimus, supplicantes, ut veluti pater et pastor vigilantissimus prospicere divina sua providentia velit, ut status ecclesiasticus tranquillus permaneat, et charitas in corda hominum bone voluntatis infusa ad laudem et gloriam Dei augeatur et conservetur. Nos vero, quos Religionis sacre sollicitudo debita urget, omni studio et conatu operam ope divina adhibere curabimus, et Maiestatis huius Regie in Religionem pientissime adiutorium habentes, ut ab hac Dei vinea vulpes eam suffodientes arceamus, dummodo Sanctitas vestra eciam eandem Maiestatem Regiam, dominum nostrum gratiosissimum, adhortacione sapienti ad constanciam obfirmare velit, quam Deus sanam et felicem ob sacre Religionis incrementum longeve servet. Ex Cracovia nona mensis Aprilis Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Creature et Capellani

Iohannes Archiep̄us Gnesnensis, Petrus Cracoviensis et Posnaniensis Ep̄us et Regni Polonie Vicecancellarius, Mathias Vladislaviensis Episcopus, Raphael Plocensis Episcopus, Mauricius Varmiensis Episcopus, Andreas Episcopus Primisliensis, Iohannes Episcopus Culmensis, Iacobus Episcopus Chelmensis, Laurentius Ep̄us Camenecensis servitor perpetuus.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLII.

Rex Poloniae pontifici de amantissimis litteris sibi missis grates reddit, deque concilio generali indicto gratulatur.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi VII. sancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et domine, dn̄e clementissime. Post debitam mei Regnique et dominiorum meorum commendationem ac oscula pedum beatorum. Superiore autumno, cum longe in finibus meis castra adversus infideles metarer, acceperam litteras vestre Sanctitatis, quibus hactenus non respondi gravissimis curis districtus, partim bellicis, partim etiam religionis: adeo enim hec pernicies Luterana diffusa est hic circumquaque, ut etiam ad subditos meos usque, Germanos presertim, permeet et inundet. Declaravit michi ipsis litteris vestra Sanctitas, se ad tollendas sensim inclite religionis corruptelas, et ad bonum ordinem ac statum Ecclesie reficiendum curam et animum induxisse, postulavitque a me, ut ad munus hoc tam pium et necessarium commodius obeundum mitterem istuc ad eam duos vel tres ex numero Episcoporum vel abbatum Regni mei, quorum prudentia, fide, gravitate et doctrina uti posset ad tantum negocium debite peragendum. Clementissime domine, non defui ego unquam, neque deesse vellem in posterum omnibus tam postulatis vestre Sanctitatis, cuius singularem erga me favorem ac benignitatem experior, quam etiam necessitati religionis sancte Catholice, quam hys fluctibus et turbinibus et domi et foris agitari, ac pene in preceps ire non possum non dolentissimo ferre animo: proindeque mittam non gravatim tales prelatos Ecclesiasticos, quales optat vestra Sanctitas. Verum eo hanc calamitatem et pestem hereticam processisse video, adeoque auctum et imbibitum animis hominum venenum, ut vereor vehementissime, ne et institutum hoc vestre Sanctitatis et nostra qualiscumque cura frustra fiat, neve ulcus parum commode tractatum magis exasperaretur, quam ut debite sanari posset. Censeo itaque et integerrimo animo vestre Sanctitati consulo, dignetur citra moram, accepto cum Regibus et principibus christianis mutuo consilio et deliberatione, concilium generale loco opportuno indicere, et ad illud omnes status et ordines tam Ecclesiasticos quam seculares invitare, ut hoc incendium plus equo neglectum adhuc extingui posset, antequam omnia occupet, et status religionis conclamatus videatur: nam nisi plane perspicerem, quantum assidue tempestas hec invalescat, quamque nichil prosit quevis cura et sevitia prefectorum, non id consilium vestre Sanctitati in tanto periculo presertim ab altero externo malo preberem. Si tamen vestra Sanctitas perstare dignabitur in cepto proposito, minime gravabor, et in hac re et in omnibus aliis vestre Sanctitati pro virili mea adesse et gratificari, ipsosque oratores ad illam, quando mandaverit, expedire.

Cuius bone gratie me Regnumque et dominia mea etiam atque etiam humiliter commendo. Dat. Cracovie, Kal. Maii, Anno Ihesu Christi MDXXV. Regni mei anno decimo nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp.

Arm. XI. caps. 12. N. 29.

CCCCLIII.

Regi Poloniae conceditur, quin indulgentia plenaria a Leone X. concessa ob victoriam, quam a Moschovitis in festo nativitatis B. Mariae retulerat, sub suspensione generali omnium indulgentiarum comprehendatur.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exposuit nobis venerabilis frater noster Laurentius episcopus Praenestinus, cardinalis Sanctorum quatuor nuncupatus, ex parte Maiestatis tuae, quod cum olim tempore felicis recordationis Leonis papae X. secundum carnem fratris patruelis et praedecessoris nostri, Iesus Christus redemptor noster ad orthodoxae fidei exaltationem, ac schismaticorum et infidelium depressionem et confusionem celebrem, et omni tempore memorandam contra Moschovitas schismaticos victoriam in festo nativitatis B. Mariae Virginis, quae nunquam cessat pro fidelibus apud filium preces effundere, eidem Maiestati tuae concesserit, idem Leo praedecessor in memoriam tantae victoriae omnibus utriusque sexus christifidelibus ad curiam Maiestatis tuae, in quocunque loco ipsam in festo praedicto fore contigerit, confluentibus plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam per suas litteras concessit, prout in illis plenius continetur. Cumque instante praesenti anno iubilei omnes plenarias indulgentias et facultates absolvendi in casibus reservatis et nonnulla alia faciendi, per nos et praedecessores nostros ac sedem apostolicam concessas, de fratrum nostrorum consilio et potestatis plenitudine per alias nostras litteras per totum praesentem annum iubilei, et deinde ad beneplacitum nostrum suspenderimus, et illas et quas interim per nos concedi contigisset, etiamsi litteris praedictis expresse derogaretur, nemini voluerimus suffragari, prohibentes illas sub excommunicationis latae sententiae poena publicari, prout in eisdem nostris litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus litteris volumus haberi pro expressis, plenius continetur, sicque dicta indulgentia tuae Maiestati concessa propter huiusmodi nostram suspensionem suspensa, desideres ob dictae victoriae memoriam suspensionem praedictam quoad indulgentiam ipsam relaxari: Nos, qui omnium regum et principum piis et honestis desideriis libenter annuimus, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, suspensionem nostram praedictam quoad dictam plenariam indulgentiam eisdem christifidelibus in loco, in quo Maiestatem tuam in festo nativitatis B. Mariae Virginis fore contigerit, confluentibus per Leoncm praedecessorem concessam relaxamus, illamque sub dicta suspensione minime comprehendi debere decernimus, praemissis ac aliis in contrarium facientibs non obstantibus quibuscunque. Datum Romae die XVII. Maii MDXXV. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XLV. ep. 192. pag. 504.

CCCCLIV.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut labem Lutheranam a regno arcere studeat.

Archiepiscopo Gneznensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Decet in ea cura et sollicitudine, quae nos pro Christi domini nostri fide conservanda et salute animarum populi fidelis procuranda vehementer premit, adhibere in partem oneris eos, quos ab omnium donorum largitore Deo dotibus et virtutibus animi decoratos cognoscimus. Cum ergo de fraternitatis tuae prudentia ac religione et erga summum Deum reverentia ac pietate non solum opinionem, sed certam notitiam habeamus, doleatque nobis maiorem in modum hanc lutheranae haereseos sectam cum tanta et tam acerba multorum pernicie grassari, etsi in isto inclyto regno ipsius carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae regis illustris sapientia atque integritas nobis perspecta est, qui non est passurus divinae religioni et antiquae Dei fidei quicquam fore detractum, tamen metuentes occultas in plebem insidias sathanae, ac intelligentes fraternitatem tuam provincialem synodum celebraturam, tibi committendum duximus, ut nostras vices in hoc negocio gerens, ac tui pastoralis officii debito armata adhibeas omnem curam et diligentiam, quo huic atroci et

impiae, quae in populo Dei exorta est, lutheranae calamitati locus in isto regno nullus detur, sed tum apud regem ipsum, tum apud caeteros provideas, moneas, horteris, ut quae fidei sanctae, in qua salus omnium est, documenta a maioribus nostris et ab ipso Spiritu sancto data sunt, ea ubique quidem ab aliis constanter et pie conserventur, ab ipso autem optimo et praestantissimo rege conservanda et custodienda mandentur. Quod si, quod Deus avertat, aliqua ibi semina tantae pestis cognoveris pullulare, eidem fraternitati tuae committimus, ac facultatem et omnimodam potestatem tenore praesentium damus atque concedimus, eos, qui lapsi sint, ad pristinam veritatis viam revocandi, et si erroris illos poenituerit, ab omnibus poenis et censuris incursis, poenitentia salutari imposita, absolvendi: si vero pertinaces fuerint, debitis et legitimis tam a iure quam per bullam felicis recordationis Leonis X. praedecessoris nostri praescriptis poenis per te, vel alium seu alios, omni appellatione omnino reiecta, afficiendi, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, super quibus omnibus plenam tibi tradimus nostra auctoritate potestatem, certissimum habentes hanc nostram provisionem et diligentiam tuam isti regi clarissimo, cui nos plurimum in omni amore et in virtutis honore tribuimus, fore gratissimam. Datum Romae die XIX. Maii MDXXV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXXIX. fol. 147.

CCCCLV.

Rex Poloniae pontificem de pace cum magistro Prussiae inita certiorem reddit.

Sanctissimo in Christo patri et dño, domino Clementi VII. divina providentia sancte Romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici, Dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, ac oscula pedum beatorum. Quod erat iampridem in votis, cum Vestre Sanctitatis eiusque predecessorum, tum omnium ferme principum christianorum, ut bellum, quod inter me et magistrum Prussie intercesserat, compositum esset, utpote universe rei christiane noxium et pernitiosum: id tandem divino favore factum Vestra Sanctitas non ignoret. Cum enim indutiae expirarent, neque ulla esset spes tante controversie per arbitros dirimende, venit ad me Magister ipse, conditis prius medio Illustrium principum Georgii Marchionis Brandeburgensis et Friderici ducis Legnicensis, communium consanguineorum et affinium nostrorum, conditionibus pacis et concordie, que pro tempore fieri potuerunt, et quales mutua necessitudo nostra postulavit: prestititque ille michi debitum suum, quod et maiores mei et ego iustissime exigebam, prestiti et ego vicissim erga illum, que iure meo potui, presertim desciscente a professione sua ordine illo, et terris omnibus Prussie, iustissima hereditate Regni mei, in potestatem meam redactis. Sperem tanta bella et dissidia non sopita solum et composita, sed etiam radicitus sublata et extincta: alioqui tragedia hec nullum unquam finem habere potuisset, presertim cum subditi mei omnes exigerent a me modis omnibus, neque ab hoc instituto ullo modo dimoveri potuerint in Conventu generali Regni mei novissimo, vel cogendum tandem Magistrum Prussie ad prestandam obedienciam et omagium michi et Regno meo debitum, vel illum ac ordinem ex terris illis exturbandum. Videns autem ego, quantam perniciem afferret non hiis regionibus solum, sed etiam universe rei christiane bellum resuscitatum, a quo me semper et Vestra Sanctitas et ferme omnes christiani principes dehortabantur, elegi pocius eam pacem, que pro ratione temporis contingere potuit, et visa est solidior, quam omnino necessitate et furore bellico terras et hereditatem meam et Regni mei repetendo, omnia vastare et destruere. Considerans alioqui iampridem in Prussia non de ordine solum, sed de tota prorsus religione actum esse, cui errori adeo nullam penitus occasionem unquam prebui, ut etiam in hac pace conficienda nichil non tentaverim, quo omnia acta fuissent iuxta observationem sancte religionis catholice, prout omnes actus et tractatus nostri testari poterunt: inter quos tamen multa effeci cum Consiliariis meis commoda pro Iurisdictione Ecclesiastica et restitutione bonorum Ecclesiasticorum in illis terris, que acta et deplorata videbantur, et spero subinde, Deo propitio, et vestra Sanctitate michi assistente, reliqua sine magno strepitu ad normam et modum debitum per me reduci posse, qui cupiam et paratus sim semper pro bono statu rei christiane et istius sancte Sedis Apostolice non modo studium, operam et facultates meas omnes, sed et sanguinem et vitam meam, si ita res postulet, exponere et profundere. Nec unquam Sanctitas Vestra aliter sibi de me et subditis meis persuaderi paciatur: nam et pestem istam Lutheranam, pernitiosissimum incendium eius, quo Regni mei proximus et maior ardet paries, quanto labore et sollicitudine extin-

guere, et a Regno meo arcere nitor, satis cum edicta et legationes mee, tum vel nuncii et Legati Sanctitatis Vestre testimonio esse possunt. Significandum autem duxi hunc successum rei prudencie Vestre Sanctitati, tum quia sciam illam omni studio ad communem pacem christianorum incumbere, tum etiam quod non ignorem, qua cura et benignitate me et res meas omnes complecti dignetur: proindeque spero, non mediocrem inde leticiam et voluptatem Vestram Sanctitatem habituram esse. Cui me etiam atque etiam humiliter ex corde commendo et opto, ut diu vivat incolúmis et felix. Datum Cracoviae die XXI. Maii Anno Ihesu Christi MDXXV. Regni mei anno decimonono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE scripsit mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLVI.

Rex Poloniae pontifici se Paulum Centurionem eius nuncium ad Moscorum ducem missum perhumane excepisse significat.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia sancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine Clementissime. Post mei Regnique et dominiorum meorum humilem commendationem ac oscula pedum beatorum. Cum superioribus mensibus nuntius Sanctitatis vestrae Paulus Centurio Ianuensis ad me huc venisset, et se a Sanctitate V. ad Moscorum ducem missum declarasset, eum benigne excepi, et quo celerius negotia eiusdem Sanctitatis V. absolveret, commeatum per Regnum meum simul et equos veredarios usque ad Moscorum fines illi liberaliter concessi. Is ipse iam tandem rediit proficisciturque una cum Moscorum ducis Legato ad Sanctitatem V. Quia vero et vir bonus videtur, et tam longi itineris laborem perferre eum necesse fuit, rogo plurimum Sanctitatem V. velit eum commendatum habere, et gratia ac munificentia sua, qua magnopere in hac sua ingravescente etate indigere videtur, complecti: et valeat quam diutissime Sanctitas V. cui me iterum, Regnumque ac dominia mea humiliter commendo. Datum Cracoviae octava die Iunii Anno Ihesu Christi MDXXV. Regni mei Anno decimonono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE ET MAGNUS DUX LITHUANIE etc.

Arm. XI. Caps. I. Nro. 64.

CCCCLVII.

Rex Poloniae instruit pontificem se ob Moscorum dubiam fidem cum Turcis inducias fecisse.

Sanctissimo in Christo patri et dño, dño Clementi VII. divina providentia Sancte Romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, dñe Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, ac oscula pedum beatorum. Non ignorat vestra Sanctitas, quantis difficultatibus et discriminibus expositum sit continue Regnum et dominia mea, quibus tot moles non solum Tartarorum, Moschorum et Walachorum, sed etiam Turcorum assiduo incumbunt. Meminisse etiam potest vestra Sanctitas, quam mihi et Serenissimo domino Ludovico Hungarie et Bohemie Regi, nepoti meo, cum predecessores S. V. tum ipsa quoque spem prebebat de reducendis ad concordiam christianis principibus et generali expeditione paranda, qua hactenus inherentes pacemque et inducias cum Turco recusantes, ambo tam ego, quam Serenissimus Nepos meus ingentem iacturam hys proximis annis subivimus: unde et universa res christiana non parum multum inclinata videatur. Quare subditi et Regnicole mei considerantes non sopiri modo bella intestina christianorum, verum etiam indies magis illa augeri et exasperari, ac vestram quidem Sanctitatem pro officio optimi et pientissimi pastoris nichil cure et laboris pretermittere in sedandis hys intestinis nimium intempestivis turbis et seditionibus, sed nichil proficere, nequaquam pati voluerunt me ea spe generalis expeditionis diucius pendere et tantas tempestates, quibus hic undiquaque obruimur, citra ullius auxilium sustinere, et presertim cum factus essem certior ducem Moskovie societatem cum Turco adversus me tractare, qua intelligentes ipsi subditi mei presentissimum Regno et dominiis meis discrimen imminere, dum Tur-

cus, Tartarus et Dux Moskovie simul illa impeterent, adegerunt me ad inducias cum ipso Turco ineundas, intra quas aliquandiu respirare, et tot aliis hostibus, quorum vel unus maximo cuique Regno satis est, commodius resistere possent. Quam rem Vestre Sanctitati significandam duxi, cui pro summa eius in me et Regnum meum benignitate nichil rerum mearum non communicandum putem, supplicoque illi, ut si quid in hac re fiat preter eius animi sentenciam, boni consulere dignetur. Quandoquidem me, et necessitas ipsa et subditorum meorum continue expostulationes, quin ymmo et tanta eorum principum de nobis et re christiana incuria, qui inter seipsos sine fine digladiantur, eo impulerunt: tamen, cum ad agendum aliquid in commune cum eo communi hoste ventum fuerit, persuasissimum habeat Vestra Sanctitas, me cum omnibus gentibus et viribus meis futurum non postremum. Me V. Sanctitati etiam atque etiam commendo, quam pro mea summa voluptate et salute reipublice Christiane opto esse diutissime sopitem et felicem. Datum Cracovie xii. die Iunii mdxxv. Regni mei Anno Decimonono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius
Sigismundus Rex Polonie mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLVIII.

Epus Vratislaviensis pontificem de progressu Lutheranorum deque eorum saevitia in catholicos suae provinciae instruit.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et dño, dño Clementi pape septimo Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater ac domine, domine clementissime. Post devota beatorum pedum oscula humillimam sui ipsius commendacionem. Clementissime domine. Quamvis erumnas et calamitates Ecclesiae ac Cleri mei, immo sanctae sedis apostolicae et relligionis contemptum his in finibus totiens iam deploraverim totiensque Sanctitati Vestrae simul ac dive memoriae precessoribus suis conquestus sim, ut tediosum putem easdem querelas iterare: cogit tamen me summa necessitas, cogit et iustae obedientiae debitum, quo Sanctitati Vestrae lubens volensque addictus sum, iterum eidem Sanctitati Vestrae, quomodo res fidei et relligionis ex perditissimo Lutheranismo in dyocesi mea habeat, brevibus enarrare. Nefanda igitur illa secta Lutheranorum ex vicinio Misnae, ubi hoc monstrum Wittemberge primum originem cepit, hanc dyocesim meam ita invasit, ut quod isthic litteris proditum est, hic moribus vitaque referatur: nam instituuntur et destituuntur passim pro cuiusque libito ceremoniae, ritus et ordinaciones Ecclesiae, divina missae officia alio atque alio Canone nunc tenentur, nunc contra omnino abrogantur, Sacramenta denique ipsa, eaque omnia in extremum abeunt contemptum. Quot capita, tot fides et relligiones. Cui proximum est, ut mihi Cleroque meo, quicquid antea decimarum, censuum et iurium ecclesiasticorum ex pia fundacione annuatim cessit, nunc superbe et violenter denegetur, planeque pendeatur nihil. Et tametsi ego ab inicio statim non cessavi hisce erroribus apud Maiestatem Regiam etc. remedia querere, tantum tamen suae Maiestatis christianissima mandata momenti pensique habuerunt, ut plane profuerint nihil: adeo obediencia et veri rectique racio nulla. Quumque non desistam dies noctesque pro mea in Sanctitatem Vestram et sacram Romanam Ecclesiam fide et observancia perfidie illorum nunc legacionibus, nunc profectionibus aliisque id genus quibuscumque possum modis reluctari, neque corpori neque facultati meae quantulecumque parcere: licet hactenus minus quam voluerim, consequi potuerim, ut tamen illi, quod reliquum erat virium, infringerent, conspiracione nuper clanculum inita, sedis meae Episcopalis arcem et plusquam dimidium primariae Civitatis incendio furtim suggesto funditus perdiderunt, conantes his aliisque artibus tandem castra, oppida et terras ecclesiae Wratislaviensis in dicionem suam redigere, ac ut nuper in Prussia contigit, prophanare hereditare possidenda. Coeterum quum hactenus quecumque bona minoris habuerim, quam datam fidem, sancteque factum iuramentum meum, proque debita obediencia adversitates omnes et quascumque calamitates lubens volensque tulerim, vitam eciam ipsam, que vel sola reliqua est, pro sancta Romana sede effundere paratior sum, quam unquam eorum perfidiae subscribere, sicuti Revmo dño Cardinali Campegio in Hungaria Sanctitatis Vestrae legato, de studio, diligencia et opera mea hoc in negocio adhibitis lacius constat: supplico itaque Sanctitati Vestrae, quanta possum humilitate, Sanctitas Vestra dignetur tandem clementi paternae pietatis oculo hanc dyocesim meam, immo suam benigniter respicere: nam eo res nondum venit, ut de restauranda relligione spes omnis ablata sit, racionesque op-

portunas huius amplae dyocesis Romanae sedi retinendae mature inire, antequam errores hy in vicina regna Hungariae, Bohemiae, Poloniae et caetera serpant posthac nunquam extinguendi. Ob id enim Sanctitatis Vestrae magnopere interesse videretur, quamprimum huic malo, dum recens adhuc est, obviam ire, id quod pro debito meo Sanctitatem Vestram iterum officiose nolui celare. Sanctitati Vestrae perinde ac clementissimo dño meo me devotissimam eiusdem creaturam humillime commendo. Datum Otmuchow die vigesima octava mensis Iunii Anno domini MDXXV.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotissima Creatura
IACOBUS EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS.

Litt. Principum Tom. III. fol. 179.

CCCCLIX.

Regi Poloniae pontifex de eius induciis cum Turcis factis, deque rebus cum magistro Prussiae compositis.

Regi Poloniae.

CLEMENS PP. VII. Carissime etc. Accepimus plures uno tempore Serenitatis tuae litteras, in quibus nos cum de induciis cum Turcarum principe factis certiores reddis, tum pro tuo pacis studio proque et nostris et praedecessorum nostrorum ac aliorum principum christianorum hortationibus et precibus res composuisse cum magistro Prussiae significas, vetusque et diuturnum inter vos bellum qua fieri nunc potuit ratione sustulisse, cui utrique facto tuo atque consilio eas rationes affers, quae tibi non modo probabiles, verum etiam necessariae visae sunt, eaeque in litteris ipsis tuis apte et prudenter expositae. Ac nos quidem de induciis cum Turca factis, quoniam tu praesens regni tui necessitates nosse melius potes, dum salva tua et tuorum affinium ac vicinorum principum dignitate sine ullis iniquis et abiectis conditionibus factae sint, neque tendant in iacturam et detrimentum nominis christiani, quod nos tamen tua freti sapientia et magnitudine animi confidimus, possumus vel acquiescere hoc tempore, vel saltem connivere, nihilque existimare a Serenitate tua sine maximo consilio fuisse factum, quando ea omnium de te et nostra in primis est opinio, neque te propter prudentiam falli in consiliis capiendis posse, neque propter perpetuam et praestantem in Deum omnipotentem fidem et religionem quicquam illius nomine indignum admissurum aut probaturum esse; cum ipse praesertim polliceare, si his intestinis ac pene civilibus armis depositis, quae christianitatem totam cruentarunt, arma communi studio in communem hostem convertantur, te publicae causae non defuturum: quam promissionem tuam dignam tua fide atque constantia sic accipimus, ut simus eam suo tempore repetituri. Illud autem alterum, quod cum magistro Prussiae ad pacem et concordiam devenisti, praeclaris utique nominibus obtentum est: nam et pacis iucundum nomen et conditio regni tui eiusmodi, ut tibi finire bellum cum illo ordine expediret, et tempora aliis bellis et periculis turbulenta, et nos semper pacis tibi cum illo ordine auctores fuimus, tuque per huiusmodi pacem atque concordiam ad ius et auctoritatem tuam melius pervenisti. Gravia ista omnia et dicta speciosa sunt, eaque a nobis libentissime probarentur, si is, cum quo tibi positis inimicitiis pax suscepta est, si vera de eo ad nos allata sunt, dignum se tua ista et munificentia et mansuetudine praebuisset. Nunc quid debeamus de eo existimare aut scribere, incertum est. Ut enim omnia a tua parte plena optimi animi et sanctissima mente facta existimamus, sicut certe existimamus, nec aliter de tanto et tam Christi amante Rege sentire est fas, non possumus ex altera, quid sentiamus, decernere. Illud quidem maiorem in modum ex tuis litteris gavisi sumus, quod Serenitas tua ostendit se omnem daturam operam et iam dare cepisse, ut Christi fides atque religio in illis Prussiae populis restituatur. Quod te, fili carissime, quanto possumus studio obtestamur per viscera misericordiae Dei nostri, ut hoc quoque monumentum pietatis et bonitatis tuae ad reliqua tua facta praeclara et fortia, quae antehac fecisti, adiungas. Miseret nos illorum et infortunatorum calamitatis, qui non fortunas suas, sed semetipsos perditum eunt, dum volunt pravis rectoribus et monitoribus suis obtemperare, in quibus si tu hereditatem maiorum tuorum, ut scribis, repetiisti, in memoria habeas, precamur, hereditatem quoque domini Dei in illis esse servandam, cuius quidem Dei et nos et illi et Serenitas tua iusta hereditas sumus. Nos nisi paterni affectus dolore commoveremur, hac facile possemus cura et sollicitudine animi supersedere, sed pro pastoris et patris dumtaxat officio afficimur tot simplicium et miserorum saluti, quorum te quoque ut misericordia capias, deprecamur, quando eorum cura et custodia pro tuae superioritatis iure, sapientiae etiam et fidei tuae com-

mendata est. Ad hanc rem perficiendam nos omnia nostra studia atque officia Serenitati tuae offerimus, nihil recusaturi, quod ad restituendos Deo fideles suos pertineat, atque omnia acturi, ut intelligat Serenitas tua nihil aeque nobis charum ac Dei honorem, nihil tam iucundum quam tuam dignitatem et esse nunc et semper fuisse: sicut a dilecto filio Io. Antonio Pulleone nuncio nostro in Ungaria Serenitas tua plenius cognoscet, cui vel eius litteris fidem indubitatam habebit. Datum Romae etc. die xx. Iulii MDXXV. Pontificatus nostri Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Tom. XXXIX. fol. 188.

CCCCLX.

Duci Moscorum pontifex de oratore sibi misso gratulatur, nuntiatque nuntium vicissim ad eum mittere, qui de foedere contra Turcas ineundo agat.

Duci Moscoviae.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, sal. etc. Summa cum laetitia nostra accepimus tuae Nobilitatis litteras, et nuncium tuum Demetrium Erasmi vidimus, hominem solertem et in suis mandatis exponendis accuratum. Quae tamen mandata omnia litteris continebantur, in quibus ostendis te velle esse nobiscum, et cum aliis christianis principibus adversus infideles et Christi inimicos coniunctum, ac etiam nos hortaris, ut hominem ex nostris ad te mitteremus, qui omnia nostra consilia posset tibi significare. Quod fecimus libentissime, misimusque Venerabilem fratrem Iohannem Franciscum Episcopum Scarensem, virum plenum prudentia et boni spiritus, cuius nos opera et industria in magnis rebus sepe usi sumus, et cum quo loquimur confidenter omnia consilia nostra. Nam antea dilectus filius Paulus Centurio, civis Genuensis, non a nobis missus fuit, sed cum is ad tuam Nobilitatem ob alias causas veniret, dedimus illi litteras nostras, quas plurimum gaudemus tibi fuisse acceptas: fecerunt enim, ut tu hominem tuum ad nos et munera etiam nobis gratissima mitteres, non quod multum curemus munera, sed tuam illam benignam et humanam voluntatem erga nos supra omnia habemus gratissimam. Quum autem et de coniunctione nobiscum ac unione contra infideles promittis nobis omnia, quae fortissimus et maximus princeps Christum Deum agnoscens Romano pontifici beati Petri successori promittere potest, et queris a nobis modum, quo pacto ista coniunctio fieri possit et debeat: iste Venerabilis nuncius, quem mittimus, de omnibus te plenissime instruet, et omnia desideria nostra tibi aperiet, cui rogamus Nobilitatem tuam, ut tantam fidem habeat tantumque credat, quantum nobis ipsis crederet, si te presentes alloqueremur: eumque benigne et prompte ad nos remittas, ubi nostra consilia tibi significaverit, sicut etiam nos benigne et cum cura atque amore tuum nuntium tibi remittimus. In his autem litteris non scribemus omnia, quae tecum agenda sunt, quia nuncius noster ore et verbis largius et melius illa declarabit, quem iuxta suam egregiam humanitatem et sapientiam libenter et attente audies: illud solum scribemus, petere et orare nos ab omnipotente Deo, ut tua voluntas sit ita erga nos prompta et benivola, sicut nostra erga te est, et tibi promittere, si, ut cupimus, fiet desiderata coniunctio, ea te experturum esse nostra et huius sanctae sedis in augmentum honoris et dignitatis tuae studia ac beneficia, ut reipsa sis cogniturus, nos sincero animo, optima fide, incomparabili amore tibi et praeclarissimis tuis virtutibus affectos esse et semper fuisse, sicut de hoc et aliis ab eodem Venerabili nuncio nostro tua Nobilitas latius intelliget. Datum Romae etc. die XVIII. Novembris MDXXV. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXXIX. pag. 229.

CCCCLXI.

Regi Poloniae pontifex episcopum Scarensem ad Moscorum ducem missum commendat.

Regi Poloniae.

Clemens PP. VII. Carissime etc. Anno preterito, cum dilectus filius Paulus Centurio civis Genuensis mercaturae cuiusdam, ut ipse dicebat, tractandae et ordinandae causa in Moscoviam profecturus esset, sibique cum illo duce diceret cognitionem quandam et familiaritatem intercedere, petiit litteras a nobis commendatitias, quod eas sibi magno usui apud illum futuras affirmaret, quando et a felicis recordationis Leone X. praedecessore et patruele nostro similibus litteris obtentis multum illae sibi apud eundem ducem profuissent. Quo huius hominis consilio intellecto, cum inspirante nos Domino aliquid amplius quam eum commendare cogitavissemus, dedimus quidem litteras, sed quibus magis etiam illi duci concordiam et unionem cum sancta sede apostolica christianisque principibus commendabamus, eumque invitabamus quodammodo, ut nobis ipsius amicitiam et coniunctionem appetentibus se beni-

gnum et facilem exhiberet. Quibus litteris effectum est, ut dux ipse Moscorum hominem suum ad nos cum litteris mitteret, prae seque ferret desiderium faciendae nobiscum coniunctionis, modum autem et consilium a nobis quereret, quas res hactenus non dubitamus Serenitati tuae fuisse notas, atque eo etiam notiores, quod ambobus illis et Paulo et Demetrio Mosco per regni tui regiones transeuntibus tantum tu humanitatis et liberalitatis nostra causa exhibuisti, ut pro isto tuo praestanti officio maximam quoque gratiam tuae Serenitati nos debere profiteamur: Paulus quidem ipse licet non noster homo esset, sed suo nomine iter haberet, tamen quia ille nomen nostrum in necessitatibus suis apud te praetulit, quid illi defuit ullo in genere beneficentiae tuae, quod vel affini nostro praestare potuisses? verum hec erunt infixa in animo nostro ad memoriam tuae humanitatis sempiternam. Illud quod ad susceptum negotium pertinet, cum hoc principio amicitiae et cognitionis facto Demetrioque ipso audito, cogitaremus colere Deum, quandoque ex minima scintilla parvi boni maximae charitatis conflare incendium, non duximus occasionem praetermittendam, ac ut primum potuimus, elegimus Venerabilem fratrem Iohannem Franciscum Episcopum Scarensem, virum probum et prudentem et doctum, in magnis rebus cum laude et optima fama versatum, cui nos magnam fidem habemus, quem ad ipsum ducem Moscoviae mitteremus ad tentandum et experiendum, si interdum studio animi nostri flagranti ad sui nominis honorem et Christianitatis commodum aliquem aliquando feliciorem exitum nostrorum conatuum concedere dignaretur. Nam huc quidem cum nostra omnia consilia atque acta semper ad pacis et religionis et fidei catholicae studium et stabilitatem et ornamentum contulerimus, parum prosperos eventus sumus experti, repugnante nostris piis desideriis vel procella temporum vel ira Dei debita, quam tot peccata nostra vetera concitarunt: neque tamen desistimus sumusve destituri, scimus enim qui dixit: Qui perseveraverit, hic salvus erit. Non sumus digni fortassis tanta Domini gratia: at erimus non indigni illius misericordiae, qui conscius bonae nostrae voluntatis mentem ipsam probabit, etiam si actionibus nostris minus fuerit propitius. Quamquam et eventus prosperi et rectae voluntatis donum ex Deo est: hac fide et spe erga Deum armati nec laboribus, nec sumptibus, nec curis animi ponimus modum, dum aliquid bonae salutis in Christiana republica afflicta et laborante constituere possimus, nec nos aut nostra et huius sedis paupertas, aut odium hominum et furor ardentium heresum deterret: sed non est ista opus cum Serenitate tua, quae omnium non nescia est, pluribus verbis exponere. Nos priora cepta non relinquentes, hanc novam provinciam, domino Deo inspirante, aggressi sumus, ut cum duce Mosco experiamur, ecquid illi possimus vere fidei catholicae cultum et amorem pacis cum Christianis principibus, ac precipue cum Serenitate tua immittere et insinuare: sed ita spe nitimur effici aliquid posse, si tua proba mens, si sapientia, si consilium, si animi equitas nobis auxilio fuerit, vel potius, si tu nos quasi manu in iter rectum deduxeris. Mandavimus igitur predicto Episcopo, nuncio nostro, ut apud Serenitatem tuam ita exponeret et aperiret omnes huius rei cogitationes nostras, ut non solum auxilium a te, sed etiam consilium rerum omnium peteret: qui quid habeat in mandatis, ipse tibi aperire noverit. Tua Serenitas, ut illum instruat et moneat, et quae agenda aut cavenda illi fuerint, eum plene edoceat, magnopere illam obtestamur. Habet ille in praeceptis, ut si qua tibi minus grata fuerint, prorsus abstineat ab iis. Tu vero, si qua etiam ..... ac ut celeriter illum expedias, etiam desideramus, cum tanti itineris longinquitas et rerum omnium difficultas requirat celeritatem: sine te quidem et sine opera prudentiaque tua facile nos agnoscimus, frustra a nobis laborem susceptum iri: sed ita confidimus temperantia et animi magnitudine tua, ut cum nos tuum honorem et commodum primarium in re hac habeamus, idque potissimum speremus, ut tibi imprimis satisfiat, te quoque non dubitemus, si necesse fuerit, ad omnem conditionem et facilitatem Dei omnipotentis et catholicae fidei causa esse deflexurum: sed de his ab eodem nuncio nostro uberius intelliges, et fidem illi summam habebis. Nos ita Deum precamur, ut nostris actionibus propitius esse velit, si ex illis nullam nostram propriam utilitatem, sed tantum illius honorem et humani generis salutem commodumque Christiane reipublice expetimus. Dat. Romae etc. die XVIII. Novembris MDXXV. Anno II. Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXXIX. fol. 230.

CCCCLXII.

Episcopo Scarensi, ut in perficienda legatione ad Moscorum ducem consilio regis Poloniae utatur.

Episcopo Scarensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater etc. Cum fraternitatem tuam, ipsius prudentia et integritate doctrinaque adducti, ad Principem Moscovitarum nuncium nostrum per alias nostras in forma

brevis litteras destinaverimus ac deputaverimus, multaque tibi verbo preceperimus ad id negotium pertinentia, cuius ex sententia conficiendi omnem spem nostram in Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Rege illustri positam habemus, illud tibi etiam atque etiam precipiendum ac mandandum in scriptis quoque duximus, ut prefati Poloniae Regis in omnibus et per omnia utare consilio, negotiique totius finem et consilium ad illius commoda et voluntatem omnino dirigas, quod eo te diligentius curare volumus, quo sumus certi, ipsum quoque Regem pro sua incomparabili in Deum omnipotentem, et christianam religionem voluntate ac pietate ad omnia recta et honesta facilem se et benignum redditurum. Cumque preterea Rex modernus Svetiae multum ipsius Regis Sigismundi consilio auctoritatique tribuat, atque is omnium sermone predicatur sedi apostolicae hostis esse et inimicus: obtestaberis Sigismundum Regem nostris verbis, ut suam fidem virtutemque velit interponere, quo in illis Svetiae partibus ista Lutherana impia heresis comprimatur, verusque fidei catholicae cultus conservetur: et quoniam ecclesia Scarensis, cui de tua persona per felicis memoriae Adrianum predecessorem nostrum fuit provisum, in Regno Svetiae est, cuius tu nunquam possessionem obtinere potuisti, dices isti Regi serenissimo, nos mandaturos, ut ius tuum in gratiam ipsius Svetiae Regis renuncies, modo ille dignam et catholicam personam illi ecclesiae iubeat prefici: denique in omnibus prorsus rebus, quae ad huiusmodi negocia pertinebunt, non minorem te volumus voluntatis Serenissimi Sigismundi Regis, quam nostraemet habere rationem. Datum Romae etc. die xviiii. Novembris mdxxv. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XXXIX. fol. 233.

CCCCLXIII.

Rex Hungariae Iacobo Sadoleto Felicem Lisyczki canonicum Cracoviensem commendat.

Reverendo in Christo Patri Domino Iacobo Sadoletto Episcopo Carpetratensi, Sanctissimi Dñi nostri Secretario, Amico nobis syncere dilecto.

Ludovicus dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc. Reverende in Christo Pater, Amice nobis sincere dilecte. Habet fidelis noster Venerabilis et egregius Felix Lisyczki, Cubicularius noster, quandam causam istic in Romana Curia super Canonicatu Cracoviensi, eidem per Rmum Cardinalem Sancti Sixti, tum ad Regna nostra et ad Regnum Poloniae Sedis Apostolicae de Latere Legatum, iure optimo collatum: pro qua re Sanctissimo Domino Nostro iam pluries supplicavimus. Commisimus autem tam Oratori nostro Francisco Marsupino, quam Petro Antonio Berro Secretario et Procuratori nostro, atque etiam Ioanni Rudnyczky, Serenissimi et Charissimi Patrui nostri domini Regis Poloniae causarum directori, ut quocies opus esset Vestrae Reverendae Paternitatis in hac causa patrocinium, exposcerent. Rogamus igitur eandem velit eisdem, quando auxilium vestrum requisierint, tam apud Sanctissimum dominum nostrum, quam alibi, ubi necesse fuerit, favore suo adesse: ipsum etiam Ioannem Rudnyczky, licet praefati Serenissimi domini Patrui nostri, ut praemisimus, servitorem, non aliter tamen quam si noster servitor ac subditus esset, in omnibus causis et negociis ipsius V. Paternitati peculiariter commendamus: erit nobis gratissimum, quicquid in eum V. R. Paternitas contulerit, idque mutuis officiis studebimus eidem refferre. Quae foelicissime valeat. Budae xiiii. Decembris Anno Domini mdxxv.

Ludovicus Rex mpp.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXIV.

Orator regis Poloniae regem Hungariae de animo Turcarum etc. edocet.

Serenissime Princeps, Domine et Domine clementissime, post serviciorum meorum humillimam recomendationem. Quemadmodum vestra Serenissima Maiestas me litteris suis, quae mihi Brassovie per Petrum Cubicularium eiusdem Maiestatis allate erant, docuerat, quomodo in causa vestre Serenissime Maiestatis cum Consiliariis sive Baschis Caesaris Thurcorum loqui deberem, scire dignetur vestra Serenissima Maiestas, quod cum eisdem per ambages in causa Maiestatis Vestrae ex me ipso loquutus sum: qui responderunt Caesarem non cupere pacem cum Vestra Serenissima Maiestate. Ex quo dicunt, Rex Ungarie dedit intelligere Caesari se nullam pacem cum eo habere velle. Cum autem ex certis respectibus fui ter in domo Abrahym Basche, cum eoque certas et multas colloquutiones habui, induxi etiam in medium Vestram Serenissimam Maiestatem: qui respondit, quod si Rex Polonie inter Regem Ungarie nepotem suum et Caesarem se interposuerit, ipseque Rex Ungarie solus voluerit nunctiosque

ad Caesarem miserit, absque dubio scio Regem Ungarie cum Caesare concordiam et bonam amicitiam inire posse. Est enim ipse Abrahym Bassa in summa et inenarrabili gratia apud Caesarem, ita quod totum dominium Thurcorum secundum voluntatem ipsius Abrahym Bache gubernatur. Insuper Vestre Serenissime Maiestati ea, que certo cercius rescivi, innotesco, quod mox adveniente vere ipse Abrahym Bascha cum nonnullo exercitu ad Alcayrum per mare, ipse vero solus Caesar cum toto suo exercitu ad regnum Vestre Serenissime Maiestatis iturus est, propterea Vestram Serenissimam Maiestatem precustodio plurimumque rogo, iam sit parata, ipse enim hostis vigilat et est paratus. Preterea scire dignetur Vestra Serenissima Maiestas, quod feria quarta preterita Civitatem Brassowiensem veni, a qua gratissime susceptus sum, Cives eiusdem Civitatis venerunt ad me necessitates et difficultates suas (exponentes), meque rogaverunt, ut pro eorum difficultatibus ad Vestram Serm̃am Maiestatem intercederem, quod videlicet mechauri et coloni, relictis suis sedibus, ad terram nobilium et extransorem (?) regionum se moraturos transferunt, ita quod quietis et conditionis pacis gratia ipsos plerumque cum Voyevodis Moldaviensi et Transalpinensi, eorumque Boyaronibus mutuam rerum eorum intelligentiam habere opportet, quibus etiam non vulgaria munera donare previa re. . . . ac exploratores fideles ad illas partes frequenter fovere coguntur, ita quod habent defectum pulveris et cupri ad faciendas bombardas pro eiusdem Civitatis defensione, ita quod vias et pontes, quorum ego sum optimus testis, versus partes Transalpinas et Transilvaniam cum non vulgari pecuniarum quolibet anno expositione reparare coguntur. Preterea dignetur scire vestra Serenissima Maiestas, quod Turcus maximum habet appetitum super Turcam Transilvaniensem, scit enim de ipsius non modica opulentia: Woyevoda vero Transalpinensis promisit ipsi Turco Woyevodam Transilvaniensem extradere, et ad eandem terram facilem ingressum ostendere. Itaque Vestram Serenissimam Maiestatem summopere rogo, dignetur huic finitime Civitati de tempore specialem facere gratiam: est enim omnino toto regno utilissima, et sic per Vestram Serenissimam Maiestatem est diligenda et per adventum inimici providenda. Et tandem me gratie Vestre Serenissime Maiestatis humillime commendo. Ex Brassovia feria secunda ante festum Sancti Thomae anno Christi Millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Eiusdem V. Serenissime Maiestatis Servus obsequentissimus

S. de S. T. Biciensis, Tribunus Cracov. Capitaneusque Opecensis.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXV.

Rex Poloniae pontifici mercatoribut Romanis in eorum rebus favere promittit, commendatque I. Zamboczki poenitentiarum in Urbe.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providencia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici, domino clementm̃o.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine domine clementissime. Post mei, Regnique et dominiorum meorum humilem commendationem ac oscula pedum beatorum. Causa mercatorum curiam Romanam sequencium, quam mihi vestra Sanctitas litteris suis commendare dignata est, ut ad optatum exitum perveniat, ita a me adiuta est, ut ad eius perfectionem nihil ei defuisse videretur: omnes enim similes cause, quociens ad meam noticiam deducuntur, et presertim peregrinorum, que merito debent esse favorabiles, sic solent transigi, ne hii, qui subditis meis in necessitate gratificari solent, mutua pecunia eos iuvando, culpa illorum ipsius pecunie suae iacturam faciant. Qualiter autem ista ipsa causa cum eorundem mercatorum debitoribus sese habeat, venerabilis Iohannes Zamboczki Basilice principis Apostolorum de urbe penitenciarius coram explicabit, quem V. Sanctitati quam diligentissime commendo, et oro, dignetur eius vetusti servicii talem rationem habere, ut in hac sua etate aliquem fructum laborum suorum V. Sanctitatis gratia adiutus consequatur. Me quoque ipsum V. Sanctitatis gratiae commendo, cuius votis in omnibus pro virili mea morem gerere presto sum, et deum omnipotentem oro, ut eam diu servet incolumem et felicem, ac ei tantam inspiret graciam, ut quod cepit, ad succurrendum rebus christianis labantibus, felicibus auspiciis, faustis omnibus prosequi et perficere possit. Dat. in oppido meo Pyotrcow die xxvi. Decemb. An. Christi mdxxv. Regni mei anno decimooctavo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXVI.

Rex Poloniae pontifici Georgium Mischkowski nuntium archiepi Gnesnensis commendat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Mittit istuc Romam in negotiis suis Rm̃us dñus Archiepiscopus Gneznensis, Primas Regni mei, venerabilem Georgium Mischkowski Doctorem et Cancellarium suum, quem V. Sanctitati commendo, supplicoque, ut que ab illa iusta videlicet et impetratu digna pecierit, in illis et gratiam et benignitatem suam exhibere dignetur: quo et officium optimi et clementissimi domini faciet, et me hac gratificatione plurimum si b devinciet. Commendo me etiam atque etiam, Regnumque et dominia mea V. Sanctitati, quam pro incolumitate rei christiane et optatis meis cupio esse quam diutissime incolumem et felicem. Datum in oppido nostro Piothrcow die xxvi. Decembris Anno domini mdxxv. (i. e. a die navitatis dñi nostri Iesu Christi incepto.) Regni mei decimooctavo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Arm. XI. Caps. I. Nro. 58.

CCCCLXVII.

Nicolaus Fabri nuntius pontificius Iacobum Sadoletum epum Carpentoractensem de rebus Poloniae instruit.

Al Reverendo Mons. de Carpentras Secretario del papa, Sig. e proñe observm̃o in Roma.

Rev. Sig. e proñe mio sempre observando.

Per unaltra mia scritta el primo giorno de l'anno novo dava aviso a V. S. Rev. come era giunto dalla Maesta della regina de Pollonia, che stava lontana da Cracovia una giornata in un luoco detto Neapolimiza, e come lhaveva ritrovata molto favorevole al desiderio de nostro Signor e cosi bene instrutta della natura del rè e de suoi consiglieri; la matina venente io era per partire alla volta de Petrocovia lontana da Cracovia sei giornate, dove il rè con tutti signori del suo regno faceva una dieta, e ch'el negocio era integro, excetto ch'el Duca de Massovia gia molti mesi con grande instantia adimandava per se quello che nostro Sig. per spes altra, e che in cio alcuni baroni de esso rè molto favorivano detto Duca per esser quello e potente e vicino, dal quale ogni giorno ne potevano haver piacere, alquale esso rè haver risposto che voleva termine un anno a risponderli.

A vi giorni del mese de Genaro arivai in Petrocovia, dove andatomene da Mons. de Cracovia feci adimandare alla M. de rè audientia secreta, che solo vi fusseno presenti Christophoro palatino, l'arcevescovo Gnesnense e S. S. R. laltri signori cioè Vilnense e Plocense, aliquali tengo brevi diretti, non vi sono, nè ancora se expettano in questo convento: el martedì seguente la mattina hebbi gratissima audientia e mostrò sua M. con quelli suoi signori sopradetti molto essersi mossa dal mio sermone piu presto lutulento che luculento, pure una abundantia d'amore e un candor d'animo so che apareva, havendo io materia ampia et tutta verita. Da sua M. fui molto amorevolmente recevuto, ma molto piu al partir: sua M. me fece respondere per lo suo vicecancelliere Mons. de Cracovia che se reputava a gran felicita tanta carita di nostro Sig. e che di cio neli restava in perpetuo obligato, e che pensaria sopra tal materia, e me daria a unaltra hora risposta.

Me resta a presentare et ambire li sopradetti consiglieri, e maxime el palatino e Cracovia, che quanto questi vogliono tanto rè fa, larcevesco de dignita è primo, ma la sua voce non val tanto in capitulo, e col palatino non è in tutto dacordo, non manchero usar con questi ogn'arte che sapero: asai Dio fin qui mi ha aiutato, che la regina tutta è mia fautrice, havendomi liberamente confessato che quasi haveva dato speranza a questi baroni de voler operare per lo Duca sopradetto, ma che alfin piu strenge la camisia che la veste: me sforzaro dal canto mio con lo aiuto de Dio non mancar in tutto alla bona opinione non so si falsa, che V. S. R. ha fatto de me minimo suo servitore.

Quello che in questa loro dieta tractano de importantia è de provedere al suo regno contro infedeli et altri inimici al regno de Pollonia.

Secundariamente con grandissimo favore la Maesta de rè tracta circa la setta Luterana: quale incominciava a infestar la Prussia, sua Maesta ne ha castigati molti e molti tene carcerati, et molti non han voluto comparire da sua Maesta in modo che se sospetta, che sarà forza che sua Maesta ce mande gente armata: ogni giorno comparisce alcun barone da quelle parti che vene per expurgarse apresso sua Maesta, e veramente se non fusse la tanta bonta de questo rè, la Pollonia saria gia tutta luterana.

Monsignor de Cracovia hiermatina a tavola me fece legere certe lettere che alcuni predecatori scrivevano alla Maesta de rè, dicendo molto maravigliare che essendo quella sapientissima non voglia ritornar alla vera fede evangelica, e che loro come buon subditi non mancano pregar Dio del continuo che lo voglia illuminare a tornare alla fede hona, il che si sua Maesta facesse che in spatio de un mese haveria acquistato tanto paese al sua regno quanto non conquistara in eterno con arme, e cose simile. Sia felice V. S. R. a x. de Genaro MDXXVI. in Petrocovia.

D. V. R. S.

Humil servitor

NICOLA FABRO.

Litt. ad Nuntios Tom. XIV. fol. 13.

CCCCLXVIII.

Rex Poloniae pontifici Nicolaum Fabri eius nuntium quaedam negotia secum tractasse significat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dño Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Fuit apud me hic Nobilis Nicolaus Fabri, et ea negotia, quae vestra Sanctitas illi mecum tractanda commisit, omni fide industria et diligentia peregit, ut omnino dignus a sapientissimo Pontifice nuntius videri possit. Referet ille vicissim meam erga Vestram Sanctitatem perpetuam observantiam et deditissimum studium, et quam in ipsis negociis, quae mecum egit, obsequi et gratificari vestrae Sanctitati ex animo cupiverim; si quo pacto res integra mihi fuisset, quod vestram Sanctitatem, cum intelliget, non dubito aequi bonique pro sua prudentia et benignitate consulturam esse. Cui me et obsequia mea etiam atque etiam humiliter commendo. Datum Pyotrcoviae die antepenultima Ianuarii Anno Domini MDXXVI. Regni mei vigesimo.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. scripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXIX.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum religiosis in Lutheranismum lapsis et ad cor reversis dispensare possit.

Venerabili fratri Ioanni Archiepo Gneznensi in regno Polonie apostolice sedis legato nato.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Pergratum fuit nobis ex litteris fraternitatis tue intelligere, quo studio quave diligentia mandata nostra contra Lutherana labe pollutos exequatur, ac plures tam tue quam aliarum Germanie provinciarum clericos seculares et regulares in nefandam heresim Lutheranam prolapsos, et contra canonicas sanctiones uxores habentes ad cor redire, ipsamque Lutheranam heresim sponte obviare (abiurare) ac uxores dimittere, et non solum privatam, sed etiam publicam penitentiam agere paratos esse; nonnullos autem monachos premissa facere velle, si cum eis, ut habitum sui ordinis, quem temere dimiserant, reassumere non teneantur, sed habitum presbiterorum secularium defferre valeant, dispensetur: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, quomodo in praemissis te agere debeas, significare dignaremur. Nos igitur considerantes sedem apostolicam piam matrem ad eam post excessum redeuntibus ex sua solita clementia veniam non denegare, ac iuris rigorem ex iustis et honestis causis temperare consuevisse, ac fraternitatis tue diligentiam in Domino commendantes, eamque hortantes, ut tam pium opus per eam inceptum ad omnipotentis Dei laudem prosequatur, et animas eorum, qui Lutherana labe tam nefanda et crassa et non excusabili simplicitate infecti sunt, e manibus sathane eripere ac Deo lucrifacere nitatur, huiusmodi supplicationibus

inclinati, eidem fraternitati tue cum eisdem monachis et aliis religiosis Lutherana labe infectis, qui sui ordinis habitu abiecto, in habitu seculari incesserunt, ut postquam ad cor reversi, Lutheranam heresim abiuraverint et uxores, cum quibus matrimonium contraxerant, dimiserint, ac publicam penitentiam egerint, habitum regularem per eos dimissum reassumere non teneantur, sed habitum per presbiteros seculares defferri et gestari solitum deferre libere et licite valeant, dispensandi eosque ab apostasia et irregularitate, quas propterea contraxerunt, absolvendi auctoritate apostolica tenore presentium licentiam, facultatem et potestatem concedimus, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die xxviii. Ianuarii 1526. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. LV. fol. 87.

CCCCLXX.

Archiepiscopo Gnesnensi facultas promovendi ad sacros ordines clericos quovis die dominico etc. conceditur.

Venerabili fratri Ioanni Archiep̄o Gneznensi in Polonie regno nostro et apostolice sedis legato nato.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Exigentibus meritis tue devotionis inducimur, ut votis tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Itaque nos, qui fraternitatem tuam, ut in regno Polonie, cuius legatus natus existis, contra Lutherana labe infectos procedere et ad cor redeuntes, et Lutheranam heresim obviare, et publicam seu privatam penitentiam, prout eidem fraternitati tue videbitur expedire, agere volentes absolvere, et cum clericis et religiosis etiam dispensare valeres, per alias nostras litteras facultatem concessimus, ut subditorum tuorum animarum saluti per amplius consulere possis, gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati eidem fraternitati tue, ut subditos tuos quoscunque ratione legationis tue seu infra illius limites commorantes habiles et idoneos, quos sufficientem titulum habere cognoveris, quovis die dominico seu festi duplicis, et extra tempora a iure statuta ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promovere, ipsosque et alias quascunque utriusque sexus personas tibi ratione legationis tue huiusmodi subditos ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa pro tempore latis et promulgatis, ac quoruncunque votorum et iuramentorum transgressionibus, necnon ab omnibus aliis et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolice reservatis, totiens quotiens opus fuerit, exceptis contentis in bulla Cene Domini, et de eis semel dumtaxat in vita seu mortis articulo absolvere, et pro premissis penitentiam salutarem iniungere, necnon vota quecunque, ultramarino, liminum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Iacobi in Compostella, ac castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare quoad vixeris libere et licite valeas, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica presentium tenore plenam et liberam licentiam concedimus et facultatem, sic tamen quod tu de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam per te absolvendis per eos, si supervixerint, vel per alios, si tunc transierint, faciendam iniungas, quam illi facere teneantur. Datum Rome etc. die xxviii. Ianuarii 1526. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. LV. fol. 88.

CCCCLXXI.

Episcopus Scarensis Iacobum Sadoletum ep̄um Carpentoractensem pontifici a secretis de rebus Poloniae, Prussiae etc. instruit.

Al Rev. Sig. e Padrone el Sig. Vescovo di Carpentrasso Secretario di N. S.

Reverendo Monsig. mio observandissimo.

Scripsi a V. S. Rev. al primo di questo la mia giunta in Cracovia, e che haveva trovato partito il Serm̄o Re, et era ito verso Prussia, e che ni anche la S. Regina era qui, ma presso tre leghe, a la quale andando a farli reverentia son hogie giorni sei, presentai li il Breve di N. S. e li narrai la substantia deli negotii, S. M. cum molto affecto et rei letitia ringratiò Nostro Signore cum dire che non puro che uno haveva cognosciuto lanimo benivolo et clementissimo di sua Beatitudine verso il Serm̄o Consorte suo e il suo Regno, et di cio cum parole honorevole et amorevole molto disse.

Dopo il giorno seguente essendo longamente cum S. M. et investigando s'ell'era meglio ch'io aspectasse qui il Re, overo l'andasse a trovare col dispendio del camino piu longo leghe lxxii. Et essendo adducte molte ragioni si da l'una parte come da l'altra, parve tandem a S. M. che io vada verso

Marimburgo dove ora si ritrova il Re, questo primo persuadeva, che S. M. non ben intendeva li negotii Moscovitici, cossi di cio non mi poteva dare expeditione alchuna; deinde che quando io havesse voluto mandare messo, et scrivere etiam longamente ogni cosa, non sarebbe satisfacto si pienamente a la M. del Re come in persona. Ma omnium potissimum facto in questa parte inclinare il precepto et mente di N. S. che per un Breve mi comanda, come V. S. Rev. sa che in tutti questi negotii seguiti il conseglio di S. M. il che non ben posso fare quando non odi la voce viva, et quando di la mia instructione dubitava che havesse a fare, quando non havesse trovato qui S. M. Sa V. S. Rev. che Sua Beatitudine me rispose, ch'io l'andasse a trovare dove era, e cossi dimani mattina mi parto verso Marimburgo cum elongare il camino ditte leghe LXXIII. che son miglia CCC. Italiane e qualche cosa di piu.

Non ho possuto partirme di qui piu presto ch'hogi, per esserme stato necessario provedermi d'un carro per portare victualia et altre cose necessarie, che cossi m'han consigliato tutti, che spesso si va tre e quattro giorni senza trovar nienti, son stato constrecto prepararme quasi una casa di utensili, che mi costa di bon dinari, e parllando di cio col maestro di casa dela Sig. Regina cum chi mi trovai in Ierusalem, e m'è parso un miracolo haverlo trovato qui, me disse, che pensasse un altra volta havere andare per li diserti di Egipto.

Ho havuto alchuno fastidio in persuadere al Moschovita venesse cum me per questa via, et benche primo stesse duro forse tre giorni, tandem il vinse questa ragione, che non havendo lui salvoconducto del Re non serebe stato sicuro per Lithuania, ni anche l'harrebeno lassato passare, e cossi se ne viene meco.

Primo gionsesse, forse a x. giorni, son passati Loratori di Cesare et di Ferdinando, che vanno pur in Moschovia, et non senza suspecto di questi sig. Polachi dubitando non succeda quel che successe al tempo di Maximiliano, pare a molti cosa nova che in uno medesimo tempo vadano in Moschovia Loratori di N. S. et di Cesare, questo anche m'è stato sperone in farme andare a la Maesta del Re, a cio si rimova ogni suspecto.

Di nove qui non ho altro si non che morto il Duca di Mosovia, Ducato opulentissimo, et perche non li è herede succede la Maesta del Re.

Mons. mio, io non perdono a fatiche in cosa alcuna solo per obedire a sua Beatitudine, supplico quanto piu humilmente posso, non se dismentiche di mi, acio quando Idio me concedera che ritorni habia dove reclinare il capo dopo tanti periculi e fatiche, che quando di cio fusse certo, e non stesse colla mente sempre suspesa, de che debia vivere come torno, certo queste fatiche serrebono per la maggior parte alleviate, ogni dì ce son nove occasione, et io povero sempre son postposto, fatto sta il voler di Idio. Et altro non accadendo humilmente baso li Sm̃i piedi a N. S. cum racomendarmi a V. S. Rev. Da Cracovia a di xv. di Febraro 1526.

Di V. Reverenda S.

Humilissimo Servitor
El Vescovo Scarense.

Litt. ad Nuntios Tom. XIV. fol. 71.

CCCCLXXII.

Visitantibus et adiuvantibus ecclesiam in Crasznysthau Chelmensis dioecesis iubilaeum conceditur.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoris aeterni vices licet immeriti gerentes in terris etc. Exponi nobis nuper fecerunt tam Venerabilis frater Iacobus Buczaczky Episcopus Chelmensis, quam dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis ecclesiae in Crasznysthau diocesis eiusdem Chelmensis, quod postquam alias ecclesia et sedes Cathedralis Chelmensis in civitate Chelmensi esse solita, ob assiduas Tartarorum et Turcarum incursiones ad dictam civitatem in Crasznysthau tanquam tutiorem translata fuerit, eadem ecclesia Cathedralis cum tota fere civitate Crasznysthau a tribus annis et ultra incendio consumpta fuit: Quare ipsi Episcopus et Capitulum pro debito eorum officii dictam ecclesiam Cathedralem in Crasznysthau reficere et restaurare cupientes, nec de suo valentes, et nichilominus saluti animarum tam suarum, quam Christifidelium civitatis et diocesis predictorum per nos consuli cupientes, pie desiderant, ut ipsi ac dictarum civitatis et diocesis Christifideles, qui tam ob defensionem suorum locorum adversus Christi hostium incursiones, quam etiam ob longinquitatem itineris, viarum discrimina, aliaque impedimenta, presertim pestis, quae proxima estate in alma Urbe nostra viguit, ad dictam Urbem pro consequenda indulgentia et peccatorum remissione preteriti anni Iubilei et gaudii se conferre non potuerunt, indulgentiae huiusmodi tam salutifero bono non careant.

Nos igitur etc. de omnipotentis Dei misericordia etc. eisdem Capitulo familiaribusque et attinentibus eorum, aliisque omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus etc. vere poenitentibus et contritis, qui praesenti anno per unum mensem a publicatione praesentium, et inibi per Episcopum et Capitulum praedictos facienda computandum, quatuor continuis vel interpollatis diebus devote per se, vel qui eorum impediti fuerint, etiam per alios Cathedralem ecclesiam in Craszysthau praedictam visitaverint, et apud illius altare maius quinquies orationem dominicam recitaverint, aliquidve ibi iuxta suas conscientias etc. pro reparatione Cathedralis eiusdem pie obtulerint, eandem plenariam indulgentiam etc. concedimus etc. quas consecuti fuissent, si durante dicto anno Iubilei ad almam Urbem se personaliter contulissent etc. Reliqua in forma ut supra in aliis pro diversis ecclesiis. Datum Romae etc. die XVII. Martii MDXXVI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XLVI. ep. 149. pag. 287.

CCCCLXXIII.

Albertus quondam hospitalis B. Mariae Theutonicorum magister archiepiscopum Strigoniensem de matrimonio, quod cum Dorothea natu maiore regis Daciae inivit, certiorem reddit.

S. P. D. Domine et amice vehementer amande. Omnibus offitiis plenas litteras dedit Rñda V. D. ad magnificum D. Christoferum de Schidlovitz capitaneum Cracoviensem ac regni Poloniae supremum cancellarium, quae perlectae ab illo et nobis transmissae fuerunt nobis pergratae: nam et declarabant animum Rm̃e D. V. erga nos pristinum, tantum monebant ignorare Rever. D. V. ipsum negotium, in quo peteretur offitium vestrum, quod paucis significamus. Sacra R. Maiestas debet nobis ex constituto salario aliquid pecuniae, cuius debiti commonefaciendi gratia et monuimus et monemus Rever. D. V: agat itaque hac in re dominum et amicum veterem, id quod et priora officia haud obscura et predictae litterae promittunt. Caeterum sciat Rever. D. V. Serenissimum Dacorum, Sclavorum, Gothorum regem [et] filiam suam natu maiorem, Illm̃am principem dominam Dorotheam, ex regali styrpe regni Dacie progenitam, ducem Sleswigensem Holstainensem, matrimonio nobis collocasse, quod foelix faustum precamur, et nobis et terris utriusque nostrum. Serm̃o domino regi et Serm̃ae dominae reginae Hungariae Bohemiaeque commendet me Rever. V. D., quam in Domino valere exoptamus. Datum ex Monte Regio die vicesima nona Martii Anno etc. vicesimo sexto.

ALBERTUS Dei gratia Marchio Brandiburgensis in Prussia, Stetiniae, Pomeraniae, Cassuborum ac Sclavorum Dux, Burggravius Nurimbergensis ac princeps Rugiae.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae. (Copia a cardinali L. Campegio pontifici transmissa.)

CCCCLXXIV.

Instructio data a rege Poloniae ep̃o Scarensi pro bene perficienda legatione sua in Moscovia, cum extra dioecesim suam commorari opporteret.

Instructio summaria data nomine Regis Poloniae Rñdo in Christo patri Domino Ioanni Francisco Ep̃o Scarensi, Nuncio Apostolico in Moscoviam.

Postquam placuit Sm̃o Dño mittere in Moscoviam vestram Paternitatem, et Maiestatem Regiam ad ineundam pacem cum illo Duce Sanctitas sua exhortatur, tametsi multae sint causae, et rationes Maiestatis suae, quae diversum suadent, cum experta sit Maiestas sua, fidem et iusiurandum parvi esse apud illum momenti: nollet tamen Maiestas sua in hac re, uti in omnibus aliis consuevit, et votis illius Sanctitatis et necessitati rei Christianae deesse.

Verum ante omnia vitandum est, ne quam Dux ipse occasionem capiat suspicandi hoc instinctu Maiestatis suae fieri, maxime cum ad Maiestatem suam Paternitas vestra una cum Nuntio ipsius descenderit, unde et dignitati Maiestatis suae nonnihil detraheretur, et Sanctissimus D. N. se suspectum apud illum reddere posset.

Et proinde ingenue illi referendum censet Maiestas sua, id quod res est, fuisse apud Maiestatem suam Paternitatem vestram, et de pace inter eum et illum nomine ipsius Sm̃i Dñi N. egisse, Maiestatem vero suam, tametsi gravissimis iniuriis ab ipso Duce affecta fuerit, ad postulata tamen illius Sanctitatis et causa rei Christianae pacem ipsam, quae digna esset et illi ferenda, non detractare.

De conditionibus vero pacis, licet Maiestas sua, mox post provectionem suam ad magnum Ducatum Lituaniae, inivérit perpetuam pacem cum ipso Duce, et illam literis et iuramento firmaverit,

quibus ille violatis bellum Maiestati suae intulit, et arcem eius Smolensko per proditionem occupavit, unde verisimile est, nullam cum eo pacem firmam et solidam fieri posse:

Tamen, cum ita res fert, ut ex ipso usu videatur reipublicae Christianae, contenta est Maiestas sua, et id agat P. V. ut ipsa pax perpetua, quam initio fecit cum illo Maiestas sua, reintegretur, et ad suas conditiones et modos priores reducatur, ut quodcumque post illius violationem utrinque est interceptum, restituatur, et in ea sententia P. V. perpetuo quoad pacem perpetuam ineundam persistat.

Si vero Dux ille arcem Smolensko exceperit et restituere illam noluerit, nec ab eo instituto ullis rationibus V. P. deduci poterit, et praesertim quod intercepta esset post pacem perpetuam, quam ipse violavit, non intelligit Maiestas sua, quibus aliis modis pax solida confici posset, maxime in modernis rei Christianae motibus, in quibus difficillimum esset de modis et conditionibus aliis utrinque tractare.

Et proinde, quod extremum est, agendum erit de indutiis his, quae inter Maiestatem suam et illum Ducem sunt in praesens longius producendae, etiam ad annos usque decem vel plures, ut interim res quae componi non possent, penderent ad tempus aliud: hoc enim Maiestati suae tollerabilius esset, quam arcem illam tam indigne occupatam conditionibus aliquibus pacis amittere, ut interim nuntiis inter Maiestatem suam et eundem Ducem communicantibus, et commertiis existentibus, melior occasio pacis conficiendae se offerret, et necessitas rei Christianae non impediretur.

Ad eas indutias producendas, si ille videbitur accedere velle, poterit V. P. pro Maiestate sua polliceri, quod eas quoque causa Sm̃i D. N. et rei Christianae sit susceptura, et ad eas firmandas oratores suos missura: nam ille haud dubie non tractaret et firmaret illas, nisi cum oratoribus Maiestatis suae, qui etiam ab illo iusiurandum acciperent, ut fieri est consuetum.

Datum in Arce Marienburgensi die decima Aprilis Anno Iesu Christi MDXXVI. Regni Maiestatis suae anno vigesimo.

Litt. ad Nuntios Tom. XIV. fol. 75.

CCCCLXXV.

De regis Poloniae responso circa Moscovitarum negotium, deque magistro olim Prussiae etc.

Rm̃o Dñ̃o meo Colm̃o D. Iacobo Sadoleto Episcopo Carpentoractensi S. D. N. Secretario.

Reverendo Monsignor mio.

Scripsi da Cracovia primo del giorno che giunsi, et dopo della partita mia di là verso Mariemburgo terra di Prussia, dove era gita la Maesta del Re per porre remedio a le insolentie de Gedanesi del tutto impazati nelle factione Lutherane, et per la longeza del camino non possi piu presto arrivare che alli XXVIII del passato che era il Mercordì Santo, et facendo instantia fui udito dalla Maesta del Re il giorno seguente, presentai il Breve et expusi quanto havea in commissione, che tutto fu a Sua Maesta et al Consiglio suo gratissimo, cum commendare summamente sopra il consiglio di N. S. nelle cose di Moscoviti come prudentissimo et pieno di pieta, et cum riferire a Sua Santita grazie immortali di la benivolentia et amore dimonstra verso Sua Maesta el suo Regno: ni altro allora mi fu risposto, per essere quelli giorni Sancti, et presertim per haver il dì seguente, che era el Venerì Sancto, Sua Maesta a communicare, et non voleva essere impedito da le sue devotione per negotio alcuno, cossi anche ha facto tutte queste feste.

El Mercorì de Pasca che forno li IV di questo, fui da Sua Maesta domandato, e presente el Consiglio me fe rispondere, che tutti li giorni passati erano state le cose da mi proposte bene examinate e discusse, e che piaceva molto a Sua Maesta chio andasse al mio viaggio, mi darebe salvo condutto e guida per tutto il suo Dominio, e che in servitio di N. S. era per fare maggior cosa di questa: del che ringratiai Sua Maesta cum quelle parole che convenevano.

Me fè subito chiamare da parte, e da Monsig. di Cracovia mi fe dire, che me serebe semelmente data la instructione chio cum molta instantia haveva chiesta, che continerebe il modo (che) debo tenere in tractar la pace, et explicarrebe la mente di Sua Maesta: di la quale cum questa mia do copia, a cio N. S. intenda tutto.

Et perche piu volte di cio el Duca è stato sollicitato, e mai sa possuto concluder nienti per non volere restituire Smolensko pertinente al Ducato di Lithuania, che tolse al Re, essendo tra loro

pace, non è dubio che di cio harrò difficolta grandissima, per non volere cum altra condizione il Re la pace che cum questa che li sia restituito Smolensko.

Scripsi anchora, che diece dì avanti gionsesse in Cracovia erano passati li oratori di Cesare, vanno pur in Moscovia, un di loro è il Conte Leonardo Nogarola, certo non ingrato al Re e al suo Conseglio, l'altro è Todesco del Conseglio Prencepe, segondo ho inteso, chiamasi Sigismundo de Herbenstayn, non è tanto grato a questi signori come l'altro per esser tenuto homo Lutherano, Dio voglia non me siano impedimento in ogni cosa, dicono vanno per tractare anchor loro la pace tra il Re el Duca in nome di Cesare.

Qui è comparso il Vescovo Pomezaniense, mandato dal Duca di Prussia, gia Magestro di quell'ordine, et in Concilio presente la Maesta del Re se lamentò, che sua Maesta havea carcerato due Predicatori Monachi apostati che havevano infecti di l'eresia Lutherana tutto Maricmburgo deputati per lui. Sua Maestà li fe rispondere, che fece quello pertineva a Christiano Prencepe, e lui non haveva cagione di querelarsi che fusse impedito da la sua iurisdictione, per esser solo dal dicto Duca nominato Vescovo, e non confirmato dalla Sede Apostolica: rispose cum molta insolentia, che non trovava nella Scriptura Divina, che li Vescovi debbano esser confirmati per la Sede Apostolica, ma che quamprimum uno fusse electo in sua Diocesi era Papa, e che queste eran humane ceremonie, cum le quali non voleva haver cosa alchuna comune, e voleva remanere in la sua vocatione, e altre cose simile piena di molta insolentia. Sua Maesta iterum li fe finalmente rispondere, che queste cose erano tutte frustratorie cum lui, che era in cio impersuasibile, ni per questa si moverebe un pelo, ni dal rito antiguo, ni dal suo proposito ch'era chel ditto Vescovo non administrasse nelle terre subdite a Sua Maesta: cum questo si partì poco contento.

Questo Vescovo ha parte della sua Diocesi nel dominio del Re, ma la nominatione pertiene al detto Duca di Prussia, olim Magestro, il quale per voce comune in queste parte è Lutheranissimo, e parlando percio meco Monsig. di Cracovia, dice el Re esser di parere che N. S. cometta la administratione di quella parte di la Diocesi nel Dominio di Sua Maesta ad alchuno Vescovo vicino Catholico, a cio ni lui ni li suo Predicatori pervertan queste parte, il che Sua Maesta harreve molto molesto quando seguisse, che solo per porre remedio a cio è venuto in queste parte: credo Sua Maesta di questo scriva a N. S.

Mandò Sua Maesta il Lunedì di Pasca il Palatino di Cracovia e altri Sigg. in Gedano cum grande Cavalcata, me dicono erano Cavalli 600: parte di quì Sua Maesta passando dimani per Gedano, parto anchora io al mio viagio per Vilna, rincresceme non possa esser li, per intendere ec. videre questi progressi, dopo che non possi esser presente alle incptie di quel Vescovo, che subito dopo il facto partì insalutato hospite, ma di cio questi Sigg. m'han facto la excusa, che non credano prorumpesse in tanta pervicacia et insolentia, per questo non fui chiamato. Non ho voluto fare instantia al Re de le cose di Gedano, per non mostrarme curioso, et impacciarme di quello che non ho commissione, et anche per non perdere piu tempo in andare deviando, che pur troppo n'ho perso.

Ho facto instantia cum Sua Maesta delle cose di Svecia, segondo la commissione di N. S. per el Breve, me risponde non havere cosa niuna comune col Re di Svecia, benche dieci anni avanti ditto Re circasse haver cum Sua Maesta amicicia perpetua, cum certi pacti e conditione allora expressi, li fu risposo che non posseva cio fare senza li suo Consiliarii, ma che aspectasse a la Dieta futura, li suo Nuntii andorno via, ni altro dopo è stato rechiesto, puro me dice Monsig. di Cracovia, che Sua Maesta farrà l'offitio quando serrà in Gedano, sì di admonirlo, non voglia accostarsi a la impieta di Luthero, come di la mi chiesa, segondo N. S. mi comanda, e di cio lasso a Sua Maesta ricordo.

L'Archiepiscopo Rigense in Livonia è stato spogliato da li propri subditi di ogni Dominio, dimodoche non li è rimasto si non una sola Roccha dove se tiene, cum dire che voleva dare tutte quelle terre al Duca di Moscovia, il che questi Sigg. extimano vanita, ma perche quelli populi son tutti Lutherani, han trovato questa inventione per conseguire il proprio intento, altri dicono esser farina et haver origine dal Duca di Prussia che aspira a quel Dominio.

L'Archiepiscopo non sapendo altro fare ha scripto al Re chiedendo aiuto. Diceme Monsig. di Cracovia, che quando Sua Maesta harrà reassestate li tumulti Gedanesi, e castigati molto bene li Lutherani, per ogni modo vole aiutarlo. Al che io anchora ho facto qualche opra, videndo la indignita patisce il povero Archiepiscopo.

Altro Monsig. mio non ho, si non che quanto posso mi raccomando a V. S. Revma, voglia per sua humanita tener memoria di mi, et raccomandarme a N. S. li cui sanctmi Piedi baso cum ogni humilta, che per sua clementia me dia pane da mangiare, che al mancho dopo tante fatiche habbia tanto possa nutrire la mia vechiezza gia consumpta ne li servitii di la Sede Apostolica, il che Sua Santita piu volte mi promese primo partisse, etiam presente V. Rma S. Et certo durissima cosa mi pare, solo a pensarce, che in xii (anni) che servo, non habia anchora meritato il pane, et sia cum questa continua anxietà di non posser vivere senza rincrescere hora questo, hora quello, puro spero nella clementia di N. S. et humanita di V. Revma S. harrò al mio ritorno dove reclinare il capo.

Cum questa mando copia di la citatione del Re contra Gedanesi, benche pensi primo che mo esser stata mandata in Roma, et cum raccomandarme di novo a V. S. Revma fo fine. Da Mariemburgo a di xi d'Aprile 1526.

Di V. S. Reverendissima

Humilissimo servitor

El Vescovo Scarense.

Litt. ad Nuntios Tom. XIV. fol. 77.

CCCCLXXVI.

Regi Poloniae declaratio super Leonis X. privilegio de conferendis beneficiis datur.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum pontificum circa illa attendere, per que litium anfractibus obvietur, et dubia, que in dispensandis apostolicis gratiis suboriuntur, sue declarationis adminiculo sopiantur. Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem PP. X. predecessorem nostrum accepto, quod licet tam diverse alternativarum littere diversis ordinariis collatoribus regni Polonie ab apostolica sede concesse fuissent, ipseque predecessor per diversas constitutiones suas prelatis et aliis personis ecclesiasticis, ad quas dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio pertinebat, ut de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et prebendis, necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et regularibus ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem, que in etiam tunc expressis mensibus vacare contingeret, ac si a sede predicta vel eius legatis expectative gratie aut super illis reservationes non emanassent, ordinaria auctoritate libere disponere possent, concesserat, ac extunc irritum et inane declaraverat, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari; nichilominus nonnulli speciales reservationes, expectativas et alias gratias cum derogatione et suspensione litterarum alternativarum et constitutionum predictarum eatenus extorserant, et in dies extorquebant, quo fiebat, ut ordinarii collatores regni huiusmodi, qui reipublice ipsius regni consiliarii existebant, et diversa onera sustinebant, quominus eorum ordinaria auctoritate super his uti, et iuxta alternativas et constitutiones predictas de beneficiis ad eorum dispositionem pertinentibus personis idoneis et benemeritis providere possent, impediebantur, in eorum et reipublice regni huiusmodi preiudicium et detrimentum non modicum: dictus predecessor motu proprio et ex certa scientia, consideratione etiam carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie regis illustris eidem predecessori super eo humiliter supplicantis, tam in Lateranensi Concilio novissime celebrato, quam alias quascunque constitutiones in favorem ordinariorum collatorum editas cum irritantibus et aliis in eis contentis decretis et clausulis innovando, per suas litteras perpetuo statuit et ordinavit ac decrevit, quod nulla beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, secularia vel regularia, cuiuscunque qualitatis forent, in dicto regno consistentia, in mensibus ordinariis collatoribus per litteras alternativas aut constitutiones predictas concessis pro tempore vacantia, sub quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus, unionibus, expectativis et aliis gratiis, mandatis et indultis quocumque nomine censerentur, quoscumque etiam derogatoriarum derogatorias ac alternativis et constitutionibus predictis, necnon Leonis litteris huiusmodi expresse derogantes, clausulas continentibus, etiam sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus ac suis pro tempore existentibus, Romani pontificis etiam antiquis pro tempore descriptis, familiaribus continuis commensalibus, et aliis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus per predecessorem vel sedem predictos pro tempore concessis et concedendis, minime comprehenderentur, nec comprehendi, aut illa minime acceptari possent seu deberent, sed dicti ordinarii collatores de illis, dummodo dispensationi apostolice generaliter reservata seu affecta non existerent, iuxta facultatem eis per alternativas

et concessiones predictas concessam ordinaria eorum auctoritate disponere possent, perinde ac si reservationes, uniones, expectative et alie gratie ac mandata et indulta cum huiusmodi derogationibus nullatenus emanassent, aut imposterum emanarent, decernens alternativas et constitutiones predictas in dicto regno perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, ac illarum derogationes et suspensiones etiam in favorem quarumcunque personarum, etiam ut prefertur, qualificatarum pro tempore factas, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore, et nemini in dicto regno suffragari, ac litteris predecessoris huiusmodi per quascunque litteras apostolicas, etiam quasvis alias generales, etiam derogatoriarum derogatorias efficatiores et insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacunque verborum expressione in se continentia nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi tenor earundem litterarum de verbo ad verbum et nichil omisso insertus, ac huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eundem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus ordinariis regni huiusmodi legittime intimata et insinuata foret, aliter factas derogationes nemini suffragari, sicque per quoscunque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores et cardinales, in quibusvis causis et instantiis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, nonnulle reservationes speciales, uniones et alie gratie preventive, etiam quascunque constitutiones, litteras alternativas ac privilegia et indulta ordinariis collatoribus quomodocunque concessas et concessa suspendentes seu illis derogantes, a prefato Leone, etiam postmodum ad vacatura beneficia concessa appareant, et a nonnullis pretendi posset, speciales reservationes, uniones et alias gratias huiusmodi propter efficaces clausulas in illis appositas litteris et alternativis regni Polonie huiusmodi preiudicatum fuisse, et illas alteratas censeri, ac illas ordinariis collatoribus regni predicti in sex mensibus alternatis non suffragari, ac de et super premissis lites et questiones oriri possent, et forsan iam exorte sint: Nos, ut littere et alternative predicte quoad hoc illese permaneant, et cuilibet desuper contendendi tollatur occasio, providere volentes, motu simili et ex certa scientia, ac de apostolice potestatis plenitudine auctoritate apostolica tenore presentium decernimus et declaramus, per quascunque reservationes speciales vel generales, etiam mentales, uniones etiam perpetuas et alias gratias preventivas, que postmodum a dicto Leone predecessore, aut etiam Sede apostolica in genere vel in specie, etiam ex quibusvis causis et quibusvis personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, et alias cuiuscunque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam regia contemplatione, etiam motu et scientia similibus ac potestatis plenitudine, etiam cum suspensiouibus quarumcunque constitutionum, litterarum alteruativarum, facultatum, privilegiorum et indultorum ordinariis collatoribus quomodocunque, etiam quibusvis efficacissimis et insolitis, etiam derogatoriis clausulis, irritantibusque et aliis decretis concessorum, ac cum quibusvis derogationibus, restitutionibus, decretis et clausulis quomodolibet, etiam per quascunque litteras sub quibuscuuque tenoribus et formis ac datis pro tempore concessas, litteris Leonis predecessoris et alternativis ordiuariis regni Polonie huiusmodi concessis nullateuus derogatum aut in aliquo preiudicatum, seu illas suspensas vel alteratas fuisse vel esse, neque preiudicari, suspendi aut alterari potuisse vel posse, sed semper illis non obstantibus plenum robur quoad omnia obtinuisse et obtinere, ac illarum vigore ipsos ordinarios collatores beneficia in sex alternatis mensibus pro tempore vacantia conferre, et de illis disponere libere et licite potuisse ac posse, et collationes per eos alias rite factas validas fuisse et esse, ac quibusvis sublatis obstaculis suum plenarium effectum potuisse et debuisse, ac posse et debere sortiri, ipsasque reservationes, uniones et gratias in dictis sex alteruatis mensibus locum sibi vendicare non potuisse, nec posse neque debere, et illarum pretextu collationes, provisiones et alias dispositiones de beneficiis in sex alternatis mensibus pro tempore factas nullas et invalidas fuisse et esse, nec ex illis ius aliquod in ipsis beneficiis seu ad illa quovismodo acquiri potuisse vel posse, neque quesitum fuisse aut competiisse vel competere, sicque per presentes litteras sublatum non fuisse, nec tolli aut auferri potuisse seu posse, ac constitutionem nostram de non tollendo cuique iure quesito adversus presentes locum non habuisse nec habere, sicque in premissis omnibus per quoscunque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores et sacrosancte Romane ecclesie Cardinales, in quibusvis causis et instantiis etiam ulterioris appellationis forsau pendentibus, quarum tenorem, status et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina presentibus haberi volumus pro expressis, iudicari, sententiari

et diffiniri, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus premissis ac nostra de non tollendo iure quesito huiusmodi, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac reservationibus, unionibus et aliis gratiis predictis, necnon omnibus illis, que prefatus Leo predecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die ultima Maii MDXXVI. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Vol. LV. fol. 166.

CCCCLXXVII.

Rex Poloniae pontificem exorat, ut constitutionem Leonis X. de decimis novalibus a plebanis ecclesiarum episcopis solvendis in suo vigore conservet.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi septimo divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Fuit dudum controversia inter Ordinarios et plebanos Regni mei super decimis novalibus: quam quidem controversiam predecessor Sanctitatis vestre divus Leo pontifex discussit, et bullam ipsis Ordinariis concessit: qua non obstante quidam plebanus Rev. dñum Episcopum Plocensem ratione talium decimarum impetit. Quia vero Episcopi regni mei sustinent magnum pondus reipublice et in tuendo statu suo ecclesiastico, Plebani autem cum opulentiores sint, neque resident circa parrochiales suas, neque etiam aliqua gravia onera publica ferunt, ut ferunt Episcopi: supplico vestre Sanctitati, ut eam ipsam bullam in suo vigore conservare, et tam huic plebano quam aliis in posterum Episcopos suos de huiusmodi decimis impediendi viam omnem precludere dignetur. Faciet vestra Sanctitas rem sua prudencia et benignitate dignam et michi gratissimam: cui me iterum humiliter commendo. Datum Warschovie die secunda mensis Septembris Anno domini MDXXVI. Regno vero nostri XX.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXXVIII.

Rex Poloniae pontifici, ut archiepiscopo Rigensi fidem adhibeat.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et Domino, Domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et Domine, Domine Clementissime. Post mei Regnique et dominiorum meorum humilem commendationem et pedum oscula beatorum. Cum hac iter faceret ad V. Sanctitatem Rm̃us Dñs Archiepiscopus Rigensis, rogavi eius Paternitatem, ut nomine meo et referret vestre Sanctitati, quae his regionibus durissima incumbunt, et quedam etiam ab illa verbis meis postularet. Itaque supplico V. Sanctitati, ut fidem illi adhibere et rationibus horum temporum sese accommodare, ac postulatis meis benigne annuere dignetur, quod erga V. Sanctitatem omni mea observantia semper demereri curabo. Cui me Regnumque et dominia mea etiam atque etiam humiliter commendo, et quam dominus Deus quam diutissime servet sospitem ac foelicem. Datum Warschovie die nona Septembris Anno Domini MDXXVI. Regni mei vigesimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obedientissimus filius
SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCLXXIX.

Iubilaeum visitantibus ecclesiam parochialem in Zarady et sanctae Dorotheae Posnaniensis dioec. conceditur.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoris eterni vices, licet imparibus meritis, gerentes in terris, et gregem Dominicum nobis commissum paterne considerationis et caritatis intuitu conspicientes, pro animarum singulorum fidelium populorum salute sollicite cogitamus, et illorum

periculis occurrimus, ut tenemur, eosque indulgentiarum favoribus prosequimur, et remissionum peccatorum gratiis confovemus. Exponi nobis fecit dilectus filius Nicolaus Wolski Castellanus districtus Warschoviensis, Capitaneus Savocensis, ac feudatarius tenutarius nuncupatus oppidi Lanzkorona Cracoviensis dioecesis, Carissimaeque in Christo filiae nostrae Bonae Poloniae Reginae Illustris curiae Magister, quod ipse, qui zelo devotionis et divini honoris studio accensus parrocchialem in Zarady et sanctae Dorotheae Poznaniensis dioecesis, in qua ipsius Nicolai parentes requiescunt, vetustate collapsam, de suis bonis propriis restaurare et reaedificare intendit, ut eadem ecclesia ad Dei laudem, Missarum et aliorum divinorum officiorum in ea celebrationem, sacramentorumque ecclesiasticorum exhibitionem celeriorem et commodiorem citius et sumptuosius perficiatur, ac tam sua suorumque coniugis, liberorum, familiarium et attinentium, quam universorum villae et districtus praedictorum aliorumque Christifidelium illarum partium, qui a vicinis Scismaticis, praesertim Tartaris et aliis Christi nominis inimicis incursiones, damna et pericula assidua sustinent, animarum salus procuretur, pie ac valde desiderat, ut ipse suique coniux, liberi, familiares et attinentes, et alii Christifideles villae, districtus et partium illarum, qui ob longinquitatem itineris, viarum discrimina aliaque impedimenta, praesertim pestis, quae proxima aestate in alma Urbe nostra viguit, ad dictam Urbem pro consequenda indulgentia et peccatorum remissione praeteriti anni Iubilei et gaudii se conferre non potuerunt, indulgentiae huiusmodi tam salutifero bono non careant, sed confessione et poenitentiis praeviis ac caritativis eorum elemosinis mediantibus hanc divini muneris gratiam, quae a sancta Romana ecclesia de misericordiae coelestis thesauro vigesimoquinto quoque anno dumtaxat concedi consuevit, pie consequantur. Nos igitur, qui ex debito pastoralis officii nihil magis, quam animarum salutem et divinum cultum affectamus, ut Christifidelium eorumdem animarum saluti et dictae parrochialis ecclesiae perfectioni salubrius consulatur, piis eiusdem Nicolai precibus super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, eisdem Nicolao et coniugi, liberis, familiaribus et attinentibus eius, aliisque omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, secularibus, ecclesiasticis et religiosis personis tam villae et districtus praedictorum, sive oriundi sive habitatores fuerint, quam undecunque confluentibus, vere poenitentibus, confessis et contritis, qui praesenti anno in Nativitate sancti Iohannis Baptistae et sanctae Hedvigis ac translationis sancti Adalberti festivitatibus et diebus, seu aliquo eorum a primis vesperis dierum praecedentium dictas festivitates usque ad occasum solis ipsarum festivitatum inclusive devote per se, vel qui eorum impediti fuerint, etiam per alios ecclesiam fratrum Minorum ordinis sancti Francisci de observantia extra muros oppidi Warschoviensis dictae Poznaniensis dioecesis sitam visitaverint, et apud altare maius eiusdem quinquies orationem dominicam et totiens salutationem Angelicam genibus flexis recitaverint, aliquidve ibi iuxta suas conscientias et voluntates pro restauratione et perfectione dictae parrocchialis ecclesiae in Zarady pie obtulerint, eamdem plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem concedimus, easque consequi volumus, quas consecuti fuissent, si durante dicto anno Iubilei ad almam Urbem se personaliter contulissent, et ecclesias ac basilicas intra et extra muros eius pro consequendis Iubilei indulgentiis per nos tunc deputatas visitassent. Et ut Christifideles ipsi ad consequendam indulgentiam huiusmodi aptiores reddantur, Venerabili fratri nostro Episcopo Poznaniensi loci Ordinario, et dilecto filio eius Officiali foraneo in dicto oppido Warschoviensi commoranti, tot quot sibi necessarii videbuntur, idoneos et sufficientes sacerdotes tam seculares, quam cuiusvis etiam mendicantium ordinis regulares in dicta parrochiali ecclesia deputandi, qui personas ipsas eamdem ecclesiam visitantes, earumque confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis criminibus et delictis, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam sedi apostolicae reservatis, conspirationis tamen in personam ac statum Romani pontificis, falsificationis litterarum et supplicationum Apostolicarum, delationis armorum ac prohibitorum ad partes Infidelium, ac manuum violentarum in praelatos vel alios superiores eorum ecclesiasticos iniectionis casibus dumtaxat exceptis, absolvere, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, ac vota quaecumque, visitationis tamen sepulchri dominici, liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ac sancti Iacobi in Compostella, et beatae Mariae de Laureto, necnon religionis et castitatis votis etiam dumtaxat exceptis, in pias inibi elemosinas commutare valeant, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenere praesentium concedimus et indulgemus, Praesentibus hac vice dumtaxat valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xvi. Ianuarii mdxxvii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Brev. Tom. XLVII. ep. 991. pag. 1525.

CCCCLXXX.

Episcopo Premisliensi conceditur, ut canonicatum et praebendam et praeposituram Cracovienses, quoad vixerit, retinere possit.

Venerabili fratri Andreae Episcopo Premisliensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Meritis tuae devotionis inducimur, ut personam tuam nobis et apostolicae sedi devotam specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem cum felicis recordationis Adrianus Papa VI. praedecessor noster, ecclesiae Premisliensi tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona tua de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio per quasdam providisset, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, dictus praedecessor tecum, ut etiam postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae, ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fores, ac munus consecrationis suscepisses, inter alia Canonicatum et praebendam Cracovienses, necnon quae inibi dignitas principalis, et de iure patronatus Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis Illustris etiam tunc existebat, Praeposituram ecclesiae sancti Floriani prope et extra muros Cracovienses, quos tempore provisionis et praefectionis praedictarum obtinebas, etiam si ad dictam Praeposituram consuevisset quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum, ut prius, quoad viveres, etiam una cum dicta ecclesia Premisliensi, quam diu illi praeesses, retinere valeres, motu proprio per alias suas litteras dispensavit, decernens Canonicatum et praebendam ac Praeposituram praedictos propterea non vacare, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes tibi, qui, ut asseris, Canonicatum et praebendam ac Praeposituram praedictos adhuc ex huiusmodi dispensatione obtines, ut statum tuum decentius tenere valeas, de uberioris subventionis auxilio providere, teque amplioris gratiae favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, consideratione etiam eiusdem Sigismundi Regis nobis super hoc humiliter supplicantis, dispensationem, ac cum decreti necnon omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras praedictas, ad hoc ut tu Canonicatum et praebendam ac Praeposituram praedictos, etiam una cum quacunque alia cathedrali ecclesia, ad quam te transferri, et cui in episcopum praefici ac praeesse contigerit, similiter, ut prius, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, generalis Concilii et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Cracoviensis et Premisliensis ecclesiarum praedictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et ampliamus. Datum Romae. etc. die II. Februarii MDXXVII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XLVII. ep. 20. pag. 33.

CCCCLXXXI.

Fratribus et sororibus ord. S. Dominici in Polonia conceditur, ut officium etc. B. Iacinthi singulis annis celebrare possint.

Dilectis filiis Prioribus et fratribus domus S. Dominici Cracoviensis ordinis Praedicatorum.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod alias felicis recordationis Leo Papa X. praedecessor noster ad instantissimas preces Charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis Illustris certis episcopis tunc expressis, ut ad generalem inquisitionem vitae sanctitatis et miraculorum beati Iacinthi fratris ordinis vestri ac socii sancti Dominici olim institutoris dicti ordinis procederent, mandavit, ipseque processus per unum ex fratribus domus vestrae clausus et sigillis obsignatus nobis nuper praesentatus, illiusque examinatio tribus, duobus Rev. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ac Rotae auditoribus per nos commissa fuit. Et licet ipse Iacinthus, dum in humanis egit, ac tempore, quo creatori suo spiritum reddidit, ac postea quam vita functus fuit, plurimis miraculis .... ac propterea magna Christifidelium istius regni multitudo ad ecclesiam vestram, in qua ipsius beati corpus requiescit, assidue confluant, pluresque eiusdem beati intercessione preces suas, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant, ipsumque pro beato teneant et venerentur; quia tamen in cathalogo sanctorum annumeratus non est, dubitat, an sibi facere liceat: quare venerabilis frater noster Laurentius episcopus Praenestinus cardinalis Sanctorum Quatuor nuncupatus, dicti regni protector, tam praefati Sigismundi Regis quam vestro nomine nobis humiliter supplicavit, ut pro aeterni regis laude et gloria ac ipsius beati reverentia et honore, necnon ecclesiae

decore ac catholicae religionis splendore, populique devotione et salute vobis singulis annis, etiam priusquam ad illius canonizationem processum fuerit, festum et officium eiusdem Iacinthi de uno confessore cum oratione unius confessoris sub nomine beati Iacinthi in ecclesiis, et domibus vestri ordinis dicti regni ac provinciae celebrandi, et celebrari faciendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fideles quoslibet ad sanctorum Dei venerationem et iugem erga eos devotionem, ut ei a quo omne datum optimum et omne donum perfectum procedit, placere studeant, prout possumus, libenter excitamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et aliis aliarum domorum, necnon monasteriorum monialium seu sororum vestri ordinis in dicto regno et provincia consistentium fratribus ac monialibus seu sororibus, ut de caetero perpetuis temporibus in ecclesiis domorum et monasteriorum vestri ordinis huiusmodi officium, et missas in memoriam eiusdem Iacinthi de uno confessore, sub nomine beati Iacinthi, annis singulis altera die post festum assumptionis beatae Virginis immediate sequenti celebrare eiusque imaginem depingi facere, in ecclesiis domorum et monasteriorum dicti regni et provinciae depictam tenere libere et licite valeatis, ordinariorum locorum et cuiusvis licentia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod propter praemissa dictus beatus Iacinthus canonizatus et cathalogo praedicto sanctorum ascriptus non censeatur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die II. Februarii MDXXVII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. LVI. fol. 59.

CCCCLXXXII.

Andreas episcopus a Premisliensi ad Plocensem ecclesiam transfertur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Andree Plocensi nuper Premisliensi Episcopo, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat diutina ecclesiarum vacatio, solicite considerationis iudicio perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis per nostre providentie auxilium nunc per simplicis provisionis offitium, nunc vero per translationis ministerium accommode pastores accedant idonei, et ministri providi deputentur, quorum ecclesie ipse fulcite presidiis, et favoribus communite votivis et prosperis, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Raphaele Episcopo Plocensi regimini ecclesie Plocensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni apostolice duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia Plocensi per obitum eiusdem Raphaelis Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem ipsius ecclesie Plocensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Plocensis longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Premisliensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus illarum largitor altissimus personam tuam multipliciter insignivit, et quod tu, qui ecclesie Premisliensi hactenus laudabiliter prefuisti, ecclesiam ipsam Plocensem scies et poteris, auctore domino, salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam eidem ecclesie Plocensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te, licet absentem, ab vinculo, quo eidem ecclesie Premisliensi, cui tunc preeras, tenebaris, de apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam ecclesiam Plocensem de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Plocensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad dictam ecclesiam Plocensem transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod gratia domini tibi assistente propitia, prefata ecclesia Plocensis sub tuo felici regimine felicibus gratulabitur honoribus, ac votiva in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Plocensis te in aliquo immisceas, in manibus Venerabilium fratrum nostro-

rum Archiepiscopi Gneznensis et Episcopi Cracoviensis, seu alterius eorum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam presentibus annotatam, quibus et eorum cuilibet tenore presentium committimus et mandamus, ut ipsi vel alter eorum a te nostro et Romane ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Plocensem cum gratia nostre benedictionis accedens, illius curam et administrationem predictas sic gerere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod bone fame tue odor exinde latius diffundatur, et ecclesia ipsa Plocensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde valeas uberius promereri; necnon dilectis filiis Capitulo et Vassallis dicte ecclesie Plocensis, ac Clero et populo Civitatis et diocesis Plocensis, ut Capitulum tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas ac devotas, ac Clerus te pro nostra et dicte sedis reverentia recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te patrem benivolum invenisse gaudeatis; Vassalli autem prefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam et gratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Gneznensem prefatum, sibi per apostolica scripta mandantes, quatenus te et prefatam ecclesiam Plocensem ipsius Archiepiscopi suffraganeam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, ita vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu eius suffultus presidio in commisso tibi cure pastoralis officio possis, deo propitio, prosperari, ipseque Archiepiscopus proinde divinam misericordiam, ac nostram et prefate sedis benedictionem et gratiam valeat exinde uberius promereri.

Forma autem iuramenti per te prestandi, quam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quamtocius destinare procures, talis est. Ego Andreas Plocensis, nuper Premisliensis, Episcopus ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro, sancteque apostolice Romane ecclesie, ac domino nostro domino Clementi pape VII. suisque successoribus canonice intrantibus: non ero in consilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, seu iniurie alique inferantur quovis quesito colore; consilium vero quod michi credituri sunt, ad eorum dampnum, me sciente, nemini pandam; papatum Romanum et Regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem; legatum apostolice sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo: iura, honores, privilegia et auctoritatem Romane ecclesie, domini nostri pape et successorum predictorum conservare, augere et promovere curabo: nec ero in consilio vel facto seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel preiuditialia personarum, iuris, honoris, status vel potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscunque tractari novero vel procurari, impediam hoc pro posse, et quantocius potero commode, significabo eidem domino nostro vel alteri, per quem ad ipsius notitiam devenire possit: regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, provisiones, reservationes et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari: hereticos, scismaticos et rebelles domino nostro et successoribus predictis pro posse persequar et impugnabo: limina apostolorum, Romana Curia citra, singulis annis, ultra vero montes existente, singulis bienniis per me aut per meum nuntium visitabo, nisi apostolica absolvar licentia: vocatus ad sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione: possessiones vero ad mensam meam Plocensem pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli dicte Plocensis ecclesie, inconsulto Romano pontifice. Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia.

Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo vigesimo septimo, tertio Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. CC. Secret. fol. 113.

CCCCLXXXIII.

Ioannes Carnkowsky ecclesiae Premisliensi in episcopum praeficitur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Carnkowsky Electo Premisliensi, salutem etc. Apostolatus offitium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, solliciti corde reddimur et sollertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure creditum scirent non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias velint et valeant, duce domino, regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Premisliensi ex eo, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Andream Plocensem, nuper Premisliensem, Episcopum ab vinculo, quo eidem ecclesie Premisliensi, cui tunc preerat, tenebatur, de apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum de fratrum nostrorum consilio ad ecclesiam Plocensem tunc certo modo vacantem apostolica auctoritate transferendum duximus, preficiendo ipsum eidem Plocensi ecclesie in Episcopum et pastorem, pastoris regimine destituita, Nos ad provisionem eiusdem ecclesie Premisliensis celerem et felicem, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Premisliensi personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum ecclesie Gneznensis, charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie Regis Illustris Secretarium, cui apud nos de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque probitatis et virtutum multiplicium donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Premisliensi de simili consilio eadem apostolica auctoritate providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Premisliensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos, ecclesia ipsa Premisliensis per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem ipsius ecclesie Premisliensis sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa Premisliensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo et Vassallis dicte ecclesie Premisliensis, ac Clero et populo civitatis et diocesis Premisliensis (mandamus), ut Capitulum tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas; ac Clerus te pro nostra et dicte sedis reverentia benigne recipientes ac honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te patrem benivolum invenisse gaudeatis; Vassalli autem prefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam et gratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: rogamusque Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Gneznensem, cui prefata ecclesia Premisliensis metropolitico iure subesse dinoscitur, ei per apostolica scripta mandantes, quatenus te et prefatam ecclesiam Premisliensem suffraganeam suam habens pro nostra et prefate sedis reverentia propensius commendatos, ita vos benigni favoris auxilio prosequatur, quo tu illius fultus presidio, in commisso tibi ipsius cure pastoralis officio possis, deo propitio, prosperari, ipseque Archiepiscopus proinde divinam misericordiam et prefate sedis benedictionem et gratiam valeat exinde uberius promereri. Et insuper ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem dicte sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere, ac eidem antistiti munus predictum, recepto prius a te nostro et Romane ecclesie nomine

fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, auctoritate apostolica impendere libere tibi possit, dummodo propter hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo prefato nullum imposterum preiudicium generetur, plenam et liberam concedimus presentium tenore facultatem. Volumus autem, ac statuimus et auctoritate predicta decernimus, quod si non prestito per te prefato iuramento, idem antistes munus ipsum tibi impendere, et tu suscipere presumpseritis, dictus antistes pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam tu ab administratione tam spiritualium, quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Forma autem iuramenti per te prestandi, quam nobis de verbo vel verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quamcicius destinare procures, talis est. Ego Iohannes Episcopus Premisliensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro etc. ut supra pag. 450. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo vigesimo septimo, tertio Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. CC. fol. 110.

CCCCLXXXIV.

Sigismundo Poloniae regi, ut Ioannem Carnkowsky electum Premisliensem commendatum habeat.

Clemens episcopus servus servorum dei, Charissimo in Christo filio Sigismundo Polonie Regi Illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ecclesie Premisliensi, tunc certo modo pastoris solatio destitute, de persona dilecti filii Iohannis Carnkowsky Electi Premisliensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur, fili carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, et eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, Maiestatem tuam regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Iohannem Electum, et prefatam ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod ipse Iohannes Electus tue Celsitudinis fultus presidio, in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo vigesimo septimo, tertio Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. Tom. CC. fol. 113.

CCCCLXXXV.

Ioanni electo Premisliensi indulgetur, ut quaedam beneficia retinere possit.

Clemens episcopus servus servorum dei, Dilecto filio Iohanni Electo Premisliensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque hodie ecclesie Premisliensi, ex eo quod nos etiam hodie Ven. fratrem nostrum Andream Plocensem, nuper Premisliensem, Epum a vinculo, quo eidem ecclesie Premisliensi, cui tunc preerat, tenebatur, de apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum de fratrum nostrorum consilio ad ecclesiam Plocensem, tunc certo modo vacantem, apostolica auctoritate duximus transferendum, preficiendo ipsum eidem Plocensi ecclesie in Epum et pastorem, pastoris regimine destitute, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de simili consilio auctoritate predicta providerimus, teque illi in Epum prefecerimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Et sicut accepimus, tu tempore provisionis et prefectionis predictarum maioris Cracoviensis, que inibi non tamen maior post pontificalem, ac que inibi principalis dignitates existunt Scarbimiriensis Cracoviensis Preposituras, ac que forsan etiam dignitas seu officium inibi existit, Scolastriam Sandomiriensis Cracoviensis diocesis, nec non Gneznensis et sancti Georgii in arce Cracoviensi ecclesiarum Canonicatus et prebendas, qui de iure patronatus Charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie Regis Illustris forsan ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existunt, obtineres, prout obtines,

nos tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis exigentiam dignitatis decencius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, ac premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius per te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum, ut etiam postquam in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis ac bonorum ipsius ecclesie Premisliensis, seu maioris partis eorundem assecutus fueris, et munus consecrationis susceperis, Preposituras et Scolastriam, nec non Canonicatus et prebendas predictas, quorum insimul fructus, redditus et proventus tricentorum et sexaginta novem ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, etiam si Prepositurís et Scholastrie huiusmodi cura immineat animarum, et quorum veriores qualitates, sique sint, presentibus pro expressis haberi volumus, ut prius etiam una cum dicta ecclesia Premisliensi, quandiu illi prefueris, retinere libere et licite valeas, generalis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Premisliensis, Cracoviensis, Ṣcarbimiriensis, Sandomiriensis, Gneznensis et sancti Georgii ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica prefata tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, decernentes Preposituras ac Scholastriam, nec non Canonicatus et prebendas predictos propterea non vacare, irritum quoque et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; proviso quod Prepositure ac Scolastria, nec non Canonicatus et prebende predicti debitis propterea non fraudentur obsequiis, animarum cura in Prepositurís ac Scolastria, siqua illis immineat, nullatenus negligatur, ac Canonicatuum et prebendarum huiusmodi congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, dispensationis, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo vigesimo septimo, tertio Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. CC. Secret. fol. 222.

CCCCLXXXVI.

Ioanni electo Premisliensi bulla confirmationis renovatur et mittitur.

Dilecto filio Ioanni Electo Premisliensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Nuper ecclesia Premisliensi ex eo, quod Venerabilem fratrem Andream Episcopum Plocensem, tunc Premisliensem, a regimine ecclesiae Premisliensis, cui tunc praeerat, de apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad ecclesiam Plocensem, tunc certo modo vacantem, de fratrum nostrorum consilio transtulimus, per translationem huiusmodi vacante, nos eidem ecclesiae Premisliensi sic vacanti de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris accepta, ac pro qua carissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris nobis per suas litteras humiliter supplicavit, de eorundem fratrum consilio providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae Premisliensis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in litteris desuper conficiendis, quae scriptae erant, et propter almae Urbis nostrae expugnationem, quae per mensem et ultra cum fere omnium Civium et Curialium captivitate et talliarum impositione deperditae fuerunt, expediri non potuerunt, quaeque cum primum fieri poterit, expedientur, latius explicabitur. Et quia praedictus Sigismundus Rex suis eisdem litteris nobis supplicaverat, desiderare ipsius ecclesiae Premisliensis celerrimam expeditionem: eapropter dilectis filiis Capitulo dictae ecclesiae in virtute sanctae obedientiae, ac sub interdicti ingressus ecclesiae pena et suspensionis a divinis mandamus, quatenus tenore praesentium te in eorum Episcopum electum recipiant et admittant, ac obedientiam et reverentiam debitas et devotas praestent, et a Clero et populo, necnon vassallis ipsius ecclesie Premisliensis prestari, necnon de fuctibus, redditibus et proventibus eiusdem ecclesiae Premisliensis integre responderi faciant, eidemque discretioni tuae eosdem per censuras ecclesiasticas, si premissa facere recusaverint, et alia iuris opportuna remedia compellendi facultatem et potestatem concedimus, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. praedecessoris nostri, quae incipit, Iniuncte, ac aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dictae ecclesiae Premisliensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, aut si Capitulo, Clero, populo et vassallis praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel

divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod infra annum litteras apostolicas sub plumbo expedire, et Camerae apostolicae ac alia consueta iura persolvere tenearis, alioquin praesentes nullae sint, ipsaque ecclesia vacare censeatur eo ipso. Datum Romae in Castro Sancti Angeli etc. die v. Iulii MDXXVII. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XLVII. ep. 122. pag. 211.

CCCCLXXXVII.

Andreae episcopo Premisliensi bulla suae translationis ad ecclesiam Plocensem renovatur.

Venerabili fratri Andreae Episcopo Plocensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Nuper ecclesia Plocensi per obitum bonae memoriae Raphaelis Episcopi Plocensis extra Romanam Curiam defuncti vacante, nos fraternitatem tuam tunc Epum Premisliensem a vinculo, quo ecclesiae Premisliensi, cui tunc praeeras, tenebaris, de apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad ecclesiam ipsam Plocensem tunc sic vacantem de fratrum nostrorum consilio transtulimus, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, curam et administrationem tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, ac tribuendo licentiam ad dictam ecclesiam Plocensem libere transeundi, prout in litteris apostolicis desuper conficiendis, quae scriptae erant, et propter almae Urbis nostrae expugnationem et depraedationem, quae per mensem et ultra cum fere omnium civium et curialium captivitate et talliarum impositione deperditae fuerunt, expediri non potuerunt, quaeque cum primum fieri poterit, expedientur, latius explicabitur. Et quia Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris suis litteris nobis significaverat, desiderare ipsius ecclesiae Plocensis celerrimam expeditionem, eapropter dilectis filiis Capitulo dictae ecclesiae Plocensis in virtute sanctae obedientiae ac sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis poena mandamus, quatenus tenore praesentium fraternitatem tuam in eorum Episcopum recipiant et admittant, ac obedientiam et reverentiam debitas et devotas praestent, et a Clero et populo nec non vassallis ipsius ecclesiae Plocensis praestari, nec non de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem ecclesiae Plocensis integre responderi faciant, eidemque fraternitati tuae eosdem per censuras ecclesiasticas, si praemissa facere recusaverint, et alia iuris opportuna remedia compellendi facultatem et potestatem concedimus, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. praedecessoris nostri, quae incipit, Iniuncte, ac aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis ac consuetudinibus dictae ecclesiae Plocensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, aut si Capitulo, Clero et populo et vassallis praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod infra annum litteras apostolicas sub plumbo expedire, et Camerae apostolicae ac alia consueta iura persolvere tenearis: alioquin praesentes nullae sint, ipsaque ecclesia vacare censeatur eo ipso. Datum Romae in Castro sancti Angeli etc. die v. Iulii MDXXVII. Pont. nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XLVII. pag. 210.

CCCCLXXXVIII.

Rex Poloniae durum Romanae urbis casum et pontificis captivitatem dolet.

Sanctissimo ac Beatissimo patri et domino, dño Clementi divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providencia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici, domino clementissimo, Sigismundus Dei gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuanie, Russie, Prussie Mazovieque etc. dominus et heres, filialem obedientiam et sui commendationem. Beatissime Pater, Post oscula pedum beatorum Sanctitatis Vestre. Cum primum infelicem Urbis Romane cladem intellexissem, scripsi Vestre Sanctitati, quanto me dolore affecerit ista Sanctitatis Vestre perturbatio, et si quid pro illa possem prestare, obtuli omnem operam et facultates meas. Et quia nullum hactenus responsum habui, neque a Revmo domino Cardinali Sanctorum Quatuor Regni mei Protectore, cui idem pene scripseram, neque plane scire possum, quo in statu sit Vestra Sanctitas, et Urbs Roma, de quo desidero fieri cercior; et cupio ex corde, ut Vestre Sanctitati

feliciter in omnibus succedat, que sibi persuadeat me nichil posse, quod pro honore proque vita Vestre Sanctitatis non possem. Ceterum intellexi in ista urbis turbulentia Venerabilem Nicolaum de Gramrachis secretarium meum mortuum esse. Supplico Vestre Sanctitati pro ipsius fratre germano servitore meo, dignetur ei sacerdocia sic vaccancia conferre, ut disponere videtur Bulla Sanctitatis Vestre, per quam debentur beneficia istic decedentium proximioribus. Quod Sanctitatem Vestram non dubito facturam mearum precum intuitu. Et cupio, ut D. Deus servet Vestram Sanctitatem felicem et incolumem, cuius amplitudini me et Regnum meum commendo. Datum in opido Radom III. Novembris, Anno dñi MDXXVII.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. IV. fol. 219.

CCCCLXXXIX.

Rex Poloniae a pontifice petit, ut beneficia quaedam reservata archiepus Gnesnensis et epus Posnaniensis conferre possint.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Obiit hiis diebus venerabilis olim Martinus Rambyesky Decanus Gnesnensis et Secretarius meus, qui cum esset Protonotarius vestre Sanctitatis, eius Sacerdocia illi reservata esse perhibentur. Supplico Vestre Sanctitati, ut cum ita sit, conferre dignetur ea ipsa Sacerdotia sua hiis, pro quibus Reverendissimus dominus Archiepiscopus Gnesnensis, Primas Regni mei, et Reverendus dominus Episcopus Posnaniensis apud vestram Sanctitatem petent. Erit enim mihi aeque gratum, ac si ea servitoribus meis conferre dignaretur: cuius bonae gracie me regnumque et dominia mea etiam atque etiam ex corde commendo. Datum in opido nostro Pyotrkow die prima mensis Ianuarii, Anno Domini MDXXVIII. Regni mei XXI.

Eiusdem Sanctitatis Vestre Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. susbscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXC.

Episcopi Poloniae pontificem de calamitosae Svecanae ecclesiae statu instruunt, exorantes, ut electi huius ecclesiae pastores quam primum a sancta sede confirmentur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime Pater et domine, domine clementissime. Post servitutis et orationum nostrarum humilem commendationem et oscula pedum beatorum. Cum non ita pridem Sinodum ageremus partim de rebus nostris ecclesiasticis, partim vero de consulendis adversitatibus vestre Sanctitatis, que nos tanto merore concusserunt, quantum nec verbis exprimi potest: supervenit profugus ad oras nostras Reverendissimus dominus Iohannes Magni Gothus Electus Archiepiscopus Upsalensis, qui sua calamitate auxit vehementer dolorem et merorem nostrum, cum ab illo et aliis intellexissemus totum ordinem et statum Ecclesiasticum Regni Swecie penitus corruisse, vimque et sedicionem hereticorum adeo circumquaque invalescere, ut nisi nobis in unius principis nostri pietate spes esset, etiam de nobis brevi actum iudicare possemus: ita enim divina permissione ubique nunc fremunt in nos omnes seculares ordines, quibus nihil est iucundius, quam Vestre Sanctitatis et nostrum omnium calamitates audire; tantum abest, ut ulla commiseracione in periclitantem ecclesiam moveantur. Et quia potissima fuit causa invectionis Lutheranismi et corruptionis Regni Swecie, quod per tot annos deerant Episcopi et pastores, qui hec curarent et rem ecclesiasticam manutenerent, hecque adhuc unica spes superest Regni illius ad cor reducendi: supplicamus humiliter vestre Sanctitati, ut dictum Reverendissimum dominum Iohannem Gothum Electum Archiepiscopum Upsalensem, necnon et alios Episcopos per Capitula sua electos confirmare, et consecrandi facultatem illis prestare dignetur citra moram, donec adhuc spes aliqua salutis illorum superesse videtur; nam illi obtenta gratia vestre Sanctitatis exponerent se velis et remis omnibus adversus hereticorum et sacrilegorum suorum tempestates, pollicenturque illi cum primum possessiones ecclesiarum suarum adepti fuerint, et vindicarent illa ex manibus secularium, omnia iura et debita Camere Sanctitatis vestre in totum exolvere. Hec illorum et nostra supplicatio, quia non

minus ad Sanctitatem vestram, quam ad nos universos pertinet: nam cum partes labant, summa turbatur. Non dubitamus, quin vestra Sanctitas pro sua prudentia et pietate sit huic perniciosissimo incendio hoc oportuno modo provisura, quodque non pluris factura sit presens aliquod compendium, quam tot ecclesiarum, totque animarum iacturam incomparabilem. Commendamus nos etiam atque etiam humiliter vestre Sanctitati, quam dominus Deus servet semper sospitem et felicem. Datum in opido Pyotrcow die xxviii. mensis Ianuarii Anno Domini mdxxviii.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devote creature et humiles servitores ac capellani

Iohannes Archiepiscopus Gnesnensis legatus natus et primas, Petrus Episcopus Cracoviensis et Regni Polonie Vice-Cancellarius, Mathias Episcopus Wladislaviensis, Iohannes Epus Posnaniensis, Andreas Epus Plocensis et Iohannes electus et confirmatus Premisliensis.

Instrum. Misc. Poloniae.

CCCCXCI.

Rex Poloniae pontificem de misera ecclesiae Svecanae conditione instruit, exorans, ut archiepiscopum Upsalensem electum confirmare velit.

Sanctissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et dñe, dñe Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Credo iam satis constare Sanctitati V. quantum fluctuet in his omnibus regionibus ecclesia Dei et religio sancta catholica, cum hec tempestas iam etiam ad ipsam et eius sanctam Sedem, quod cum summo dolore meo commemoro, permanaverit, inter alia vero loca et dominia, quae hereticis turbinibus exagitantur, est maxime Regnum Swecie, ubi certissimis documentis cognovi iam ante septem annos gravissimos tumultus in ordinem et statum ecclesiasticum excitatos: Episcopos et Prelatos multos partim occisos, partim in exilium actos, reliquum ordinem ecclesiasticum contemptum et oppressum, bona ecclesiastica direpta et occupata, resque humanas divinasque omnes confusas, atque hec mala eo indies acrius pullulasse, et radices suas egisse, quo a tanto tempore Regnum illud legitimis et consecratis Episcopis, qui se huic tempestati opponere possent, caruit, quo magis miror vestram Sanctitatem sapientissimum praesulem, hactenus huic calamitati ecclesiae Swecane non providisse, et Episcopos, qui per Capitula sunt electi, non firmasse. Ego profecto, partim quia dolentissimo animo conspicio hanc temporum malignitatem et rerum christianarum confusionem, partim quia Regnum Swecie dominiis meis est vicinum, in quo, ubi hec heresis confirmaretur, ut brevi futurum est, prelatis ecclesie sublatis, et Regnicole illi societatem cum Moscis Scismaticis, de qua iam tractant, inirent, possent reipublice christiane in his presertim partibus maximam aliquam ruinam inducere, rogo et obtestor Sanctitatem V., rogant et omnes Prelati ecclesiastici Regni mei, ut V. S. citra moram ipsi Ecclesie Swecane adeo naufraganti succurrere curet. Quod oportune faciet V. S. si Reverendo patri dño Ioanni Magni Gotho Electo Archiepiscopo Upsalensi consecrationis munus quantocitius permiserit, auctoritatemque reliquis ecclesiis Episcopos preficiendi et consecrandi concesserit, quo impetrato, idem consecratus Archiepiscopus se viriliter et cum plena auctoritate pro sancta religione christiana contra invalescentes hereses opponeret, atque principum et magistratuum auxilio innixus istius Sancte Sedis Apostolice obedientiam ibidem collapsam restauraret et confirmaret, bonisque ecclesiarum, que nunc violenter occupantur, restitutis, omnia debita Camere apostolice, si hac causa res tam salubris negligitur, plene persolvi procuraret. Cui ego omni ope et auxilio meo adessem, ut religionem et ecclesias ad pristinum statum in illo Regno restitueret: alioquin nisi V. Sanct. ita facere quamprimum curaverit, actum erit prorsus de fide Catholica in ipso Regno Swetie, aliisque dominiis illi adiacentibus. Verum ego non dubito V. Sanct. pro sua prudentia et pietate non levi pensurum hoc naufragium Ecclesie Swecane, et preces intercessionemque meam non obaudituram. Que felicissime valeat, meque Regnumque et dominia mea sibi habeat commendata. Datum Pyotrcovie die xxiiii. mensis Ianuarii. Anno Domini mdxxviii. Regni mei xxi.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCII.

Rex Poloniae orat pontificem, ut episcopis sui regni menses ordinarios ad conferenda beneficia confirmare velit.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et dñe, dñe clementissime. Post humilem mei regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Supplicavi iam alias scpe V. Sanctitati per litteras et nuncios meos, ut ita prospicere dignaretur Ecclesiis regni mei, quae nunc ut fere ubique fluctuant, quod domini Episcopi ad locandos in illis viros idoneos, ct qui statum ecclesiasticum sua doctrina et existimatione manutenere possent, saltem menses suos ordinarios ad conferenda sacerdotia haberent, ut neque per reservationes neque aliquos alios modos impedirentur: idem etiamnum vestre Sanctitati supplico, nulla alia prorsus ratione, quam ut statui ecclesiastico, cui V. Sanctitatem potissimum adesse convenit, quam optime consuleretur. Et quia vacant in presens sacerdotia venerabilis olim Ioannis Salomonis, qui familiaris erat quondam Rmi dñi Cardinalis Alexandrini, proindeque sacerdotia ipsa reservata seu affecta esse videntur; cum tamen ille mortuus sit in mense ordinariorum, providit Reverendus dñus episcopus Cracoviensis regni mei vicecancellarius de ipsius sacerdociis viris doctis, et tam ecclesiae, quam etiam reipublicae idoneis: quare supplico V. Sanctitati, ut hanc illius provisionem ratam habere, et si qui essent petitores, qui provisionem ipsam impedire vellent, illis V. Sanctitas abnuere dignetur. Faciet rem mihi quidem non vulgariter gratam, sed et rei ecclesiasticae plurimum conducibilem. Me V. Sanctitati etiam atque etiam ex corde commendo, quam dominus Deus quam diutissime servet sospitem et felicem pro mea singulari consolatione. Datum in oppido nostro Piotrcow die VI. meusis Februarii anno domini MDXXVIII. Regni mei XXII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCIII.

Rex Poloniae petit a pontifice, ut palatino Vilnensi in fundandis et dotandis ecclesiis favere, ac episcopum Camenecensem commendatum habere velit.

Sanctissimo in Christo patri domiuo, domino Clementi Septimo divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie maximo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime Pater et domine, domine clementissime, Post devota pedum beatorum oscula. Cum omni opera, studio et vigilantia pro virili mca contendam fidem catholicam et religionem, uti per manus maiorum tradita est nobis, in dominiis meis illibatam conservare, atque Ecclesias et cultum divinum augere, hiis potissimum malis temporibus, ad que incidimus, facturus id, deo optimo maximo iuvante, quoad vixero, et qui talia agunt, mihi admodum grati charique sunt. Proinde cum magnificum Albertum Martinianum Gastholdum Palatinum Vilnensem et Cancellarium nostrum in hoc magno Ducatu meo, virum omni ex parte de me et republica benemeritum, sincere dilectum, talem esse perspitiam, non possum eum non commendare ex corde Sanctitati V. quoniam suis in bonis hereditariis complura templa summopere pro salute animarum hoc in Ducatu, ob raritatem eorum necessaria, cum nondum aucta et rara sint, denuo fundavit, dotavit et erexit, fundareque ac erigere non cessat, inter que unum precipuum in Murata Geranoni in honorem Dei et memoriam saucti Nicolai Pontificis extruxit et ampliter dotavit, constituens in eo sacerdotes numero undecim perpetuo stipendio provisos, et pro maiori illius Ecclesie ornamento atque decore vellet preficere instituereque Prepositum infulatum, modo ad id auctoritas Sanctitatis V. accedat: idcirco ego obsecro Sanctitatem V. pro eo, dignetur illi hanc exhibere gratiam, et infulatum Prepositum in eadem sancti Nicolai Ecclesia instituere, et confirmare cum aliquibus indulgentiis ad diem festum eiusdem saucti Nicolai ibidem concedendis. Insuper quia duas commutationes cum bonis Ecclesiasticis fecit, salva utrobique meliori Ecclesiarum conditione: rogo etiam, dignetur illi Sanctitas V. super eiusmodi commutationes consensum gratiose prebere Apostolicum. Nec minus comendo ex mente Sanctitati V. omnia negotia Rever. in Christo patris domini Laurentii Episcopi Camenecensis, consiliarii nostri, assidue in curia mea mihi non minus utiliter quam

fideliter famulantis, et tam de ista sancta sede quam de me benemeriti. Committo me gratie paterne Sanctitatis V. pro cuius felici et incolumi statu altissimum cum subiectis meis supplex invoco in augmentum sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie catholice. Datum Vilne prima die mensis Augusti Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Regni vero nostri anno vigesimo secundo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCIV.

Rex Poloniae pontificem exorat, ut concordiam inter fratres Minores Poloniae et Lithuaniae factam etc. approbet.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, domino Clementi septimo divina providentia sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Maximo Pontifici, domino Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et domine, domine clementissime, Post devota pedum beatorum oscula. Magnam ego et singularem agnosco benevolentiam Sanctitatis Vestre, quam erga me et subiectos meos, pro quibus intercedo, exhibere perbenigne solet: pro qua etsi pares ac sufficientes gratias reddere non valeo, habeo tamen et ego quam maximas atque immortales: eoque maior spes et propensior animus mihi datur, ut nihil addubitem in Paterna gratia Sanctitatis Vestre, sed omnibus in negotiis istam sacrosanctam Sedem Apostolicam et auctoritatem eius concernentibus ad Sanctitatem Vestram confidenter recurram et scribam. Non longe post cognitam et susceptam fidem Catholicam, primum tempore Avi mei divi Vladislai Regis hoc in magno Ducatu meo Lithuanie, et tandem successive tempore divi Cazimiri Regis genitoris mei aucta fide, aliquot monasteria et conventus religiosorum ordinis Minorum sancti Francisci de observantia sunt fundata, et cum per maiores nostros, tum per certos Nobiles et magnificos Barrones nobis subiectos preciosis apparatibus dotata. Crescentibus itaque relligiosis in eisdem Conventibus ex promiscua gente, Polona videlicet et Lithuana, dum superiores Poloni essent Lithuanis, quos ad nulla offitia obeunda in suo ordine fieri consueta admittebant, Thezaurorumque magnam vim ad alienas provincias educebant: Lithuanis id egre ferentibus, quod in propria patria despicerentur, quodque tanti thezauri ex his locis ad externa clam per Polonos evehentur, factum est scisma et dissensio inter eos, nobis ab hoc dominio absentibus. Amplius enim Lithuani abnuebant subesse Polonis, a quibus adeo despecti, et res non parvi valoris et ponderis ex Thezauro sic erant distracte, Consiliariis nostris et spiritualibus et secularibus ea in re firmiter Lithuanis adherentibus, eosque tuentibus: delatam demum ad nos eiusmodi tragediam habentes, scriptis nostris, ne cresceret in scandalum, et soliciti, ne quicquam ad turbandam religionem Catholicam in dominiis nostris innovetur, quiescere atque suspensam esse ad felicem adventum nostrum fecimus. Interea scribi iussimus, ut Generalis aliquem commissarium huc mitteret ad tollendam, extinguendam et componendam istam discordiam, et cum primum huc nos venimus, missus etiam commissarius huc appulit, cum quo Consiliarii nostri utriusque ordinis ad id per nos designati, exauditis partibus diffidentibus, et re certe explorata, difiniverunt, Commissario ipso determinante et approbante: Imprimis quod ad tollendum hoc scisma spetialis deinceps minister seu Vicarius debeat esse in Lithuania, quod is duntaxat sit sub ditione Generalis, et alius in Polonia; deinde ad prospitiendum, ne Thezauri Ecclesie disperganter, et ex Patria clam deinceps educantur, constituerunt duos esse custodes huic rei superintendentes, quorum unus debet esse ex Capitulo Prelatorum et Canonicorum Ecclesie Cathedralis Vilnensis, alter vero secularis ex Barronibus per nos constituendus, sicut Vilne, ita in omnibus conventibus Lithuanie. Et ut sic augeantur Conventus eorundem religiosorum, supplicant humillime et instanter ipsi Barrones mei, quatenus Sanctitas vestra dignaretur eis et unicuique eorum consensum prebere, ut sine alicuius impedimento possint denuo suis in haereditatibus eosdem conventus erigere et dotare, quod ad meliora eiusdem ordinis cedet incrementa. Quamobrem apprime precor Sanctitatem vestram, dignetur hec omnia ita ob augmentum Ecclesiarum dei instituta, ut firma et rata habeantur, approbare. Preterea, ne prolixiore presentium sermone Sanctitatem vestram reddam defatigatam, lacius alia iussi perscribenda ad R̃mum dñum Laurentium Sanctorum Quattuor Cardinalem, Protectorem dominiorum nostrorum et amicum nostrum charissimum, quem nomine nostro orantem benigne, ut solet, exaudire dignetur. Summopere cupio Sanctitatem vestram pro felici et tranquillo statu Ecclesie orthodoxe longissimos in annos feli-

ciorem valere, et a Deo optimo conservari et protegi: Cuius celsitudini me et omnia mea ad nutum offero dedoque. Datum Vilne prima die mensis Augusti, Anno dñi Millesimo quingentesimo vigesimo octavo, Regni vero nostri anno vigesimo secundo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCV.

Rex Poloniae a pontifice petit, ut Georgio Thaliati duas dignitates ecclesiasticas, quas Vilnensis et Mednicensis episcopi ipsi contulerant, confirmare velit.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, dño Clementi septimo divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie maximo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime atque Beatissime in Christo Pater et domine, dñe Clementissime. Presentia sunt mihi animo iugique solicitudini, que Ecclesie sancte sentio conducibilia. Et nuper siquidem me consulente et patrocinante in dominio meo hoc hereditario magno Ducatu Lythuanie, Reverendi in Christo patres domini Ioannes Vilnensis et Nicolaus Mednicensis Episcopi, uterque in suis Cathedralibus Ecclesiis Prelaturas, is Archidiaconatum, que prima est ibi dignitas post Pontificalem, ille vero Cantoratum in proventibus collationum et provisionum suarum instituerunt et erexerunt, elegeruntque ad ipsas dignitates Venerabilem Georgium Thaliati, virum doctrina et moribus probatum, in sacerdotio constitutum et nobili procreatum genere. Rogo itaque Sanctitatem Vestram, ut negotia ipsa dignetur a me diligenter habere commendata, et authoritate sua Apostolica approbare de sua solita erga ecclesiam sanctam, sponsam suam inclitam, propensione atque contemplacione huius interpellationis mee, qui fausta omnia et tranquilla eidem Sanctitati Vestre exopto. Datum Vilne quarta mensis Septembris Anno a nativitate domini Millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCVI.

Rex Poloniae petit a pontifice, ut decanum Plocensem in possessione decanatus manutenere velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Clementi VII. divina providencia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, dñe Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Narrabit V. Sanctitati Rmus dñus Cardinalis Sanctorum Quatuor, protector Regni mei, quid postulem ab illa super Decanatu Ecclesie Plocensis, quem V. Sanctitas ad postulata mea et Serenissime domine coniugis mee contulit homini nobili et idoneo nobisque benemerito, idque utrique nostrum per litteras suas V. Sanctitas declaravit. Nunc ut accepimus, Almanus quidam infestat illum adversus concessionem istam V. Sanctitatis et iura Regni mei, que manutenere et tueri pro virili mea sum astrictus. Supplico itaque V. Sanctitati, ut verbum, quod ex ore illius prodiit, et gracia nobis facta, non sit adeo levis momenti, ut illam eciam persone alienigene, que non solum ad sacerdocia Regni mei, sed eciam ad ius ipsorum sunt inabiles, infringere et labefactari possent. Faciet V. Sanctitas rem mihi gratissimam, cui me meaque omnia eciam atque eciam ex corde commendo, optoque, ut illam dominus Deus servet semper sospitem et foelicem. Datum in civitate nostra Vilnensi septima mensis Octob. Anno dñi MDXXVIII. Regni vero nostri anno XXII.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCVII.

Rex Poloniae pontifici quosdam notarios de falso condemnatos per auditorem camerae commendat.

Sanctissimo in Christo patri et dño, dño Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, dñe Clementissime. Post humilem mei regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Referet Vestrae Sanctitati postula-

tionem meam Rmus dominus Cardinalis Sanctorum Quatuor, protector regni mei, super negotio quorundam notariorum, qui istic in contumaciam condemnati sunt de falso, ut cum illos hic innoxios esse multis probabilibus testimoniis cognovi, iuberet eos Vestra Sanctitas honori et sacerdotiis ipsorum restitui: nam mihi nihil gratius fieri potest quam malefitia corrigi. Tantum abest, ut illis patrocinari vellem; sed insontes etiam puniri non libenter viderem. Quare supplico Vestrae Sanctitati, dignetur huic postulationi meae benigne annuere tanquam dominus clementissimus: cui me regnumque meum etiam atque etiam humiliter commendo, et pro incolumitate rei christianae et optatis meis felicissime et quam diutissime valere desidero. Datum Vilnae die XXVIII. Novembris Anno domini MDXXVIII.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

CCCCXCVIII.

Rex Poloniae pontificem exorat, ut cum electo Vilnensi ad sacros ordines suscipiendos propter negotia publica ad biennium dispenset.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino domino Clementi VII. divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem ac oscula pedum beatorum. Reverendus dominus Ioannes ex Ducibus Lituanie Electus et Confirmatus Vilnensis gracia et dispensacione Sanctitatis vestre hactenus ad gradum sacerdocii promotus non est. Quoniam vero moderna tempora, quibus iam ad eum ordinem promovendus esset, adeo turbulenta sunt et difficillima in locis hic vicinis, ut sacius videatur, interim eundem dominum Episcopum curande Reipublice ducatus istius hic nostri in ea sorte adhuc intendere ac sollicite curare, ne quid dispendii ecclesiastica et publica res, ut est hoc nostrum seculum periculis plenum, suscipiat, cum presertim et adversus paganorum insultus arma quandoque sumere necesse habeat ipse cum reliquis prophanis, unde clerus eius et quietius vivit et amatur integrius: Rogo igitur Sanctitatem vestram plurimum, ut quemadmodum in ceteris rebus solet, sic in hac quoque dignetur tam Ecclesiasticis quam Regni mei rebus consulere et prestare, ut benignitate et dispensacione Sanctitatis vestre eidem domino Episcopo a promovendo ad sacros ordines saltem biennium adhuc abstinere liceat. Quod factum singularis beneficii loco ego reputabo a Sanctitate vestra, quam Deus optimus maximus incolumem et felicem in caput et robur christiane religionis diutissime servet: cuius clemencie ego me cum dominiis meis plurimum commendo. Datum Vilne tercia Decembris Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Regni vero nostri anno vigesimo secundo.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsi.

Arm. XI. Caps. I. N. 54.

CCCCXCIX.

Rex Poloniae pontifici, ut Nicolaum Vieschgal electum Kyoviensem foveat.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem ac oscula pedum beatorum. Est quidem Episcopatus dicionis mee in Kiow, loco quottidianis infidelium incursionibus obnoxio, quem (quod iam omnibus sit proventibus per ipsos hostes spoliatus) nemo suscipere voluit; vel ob id eciam, quod in diplomatum apud sedem apostolicam expedicione impendium facere necesse esset, unde ego in hoc dominio Magni Ducatus Lituanie dispendium pertuli, quod tali homine, qui a consiliis meis esse debet, caruissem, et ut rebus eiusdem Ducatus provideret: persuasi, immo pene adegi Reverendum patrem Nicolaum Vieschgal decanum Ecclesie cathedralis Vilnensis, ex nobili prosapia genitum, ut ipsum Episcopatum Kioviensem, vel verius titulum illius dumtaxat susciperet. Ut autem munia Episcopalia vel in alieno Episcopatu, cum in suo non habet, quod agat, obire valeat, et in senatu meo maior illi honor exhibeatur, supplico Sanctitati Vestre, dignetur pro pietate et clemencia sua, qua cunctos complectitur, eidem domino Nicolao eam graciam vel mea causa exhibere, et litteris suis brevibus concedere, ut ei munus consecracionis ab aliis hic Episcopis iuxta ritum sancte Romane Ecclesie suscipere liceat. Faciet Sanctitas Vestra rem sua bonitate dignam, mihi vero gratissimam et ducatui meo pernecessariam ac utilem, quam ego San-

ctitati Vestre perpetua mea observancia et studio curabo referre ac demereri. Valeat Vestra Sanctitas, et me ac Regnum et dominia mea, resque omnes et negocia mea sua clemencia et favore complecti dignetur. Datum Vilne xxiii. Decembris Anno domini mdxxviii. Regni vero mei anno xxii.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

D.

Regi Poloniae, ut confessor eum et suos consiliarios a censuris propter proscriptionem cuiusdam clerici incursis absolvere possit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Nonnullorum fide dignorum relatione percepimus, quod dilecti filii consiliarii tuae Maiestatis de ipsius forsan scitu seu mandato dilectum filium Michaelem Paczanocz, clericum, ob nonnulla per eum contra constitutiones regni tui gesta a regno tuo proscripserunt, ac fructus sequestrari fecerunt, propter quod excommunicationis sentententiam et alias censuras et poenas contra clericos proscribentes per felicis recordationis Urbanum papam V. praedecessorem nostrum inflictas, et per modernum concilium Lateranense innovatas, ac per bullam, quae legitur in Coena Domini approbatas incurrerunt. Nos tuae ac eorumdem tuorum consiliariorum animarum saluti consulere cupientes, eidem Maiestati tuae et consiliariis praedictis ac quibusvis aliis, qui ad huiusmodi Michaelis proscriptionem auxilium, consilium vel favorem praestiterunt, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis aut dignitatis, etiam pontificalis, fuerint, postquam proscriptio dicti Michaelis et fructuum beneficiorum sequestratio huiusmodi revocatae fuerint, ut aliquem presbiterum idoneum saecularem vel cuiusvis ordinis regularem in tuum possis, et quilibet eorum possit eligere confessorem, qui Maiestatis tuae et consiliariorum et aliorum consilii praefatorum confessione diligenter audita, te et eorum singulos a censuris et poenis, quas propterea Maiestas tua incurrit et ipsi incurrerunt, absolvere, eisque salutarem poenitentiam iniungere possit, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et elargimur, Non obstantibus praemissis ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc: die ix. Ianuarii 1529. Pontificatus nostri Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XLX. ep. 29. pag. 45.

DI.

Episcopo Plocensi facultas visitandi domos ordinum Mendicantium a sua iurisdictione exemptas et delinquentes puniendi datur.

Venerabili fratri Andreae Episcopo Plocensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod in tuis civitate et diocesi Plocensi, sunt quamplures religiosi ordinum Mendicantium, qui regularis disciplinae laxatis habenis, extra domos ordinum suorum per tabernas vagantes, et quod dolendum est, ad vicinos Lutheranos se transferunt, et mulieribus dissolutis se immiscent, in divinae maiestatis offensam, plurimorum christifidelium scandalum et religionis eorum opprobrium et contemptum, in privilegiis ordinibus Mendicantibus a sede apostolica concessis confisi: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos de persona tua, quae in sacra pagina magister et probatae fidei existis, specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae, ut domos ordinum Mendicantium a tua ordinaria iurisdictione exemptas, ac nobis et apostolicae sedi immediate subiectas, nostra apostolica auctoritate tam in capite quam in menbris visitare, et adhibitis secum uno vel duobus aut pluribus religiosis ordinis, cuius ipse domus regulares fuerint, ad debitam inibi reformationem faciendam, toties quoties opus fuerit, accedere, ac regulares fratres Mendicantes de commissis forsan per eos excessibus corrigere, castigare et punire, eosque ad vitam honestam servandam iuxta sanctorum patrum decreta, et sacros canones ac regularia ordinis instituta reducere, ac auctoritate nostra cogere et compellere, inobedientes vero et alios quomodolibet contumaces excommunicationis et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis innodare, ac iteratis vicibus aggravare, et in eos, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare, ac carceribus detrudere et detinere, ac prout in domino conspexeris salubriter expedire, possis et valeas, auctoritate praedicta tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus domorum et regularium locorum ac ordinum quorumcun-

que iuramento etc. roboratis, Privilegiis quoque et indultis apostolicis ac exemptionibus dictis ordinibus concessis, quae illis quoad praemissa nullatenus suffragari volumus, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si personis etiam exemptis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici etc. usque mentionem. Datum Romae etc. die x. Ianuarii 1529. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XLX. ep. 29. pag. 45.

DII.

Regi Poloniae, ut loco poenitentiarii mortui secretarium suum ad canonicatum ac praebendam Cracovienses nominare possit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod licet alias vigore certae facultatis nominandi certas personas idoneas ad Canonicatus et praebendas certarum ecclesiarum cathedralium, et forsan aliarum tunc expressarum Regni tui primo vacaturos per felicis recordationis Leonem papam X. praedecessorem nostrum concessae quondam Ioannem Zamborzski, basilicae principis apostolorum de Urbe minorem poenitentiarium, tunc in humanis agentem, ad Canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis primo vacaturos, venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Gneznensi in litteris facultatis nominandi executori deputato, nominaveris; quia tamen ipse Ioannes poenitentiarius, antequam nominatio de persona sua per Maiestatem tuam facta sortita fuisset effectum, extitit vita functus; Et propterea, ne nominatio per Maiestatem tuam facta huiusmodi effectu careat, desiderat facultatis nominandi huiusmodi vigore loco dicti Ioannis poenitentiarii dilectum filium Ioannem Sbansski clericum, eiusdem Maiestatis tuae secretarium ac venerabilis fratris Petri episcopi Cracoviensis affinem, nominare posse, et per nos decerni nominationem de persona Ioannis secretarii loco Ioannis poenitentiarii per Maiestatem tuam faciendam in omnibus et per omnia valere, ac si nominatio de Ioanne poenitentiario facta non de eo, sed de praefato Ioanne secretario per eandem Maiestatem tuam tunc facta fuisset: quare pro parte Maiestatis tuae nobis fuit humiliter supplicatum, ut tuo huiusmodi honesto desiderio satisfacere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui tuis honestis desideriis, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Maiestati tuae eundem Ioannem secretarium loco dicti Ioannis poenitentiarii defuncti ad primo vacaturos Canonicatum et praebendam dictae ecclesiae Cracoviensis eidem Petro episcopo nominandi, ipsique Petro episcopo Canonicatum, et praebendam primo vacaturos eidem Ioanni secretario per te eidem Petro episcopo tunc nominato conferendi auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, ipsamque nominationem de persona praefati Ioannis secretarii per Maiestatem tuam faciendam illum eundem effectum sortiri debere, quem nominatio de dicto Ioanne defuncto facta sortiri debuisset, si ipse Ioannes poenitentiarius et Leo praedecessor predicti defuncti non fuissent, ac omnibus illis, quibus ipse Ioannes defunctus praeferri debuisset, ipsum Ioannem secretarium praeferri debere in omnibus et per omnia, perinde ac si Ioannes ipse secretarius tuus et non praedictus Ioannes defunctus ad primo vacaturos Canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis huiusmodi non Ioanni archiepiscopo, sed eidem Petro episcopo nominatus fuisset, sicque per quoscumque iudices et sacrosanctae Romanae ecelesiae cardinales et palatii nostri auditores interpretari, iudicari et sentenciari debere, adempta eis aliter interpretandi, iudicandi et sentenciandi facultate, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate et tenore praemissis decernimus, Non obstantibus praemissis etc. Datum Romae etc. die x. Ianuarii 1529. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XLVIII. ep. 25. pag. 48.

DIII.

Regi Poloniae, quod episcopus Cracoviensis licentiam nonnullis theologis legendi libros Lutheri et aliorum haereticorum dare possit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exposuit nobis Ven. frater Laurentius episcopus Praenestinus, Cardinalis Sanctorum Quatuor nuncupatus, M. T. nomine, quod Ven. frater Petrus Episcopus Cracoviensis in civitate et dioecesi suis Cracoviensibus nonnullos viros in Sacra Theologia Magistros, et ad praedicandum verbum Dei toti populo idoneos proposuit, quibus M. Tua desiderat, quod ipse Petrus episcopus eis Martini Lutheri libros legendi licentiam concedere posset, ut facilius dogmata haereticorum novorum Christianae Religionis ritum violare, ac Christifideles a fide

Catholica advertere, et ad eorum varias et improbatas sectas inducere nitentium confutare, et animos labentis vulgi ab errore reducere possent. Quare idem Laurentius episcopus M. Tuae nomine nobis humiliter supplicavit, ut eidem Petro episcopo illis, quos ad praedicandum populo verbum Dei proposuerit, libros tam Martini Lutheri, quam aliorum haereticorum ad effectum errores in eis contentos confutandi, et populum dictae Civitatis in fide Catholica et religione Christiana confirmandi, legendi licentiam concedendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque Tuae M. piis et sanctis desideriis libenter annuentes, eidem Petro episcopo, ut praedicatoribus idoneis, quos ad praedicandum populo verbum Dei proposuerit, libros Martini et aliorum haereticorum huiusmodi ad effectum illos confutandi, et populum in fide Catholica confirmandi licentiam legendi concedere possit, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus, Non obstantibus prohibitionibus et poenis contra libros Marthini Lŭtheri et aliorum haereticorum huiusmodi legentes, seu libros ipsos penes se retinentes in litteris per fel. rec. Leonem PP. X. praedecessorem nostrum super hoc editis contentis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die x. Ianuarii 1529. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XLIX. pag. 56.

DIV.

Dux Slucensis supplicat pontifici, ut retento ritu graeco, cum latina muliere matrimonium inire prolemque inde conceptam in ritu parentum educare possit.

Sanctmo ac Beatmo in Christo patri et domino, dno Clementi VII. divina providencia sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dno Clementissimo.

Post perpetuam servitutis meae comendationem et beatorum oscula pedum. Beatissime pater domine, dne clementissime. Non sum nescius, quamvis Orientali Ecclesiae in fide Christi militem, auspiciis Sanctitatis tuae et illius sanctae Romanae ac universalis, cui Sanctitas tua feliciter presidet, Ecclesiae Legibus nonnisi in cultus paritate admitti connubia, quo fit, ut ego rittum Grecorum profitens, et aliquando cum socia Romani rittus, si deo placuerit, fedus matrimonii inire moliens, ad clemenciam tuam, quae te multis nominibus verum Clementem exprimit, illius beatis pedibus provolutus cogor confugere, sciens hanc tibi divinitus traditam potestatem, iccirca supra humanarum rerum evectam esse fastigium, ut opem clemenciae tuae implorantibus, non obstante quovis Legum, quibus non pares, sed illas condis prescripto, ut pius pater patrem illum misticum, sed verius coelestem, qui se petentibus filiis non lapidem pro pane, non serpentem pro pisce porrigit, imitatus, aliquo presertim suadente profectu, illam possis et valeas impartiri. Credo ego Sanctitati tue sacre Mai. Regiae Poloniae domini mei clementissimi desiderium iampridem nichil obscure innotuisse, et ea, que in meam et causae meae eidem Sanctitati tue scripserit comendationem. Que quidem Maiestas licet ob excellentes suas ac vere Regias dotes, et ad promerendam apud omnes mortales, potissimum vero Orbis Monarchas graciam, plurimum idoneas, admirabilemque omnium virtutum, quibus refulget, splendorem ac ingencia erga universam christianam rempublicam merita, nullis mearum supplicacionum apud Sanctitatem tuam egeat suffragiis: non dubitavi tamen ego devotissimus Sanctitati tue orator omni, qua decet, veneracione Sanctitatem tuam rogare humiliterque rogo, dignetur Sanctitas tua michi de sua benignitate hanc facere graciam, ut possem rittum hunc, quem a maioribus meis per manus traditum accepi, profitens, michi rittus Romani Coniugem christiano more despondere, alterutro in sui cultus cerrimonia permanente, ac sobole, si qua suscepta fuerit, mascula Grecanico, alterius vero sexus Romano rittibus (admota primum lavacro Baptismatis) iniciatura: ubi vero unum tantumodo sexum ex eiusmodi connubiis gigni contingat, ut quoque sit integrum alterutri nostrum unum aut duos fetus, si numerosa extiterit soboles, ritui quisque suo inauctorare. Rem Sanctitas tua sua paterna clemencia dignam, Sermo Regi meo gratissimam se nichil dubitet facturam, et quam ego Sanctitati tue illiusque sanctae Sedi omni mea fide et perpetua servitute ac observancia non gravabor promereri: Cuius graciae et benignitati me maiore, qua fieri potest, devotione comendo, cupioque, ut Sanctitas tua Ecclesiae dei quam diutissime presit pro illius et universae reipublicae christianae perpetuo incremento. Datum Vilnae xv. Ianuarii. Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Deditissimus Servitor

GEORGIUS SYEMIONOWICZ DUX SLUCENSIS.

Litt. Principum Tom. VII. fol. 2.

DV.

Ioanni electo Vilnensi aliud triennium ad suscipiendum ordines et munus cousecrationis conceditur.

Dilecto filio Ioanni ex ducibus Lithuaniae electo Vilnensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Exigentibus meritis tuae devotionis inducimur, ut te quotidie amplioribus gratiis et favoribus prosequamur. Licet alias felicis recordationis Leo pp. X. praedecessor noster te tunc accolitum et minorem 27. annis administratorem ecclesiae Vilnensis tunc vacantis in spiritualibus et temporalibus, donec 27. annum huiusmodi attingeres, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, apostolica auctoritate constituerit et deputaverit, et deinde cum ad dictum 27. annum pervenisses, eidem ecclesiae de persona tua de simili consilio dicta auctoritate providerit, teque illi in episcopum et pastorem praefecerit, tecumque, (ut) cum 27. annum huiusmodi attigisses, eidem ecclesiae in episcopum et pastorem praefici et praeesse ac munus consecrationis suscipere valeres, motu proprio auctoritate apostolica dispensaverit, prout in diversis ipsius praedecessoris desuper confectis litteris plenius continebatur: quia tamen in illis vera aetas, in qua tempore deputationis in administratorem (eras), ac in aliis litteris dispensationis ad tria incompatibilia obtinenda de defectu natalium, quem pateris, ex charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Rege illustri tunc soluto genitus et soluta procreatus, ... notari possent, nos propterea per alias nostras in forma Brevis litteras, ne dictarum litterarum effectu careres, tibi, quod singulae litterae praedictae cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent, in omnibus et per omnia ac si in eisdem litteris, quod tu tunc in dicta minori aetate videlicet xxi. constitutus esses, expressum ac de defectu natalium et desuper concessa ad tria incompatibilia dispensatione huiusmodi expressa mentio facta, nec non tecum, ut etiam eodem defectu natalium non obstante, eidem ecclesiae Vilnensi in episcopum praefici et praeesse posses, per easdem litteras dispensatum fuisset, quodque etiam postquam ad dictum 27. annum pervenisses, ad biennium a fine ipsius 27. anni computandum ad reliquos diaconatus et presbiteratus ordines promoveri et munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenereris, nec ad id a quoquam invitus compelli posses, auctoritate apostolica concessimus, indulsimus ac tecum desuper dispensavimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem Sigismundus Rex suis litteris nobis significaverit desiderare, quod licet tu, qui in subdiaconatus ordine et xxx. tuae aetatis anno constitutus existis, ad diaconatus et presbiteratus ordinem promoveri deberes, tamen propter haec tempora adeo turbulenta et difficillima, praesertim in ducatu Lithuaniae, in quo ecclesia ipsa tua consistit, contra infideles et scismaticos pro fide catholica una cum militibus saecularibus arma quandoque sumere necesse habes, ut clerus tuarum civitatis et dioecesis Vilnensis quietius vivere et ab omnibus Christi fidelibus amari valeas, biennium, quod tibi concessum fuit, et quod propter impedimenta, quae nuncius tuus in itinere ad Urbem pro huiusmodi Brevis expeditione missus, passus fuit, effluxisse dubitas, et si expiraverit et effluxum fuerit, de novo concedi, illudque tibi suffragari, ac si biennium ipsum a data praesentium non effluxisset: Nos igitur attendentes merita ipsius Sigismundi Regis erga nos et hanc sanctam sedem adeo magna esse, [ac libenter] omnibus eius honestis desideriis, praesertim illis, per quae tam ecclesiasticis quam Regni sui rebus consulitur, libenter annuimus, biennium praedictum, etiamsi iam forsan propter impedimentum huiusmodi effluxisset, ad triennium a data praesentium computandum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et si biennium ipsum non effluxisset, prorogamus pariter et extendimus, ipsumque triennium, quatenus biennium ipsum tempore datae huiusmodi non effluxisset, tibi in omnibus et per omnia suffragari volumus, ac si biennium ipsum tempore datae praesentium [non] effluxisset, ita quod interim triennio huiusmodi durante ad diaconatus et presbiteratus ordines huiusmodi te promoveri facere, et munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, Non obstantibus etc. Datum Romae etc. die iii. Martii mdxxix. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XLIX. pag. 277.

DVI.

Ioannes episcopus Vilnensis a pontifice sibi suffraganeum dari quemdam petit in episcopatu.

Beatissime pater et domine, domine Clementissime. Post humilem mei ipsius creature Sanctitatis vestre commendacionem, post osculaque pedum beatorum. Cum diocesis Episcopatus mei Vilnensis

sit satis ampla, et ipse per me pastorali officio intendere non valeam, potissimum in his, que ad munus pontificium exequendum pertinent, tum quia nondum sum sacris initiatus, tum quia sum primarius in hoc magno Ducatu Lithuaniae consiliarius, seduloque in negociis reipublice occupatus, diocesis quoque hec spaciosissima, licet ob novam sui feturam nondum penitus ab exteris fuerit expurgata ritibus, circumscribitur pomeriis, et is suffraganeus, quo hactenus vice mea utebar, est adeo valitudinarius et extremo senio confectus, quod onera et munia pontifici incumbencia amplius obire exercereque minime valet, cuius rei gracia discessit et se ad monasterium, cuius erat professus, in pacem contulit: iccirco ut nulla in Ecclesia katholica inter scismaticos et hereticos hic militante committatur negligencia, ad eundem suffraganeatum Vilnensem sub titulo alicuius Episcopatus vaccantis in Asia vel Grecia decreto et gracia Sanctitatis V. deligendo ornandum, Venerabilem Albertum Vilezynski Canonicum Vilnensem Electum Sanctitati Vestre presento, supplicoque, dignetur ad eundem Episcopatum titularem ipsum Electum meum promovere cum reservacione suorum sacerdociorum, que nunc habet vel imposterum habiturus est, sine quibus hanc dignitatem sustinere non posset, ac proinde eidem suffraganeatui Vilnensi preposituram Bistricensem iuxta privilegia Regie maiestatis desuper confecta unire, digneturque Sanctitas V. de sua benignitate et innata clemencia habita racione titularis Episcopatus facere illi expedicionem gratuito per breve, cuius vigore munus consecracionis accipere posset. Faciat Sanctitas V. rem iuxta piam ac michi servo suo gratissimam, quam dominus deus diutissime preesse faciat, et sospitem conservet pro ecclesie et tocius christiane reipublice salute et ornamento. Datum Vilnae decima mensis Aprilis Anno domini MDXXIX.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humilis creatura

Io. E. Con. Vilnensis subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DVII.

Rex Poloniae pontifici de recuperata valetudine gratulatur.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Accepi mense Aprili litteras Sanctitatis V. datas XVI. Ianuarii, quibus meis illis respondet, quas scripsi Vestre Sanctitati, gratulando illi de superatis iam tandem illis difficultatibus et periculis, quae fato quodam inopinato Urbem Rnmam et sedem V. Sanctitatis invaserant. Ex quibus quidem litteris Vestre Sanctitatis summam cepi voluptatem, quod ex illis simul ac ex litteris Rm̃i domini Cardinalis Prenestini, protectoris Regni mei, plane perspexi, qua benignitate et propensione paterna me Sanctitas V. complecti dignatur, exhibendo se uti pater benignissimus precibus meis tam facilem et exorabilem, quod vicissim erga V. Sanctitatem pro mea veteri consuetudine et erga istam sanctam sedem solita devocione omni studio et observancia mea demereri curabo. Verum littere ipsius Rm̃i domini Cardinalis, quibus addidit Sanctitatem V. adversa valetudine laborare, me rursus non mediocriter perturbarunt: nam, ut ommittam, quantum ego Sanctitati V. pro singulare eius in me benignitate obstringor, et quam mihi salus eius chara esse debeat, intelligo etiam, quod nemo certo non intelligit, quanta in his malis nostris, quibus affligimur, iactura tranquillitati publicae et pernicies rebus christianis adderetur, si quid adversi valetudini V. Sanctitatis, quod omen deus avertat, accideret: unde non possum non esse de salute ipsius animo sollicitissimo, precorque, ut dominus deus Sanctitatem V. pristinae bonae valetudini, ut iam factum spero, restituat, ac pro salute rei christiane et meo singulari solacio diutissime servet incolumen: cui me iterum regnumque et dominia, ac omnes res et negotia mea toto quo possum studio ac reverencia commendo, et supplico, ut precum mearum, quas ex Rm̃o domino Cardinale Sanctorum Quatuor Coronatorum accipiet, benignam racionem habere dignetur, ut eius Regis, qui pro salute rei christiane ac sacre sedis apostolice honore et incremento numquam a bellis et impendiis requiesco. Datum Wilnae die XXII. mensis Maii Anno domini MDXXIX. Regni mei Anno XXII.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DVIII.

Palatinus Vilnensis creatur a pontifice dux, oppidumque eius Murata erigitur pro ipso et descendentibus suis in ducatum.

Dilecto filio nobili viro Alberto Gastolt palatino Wyllnensi, oppidi in Morata Gyeranomi Wyllnensis diocesis in temporalibus domino.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Ad cognitam devotionis constantiam, fideique integritatem eximiam, quibus personam tuam, quam multiplicium virtutum donis illarum largitor decoravit altissimus, erga nos et Romanam ecclesiam clarere perspicimus, grandiaque per te pro sede apostolica contra Tartaros et alios schismaticos tua singulari probitate impensa servitia, et quae continuo impendere animo indefesso non cessas, nostrae dirigentes considerationis intuitum, merito inducimur, ut te et propter te posteros tuos attollamus honore tituli et gratia singulari. Sperantes igitur, quod quanto ab eadem sede maioribus gratiis cognoveris te munitum, pro illius statu et honore conservando et pro fide Christi contra eosdem Tartaros et schismaticos te pugilem constitues fortiorem, horum intuitu necnon consideratione charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis Illustris pro te nobis super hoc humiliter supplicantis inducti, te qui magni Ducatus Lithuaniae Cancellarius et Palatinus Wilnensis existis, filiosque tuos masculos legitimos et naturales natos et nascituros ex tuo corpore legitime descendentes, ipsorumque posteros masculos oppidi in Morata Gyeranomi Wyllnensis diocesis, cuius dominus in temporalibus existis, et quod apostolica auctoritate in Comitatum tenore praesentium sine alicuius praeiudicio erigimus, Comites auctoritate et tenore praesentium creamus et constituimus, ac Comitatus titulo insignimus, teque et posteros tuos praedictos Comites ipsius Comitatus sic erecti perpetuis futuris temporibus dici, censeri et reputari debere volumus ab omnibus et iubemus, ac in signum Comitatus huiusmodi armis tuis et Abdanyrae nuncupatis, quibus ab antiquo usus es, leonem coronatum inter anteriores et posteriores pedes extensos clypeum tenentem, et in ipso clypeo virum armatum galeam in capite et in sinu thoracem gestantem, ac per caput gladium districtum per marubium dextera et per acumen sinistra manibus tenentem adiungimus, assignamus, tibique et eisdem posteris, ut omnibus et singulis privilegiis, honoribus, exemptionibus, praeeminentiis et immunitatibus, quibus caeteri Comites per sedem praedictam creati utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere possitis, auctoritate et tenore praedictis indulgemus, Non obstantibus constitutionibus etc. Volumus autem, quod infra annum litteras desuper sub plumbo expedire tenearis, alioquin praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae etc. die xviii. Augusti 1529. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XLIX. ep. 495. pag. 1288.

DIX.

Rex Poloniae pontificem orat, ut fratres Minores S. Francisci Lithuanos a provincia eorumdem fratrum Polonica separare, eisque proprium Ministrum provincialem concedere velit.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et dñe, dñe benignissime. Humilem mei et dominiorum meorum commendationem et devotum beatorum osculandorum pedum affectum. Sunt in provincia dominii huius mei magni ducatus Lithuanie loca et monasteria certa fratrum ord. sancti Francisci minorum de observantia, qui hic Bernardini nuncupantur, quibus prelatus provincialis, quem ipsi ministrum vocant, nondum est hic constitutus: non multo enim a tempore observatio ordinis ipsius inolevit in gente hac, que et in fidei sancte catholice lucem de tenebris paganismi ab uno modo et altero nondum dimidio seculis traducta est, et quoniam fratres ipsi a primeva ordinis sui huc introductione irrepserunt in provinciam hanc e provincia Regni nostri Polonie, exinde aucthoritas ministri eorum provincialis provincie Polonice etiam in hanc provinciam Lituanicam cepit extendi super eos. Postquam vero increbescente hic validius indies ordinis eius observantia ex frequenti alumnorum patrie huius sub iugum ipsum sese mittentium confluxu, et celebri erga ordinem ipsum populi devotione, numerus et fratrum ipsorum et monasteriorum uberius accepit incrementum, ipsaque monasteria eorum et templa, in quibus bona pars optimatum patrie huius sepulturas sibi eligere consuevit, suppellectibus preciosis liberaliter sunt adornata, iam tum cepit indignum existimare egreque ferre populus is, fratres ipsos speciali suo in provincia hac carere ministro, quem penes superioritas eorum sit et regimen, quod ceteris singulis in provinciis ex consuetudine aut prescripto regule eorum observatur sancte et legitime, et insuper gravius etiam quiddam incessit populo huic et intollerabile de fratribus ipsis, quod

scilicet et dissidium quoddam manifestum scandalosumque inter eos ac monasteria quedam eorum, non sine delectabili quadam iactatione emulorum sancte matris ecclesie Catholice, quibus regio hec passim redundat, est exortum, et aurum atque argentum, aliaque preciosa, que in supellectilem et ornamentum ecclesiarum eorum porriguntur, per eos clandestine hinc subduci et exportari in provinciam Polonie, ibique gentilibus suis privatim ad usus prophanos erogari compertum, quod et controversiis nonnullis occasione certorum quorundam thesaurorum, profecto haud contemnendorum, in monasteriis eorum depositorum, ibique inversorum et suffocatorum contra eos motis, in propatulumque ad forum iudiciale delatis, et aliis documentis certis comprobatum, necnon per quosdam eiusdem professionis fratres hinc oriundos patrie sue iusta pietate ductos enucleatum est et insinuatum, indeque flagrantius inter eos ipsos fratres scilicet Polonos et Lithuanos odium excanduit, quo ut penitus corda eorum expientur, atque populo huic, abolita ab eo omni indignationis, doloris et scandali materia, pristina erga ordinem ipsum redeat propensio, fieri nequit, priusquam fratres ipsi et monasteria eorum provincie huius Lithuanice specialem suum prelatum, ministrum videlicet, ut ab ipsis dicitur, provincialem habere incipient, et distinguentur a provincia Polonie, quatenus tamen indigeant distinctione, cum nullo nexu legitimo cohereant. Nam si etiam provincia hec fuisset nodo quopiam provincie Polonie quo ad administrationem et religionem ordinis ipsius compacta, et si etiam nichil premissorum intercederet; nichilominus tamen, ex quo iam ordo ipse satis valide hic increbuit, separanda esset, et regimini specialis ministri ad instar aliarum committenda, cum sit non minor ceteris ea ipsa provincia dominii huius, quod principatu, stemmate potestateque est per se solidum, integrum et merum, longeque et late patens, in quo et monasteriorum ipsorum tanta est distantia, quod vix etiam a suo speciali ministro queant satis commode et sufficienter perlustrari; presertim cum crebriori indigeant prelatorum visitatione, utpote ea que inter neophitos et scismaticos ac infideles frequentissimos consistunt. Tametsi vero omnia hec exposuerim copiose generali ordinis eius ministro, hortans affectuose, ut premissis occurrendo specialem fratribus suis in provincia hac preficeret ministrum, postposuit tamen hoc facere ille, nescitur quam ob rem. Cum itaque iugiter me hic et impendio consiliarii mei et omnes proceres patrie huius de hoc sollicitent, nolentes iam per amplius ferre, quod fratres ipsi ita sine prelato suo speciali, nedum contra voluntatem eorum, sed etiam contra regule sue normam seu consuetudinem in patria hac perseverent: Ego pro mea peculiari in rem fidei sancte Catholice propensione et vigilantia cavens et provideri tempestive desiderans, ne quid a populo hoc in fratres ipsos, si ita sine prelato hic perseverare contenderint, committatur, quod nedum ordini ipsi, sed etiam, quod absit, ipsius sancte Catholice religionis nomini vergat in levitatem et multis in scandalum; unde pernitiosissimi et nephandi Lutherani et alii perfidi, quorum regiones provincie huic pluribus ex partibus finitime sunt et contigue, gestiant et glorientur, sui id exemplo seu contagione fieri censentes, id quod scelesti et perfidi ipsi, ut ceteros omnes trahant secum in precipitium, sitiunt et moliuntur, deferendum duxi id Sanctitati V. recurroque ad eam cum obnixis et instantibus precibus meis et consiliariorum meorum, totiusque populi dominii huius mei, ut dignetur, premissis de remedio opportuno paterne et benigne providendo, mandare et facere provinciam hanc quoad regimen fratrum ipsorum a provincia Polonie separari, et specialem hic fratribus ipsis prefici et constitui ministrum, quo primum ordini ipsi in partibus hiis bene consulatur, et gens hec scandalis et indignatione ipsa vindicetur, que in Sanctitatis V. paternum et pyum erga se officium, quod voti sui benignam ab ea habitam sentiet rationem, iugi et intima complexabitur devotione, eoque studiosius et ferventius insistent orationibus ad deum omnipotentem pro statu Sanctitatis V. felici, incolumi et tranquillo: id quod ex animo eidem Sanctitati V. exopto, et quam studiosissime eidem me et dominia mea commendo. Dat. Wilne, que est eius mei Magniducatus Lithuanie Metropolis, die XXII. Aug. Anno dñi MDXXIX.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DX.

Idem pontificem de misera condictione ecclesiae Rigensis edocet, petitque, ut electum Rigensem confirmet.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi divina providentia Pape VII. sancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Significavit mihi proximis diebus Rev.

dñus Ioannes Archiepus Rigensis, non enim ignorat Archiepatum Rigensem a maioribus meis magnis ducibus Lituaniae fundatum esse, ut dominus Magister Livonie, auxiliante suo ordine, nititur civitatem Rigensem sedem Archiepalem in suam subiectionem redigere. Cives autem Rigenses ipsum dominum suum et illius capitulum suis censibus et proventibus spoliarunt; denique eos eciam e civitate eiecerunt. Quibus rebus et aliis magnis racionibus permotus dominus Archiepiscopus assumpsit sibi in coadiutorem perpetuum cum futura successione ad illum Archiepiscopatum Rigensem Illustrem Principem dominum Wilhelmum Marchionem Brandemburgensem, Nepotem nostrum ex sorore charissimum, idque fecit dominus Archiepiscopus non solum consensu, sed eciam rogatu capituli ecclesie sue Rigensis, ex quo sperat, quin certissime sibi pollicetur, protectionem, auxilium et consilium pro conservacione ecclesie Rigensis privilegiorumque et libertatum illius ac statuum tam spiritualis quam saecularis. Proinde rogavit me enixe idem dominus Archiepiscopus, scriberem et supplicarem pro et cum eo Sanctitati V. ut sub uno sumptu et eodem impendio et Archiepiscopalis et coadiutoris confirmacio de benignitate Sanctitatis V. concederentur et expedirentur. Supplico igitur omni, qua possum, devotione Sanctitati V. dignetur pro sua genuina benignitate et debito officii pastoralis predicto domino Archiepiscopo, et ecclesie illius propiciam opem ferre in tali adverso casu, unaque opera et impendio et archiepiscopalem et coadiutoris confirmacionem concedere et expediri mandare, hoc maxime expenso, quod Archiepiscopatus simul et ecclesia Rigensis in eam venit condicionem, ut a subditis e civitate pulsi et omni proventu spoliati sint, nec in hoc satis fuit talibus subditis, sed moliuntur insuper Archiepiscopum (qui princeps est Romani Imperii) sub propria potestate habere. Hec si Sanctitas V. praestare dignabitur, arbitror, quod illi Ecclesiae et ministris eius in tam adverso et afflicto eventu, immo in extremo discrimine constitutae non modice subveniet et opitulabitur, quod ego Sanctitati V. modis omnibus ut obsequentissimus filius mereri semper studebo, cui me et Regnum meum Sanctitati vestrae iterum atque iterum commendo, cupiens illam in multos annos sanam et faelicissimam esse. Datum in civitate mea Cracoviensi duodecima die mensis Aprilis Anno Dñi MDXXX. Regni vero nostri Anno vigesimo quarto.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXI.

Regi Poloniae pontifex mentem suam de canonizatione B. Iacinthi aperit.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Praesentavit nobis Provincialis Regni tui Poloniae Ordinis Praedicatorum Maiestatis tuae litteras, quibus nobis expeditionem negotii Canonizationis Beati Iacinthi, qui tam vivus quam mortuus plurimis claruit miraculis, plurimum commendat, ut ad illius Canonizationem procedere dignaremur. Nos propter diversa ardua negotia, quibus ad praesens impliciti sumus, considerantes ad actum huiusmodi Canonizationis procedere non posse, ac desiderantes, quantum cum Deo nobis licet, tuis piis et honestis desideriis satisfacere, attendentesque, ut praefatus Provincialis nobis exposuit, fratribus dicti ordinis alias ab hac sancta Sede, in qua divina providentia sedemus, concessum fuisse, ut festum ac missa et officium eiusdem B. Iacinthi cum oratione de uno Confessore in omnibus ecclesiis domorum ordinis et Regni praedictorum celebrari posset: Maiestati tuae pro nunc concedendum duximus, prout per praesentes concedimus, quod in omnibus aliis ecclesiis etiam Cathedralibus, quas Regni tui duxeris eligendas et nominandas, Episcoporum et Praelatorum, quorum ecclesiae per Maiestatem tuam nominatae fuerint, expresso accedente consensu, Missa et officia cum oratione de uno Confessore celebrari possint, donec ad Actum Canonizationis deventum fuerit, ita tamen quod per hoc dictus Iacinthus canonizatus, et Cathalogo Sanctorum ascriptus nullatenus censeatur. Datum Romae etc. die 25 .Iunii 1530. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Brev. Tom. L. ep. 316. pag. 391.

DXII.

Cardinalis Campegius pontifici electum Culmensem commendat.

Sanctissimo Dño Nostro Papae.

Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum. Venit ad me Ioannes Dantiscus per Regem Poloniae ad Ecclesiam Culmensem nominatus, longamque calamitatis ac miseriarum suarum seriem, in

quam, dum rem christianam tueri et ab Ecclesiae finibus Lutheranam pestem arcere repellereque conatur, incidisse hominem constat, omnesque propterea Culmensis Ecclesiae facultates direptas ac vastatas fuisse, pluribus verbis enarravit, petiitque ac pro summa inter nos benevolentia vehementissime contendit, ut se Beatitudinis Tuae pedibus de meliori nota commendarem: quod profecto non illius aut mea magis quam tua, Pater S., causa libenter facio. Nam etsi Amico homini dolcissimoque rerum ferme omnium egenti officium meum praestare quam diligentissime debeo, ad te tamen totius Reipublicae Christianae Principem spectare iure optimo videtur, ut eos, praesertim tuo beneficio ornatos, tua gratia cumulatos velis, qui Christi causae pene periclitanti egregiam operam navant, qui se suaque omnia, ut Rempublicam servarent, fortunae ictibus obiicere ac funditus perdere non recusarint. Quae omnia Dantiscum fecisse pariterque fuisse perpessum, ita testatum atque adeo illustre esse apud omnes censeo, ut ea literis exequi minime opus sit. Equidem in hanc rem plura scriberem, nisi, quae tua est incredibilis bonitas, singularis clementia admirabilisque animi magnitudo, te tua sponte sine ulla mea commendatione daturum operam plane confidere, ut viri huius, cum docti, tum frugi, de te ac Republica optime meriti miseriis calamitatique consultum velles. Bene felicissimeque valeat Sanctitas Tua: cuius sñis pedibus humillime commendo me ac trado. Augustae sexto Idus Iulii 1530.

Humilis Servus

L. CARD. CAMPEGIUS.

Litt. ad Nuntios Tom. XVIII. fol. 40.

DXIII.

Carolus dux Munsterbergensis pontificem de luctuosa rerum ecclesiasticarum in Silesia conditione instruit.

Sanctissimo in Christo Patri et Dño, Dño Clementi Septimo divina providentia SS. Romanae atque adeo universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo et Gratiosissimo.

Sanctissime Pater, Clementissimeque Graciosissimeque Dñe. Post mei et debitae obedienciae humillimam commendacionem et oscula pedum beatorum. Sanctissime Pater, Non dubito, quin Sanctitas V. de Reverendissimi in Christo patris domini Caietani Cardinalis et Sanctitatis V. Legati de latere ad divum Ludovicum Hungariae Bohemiaeque Regem et literis et fideli relacione intellexerit, qua ego fide et devocione erga Sanctitatem V. et Sanctam Sedem Apostolicam fuerim, ut iis periculosis temporibus, sub regimine divi Ludovici et Hungariae et Bohemie Regis felicis memoriae, undique per totum Regnum Bohemiae, Slesiam, Moraviam et Lusaciam novo illo Lutheri dogmate et variis perniciosissimis emergentibus heresibus, me unum omnium conatibus et furori pro tuenda religione et dignitate S. V. et sanctae Sedis cum omnium rerum mearum et possessionum iactura opposuerim, quo studio hactenus mihi et Christiano Catholicoque principi nihil antiquius, nihil ardencius, nihil denique sanccius est, nec unquam esse debebit, quamquam me adversae faccionis potencia, et multae maximeque ex summa licencia commoditates ab instituto et observancia erga S. V. et sanctam Sedem avertere potuissent: sed ea non tantum averterunt, verum eciam eo usque excitarunt animum meum omnibus modis Sanctitati V. et Sancte Romane Ecclesie deditum, ut in apertum bellum contra desertores S. V. et S. R. E. prodirem, quo vel armis illos ad officium revocarem. Quod et factum est et ad S. V. perlatum esse novi. Siquidem S. V. suis mihi literis gracias egit, et cohortata est, ut tanquam Christianus Catholicusque princeps in instituto et syncera illa obediencia erga S. V. et S. R. E. perseverarem: itaque, Sanctissime Pater, pro mea devocione et obsequio erga S. V. et istam Sanctissimam divi Petri Sedem mihi persuadebo, S. V. ad omnia fore propiciam et clementem, ut sua paterna gracia meam istam devocionem prosequatur. Proinde ea spe tanquam certa et infallibili fretus, Sanctitatem V. humiliter exoro, cum filium meum et maiorem natu et charissimum dominum Ioachimum ordini Sancti Iohannis Hierosolimitani atque adeo religioni iniciari cupiam, et contendo quod in ea re apud Rev. et Magnificum dominum Philippum Vilerium de Vlysdamo Magnum Magistrum eius ordinis, quo patrocinio et qua authoritate nihil augustius in terris esse queat, iuvare, ac preterea in aliis omnibus negociis, que per eximium prestantemque virum Iacobum Lyncke Arcium Magistrum, Secretarium meum, ad S. V. summisse et humillime referenda supplicandaque e re mea fore putavi et illi commisi, graciosam et benignam et erga me et eundem Secretarium meum prestare dignetur, ut non tantum ego, sed eciam alii senciant, graciam et memoriam benefactorum erga Sanctam Sedem nunquam intermori, et Sanctitatem Vestram paterno affectu res . . . . et illorum dignitati et incremento favere ac consulere benignius,

qui se omnesque fortunas suas pro salute S. V. et S. R. E. exponunt. Commendo et offero me cum universa familia, dicione et subditis meis Sanctitati V. ad debite obediencie humillima obsequia. Datum in arce nostra Olsnicensi die XVII. mensis Octobris Anno Domini MDXXX.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Obedientissimus et devotissimus filius

CAROLUS Princeps Sacri Romani Imperii, Dux Monsterbergi in Slesia et Olsnicensis et Glacensis Comes, et Regie Maiestatis Locumtenens in Principatibus Sylesiae.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXIV.

Episcopo Vratislaviensi facultas absolvendi quoscunque suae civitatis et dioecesis lutherana labe infectos conceditur.

Venerabili fratri Iacobo Episcopo Wratislaviensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum sicut nobis innotuit, plures utriusque sexus in tuis civitate et dioecesi Wratislaviensi nefandae haeresis Lutheranae iamdudum per fe. re. Leonem Papam X. praedecessorem nostrum damnatae labe respersi, et illius erroribus infecti, se cooperante coelesti numine sub praetextu simulatae veritatis deceptos conspicientes, et ad cor reversi ab excessibus huiusmodi absolvi, et unitati Ecclesiae restitui desiderent: Nos, qui Salvatoris nostri imitatione laudabili lapsis in errores dexteram paternae pietatis libenter extendimus, et quos a iustitiae limitibus humani generis inimicus suis suggestionibus .... illius, qui non mortem, sed salutem desiderat peccatorum, acceptabiles reddere toto nixu exquirimus, volentes ipsorum poenitentium statui et animarum saluti salubriter prospicere, et de tuae fidei zelo et devotionis integritate specialem in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuae omnes et singulos utriusque sexus, et tam Ecclesiasticos quam saeculares tuarum civitatis et dioecesis Wratislaviensis dumtaxat huiusmodi labe pestiferae sectae infectos, si ad lumen veritatis redire, et haeresim huiusmodi in aeternum abiurare voluerint, postquam errorem suum penitus deposuerint, et de praemissis doluerint, idque humiliter petierint, accepta ab eis prius et ante omnia abiuratione haeresis et errorum huiusmodi, praestitoque per eos corporali iuramento, quod talia deinceps non committent, nec ea vel alia his similia committentibus seu adhaerentibus consilium, auxilium vel favorem per se, vel alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio praestabunt, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam in litteris Leonis praedecessoris nostri contentis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, et ab huiusmodi excessibus, delictis et criminibus et aliis in forma Ecclesiae consueta absolvendi, et super irregularitate propterea quomodolibet contracta dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam penitus abolendi, ac eos rehabilitandi, et ad nostrum et eiusdem Sedis Apostolicae gremium, Ecclesiae unitatem ac gratiam et benedictionem restituendi et reponendi, et alia omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria faciendi, et exercendi plenam et liberam auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam concedimus pariter et facultatem, Non obstantibus praemissis et quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus et Synodalibus Consiliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae etc. die XXII. Octobris MDXXX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Brev. Tom. L. pag. 881.

DXV.

Archiepiscopo Rigensi terminus sex mensium ad petendam et obtinendam apostolicam suae electionis confirmationem prorogatur.

Dilecto filio Thomae electo Rigensi.

Dilecte fili, salutem etc. Dudum nobis pro parte tua exposito, quod cum alias Ecclesia Rigensis provinciae Livoniae per obitum bo. me. Ioannis Archiepiscopi Rigensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destituta fuisset, et dilecti filii Capitulum dictae Ecclesiae, vocatis omnibus qui voluerant, potuerant et debuerant electioni huiusmodi interesse, die ad eligendum praefixa te in Arhiepiscopum Rigensem elegissent, tuque electioni huiusmodi praesentato Decreto consensisses, ac tu et Capitulum praedicti nuntium pro obtinenda a Sede Apostolica electionis praedictae confirmatione cum instrumentis publicis desuper confectis ad nos et eamdem Sedem misissetis, nuncius ipse ad nos

destinatus cum in Germaniam pervenisset, intellecta miserabili almae Urbis nostrae direptione, ac nostra tunc in Castro S. Angeli detentione, et Sedis Apostolicae oppressione, iter suum ad Urbem et Sedem praedictas veniendi continuare non audens, sed tamen, ut ex sua diligentia appareret, Regalia electo Imperatori solvi solita persolverat, et coram nonnullis eiusdem Provinciae Archiepiscopis, et Romani Imperii Electoribus de huiusmodi impedimentis, propter quae per ipsum nuntium non stabat, quominus pro dictae electionis confirmatione petenda, et obtinenda coram nobis se praesentare legitime protestatus fuerat. Et cum dictus nuncius huiusmodi protestatione per eum facta, ut praefertur, ad te non sine gravibus expensis, et itinerum periculis rediisset, et tu diligentiis per eum factis minime contentus, ad nos et Sedem praedictam praemissorum occasione ipsum remisisses, idem nuncius cum ad Civitatem Spirensem pervenisset, intelligens Italiam bellis et tumultibus plenam, et itinera secura minime fore, de huiusmodi legitimo impedimento protestatus, ad te re infecta iterum reversus: Nos tibi per alias nostras in forma Brevis litteras ad petendam confirmationem electionis huiusmodi ad annum a data earumdem litterarum computandum Apostolica auctoritate prorogavimus et extendimus, ita quod interim temporalia per te ipsum, spiritualia vero per Catholicum antistitem, gratiam et communionem dictae Sedis habentem exercere valeres, prout in eidem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut nuper pro parte tua fuit propositum coram nobis, tu ex certis causis infra dictum annum nuper elapsum confirmationem huiusmodi petere commode non potueris, nec de proximo posse speres: Nos te amplioris gratiae favore prosequi volentes, ac dictam Ecclesiam praemissorum occasione minime vacuisse decernentes, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam, sive notam per te fructus mensae Archiep̄alis Rigensis nihilominus interim forsan percipiendo contractam penitus abolentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut ad sex menses a data praesentium computandos confirmationem electionis huiusmodi a dicta Sede petere et obtinere minime tenearis, ac interim temporalia per te ipsum, spiritualia vero per Catholicum antistitem, ut praefertur, exercere valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et pariter indulgemus, Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die VI. Novembris MDXXX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Brev. Tom. L. ep. 592. pag. 950.

DXVI.

Eidem, ut munus consecrationis ab uno antistite, assistentibus duobus abbatibus etc. suscipere possit.

Dilecto filio Thomae Electo Rigensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Meritis tuae devotionis inducimur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque nos nuper electionem de persona tua in Archiepiscopum Rigensem per dilectos filios Capitulum ecclesiae Rigensis, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, canonice celebratam de fratrum nostrorum consilio per quasdam duxerimus approbandam, praeficiendo te illi in Archiepiscopum et Pastorem, ac tibi, ut a quocumque malles catholico antistite gratiam et comunionem apostolicae sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus catholicis Episcopis similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeres, ac eidem antistiti, ut illud tibi impendere posset, plenam et liberam facultatem per alias nostras litteras concesserimus, prout in eisdem litteris plenius continetur; et sicut nobis nuper exponi fecisti, assistentia duorum aut trium antistitum ad munus praedictum tibi impendendum in partibus illis de facili, et nisi cum gravi incommodo haberi nequeat, tuque ex certis causis munus ipsum infra tempus a canonibus de consecrandis Episcopis diffinitum suscipere commode posse non speres. Nos volentes commodis tuis in praemissis peramplius consulere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, antistiti per te ad munus huiusmodi tibi impendendum dictarum posteriorum litterarum vigore eligendo, ut assistentibus sibi duobus vel tribus Abbatibus, aut aliis duobus in dignitate constitutis personis, munus ipsum alias iuxta formam posteriorum litterarum praedictarum tibi impendere libere et licite valeat, ac tibi, ut usque ad trimestre a fine dicti temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti munus ipsum suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, praemissis ac Lateranensis Concilii, et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et

consuetudinibus, coeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, et tecum super hoc dispensamus. Datum Romae etc. die vi. Martii MDXXXI. Pontificatus nostri Anno Octavo. Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. LI. pag. 574.

DXVII.

Episcopo Cracoviensi, ut Sigismundo Sobek, nepoti cancellarii regni Poloniae, vacantes canonicatum et praebendam in sua ecclesia conferre possit.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Christophorus comes Cracoviensis et regni Poloniae cancellarius, quod cum de canonicatibus et praebendis cathedralium ecclesiarum regni Poloniae iuxta privilegia apostolica nobilibus personis providere deberet, propterea desiderat, quod si contingeret canonicatum et praebendam ecclesiae tuae Cracoviensis, quos dilectus filius Raphael Choteczki ipsius ecclesiae canonicus obtinet, in mensibus nobis reservatis vacare, de illis dilecto filio Sigismundo Sobek clerico Cracoviensis diocesis, ex sorore nepoti, de nobili genere procreato, provideri: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi eius desiderio annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Christophori in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitatem tuam hortamur, ut occurrente dictorum canonicatus et praebendae vacatione, si illos in mense tuo ordinaria auctoritate, si vero in mense apostolico nobis reservato vacare contigerit, eidem fraternitati tuae mandamus, ut illos prefato Sigismundo auctoritate nostra conferas et de illis etiam provideas, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dictae ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica etc. roboratis, nec non gratiis expectativis, sub quibus canonicatus et prebenda praedicti forsan comprehenderentur, caeterisque contrariis quibuscumque, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari,... Volumus autem, quod praefatus Sigismundus infra sex menses a die sibi factae collationis necessariam provisionem a sede apostolica impetrare et litteras apostolicas desuper expedire, ac omnia iura camerae apostolicae, si qua fuerint persolvenda, persolvere teneatur, alioquin canonicatus et praebenda vacare censeantur. Dat. Romae etc. die ix. Martii MDXXXI. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. IX. Tom. LI. pag. 2413.

DXVIII.

Omnibus celebrationi primae missae electi Camenecensis praesentibus indulgentia plenaria conceditur.

Clemens PP. VII. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum populum Christianum spiritualibus epulis desiderio singulari pascere delectemur, tamen singularius in Missae misteriis reficere spiritualiter nos delectat, quo inibi pro cunctis fidelibus omnium salvator immolatur. Cupientes igitur Christicolis primae Missae per dilectum filium Petrum Electum Camenecensem in ecclesia, quam eligendam duxerit, solemniter celebrandae celebrationi interessentes spiritualium largitione munerum laetificari, et ut omnes utriusque sexus Christifideles celebrationi huiusmodi Missae eo libentius intersint, quo ex hoc ibidem dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus praefatis vere poenitentibus et confessis, seu propositum confitendi habentibus, primae Missae huiusmodi interessentibus plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, remissionem auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, Praesentibus post primae Missae huiusmodi celebrationem minime valituris. Datum Romae etc. die xxiv. Martii MDXXXI. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. pag. 690.

DXIX.

Iacobus episcopus Vratislaviensis pontificem de insidiis Lutheranorum in sua dioecesi edocet.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et dño, domino Clementi Papae septimo, sacrosanctae ac universalis Ecclesiae summo Pontifici, domino suo clementissimo.

Sanctissime ac beatissime pater et domine, domine clementissime, Post devota beatorum pedum oscula humillimam sui ipsius commendationem. Clementissime domine, Si vestrae Sanctitati in au-

gusta humanarum rerum moderatione, Dei optimi maximi numine, omnia foeliciter et ex sententia succedunt, est quod sibi prout devotus obedientiae filius et cultor una cum pauculis iis cleri mei reliquiis, quicumque adhuc in hac suprema rerum omnium turbatione et calamitate superesse possunt, iugiter et summopere gratuler. Ad quam quidem, licet ingens esset scribendi campus et argumentum, quanta impressione et erumna res ecclesiastica Ecclesiae meae id temporis laboret, inter lutheranas hasce et Czwinglianas impietates, que iam, nobis oppressis, ferme ubique victrices regnant, tamen quum et sacra regia Mai. domini nostri gravi hac Turcica expeditione ita occupata, ut istis vulneribus impresenciarum mederi haud vacet, eciam cognoscere et re ipsa experiri possum, pro horum temporum malignitate V. quoque Sanctitatis rationes impediciores esse, quam ut res Ecclesiae meae taliter laborantes cum aliquo effectu sublevare ad praesens queat: Ideoque, ne eis malis recensendis sacras eius aures evulnerem, ea omnia interim divine clemenciae omnis equi et iniqui vindici pacienter permitteret, perferre cogor.

Caeterum Sanct. vestrae impresenciarum obedienter suggero, innotuisse mihi quod quidam rerum alienarum satagentes et cupidi apud Sanc. V., forte non sine etiam Cesarearum commendationum prerogativa, instant et laborant, ut mihi Coadiutor quispiam ex eis a Sanct. V. detur et surrogetur, quod quantum divinare et ex eorum moribus coniicere datur, eo forte intento moliuntur, ut tali compendio et pretextu pedem in Ecclesiastica bona figentes, adeptis Ecclesiae Castellis et bonis, eadem posthac per huiusmodi occupationem haereditarie retineant, aut ad minus ab Ecclesia mirabilibus artibus alienent et intervertant, sicuti etiam in certis Germaniae locis et alibi similiter in talibus contigisse palam est. Et licet ad id faciendum omnino causa desit, me diu nondum quinquagenario, nec ad res administrandas (uti spero) in quoquam inhabili et deficienti, neque mihi in mentem venire possit de Sanct. V. suspicari, ut contra tenorem iuris, presertim quum mea Ecclesia liberum eligendi ius ex antiquo obtineat, atque etiam compactatis nationis Germanicae inclusa sit, aliquid tale, me inscio, in dictaque causa minus aeque decernat: tamen, ut est iam hominum cupiditas et extrema audacia, Sanct. V. si quidquam tale ad eam perveniret, in huiusmodi eventum praemonitam et avisatam volui, Eamdem debita reverencia humiliter rogans, quum ego me hactenus in omnibus, prout honestum et obedientem decet, gesserim, ut mihi a nullo quicquam sinistri possit imputari aut vicio dari, quatenus Sanctitas vestra quidquam tale contra me admittere nolit. Nam si hoc contingeret, ut iam sunt solutae omnium conscienciae, hoc praesertim tempore, in quo et confitendi et communicandi consuetudo ferme ubique adempta inductaque penitus est, profecto vix aberit, quin ego de vita et capite meo, insidiis tollendo, pericliter, et si utique id a principalibus minus fieret, tamen ab adherentibus, qui spe aut aliqua quapiam novandarum rerum ratione tenerentur, esset reverendum: quare, ne id contingat, in V. Sanct. clemencia situm est, nam si utique talis minus aequa intrusio mihi intentaretur, fortasse etiam prae manu haberem tales rationes, que posthac Ecclesiasticae rei minus commodarent: quanquam spes mihi reliqua sit, Sanct. vestram hoc ipsum minime admissuram esse, ut pro cuius dignitate et auctoritate ego caput hoc meum hactenus periculis et erumnis omnibus obieci, atque in eius obediencia et cultu per dura et iniqua omnia ulterius impigre permanere et immori fixum deliberatumque habeo: Cuius sanctissimorum pedum osculo, me humillima subiectione offero et deditissime commendo.

Ad postremum Sanctitatem V. supplex oro, quo de tali Coadiutoriae intrusione securior esse possim, quatenus me litteris suis responsivis huic nuncio (quem etiam Sanct. V. in rebus eius uti hominem integrum commendo) tradendis per modum brevis huius sollicitudinis causa sublevare et assecurare clementer dignetur, prout etiam regia Mai. etc. patentibus litteris facere nuper dignata est. Datum Nyssae die duodecima mensis Aprilis anno domini MDXXXI.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humillimus Capellanus

IACOBUS EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS.

Litt. Principum Tom. VII. fol. 205.

DXX.

Episcopo Cracoviensi, ut quae ex denario S. Petri etc. collegerit, regi Poloniae pro restaurandis arcibus etc. tradat.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi fructuum et proventuum Camerae Apostolicae in Regno Poloniae Collectori et Nuncio nostro.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Ex relatione dilecti filii Ioannis Vilamoroski, pro parte charissimi in Christo fili nostri Sigismundi Poloniae Regis Illustris ad Nos et Sedem

Apostolicam Nuncii destinati, accepimus, quemadmodum innumerabilis et fera Moschorum et Valachorum, et aliorum schismaticorum multitudo nomini Christiano semper infesta, compluresque diversarum sectarum, populi acerrimi Catholicae fidei hostes, circumsidentes Lithuaniae, Russiae Podoliaequae terras praefati Regis ditioni subiectas assiduis incursionibus depopulationibusque, nec sexui, nec aetati, (nec) personarum conditioni parcentes, igne et ferro ita devastarunt, ut non solum multi Christi fidelium millia partim crudelissime trucidaverint, partim in miserabilem inde captivitatem abduxerint; verum etiam quamplures ecclesias, in quibus religiose divinus cultus exercebatur, diversasque Arces et Castella quae ad illarum terrarum praesidia fuerunt a maioribus aedificata, violenter everterint, pluribusque solo aequatis, atque in tantum immanes vires suas per Regna et Potentatus illos iam extenderint, ut nisi manus adiutrices praefato Regi illis [iis] calamitatibus remedia quaerenti, eiusque afflictis regionibus pie afferantur, non modo terris ac locis illis, sed etiam christianitati universae periculum immineat manifestum, et praesertim si Turcus potentiam suam contra Regnum Poloniae converteret, et eosdem Tartaros, Valachos et alios Christi nominis hostes, ut dominia et terras praefatas ab alia parte urgerent, sollicitaret, prout quondam fecit: Eapropter nos ex debito pastoralis officii commissi nobis Dñici gregis praesidio, ac tutelae providere, et calamitates huiusmodi quantum cum Deo possumus, nostraeque suppetunt facultates, avertere cupientes, ac fel. rec. Leonis PP. X. praedecessoris nostri, qui propter praemissa ea, quae ex denario sancti Petri in dicto Regno et tota provincia Gneznensi proveniebant, et sibi ac Sedi Apostolicae debebantur, in Ecclesiarum, castorum et arcium ac fortalitiorum destructorum huiusmodi reparationem ad decennium, quod proximo mense Octobris finire et expirare debet, integre et cum effectu assignari mandavit, vestigiis inhaerere, Regemque et regnum huiumodi non minori studio charitatis, quam dictus praedecessor, prosequi volentes, fraternitati tuae praesentium tenore committimus et mandamus, ut ea, quae ex denario sancti Petri in dictis Poloniae Regno et tota provincia Gneznensi Camerae Apostolicae proveniunt, nobisque debentur, nomine nostro in Ecclesiarum, arcium et castellorum huiusmodi destructorum reparationem, praesertim Castri Camysnecz, quod Regni illius quoddam propugnaculum semper est habitum, instaurationem in eum usum, in quem praefatus Leo praedecessor ad dictum decennium illa liberaliter tradi commiserat, in manus illius, quem Rex ipse ad talem curam per suas litteras tuae fraternitati praesentandas deputaverit, integre et cum effectu ad aliud decennium a fine dicti decennii computandum tradas, et assignes pro dicti Camynecz et aliorum castrorum, arcium et fortalitiorum diruptorum reparatione, per eundem a praefato Rege deputandum exponenda et dispensanda, quorum omnium, ad hoc officium successive per Regem deputandorum conscientias ex nunc oneramus, ut ad hunc et non alium effectum talia in manus ipsis per te consignata fideliter exponant; proviso tamen quod ipse, qui talium restaurationum curam geret, tibi de biennio ad biennium sub paena regia plenam et sufficientem expensorum rationem reddat, quae calcula fideliter apud se tua fraternitas observet, loco et tempore suo nobis aut successoribus nostris, aut Camerae Apostolicae per eandem praesentanda. Datum Romae etc. die XIX. Iunii 1531. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 431. pag. 1147.

DXXI.

Ioanni electo Vilnensi indulgetur, ut sacros ordines et munus consecrationis uno die suscipere possit.

Dilecto filio Electo Vilnensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cum alias Ecclesia Vilnensis tunc certo modo vacaret, te tunc in minori aetate constitutum de fratrum nostrorum consilio Administratorem in spiritualibus et temporalibus, donec ad XX. tuae aetatis annum pervenires, Apostolica auctoritate deputavimus, et deinde de persona tua eidem ecclesiae oportune prout ex ea die providimus, teque illi in Episcopum et Pastorem praefecimus, ac tibi, ut a quocumque malles Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente munus consecrationis recipere valeres, necnon eidem Antistiti, ut illud tibi modo et forma tum expressis licite impendere posset, indulsimus, tecumque super defectu natalium, ex Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri et quondam Catarina de Elschtyn nato, quem pateris, dispensavimus, ac forsan tecum, postquam ad aetatem legitimam pervenisses, ut munus consecrationis huiusmodi recipere non tenereris, dispensavimus, et forsan etiam litteras dispensationis huiusmodi ad certum tempus tunc etiam expressum prorogavimus, prout in diversis in forma Brevis litteris desuper confectis plenius continetur. Et sicut nobis nuper exponi fecisti, litterae

constitutionis in Administratorem, et provisionis ac praefectionis et muneris consecrationis, et prorogationis huiusmodi in Palatio Episcopali una cum parte Ecclesiae Vilnensis incendio combustae fuerint, illas ad praesens habere nequeas, munusque ipsum consecrationis suscipere intendas: Nos commodis tuis favorabiliter consulere volentes, tibi, ut a quocumque malueris Antistite in Regno seu Civitate praefatis residente ad omnes et sacros et presbiteratus ordines, etiam uno et feriato die, et unico contextu alias rite promoveri, et deinde sibi assistentibus duobus aliis Catholicis Antistitibus, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis huiusmodi suscipere libere et licite valeas, ac eidem Antistiti, ut ordines praefatos tibi modo praemisso conferre, ac etiam ipse aliis duobus Episcopis sibi assistentibus, ut praefertur, munus ipsum tibi impendere licite possit, recepto prius a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento iuxta formam praesentibus annotatam, plenam et liberam auctoritate praefata tenore praesentium facultatem concedimus, Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus ac in Sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Forma autem iuramenti per te praestandi talis est. Ego Ioannes Episcopus Vilnensis ab hac hora in antea fidelis, et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Sedi etc. ut supra pag. 450. Datum Romae etc. die xxviii. Iunii 1531. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 456. pag. 1215.

DXXII.

Petro episcopo Cracoviensi, ut in monasteriis Poloniae collapsam regularem disciplinam instauret.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Meditatio cordis nostri assidue hoc inter alia continet specialiter, ut Monasteria et alia Religiosa loca, ac in eis divinis placitis mancipatae personae ad debitae reformationis normam in spiritualibus et temporalibus reducantur. Exponi nobis nuper fecit Charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris, quod licet in Regno suo quamplura Monasteria, domus et loca sancti Benedicti et Cisterciensis ac Praemonstratensis Ordinum fundata et dotata fuerint, ut in singulis Monasteriis, domibus et locis Missae ac horae Canonicae, et alia Divina officia ac suffragia pro illorum fundatoribus et institutoribus celebrarentur et recitarentur, in illisque laudabiliter et honeste viveretur, et regularis observantia observaretur; tamen in praesentiarum in Monasteriis, domibus et locis praedictis illorum personae utriusque sexus laxatis habenis vitam minus honestam ducunt, et per eos Missae et alia divina officia iuxta illorum fundatorum et institutorum voluntates, et prout per illos ordinatum extitit, non celebrantur, nec alia ordinata adimplentur: quo fit, ut divinus cultus in eis diminuatur, et pia ipsorum fundatorum et institutorum vota defraudentur, ac plures devotae personae dicti Regni, quae alia Monasteria et religiosa loca ex eorum bonis fundare et dotare (intendunt), conspicientes incuriam et negligentiam Religiosorum et Religiosarum personarum in adimplendis piis monasteriorum, domorum et aliorum locorum sacrorum fundatorum voluntatibus, ab huiusmodi fundationibus retrahantur, et ad alia se convertant, et propterea tam in capitibus quam in membris reformationis officium exposcunt, maxime quod illorum utriusque sexus personae ad vetita prosiliunt, et despecta norma regularis disciplinae vitam a Religione alienam ducant, non sine animarum suarum pernicie et divina maiestatis offensa, Religionis opprobrio et pernicioso plurimorum exemplo. Quare praefatus Sigismundus Rex nobis humiliter supplicari fecit, ut pro Divini cultus et regularis observantiae propagatione circa reformationem monasteriorum, domorum et aliorum locorum huiusmodi ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui nihil aliud temporibus nostris magis appetimus, quam Ecclesiarum et Monasteriorum ac Religiosorum locorum reformationem fieri, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus fraternitas tua una cum uno alio vel duobus Praelatis, per ipsum Sigismundum Regem, si tibi videbitur, nominandis, per vos vel aliquos probatae vitae et doctrina praeditos, ac Deum timentes et Religionem zelantes viros, quos ad id duxeris eligendos, convocatis vobiscum et cum dictis deputatis aliquibus Religiosis Ordinum, quorum Monasteria, domos et loca reformanda fuerint, etiam Deum timentibus, ad singula tam praedictorum quam aliorum quorumcumque Ordinum dicti Regni reformanda Religiosorum et Monialium Monasteria, domos et loca personaliter accedentes, et solum Deum prae oculis habentes, omnia et singula Religiosorum et Monialium Monasteria, domos et loca huiusmodi, ac eis Praesidentes, et

alias illorum personas in spiritualibus et temporalibus auctoritate nostra visitetis, nec non quae inibi pro praemissis et decenti Missarum et aliorum Divinorum officiorum celebratione, ac cultu divino ac alias pro illorum felici et prospero regimine correctionis vel reformationis ministerio indigere repereritis, prout vobis iuxta Canonicas sanctiones ac Instituta Monasteriorum, domorum et Ordinum eorundem expedire videbitur, reformetis, corrigatis, emendetis, et in melius commutetis, ac omnia per institutores et fundatores imposita adimpleri facere curetis. Nos enim, ut excussis quae Monasteriorum, domorum et locorum personarum huiusmodi offuscant decentiam, exemplares mores proveniant, ac in eis regularis observantia vigeat, et personae ipsae merito religiose Domino servientes dici possint, vobis ac deputandis praedictis omnia et singula tam virorum quam mulierum et monialium Monasteria, domos et loca praedicta una cum dictis Religiosis ac aliis personis visitandi, illaque tam in capitibus quam in membris, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus reformandi, et ad regularem observantiam reducendi, illamque in eis firmandi, et personas sub observantia degere recusantes iuxta regularia statuta eorum Ordinum, et excessuum qualitatem et exigentiam debitis poenis puniendi, nec non omnia alia et singula, quae iuxta regularia Instituta dictorum Ordinum et Canonicas sanctiones ad honorem Dei, Religionis augmentum, animarum salutem et bonorum exemplum Christi fidelium, ac alias prosperum regimen et felicem successum Monasteriorum, domorum, locorum et personarum earundem necessaria noveritis seu opportuna, faciendi, disponendi, exequendi, statuendi, ordinandi, et quae per vos statui et ordinari contigerit, sub excommunicationis latae sententiae et aliis censuris et poenis Ecclesiasticis, de quibus vobis videbitur, observari faciendi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis ac praeeminentiae, nobilitatis vel conditionis fuerint, per excommunicationis, suspensionis et Interdicti aliasque formidabiliores, de quibus vobis videbitur expediens fore, sententias, censuras et poenas, sublato diffugii et appellationis obstaculo, compescendi, et si opus fuerit, saeculare brachium invocandi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem, Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Monasteriorum, domorum, locorum et Ordinum praedictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis et litteris Apostolicis illis sub quibuscumque verborum formis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine concessis et approbatis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, quoad praemissa omnia specialiter et expresse derogamus illaque eis nullatenus suffragari debere, ac praesentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Praelati Ecclesiastici munitis eandem prorsus fidem, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhiberentur vel ostenderentur, in iudicio et extra adhibendam fore decernimus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod de his, quae praesentium vigore gesta per vos fuerint, nos quamprimum certiores per vestras litteras facere curetis, Praesentibus post annum minime valituris. Datum Romae die XXIX. Iunii 1531. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 465. pag. 1240.

DXXIII.

Ioanni Zirniski et officiali Gnesnensi, ut clericos et laicos ad solvendas episcopo Cracoviensi debitas decimas cogant.

Dilectis filiis Ioanni Zirnizki Canonico Ecclesiae Gneznensis et officiali Gneznensi vel eorum alteri.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Petrus Episcopus Cracoviensis, quod quamplures clerici et laici civitatis et dioecesis Poznaniensis, diversa et etiam quamplura decimas, census, fructus, redditus, proventus, obventiones, iura et emolumenta ad ipsum Petrum Episcopum, dum regimini et administrationi Ecclesiae Poznaniensis ex concessione et dispensatione Apostolica praeerat, legitime pertinentia, et ab eis sibi et mensae Episcopali Poznaniensi legitime debita, et per ipsum Petrum Episcopum ab eis minime exacta, neque accepta, eidem Petro Episcopo, prout tenentur, dare et solvere indebite recusarunt hactenus, et adhuc recusant de praesenti, in animarum suarum periculum, et dicti Petri Episcopi praeiudicium non modicum et gravamen.

Quare pro parte eiusdem Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnes et singulas, quas ipse contra praefatos Clericos et laicos ac quoscumque alios sua in praemissis communiter vel divisim interesse putantes super decimis, censibus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ab eis debitis huiusmodi, rebusque aliis latius deducendis et illarum occasione tam coniunctim quam divisim movere intendat, causas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictorum Clericorum et laicorum nomina, cognomina et qualitates praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis per haec Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis dictis Clericis et laicis, ac aliis qui fuerint evocandi, causas praefatas etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, cum omnibus et singulis eorum incidentiis, dependentiis et connexis auctoritate nostra audiatis, et auditis hinc inde propositis, eas fine debito terminetis et decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, et nihilominus vobis praefatos Clericos et laicos, si vobis etiam summarie constiterit, quod ad eos pro citationibus de ipsis faciendis tutus non pateat accessus, etiam praedictos publice citandi ac eis et quibusvis iudicibus et personis aliis etiam sub censuris Ecclesiasticis, et pecuniariis vestro arbitrio imponendis, et moderandis poenis, quoties opus et prout iuris fuerit, inhibendi, necnon eos, qui inhibitioni huiusmodi non paruerint cum effectu, censuras Ecclesiasticas et pecuniarias poenas in dicta inhibitione contentas praefatas incurrisse declarandi, et legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praefatas iteratis vicibus aggravandi, necnon auxilium brachii saecularis invocandi plenam et liberam auctoritate praefata tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, et aliis apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si Clericis aut laicis praefatis etc. Datum Romae etc. die VII. Iulii 1531. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 480. pag. 1286.

DXXIV.

Rex Poloniae pontifici pro agnis Dei sibi missis gratias agit commendatque negotiorum suorum Romae curatorem.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summo Pontifici, Domino clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Transmisit ad me ex commissione Sanctitatis V. Rmus in Christo pater dominus Laurentius miseracione divina Episcopus Prenestinus, et Sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinalis, Regnique et dominiorum meorum protector, pixidem agnus dei sacrati plenam simul cum diplomatibus gracie Iubilei tam ad Vilnensem, quam Plocensem ecclesias per Sanctitatem V. clementer et munifice concessi, quae munera etsi ipsa propter se et ex religionis racione maximi a me habeantur, ob eam tamen mittendi illa ad me Sanctitatis V. benignitatem, quam erga me declarare sponte sua dignata est, fuerunt mihi summe iucunda et grata: quare pro illis simul et pro ista Sanctitatis V. liberalitate ac paterni singularisque sui in me amoris declaracione immortales illi ago et habeo gracias, que etiam quoad vixero, perpetua mea observancia et studio curabo Sanctitati V. semper referre ac demereri. Ceterum est istic apud istam sanctam sedem in officio penitenciarie venerabilis Stanislaus Rzeczicza utriusque iuris doctor et subditus, atque agens et curator istic negociorum meorum, quem ego pro ipsius fide et singularibus de me meritis aliquo gratitudinis et gracie mee testimonio remuneratum iri cuperem: quare supplico Sanctitati vestre, ut illi de gracia expectativa seu aliqua reservatione singulari et graciosa providere dignetur, qua hic in Regno meo sacerdocia ad summam quingentorum ducatorum consequi ante alios valeat, in quo Sanctitas V. rem mihi gratam facere dignabitur, et quam ego illi omni studio et facultate mea demereri semper curabo. Felicissime valeat Sanctitas vestra, meque cum Regno et dominiis meis solito favore et pietate paterna prosequi dignetur. Datum Cracovie die duodecimo Iulii Anno domini MDXXXI. Regni mei XXV.

Eiusdem Sanctitatis Vestre Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. susbscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXXV.

Mathias episcopus Vladislaviensis in archiepiscopum Gnesnensem electus confirmatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Mathie episcopo nuper Vladislaviensi alias Cuiaviensi in archiepiscopum Gnesnensem electo, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis pretulit universis, solicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesie statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum ac locorum et temporum qualitas exigit, ac ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona ecclesie sibi commisse non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Dudum siquidem bone memorie Iohanne archiepiscopo Gnesnensi regimini ecclesie Gnesnensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia predicta per obitum eiusdem Iohannis archiepiscopi, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te episcopum nuper Vladislaviensem alias Cuiaviensem consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et quod tu, qui ecclesie Vladislaviensi alias Cuiaviensi hactenus laudabiliter prefuisti, et pro quo Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Polonie Rex illustris nobis super hoc per suas litteras supplicavit, eandem ecclesiam Gnesnensem scies, voles et poteris, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Gnesnensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te licet absentem a vinculo, quo prefate ecclesie Vladislaviensi alias Cuiaviensi, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum eorundem consilio apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam ecclesiam Gnesnensem de simili consilio apostolica auctoritate transferimus, teque illi in archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Gnesnensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad eandem ecclesiam Gnesnensem transeundi licentiam tribuendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia Gnesnensis sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementum. Volumus autem, quod antequam regimini et administrationi dicte ecclesie Gnesnensis te in aliquo immisceas, in manibus venerabilium fratrum nostrorum Cracoviensis et Posnaniensis episcoporum, seu alterius eorum fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam: quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romane ecclesie nomine huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus adveniant, et tue bone fame odor ex laudabilibus tuis actibus huiusmodi latius diffundatur, ac dicta ecclesia Gnesnensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quingentesimo trigesimo primo, pridie Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Gnesnensi, quatenus eidem Mathie Electo humiliter intendentes et exhibentes sibi obedientiam et revorentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter etc. et universis vassallis ecclesie Gnesnensis, populo et clero civitatis et diocesis Gnesnensis, universis suffraganeis et episcopis Cracoviensi et Posnaniensi et Sigismundo Polonie Regi.

Ex Reg. orig. An. IV. Bullar. Tom. CXXVII. fol. 194.

DXXVI.

Idem archiepiscopus eam ob causam ab censuris, si forsan aliquibus ligatus sit, absolvitur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Mathie episcopo Vladislaviensi alias Cuiaviensi, salutem etc. Apostolice sedis consueta clemencia, ne dispositiones per eam de metropolitana et aliis cathedralibus ecclesiis pro tempore facte valeant quomodolibet impugnari, sed persone ad eas promovende illis puro corde et sincera conscientia presidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie te a vinculo, quo ecclesie Vladislaviensi alias Cuiaviensi, cui prees, teneris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvere, et ad ecclesiam Gnesnensem ad presens certo modo pastoris (solatio) destitutam de simili consilio apostolica auctoritate transferre, teque illi in archiepiscopum et pastorem preficere intendamus: Nos, ne si forsan aliquibus sentenciis et censuris ecclesiasticis ligatus sis, translatio et prefectio predicte possint propterea quomodolibet impugnari, providere volentes, te a quibusvis excommunicationis etc. innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio et prefectio predicte ac singule littere apostolice desuper conficiende suum debitum sortiantur effectum, auctoritate predicta tenore presentium absolvimus et absolutum fore nunciamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie Gnesnensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et nuntiationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. mdxxxi. pridie Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Bull. Tom. CXXVII. fol. 195.

DXXVII.

Electo Revaliensi, ut munus consecrationis ab antistite cum assistentia alterius episcopi et uno vel duobus abbatibus suscipere possit.

Dilecto filio Ioanni Electo Revaliensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Exigentibus meritis tuae devotionis inducimur, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Cum itaque nos hodie Ecclesiae Revaliensi, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, de persona tua de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate providerimus, praeficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, ac tibi, ut a quolibet malles catholico antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis similes communionem et gratiam habentibus, munus consecrationis recipere valeres, ac eidem Antistiti, ut munus ipsum auctoritate nostra impendere libere tibi posset, plenam et liberam facultatem concesserimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur; et sicut exponi nobis fecisti, numerus Episcoporum ad munus praedictum tibi impendendum iuxta tenorem dictarum litterarum requisitus in partibus illis, nisi cum magna difficultate et gravi incommodo, etiam propter locorum distantiam et itinerum discrimina haberi non possit, nobis humiliter supplicari fecisti, ut ne propterea munus ipsum suscipere diutius impediaris, tibi super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur volentes commoditatibus tuis favorabiliter consulere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut Catholicus Antistes, quem ad hoc duxeris eligendum, assistentibus sibi uno alio Ep̄o, et uno Abbate, seu duobus Abbatibus, munus praedictum aliquo Dominico, vel alio duplici festivo die alias iuxta dictarum litterarum tenorem super munere huiusmodi tibi impendendo confectarum, impendere et tu illud suscipere libere et licite possitis in omnibus et per omnia, perinde ac si cum eodem Antistite duo alii Catholici Antistites praesentes forent et in hoc sibi assisterent, auctoritate praedicta tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, coeterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romae etc. die xxx. Aug. mdxxxi. Anno VIII. Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 567. pag. 1519.

DXXVIII.

Rex Poloniae pontificem de victoria a Vallachis et Vaivoda relata certiorem reddit.

Sanctissimo in Christo patri et domino, dn̄o Clementi septimo divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, dn̄e Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Credo non ignorare Sanctitatem ve-

stram esse in vicinia mea Valachos populos bellicosos et in militari disciplina exercitatos, quibus semper tiranni Vaywode preesse consueverunt, qui etsi christianorum Principum nomen sibi ab antiquo usurparunt, nichil tamen minus unquam prestiterunt, quam quod ad officium professionis christiane pertineret. Nam et qui predecessorum meorum tempore vixerunt, et qui etate mea gentibus predictis imperarunt, continuas insidias et bella Regno et subditis meis moliebantur. Ita eciam Vaywoda presens maiorum suorum morem imitatus, hyeme proxime preterita ausu temerario et libidine nephanda concitatus, contra federa et iusiurandum, quod michi prestitit, provinciam Regni mei sibi propinquiorem hostiliter invasit et indefensam propter non speratam eius perfidiam occupavit. Qua iniuria ego provocatus cum suasu consiliariorum meorum ad eripiendam provinciam ab illo meam paulo ante exercitum meum misissem, factum est ope divina et fortuna mea, quod Capitaneus mei exercitus partim stratagemmate, partim sua militumque bellica virtute primo adventu Valachos hostes meos e sedibus dicte provincie, non parva strage facta, eiecit. Ad quem casum excitatus perfidus hostis etsi valida manu atque pregrandibus copiis comparatis recens denuo adversus milites meos aciem instruxisset, Dei tamen omnipotentis auxilio, cui fraus et iniusticia ipsius probe erat cognita, et ductu Capitanei atque fortitudine militum meorum iterum de illo sum insignem victoriam consequutus; ita quod is ipse hostis meus, vulneribus duobus susceptis et vexillo suo potissimo atque tormentis bellicis magnis circiter quinquaginta amissis, coactus sit cum legionibus suis fuga sibi consulere, de quibus pars magna cesi, pars in captivitatem ducti sunt. Quo optatissimo nuncio cum ego maiorem in modum sim consolatus, leticie eius mee et publici tanti gaudii participem quoque Sanctitatem vestram facere volui, quam pro sua erga me benignitate et amore paterno in hoc michi congratulaturam esse confido, et favore suo me ita in reliquum tempus adiuturam, ut omnipotens Deus, quam victoriam michi et christiano subiectionis mee populo de perfidis hostibus tribuere incepit, misericorditer prosequi ad gloriam sui nominis dignetur. Dominus Deus servet Vestram Sanctitatem nobis et ecclesie sue diutissime sospitem et felicem, cui me uti patri clementissimo omni studio eciam atque eciam commendo. Datum Cracovie die quarta Septembris Anno domini MDXXXI. Regni mei anno XX.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXXIX.

Epus Cracoviensis nuncius apostolicus in regno Poloniae cum facultate conferendi quaecunque beneficia etc. constituitur.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum nos nuper certis rationabilibus suadentibus causis omnia et singula beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura ubilibet existentia in Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris et Novembris mensibus usque ad certum tempus tunc expressum extra Romanam Curiam tunc in antea vacatura, ad collationem et provisionem, seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, non tamen sub concordatis inter Sedem Apostolicam et quoscumque alios initis comprehensorum, quomodolibet pertinentia, salvis tamen et in suo robore remanentibus nominationibus et reservationibus specialibus et generalibus qualitercumque nuncupatis, intuitu Charissimorum in Christo filii et filiae nostrorum Sigismundi et Bonae Regis et Reginae Poloniae Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi, dicti Regni Vicecancellario, et aliis personis quomodocumque nuncupatis per nos concessis seu revalidatis, prout in litteris in forma Brevis nuper concessis latius expressimus, dispositioni nostrae reservaverimus, decernentes ex tunc irritum et inane quicquid secus contigerit attentari: Nos, ne beneficia reservata huiusmodi in dicto Regno pro tempore vacatura alicuius vacationis praegraventur incommodis, aut illorum possessiones et fructus a quibusvis indebite occupentur, providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia fraternitatem tuam, de qua in his et aliis specialem in Domino gerimus fiduciam, Procuratorem nostrum et dictae Sedis Nuncium specialem ad nostro et eiusdem Sedis nomine beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura in Regno et sex mensibus praedictis extra dictam Curiam quibusvis modis pro tempore vacantia, ut praefertur, reservata, quorum omnium fructus, redditus et proventus quingentorum ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant, etiam si Canonicatus et praeben-

dae, dignitates etiam maiores post Pontificalem seu principales, personatus, administrationes, vel officia etiam curata et electiva in Cathedralibus et Metropolitanis vel Collegiatis ecclesiis, ac dispositioni Apostolicae specialiter vel alias ex quavis causa etiam de necessitate exprimenda generaliter reservata vel affecta fuerint, personae seu personis per nos tibi nominandis conferendum, et de illis providendum, sine praeiudicio quorumcumque privilegiorum Regi et Reginae praefatis per Sedem Apostolicam quomodolibet concessorum, auctoritate Apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus. Et nichilominus dilecto filio Stenislao Pozerzyza Clerico Gnesnensis diocesis, utriusque Iuris Doctori, Capellano et in Basilica Principis Apostolorum de Urbe minori Poenitentiario nostro, praefati Sigismundi Regis in dicta Curia negotiorum gestori, etiam consideratione ipsius Regis nobis super hoc per suas litteras humiliter supplicantis, ut decentius sustentari possit, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, eidem fraternitati tuae beneficia huiusmodi in Regno et sex mensibus praedictis extra eandem Curiam, ut praefertur, vacatura, etiam ut praemittitur, qualificata, etiam alias reservata seu affecta, quorum omnium insimul fructus, redditus et proventus valorem annuum praefatum non excedant, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Stanislao, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinenti et expectanti, curata ulterius, seu aliter incompatibilia per eum iuxta tenorem dispensationum sibi desuper pro tempore concessarum retinenda conferendi, et de illis etiam providendi, ac eum vel Procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem beneficiorum, illorumque Iurium et pertinentiarum praedictarum inducendi, et inductum defendendi, nec non eum ad illa admitti ac sibi de illorum fructibus responderi faciendi, Contradictores quoque aut tibi in praemissis molestiam seu impedimentum quodcumque directe vel indirecte quomodolibet praestantes per censuras et poenas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendi, et alia in praemissis et circa ea necessaria faciendi et exequendi plenam et liberam facultatem concedimus, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, nec non privilegiis et indultis Apostolicis illis sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium forsan concessis et approbatis, nec non quibusvis concessionibus et gratiis praeventivis de beneficiis Regni huiusmodi in favorem quarumcumque personarum quomodolibet forsan concessis et concedendis, quas et quae illarumque vim et effectum quoad hoc omnino suspendimus, et in huiusmodi beneficiis effectum sortiri aut locum sibi vindicare non posse decernimus, illisque ac statutis, nec non privilegiis et indultis praedictis, quorum omnium tenores, formas et effectus praesentibus haberi volumus pro expressis, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, decernentes ex nunc irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romae etc. die XIII. Octobris MDXXXI. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. pag. 1873.

DXXX.

Episcopis Cracoviensi et Vladislaviensi, ut alienationes bonorum mensae episcopalis ecclesiae Gnesnensis per praedecessores praesentis archiepiscopi factas revocent.

Venerabilibus fratribus Cracoviensi et Wladislaviensi Episcopis vel eorum alteri.

Clemens PP. VII. Venerabiles fratres, salutem etc. Expositum nobis fuit pro parte Venerabilis fratris Matthiae Archiepiscopi Gnesnensis, quod tam quondam Ioannes Laski, quam nonnulli alii ipsius Matthiae in Archiepiscopatu Gnesnensi praedecessores, qui fuerunt pro tempore, decimas, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, hortos, campos, prata, pascua, nemora, sylvas, iura, iurisdictiones et nonnulla alia bona ad mensam Archiepiscopalem et ecclesiam Gnesnensem spectantia, in gravem eorumdem mensae et ecclesiae laesionem, nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, prout in litteris patentibus seu publicis instrumentis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cupiens igitur M. Archiepiscopus dicta bona sic alienata ad mensam seu ecclesiam praedictas reduci, nobis humiliter supplicari fecit, ut dictae ecclesiae indemnitati succurrere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibns inclinati, fraternitati vestrae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis detentoribus dictorum bonorum, et aliis qui fuerint evocandi, ea, quae de bonis mensae et ecclesiae Gnesnensis per con-

cessiones huiusmodi contra aut praeter sacrorum Canonum dispositionem alienata inveneritis, vel distracta, ad ius et proprietatem mensae et ecclesiae Gnesnensis huiusmodi, prout iuris fuerit, revocare curetis, Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, et aliis Apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque, at si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae etc. die xx. Octobris MDXXXI. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 673. pag. 1877.

DXXXI.

Archiepiscopo Leopoliensi ad aliud decennium visitatio liminum apostolorum prorogatur.

Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod alias felicis recordationis Leo praedecessor noster, cum accepisset ob loci, in quo resides, maximam ab hac Urbe distantiam non posse limina Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ut ob praestitum per te tempore tuae ad ecclesiam Leopoliensem promotionis iuramentum tenebaris, visitare, tibi, ut ad decennium dicta limina etiam per procuratorem visitare non tenereris, per suas in forma Brevis litteras concessit, prout in illis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tu ob ingravescentem aetatem, quae tibi postea supervenit, dicta limina minus valeas ad praesens visitare, et propterea cupias decennium praefatum ad aliud decennium prorogari: Nos aetati tuae compatientes tuaeque commoditati consulere volentes, decennium per Leonem praedecessorem tibi concessum praedictum, intra quod, ut asseris, adhuc existis, ad aliud decennium a fine alterius decennii praedicti computandum auctoritate apostolica per praesentes prorogamus, teque dicto per nos prorogato decennio durante, a vinculo per te praestiti iuramenti, ad effectum ut interim limina visitare non tenearis, per easdem praesentes dicta auctoritate absolvimus, Non obstantibus praemissis ac omnibus illis, quae dictus Leo praedecessor voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romae etc. die x. Novembris MDXXXI. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Brev. Tom. LI. ep. 738. pag. 2044.

DXXXII.

Pontifex matrimonium Georgii ducis Slucensis rutheni cum Helena Radivilia virgine latina confirmat.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex domini nostri Iesu Christi in terris vicarius, qui ecclesie Romane sponsus et caput existit, illa, que pro pace et concordia inter cunctos fideles sue vigilantie creditos firmanda et solidanda processisse dicuntur, sue approbationis munimime libenter corroborat, ut valeant exinde firmiora stabilioraque perdurare. Sane Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Polonie Rex Illustris sui, et dilecti filii nobilis viri Georgii ducis Slucensis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Helene nominibus nobis nuper exponi fecit, quod alias postquam nobis pro parte ipsius Sigismundi exposito, quod dictus Georgius dux, qui ipsius Regis subditus erat, ac ritu et more Grecorum et Orientalis ecclesie vivebat, alias tamen fidem catholicam profitebatur, ex certis causis matrimonium cum aliqua virgine orthodoxa et ritum sancte Romane ecclesie servante contrahere desiderabat: Nos tunc attendentes in concilio felicis record. Eugenii pape IIII. predecessoris nostri, Florentie celebrato, Grecos cum Romana ecclesia consensisse, tam Sigismundi Regis quam Georgii predictorum supplicationibus inclinati, cum eodem Georgio duce, ut cum quacunque virgine orthodoxa et iuxta ritum Romane ecclesie vivente cuiuscunque status, preeminentie et excellentie, etiam si ducalis foret, ac cum orthodoxa muliere, ut ipsa cum ipso Georgio duce matrimonium contrahere et in eo, postquam contractum foret, etiam eodem Georgio duce ritum Grecorum [etiam] servante, remanere valeret, per alias litteras dispensaveramus, prout in illis plenius continetur, dictus Georgius dux dispensationis huiusmodi vigore matrimonium cum dicta Helena virgine quondam Nicolai Radwil palatini et magni Lithuanie ducis cancellarii, dum viveret, filia per verba legitime de presenti contraxit, ac in huiusmodi contracto matrimonio inter Georgium ducem et Helenam prefatos,

ipsius Helene genitore et fratribus consentientibus, conventum extitit, quod Georgius dux, qui in ritu Grecorum genitus et in eodem vivebat, in illo usque ad extremum vite, et similiter Helena virgo in ritu et religione dicte Romane ecclesie usque ad eorum obitum perseverarent, ac quod quecunque proles masculina subsecutura ritu Grecorum esset baptizanda et in eodem permaneret, et quod prima proles feminea sive antea sive post nata foret, ritu Grecorum etiam esset baptizanda, que autem postea genita esset, ritu Romano baptizaretur, in quo permaneret usque ad ultimum, etiam si prima illa filia esset morte sublata, et si procedente tempore nascerentur plures femine, alternativa in baptizando servaretur, et una ritu Grecorum, alia vero ritu Romano baptizaretur, quarum (?) etiam partes matris sequerentur, et in qua nata foret vel baptizata, in eodem perseveraret, et quod neque pater neque etiam mater hanc vel illam adversi ritus proles debeat quoquomodo inducere, aut vi cogere ad eum ritum, in quo foret semel baptizanda, deserendum et alium amplectendum, quin potius deberent obluctari utrique tam pater quam mater prolem ipsorum ad hoc quomodocumque inducentibus, et huiusmodi conventiones Georgius dux et Helena datis fideiussoribus sub pena quadraginta millium florenorum, quorum una fisco regio, alia vero partes alteri parti observanti esset numeranda, firmarunt, prout in publico instrumento seu aliis documentis desuper confectis plenius continetur: quare dictus Sigismundus Rex suo et Georgii ducis et Helene predictorum nominibus supradictis nobis humiliter supplicari fecit, ut pro pacis et concordie federibus inter proceres regni et dominiorum suorum componendis conventionibus huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aut alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quorum est, que pacis sunt et concordie, sinceris prosequi favoribus, Georgium ducem et Helenam prefatos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac instrumentorum et documentorum predictorum veriores tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, conventiones et pacta seu capitula huiusmodi, ac prout illa concernunt, omnia et singula in instrumentis seu documentis predictis contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Wilnensi, et dilecto filio abbati Claretumbe alias in Mogila Cisterciensis ordinis Cracoviensis diocesis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quecunque, ubi et quando opus fuerit, ac quotiens pro parte Georgrii ducis et Helene predictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solempniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra conventiones huiusmodi firmiter observari, non permittentes eos desuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus premissis ac quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo trigesimo primo, quarto Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Bullar. Tom. CXLVIII. fol. 181.

DXXXIII.

Ioanni Dantisco electo Culmensi oratori regis Poloniae apud imperatorem tempus suscipiendi munus consecrationis prorogatur.

Dilecto filio Ioanni Dantisco Electo Culmensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Meritis tuae devotionis inducimur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum alias postquam

nos ecclesiae Culmensi, tunc certo modo Pastoris solatio destitutae, de persona tua de Venerabilium fratrum nostrorum consilio per quasdam sub plumbo expeditas providendum duxeramus, praeficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, tibi, ut usque ad unum annum proxime futurum a fine temporis de consecrandis Episcopis a Canonibus definiti computandum munus consecrationis suscipere minime tenereris, nec ad id a quoquam invitus compelli posses, per alias in forma Brevis litteras indulserimus, prout in litteris ipsis plenius continetur. Et sicut exponi nobis nuper fecisti, tu, qui, ut asseris, pro charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Rege illustri apud charissimum etiam in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum Orator destinatus, et circa ardua negocia tam ipsum Sigismundum Regem, quam orthodoxam fidem concernentia apud ipsum Carolum Imperatorem non parum praepeditus existis, munus ipsum infra dictum annum, cuius finis, ut etiam asseris, de proximo instare dignoscitur, suscipere commode posse non speres: Nos commodis tuis in praemissis per amplius consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, annum praefatum, infra quem, ut asseris, adhuc existis, ad alium annum a fine primo dicti computandum, quo durante munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, praemissis ac Lateranensis Concilii, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium prorogamus et extendimus. Datum Romae etc. die prima Decembris 1531. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LI. ep. 784. pag. 2174.

DXXXIV.

Pontifex regi Poloniae se votis eius de duce Slucensi et de indulto Leonis X. satisfecisse nuntiat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Reddiderunt nobis mense Septembris proxime praeteriti dilecti filii Erasmus Abbas Monasterii Claraetumbae extra moenia Cracoviensia, ac Stanislaus basilicae Principis Apostolorum de Urbe minor poenitentiarius per manus dilecti filii nostri A. tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbyteri Cardinalis Pistoriensis, maioris poenitentiarii nostri, binas Serenitatis tuae litteras die xi. mensis Septembris proxime praeteriti Cracoviae datas, ex quibus ac ex ipsius Abbatis sermone illud in primis cognovimus, quod nobis quam gratissimum fuit, Maiestatem tuam cum Charissima in Christo filia nostra Regina eius coniuge, ac liberis suis dilectissimis optime valere; deinde eandem Serenitatem tuam plurimum optare, ut quaedam Capitula inter dilectum filium Nobilem virum Georgium Ducem Slucensem, et dilectam in Christo filiam Nobilem mulierem Helenam eius coniugem in ipso foedere matrimonii, vigore nostrae dispensationis contracti, Serenitatis tuae intuitu confirmare; nec non ut extensionem Bullae Ordinariis Regni sui Poloniae per felicis recordationis Leonem Papam Decimum praedecessorem nostrum, ac nos concessae ad aliorum Praelatorum, Abbatum, Praepositorum, Collegiorum, et cuiuslibet Ordinis Ecclesiasticorum collationes, ac etiam ut in eventum revocationis gratiarum expectativarum per nos faciendae nominationes tam Serenitati tuae, quam praefatae Reginae eius coniugi, gratiasque expectativas seu reservaciones Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi Regni sui Poloniae Vice-Cancellario, ac aliis eiusdem Maiestatis tuae familiaribus per nos concessas, de novo concedere seu confirmare, ac quantum opus esset, renovare de benignitate Apostolica dignaremur. Quibus perceptis plurimum laetati sumus occasionem quotidie dari, qua Serenitas tua clarius cognoscat, quam paterna eam ac Regnum et Regnicolas tuos charitate ac benevolentia prosequamur: propterea Capitula ipsa per nostras tum sub plumbo, tum etiam in forma Brevis desuper expeditas litteras confirmari mandavimus, sicut pluribus anni diebus extensionem ipsius Bullae Ordinariis Regni sui concessae, nec non confirmationem seu revalidationem nominationum, gratiarumque expectativarum seu reservationum tam Serenitati tuae, quam Reginae eius coniugi, ac aliis Regni sui personis praefatis eius intuitu per nos concessarum expediri mandaveramus, prout ex tribus nostris desuper expeditis Brevibus et dudum ad Serenitatem tuam transmissis eidem Serenitati tuae latius constare poterit, ut intelligat piis eius desideriis in omnibus, quae cum Deo possumus, paterno affectu nos semper annuere. Datum Romae etc. die iii. Ianuarii 1532. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LII. ep. 5. pag. 11.

DXXXV.

Georgio duci Slucensi de eius matrimonii confirmatione pontifex scribit.

Dilecto filio Nobili viro Georgio Duci Slucensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili Nobilis vir, salutem etc. Licet Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri abunde scripserimus, quam libenti animo ac paterno affectu Nobilitatem tuam in omnibus, quae tam eius Maiestas quam ipsa Nobilitas tua et per litteras, et per dilectum filium Erasmum Abbatem Monasterii Claraetumbae nobis novissime supplicarunt, gratificati fuerimus: noluimus tamen praeterire, quin et eidem Nobilitati tuae per nostras litteras significaremus, quemadmodum eandem Nobilitatem tuam una cum dilecta in Christo filia Helena eius coniuge omnium votorum suorum, quantum cum Deo potuimus, compotes fecimus, prout ex nostris tum sub plumbo auri, tum in formá Brevis desuper expeditis litteris, ac etiam ex relatu ipsius Abbatis clarius cognoscere atque intelligere poterit. Deumque clementissimum ac omnium bonorum largum datorem enixe rogamus, pietate sua concedat, ut sicut istud matrimonium Apostolicis auspiciis contractum consummatumque fuit, sic Apostolica quotidie benedictione repleatur, fructus in dies producendo, quos christianissimi coniuges, quales vos esse non dubitamus, et optare et sperare merito debent. Datum Romae etc. die III. Ianuarii 1532. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LII. ep. 2. pag. 4.

DXXXVI.

Regi Poloniae, ut una cum reliquis christianis principibus ad defendendam Italiam contra Turcas accurrat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Etsi Serenitatem tuam ut propinquiorem haec, quae ad eam scribimus, per se novisse existimamus, tamen cum nos te ut praestantissimum Regem ac Principem omnium, quae ad communem salutem et relligionem pertinent, participem facere et nobiscum ac cum Principibus caeteris in commune consulere cupiamus, haec ipsa quamquam serius ad eam perventura sint, quam necessitas postulet, tamen ad Serenitatem tuam scribere eique communicare voluimus. Nuperrime enim reversus ab Hierosolymis Venerabilis frater Marcus Grimanus Patriarcha Aquilegensis gravi et formidoloso nuncio animum nostrum perculit: retulit enim nobis ac Venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, cum ipse in reditu Constantinopoli transiens, Aloysium Gritti Venetiarum Ducis filium, qui apud Turcarum tyrannum atque apud eum omnia moderantem Ibraym Bascia maxima auctoritate pollet, convenisset, illum certissime sibi affirmasse et Venetias nunciare iussisse, ipsum Turcam numerosissimam classem duosque maximos exercitus apparare, ut proximo vere cum his ad damna Christianitatis erumpat; quorum quidem alterum terra ipse ducturus, alteri maritimo ipsum et Ibraym prefecturus et ad invadendum Italiam missurus sit. Quibus illud etiam adiectum est, ipsum Turcam cum Sophy Persarum Rege nova amicitia ita esse connexum, ut nihil ipse in bellum Christianum intentus ab eo timere possit. Deinde autem paucis... diebus subsecutae sunt multorum litterae ex Constantinopoli idem confirmantium, et terrorem maxime augentium. Haec, fili Charissime, non magis ex ipso indicio quam ex praeteritis apparatibus et summa hostis potentia atque in nos odio timere cogimur, ne tam saepe nunciata ut futura fieri aliquando videamus, quando ad tot et tantas hostis potentissimi minas et apparatus omnes torpemus, nihilque preter moram et cunctationem obiicimus. Convocatis itaque statim ad nos ac eosdem fratres nostros omnium Principum, qui apud nos sunt, oratoribus, et de tota re plene edoctis, illos omnes hortati sumus, ut ad suum quisque Principem scriberet, et in communis salutis defensionem aliquam suscipiendam ex Dei et nostra parte requireret et hortaretur. Quorum operam etiam nos nostris litteris sumus prosecuti, et cum Serenitate tua nunc prosequimur, ut quamvis hoc idem iam toties frustra tentavimus, omneque auxilium prae hostis diligentia, nostraque secordia serum iam fore iudicemus, non cessemus tamen a nostro officio ad extremum usque interitum, quem nos quidem a Deo preoptamus, priusquam nostris temporibus publicam Christianitatis ruinam videamus. In te autem, fili charissime, ad sanctam fidem ab eius hostibus tuendam adhortando nobis aperta et facilis via est, non solum quia tui officii tuaeque pietatis et virtutis est id praestare cum caeteris; verum quia tu omne vite tempus in hoc gloriosissimo et sanctissimo belli genere consumpsisti. Ratio autem communis salutis una atque expedita est,

si omissis consultationibus, celeritateque maxima adhibita, Italiam, quae primum illi contra nos aditus est, collatis auxiliis defendamus: illa enim amissa, hostem intra viscera accepturi aegre repellemus, neque sperandum est, quin is postea more incendii proxima quaeque corripientis demum ad ulteriora pervadat, nullusque miserae christianitatis angulus, aut tam abdita regio esse mox poterit ab eius saevitia immunis, si prima ei concesserimus. Quae omnia, fili charissime, sicut prudentiam tuae Serenitatis non fugiunt, ita a tua pietate, fortitudine et gloria expectamus, et per Iesum Dominum a te petimus, ut publicam causam una nobiscum, qui te apostolica voce vocamus, cum ceteris Principibus suscipias, et omni consultatione abiecta statim... quam in hoc duxeris conferendam, ad commune Italiae presidium conferas. Nos enim, qui nulla privata ratione aut commodo nostro, sed tantum publicae salutis ducimur, omnem operam, laborem, studium, mentem nostram, omnesque Ecclesiae facultates ad Dei honorem, tuique et ceterorum Christianorum Regum sumus collaturi, vitam quoque libenter profusuri, si quid nostro interitu prodesse Christianae reipublicae possimus. Quod si quispiam, non dicimus tuam Serenitatem, a qua nihil non ea dignum expectamus, nos ac caeteros in communi defensione deseruerit, Deoque et fidei sanctae suae et universali omnium Christifidelium saluti defuerit, tum nos, ut nulla in parte nostri muneris desimus, his apostolica voce denunciamus vindicem Dei iram, ad cuius tribunal universi, qui effundatur, Christiani sanguinis reos se sciant esse futuros. Nos quidem ipsi omnis culpae nos expertes Deo et hominibus probabimus: nihil enim quod in nobis fuit, pretermisimus, denunciavimus periculum, ostendimus remedium, imploravimus omnium virtutem et pietatem, nec monendo, nec hortando, nec rogando unquam defuimus, neque in posterum sumus defuturi, omnibusque tandem frustra tentatis ea etiam non pretermittemus remedia, quae Predecessores nostri in tali casu pro Dei honore et communi salute adhibenda censuerunt, tuam Serenitatem, ut vicissim suo officio, honori et pietati inserviat, nosque in hoc sancto labore coadiuvet, illam in Domino plurimum adhortamur, quemadmodum et confidimus eam esse facturam. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IV. Ianuarii MDXXXII. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Archytypo Instrum. Miscell. Poloniae.

DXXXVII.

Helenae ducissae Slucensi et liberis suis conceditur, ut sibi confessorem eligere et altare portatile etc. habere possint.

Dilectae in Christo filiae Nobili mulieri Helenae dilecti filii Georgii Ducis Slucensis consorti.

Clemens PP. VII. Dilecta in Christo filia, salutem etc. Meritis tuae devotionis, qua nos et Romanam revereris Ecclesiam, inducimur, ut piis votis tuis, praesertim quae ex devotionis fervore proveniunt, et per quae spiritualis salutis tibi proveniat incrementum, ac conscientiae pacem et animae tuae salutem, Deo propitio, consequi valeas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi ac tuis ex dilecto filio Nobili viro Georgio Duce Slucensi tuo marito procreatis utriusque sexus liberis, ut aliquem presbyterum idoneum saecularem, vel cuiusvis ordinis regularem in vestrum possitis, et quilibet vestrum possit eligere confessorem, qui vita vobis comite vos et vestrum singulos a quibusvis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, etiamsi ab eis absolutio Sedi Apostolicae specialiter vel generaliter reservata foret, ac quorumcumque votorum et iuramentorum, nec non ecclesiae praeceptorum transgressionibus, ieiuniorum et poenitentiarum iniunctarum in toto vel ex parte omissionibus, et quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, de quibus esset Sedes praedicta merito consulenda, videlicet in casibus dictae Sedi qualitercumque reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis, ter in vita dumtaxat, et semel in mortis articulo, in aliis vero eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opportunum fuerit, confessionibus vestris diligenter auditis absolvere, ac vobis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere, nec non vota quaecumque, ultramarino, visitationis liminum Apostolorum beatorum Petri et Pauli, ac sancti Iacobi in Compostella, nec non castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, similiter ter in vita et in mortis articulo, etiamsi mors tunc non subsequatur, plenariam remissionem et absolutionem, ita ut huiusmodi plenaria remissio in vero mortis articulo vobis tunc, ut praefertur, confessis et contritis suffragetur, auctoritate apostolica impendere possit, liceatque tibi et

liberis praefatis, ac vestrum singulis habere altare portatile, super quo in locis ad hoc convenientibus et honestis etiam non sacris sine iuris alieni praeiudicio, et cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, et si forsan ad loca ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita, vos aut aliquem vestrum declinare contigerit, in illis, clausis ianuis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce, in vestra et familiarium vestrorum domesticorum pro tempore existentium praesentia, dummodo causam non dederitis huiusmodi interdicto, nec vobis contigerit specialiter interdici, possitis per proprium vel alium sacerdotem idoneum ad id a vobis eligendum missas et alia divina officia celebrari facere, ac tempore ipsius interdicti in ecclesiis, ianuis clausis, missis et aliis divinis officiis huiusmodi interesse, et illas, ut praefertur, celebrari facere, ita ut celebrantibus ad culpam nequeat imputari, et si contingat vos tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora vestra etiam cum decenti funeralis pompa ecclesiasticae tradi valeant sepulturae, quodque singulis quadragesimalibus et aliis cuiuslibet anni temporibus, nec non stationum basilicarum et ecclesiarum almae Urbis et extra muros eius unam, vel duas ecclesias, seu unum, duo vel tria altaria unius vel diversarum ecclesiarum in civitate, oppido seu loco, in qua seu quo pro tempore esse contigerit, per vos eligendum seu eligenda devote visitando, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quas consequeremini et consequi possetis, si in eisdem diebus et temporibus basilicas et ecclesias stationum Urbis et extra muros huiusmodi ad id deputatas personaliter visitaretis, nec non eisdem quadragesimalibus et aliis totius anni temporibus, et diebus quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri et aliorum lacticiniorum de iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis ac carnibus tempore necessitatis uti et vesci libere et licite valeatis, tuque in Christo filia, et filiae tuae, ut praefertur, procreatae una cum sex vel septem mulieribus honestis monasteria monialium ordinum quorumcumque, etiam inclusarum, etiam sanctae Clarae, ter aut quatuor in anno, de licentia tamen earum, quae monasteriis ipsis praefuerint, etiam libere et licite ingredi, ac cum eisdem monialibus colloqui, et dummodo ibidem non pernoctetis, refectionem suscipere, et inibi divinis officiis interesse possitis, auctoritate apostolica praefata per praesentes de speciali gratia indulgemus, Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis quarumcumque indulgentiarum et facultatum eligendi confessoris, qui in casibus dictae Sedi reservatis absolvat, suspensionibus, revocationibus, derogationibus seu limitationibus per nos et Sedem eandem, etiam in favorem Basilicae Principis Apostolorum de Urbe aut Cruciatae vel alias quomodolibet, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis forsan pro tempore factis, sub quibus praesentes litteras nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ne (quod absit) propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi Confessorem reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, quod si a sinceritate fidei, puritate Romanae Ecclesiae et obedientia et devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificem canonice intrantium huiusmodi destiteritis, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsan commiseritis, concessio et remissio huiusmodi, et quoad illas eaedem presentes vobis nullatenus suffragentur, ac quod indulto celebrari faciendi ante diem parce utamini, quia cum in altaris ministerio immoletur D. N. I. C. Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Datum Romae etc. die x. Ianuarii MDXXXII. Anno Nono. Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LII. ep. 734. pag. 2087.

DXXXVIII.

Electus Tarbatensis pontificem de sua electione in episcopum Tarbatensem certiorem reddit, et confirmari petit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Clementi sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Pontifici Maximo, Dño meo Clementissimo ac Gratiosissimo.

Beatissime Pater ac Dñe, Domine Clementissime. Post devotissimorum obsequiorum meorum oblationem et mei Ecclesieque mee commendationem, ac Sanctitatis V. oscula pedum beatorum. Agnosco et ingenue fateor, postquam nutu Omnipotentis ad presulis munus evectus, confestim quoque, ut id V. S. Rom. ac item Cath. Ecclesie obedientem filium decet, confirmationem vel omnino requirendam, quod et summis semper viribus nisus sum, ne inobedientie mihi iure impingeretur quicquam eo, dum adhuc in Germanicis partibus mee diocesis negotia agerem, quod item apud Revm̃um Archipresulem Ma-

guntinum etc. protestatus sum, rebus meis, ut par erat, non minus ac summopere necessarium consulere volens, penes me, cuius et nunc adhuc, cum id animo profecto pertinacius adhereat, vel infracte sum intencionis, omnino constitueram, etiam tum quando tota Italia ancipiti Marte armis misere iactabatur, quibusvis pernitiosissimis non obstantibus periculis, ad V. S. proficisci: sum tamen preter omnem spem et voluntatem hys precipue tumultuantibus temporibus urgentissimis ac item inevitabilibus causis prepeditus, et quod vehementer doleo, a proposito necessario distractus: una, que potissima atque item V. S. clementissimis auribus, quod enixe deprecor, attendenda, quod pene pre ceteris omnibus universi Orbis Provintiis vel meam miseram diocesim Lutherana illa colluvies, que nisi partim meis vigiliis, partim mea mansuetudine et lenitate, cum id presentia tempora mihi ac ruinate Ecclesie mee quantumvis invitis, exigant, non tamen sine maximo meo et Ecclesie mee interitu, cum hoc ipso et decime, que unicum et meum et Ecclesiasticorum meorum omnium fomentum, quas item tot iam annis vel eo non recepimus, fere omnino abolete, nimirum invaserat, et hodie elucescat magis, nisi consuluissem, parum abfuit, ne illa labe funditus interisset: altera, que non minus urgens, quod dulcis mea patria, que iure ex intimo cordis cum natura me eo urgeat, quam diligentissime amplectanda, qua disturbata nihil mihi salvi ex intestinis prochdolor bellis, nisi mea opera citra tamen arrogantie labem meisque vigiliis, laboribus, curis, hinc inde profectionibus et vel maximis impensis, unde per fidem erarium exhaustum, res iterum composite atque sedate fuissent, fere esset perdita: tertia, qua item nervi vel omnino mei erarii exhausti, sumptus, ut fit, sumptibus addici, expirato foedere inter me et Ruthenos, quibus ceteris omnibus sum vicinior, ad ineundum novum foedus non sine maxima mea iactura nec minoribus impensis, cum prima Legatio, que iam ad Muscoviam et extremas illas Schiticas oras fere protenderat, iussu Magni Imperatoris, ut ille habet et iubere et mandare, cum quecumque libeant, eadem illi liceant, (omnino nihili) patriam repetere coacta, iam secundario pro obtinenda pace, quibus quibus (sic) meis ultra posse novit Deus, qui scrutator cordium, vel maximis impensis mei oratores istac vicissim missi, et novum tandem foedus ad aliquot saltem annos observatum. Quomodo ergo, Sanctissime atque item Clementissime Pater, id quod S. V. pro innata pietate et clementer et equa lance humilime precor, erutinabit et auribus inculcet, fieri poterit, uti simul magno meo detrimento ex lapsa atque pene diruta et merito commiseranda diocesi confirmationem, que non mea negligentia, sed iustis premissis causis dilata, et per V. S. Apostolica Brevia, id quod enixe atque obsequiossime regratior, hactenus relaxata expedirem, rebus nihilominus iam compositis, scio mei muneris esse confirmationem apud V. S. requirendam: humili itaque devotione V. S. rogo et obtestor, ut habito miserrimarum mearum conditionum ac crudelissimorum Ruthenorum respectu, quorum animi cum meos, qui se se christianos predicant ab Apostolica et Catholica fide deficere vel apertius agnoscant, effervescunt magis, adeo ut plus solito ac antea, ne me meosque omnes quantumcumque etiam novo federe consolati funditus radicitusque et extirpent et deleant, quadringentis in singulos dies expeditis equestribus cogor esse stipatus, cumque ceteris huius communis mee patrie confratribus meis dimidie annate gratiosissimis admisse, et me gratiosissimis oculis S. V. id quod obsequiosissime ac item quam diligentissime deprecor, vel apertius intueri atque introspicere, et annatas ad medietatem diminuere confirmationemque et clementer et largiter impartiri dignetur quo commodo mee diocesi diligentius invigilare possum, meosque offitio simul et rebus meis sincerius consulere, quod erga V. S. humilimis indefessissimis ac item debitis obsequiis uti obedientie filius promereri cessabo numquam. Quam S. V. Deus optimus maximus ad communem universe Christianitatis consolationem faustam atque in evum felicem conservet. Datum in Arce mea Tarbatensi Dominica Reminiscere sub Anno Dñi Millesimo quingentesimo tricesimo secundo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre — Devotissimus ac obsequentissimus

IOHANNES Electus Tarbatensis.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXXXIX.

Capitulum Tarbatense eadem a pontifice petit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Clementi sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Pontifici Maximo, Domino nostro Clementissimo.

Post humilimam paratissimorum nostrorum et studiorum et obsequiorum commendationem, Sanctissime Pater et Dñe Clementissime. Agnoscimus et ingenue fatemur Rev. in Christo patrem dñum

nostrum Electum obedientie iure, quo eum V. S. atque eiusdem sue S. Romane Ecclesie astrictum novimus, posteaquam ad hoc dignitatis fastigium et pastoris munus nutu Omnipotentis evectus, protinus electionis confirmationem apud V. S. requirere oportuisse, id quod certo certius summis semper viribus nisus est, eamque ob rem dum adhuc in Germanicis partibus sue diocesis nostrorumque omnium et patriciorum et plebeorum non sine maximis sue vite periculis, cum apud plures Germanie Principes, non principum, sed latrociniorum atque aliorum causa immerito minus sincere illi faventium negotia ageret, et quod apud Reverendissimum Archipresulem Maguntinum protestatus est, sue misere diocesi nobisque omnibus, quod ex innata virtute et sui offitii esse novit, ac summopere necessarium consulere volens, penes sese, cuius et nunc adhuc, cum id animo illi pertinacius cohereat, infracte intencionis est, omnino constituerat, etiam tum quando tota Italia vel ancipiti Marte armis miserere iactaretur, quibusvis perniciosissimis periculis non obstantibus ad V. S. proficisci, est tamen preter omnem et spem et voluntatem hiis precipue tumultuantibus temporibus urgentissimis atque item inevitabilibus causis prepeditus, et quod vehementer dolet a proposito distractus: una, que potissima atque item V. S. clementissimis auribus quidem item quam obsequiosissime deprecamur attendenda, quod pene pre ceteris omnibus universi orbis provintiis vel miseram eius diocesim Lutherana illa colluvies, que nisi partim suis vigiliis, partim eiusdem mansuetudine et lenitate, cum id presentia tempora quantumvis et illi et nobis omnibus invitis exigant, non tamen sine maximo sue Ecclesie et nostrorum omnium detrimento ac interitu, quando hoc ipso et decime, que unicum nostrum fomentum, quas item tot iam annis idcirco non recepimus, fere omnino abolete, nimirum invaserat et hodie elucescat magis, nisi consuluisset, parum aberat, ne illa labe funditus interisset: altera, que non minus urgens, quod dulcis eius patria, que iure ex intimo cordis cum natura nos eo urgeat, quam diligentissime complectanda; ea enim disturbata, illi non minus ac nobis omnibus salvi fuisset nihil ex intestinis prochdolor bellis, nisi eius opera, vigiliis, laboribus, curis et hincinde profectienibus maximisque suis impensis, unde profecto erarium exhaustum, res iterum composite atque sedate fuissent, fere esset perdita: tertia, qua item nervi erarii vel omnino exhausti et sumptus, ut fit, sumptibus additi, expirato foedere inter eum et Ruthenos, quibus ceteris omnibus vicinior est, ad ineundum novum foedus, non sine maxima iactura nec minoribus impensis, cum proxima legatio, que iam ad Muscoviam et extremas illas Schyticas oras protenderat, iussu Magni Imperatoris, ut ille habet et iubere et mandare, cum quecumque libeant, eadem illi liceant, omnino nihili patriam repetere coacta, iam secundario pro obtinenda pace, quibus et ultra posse impensis, qui scrutator cordium novit Deus, eius oratores vicissim istac missi et novum tandem foedus ad aliquot saltem annos observatum. Quomodo ergo, Sanctissime ac Clementissime Pater, id quod S. V. pro solita pietate et clementer et equa lance obsequiosissime precamur, trutinare et auribus inculcare dignabitur, fieri potuit, uti simul magno eius detrimento ex lapsa atque pene diruta supraque modum preter alias mille molestias et ere alieno nimirum gravata commiserandaque diocesi confirmationem apud V. S. requireret? Humili itaque devotione et quam obsequiosissime V. S. et rogamus et obtestamur, ut miserrimarum Dñi nostri electi conditionum, tum crudelissimorum Ruthenorum habito respectu, quorum animi, cum nostros, qui sese Christianos predicant, ab Apostolica et Catholica fide deficere vel apertum agnoscant, effervescunt magis, adeo ut plus solito ac antea, ne illum et totam diocesim nosque simul omnes, quantumcumque etiam novo foedere consolati, funditus radicitusque et extirpent et deleant, quadringentis in singulos dies expeditis equestribus cogitur necessario esse stipatus, et cum ceteris huius nostre communis patrie confratribus suis dimidie annate per V. S. gratiose admisse, sui quoque et eiusdem lapse diocesis, id quod enixe et quam obsequiosissime deprecamur, pie commisereatur V. S. eundemque et gratiosissimis oculis suis vel apertius intueri atque introspicere, et annatas eius ad medietatem diminuere confirmationemque et clementer et largiter impartiri dignetur, quo commodo sue diocesis diligentius invigilare suoque offitio simul et rebus suis sincerius consulere possit. Quod erga V. S. uti servuli obsequiosissimi nostris, modo poterimus, indefessis ac item debitis obsequiis promereri cessabimus nunquam: quam S. V. Deus Opt. Max. ad communem universe Christianitatis consolationem faustam triumphantem atque in futurum felicem conservet. Datum apud Ecclesiam nostram Tarbatensem sub Anno Dñi Millesimo quingentesimo trecesimo secundo, Dominica Reminiscere.

Eiusdem Sanctitatis Vestre — Devotissimi ac item obsequiosissimi

DECANUS CETERIQUE CANONICI TARBATENSES.

Litt. Principum Tom. IX. fol. 637.

DXL.

Copia litterarum Caroli V. Imp. ad regem Poloniae de negotio Hungarico.

Regi Poloniae.

Carolus etc. Serenissimo Principi etc. Ex litteris, quas Serenitas Vestra die xviii. Februarii ad nos dedit, satis perspeximus, quae de Conventu Pataviensi per nos indicto pro componendo negocio Ungarico inter Serenissimum Principem Dominum Ferdinandum Romanorum et Ungarie Regem, fratrem nostrum Carissimum, et eius adversam partem ad nos scribit, eique gratiam habemus, tum pro diligentia, tum pro singulari animi promptitudine, quam in eo negocio hactenus praestitit et se praestaturum exhibet. Quod autem ad negocium attinet, tantum certe de Serenitatis Vestrae prudencia et integritate, ac in nos et Serenissimum fratrem nostrum animo ac voluntate nobis pollicemur, ut nihil sit, quod non uterque nostrum ei libentissime fidere velimus, et cupiamus, nedum negocium hoc, quod quo magis ad publicam quietem et tranquillitatem et totius Reipublicae Christianae salutem, decorem et ornamentum spectat, eo diligentiori studio Serenitatem Vestram de eo acturam esse non dubitamus, et nisi ipsemet Serenissimi fratris nostri adversarius tum litteris suisque per Hieronymum Laskum eius ministrum ultro obtulisset, velle se oratores ad nos pro componendo eo dissidio mittere, et nisi Pataviensis Conventus ad id per nos indictus esset, quam libentissime profecto annuissemus, ut de eo apud Serenitatem Vestram et in eius Regno ageretur, immo et eandem adhortaturi eramus ea in re, ut partes suas interponeret: sed cum nos adversae partis oblationibus persuasi eum Conventum indixerimus in loco omnibus commodo et huic Civitati vicino, ad eumque extemplo mandatarios nostros miserimus, qui (ut satis omnibus perspicuum est) in ea urbe aliorum oratorum adventum praestolati sunt, et Serenitas Vestra suos oratores ad eum mittere annuerit, nosque de eo Summum Pontificem omnesque prope Romani Imperii Electores ac Principes monuerimus, atque idem Summus Pontifex suo legato (qui apud nos agit) auctoritatem miserit, ut in eo Conventu, quae ad publicam salutem expedire existimaret, parte Suae Sanctitatis agere, ipsique Electores ac Principes, qui propediem huc venturi sunt, etiam ea in re pro communi utilitate suam operam navare intendant, caeteraque omnia, quae ad componendum dissidium videntur convenire, ita disposita sint, ut (modo pars adversa, quae verbis pollicita est, opere praestare voluerit, quod eam facturam non dubitamus) concordiam fieri posse speremus, si nunc de alio Conventu sive in Polonia, sive alibi ageretur, negocium (quod publicae saluti minime expedit) protraheretur, indigne ferrent Romani Imperii Principes, quasi verba his data essent; indigne ferret Summus Pontifex, qui quam operam per suum legatum navare statuerat, mutato loco praestare non posset; dignitas et auctoritas nostra laederentur, utpote qui autem parum diligenter rem tantam perspexerimus, ut quod prius statutum erat, immutare necesse fuerit, aut cum negocium, in quo totius Reipublicae Christianae salutem constitutam esse existimatur, neglexerimus, tuncque vere Hieronymus Laskus, quae dudum apud omnes prope Christianos Principes testatus est, Dominum suum concordiam hanc totam nobis detulisse, nosque eam neglexisse, facile persuadere posset. Quapropter cum nos Hieronymi Laski et Domini sui verbis inducti huiusmodi Pataviensem Conventum indixerimus, sintque ad eum finem disposita omnia, quae sine Summi Pontificis et aliorum Principum indignatione, nostraeque dignitatis offensione ac totius Reipublicae Christianae damno et incomodo mutari non possent, atque nullo in loco negocium hoc citius aut commodius componi valeat, quam apud nos et ipsum Serenissimum fratrem nostrum, ad quem res magis spectat, annuere certe non possemus, ut alibi quam in Patavio, aut si ea Civitas non placeat, in alio loco huic vicino negocium transigatur: nam rationes, quas pars adversa adducit, quare nec Pataviensis nec alia Civitas Germaniae ei placeat, si recte perpendantur, partim parvae admodum, partim nullius momenti esse deprehendentur. Ait in primis dubitare se, an Conventus Ratisponensis, ad quem nos venturos pollicemur, futurus esset. Iam ab eo dubio liber esse poterit, cum nos non venire, sed venisse audiet. Ait praeterea sibi satis exploratum esse, quam non sit tutum oratores suos in Germaniam mittere, et quae cum Hieronymo Lasko nuper acta sunt, et fidem publicam, quam pro suis Oratoribus ad nos mittendis dederamus, in medium adducit. Nos certe nunquam postulavimus, nec postulaturi eramus, ut suos Oratores pro componendo negocio ad nos mitteret, sed cum id ipse ultro obtulerit, non videmus, cur Germaniae loca nunc illi suspecta magis sint quam olim fuerant. Quod autem ad Hieronymum Laskum attinet, dixit se velle ad nos venire, modo tuto id illi et cum gratia et voluntate nostra liceret, annuimus. Et cum primum audivimus eum apud Serenissimum

Regem Romanorum esse, nobisque in Gallia Belgica diutius quam statueramus, manere necesse foret, ne dum ille ad nos venit rursumque ad Dominum suum redit, negocium in longum protraheretur, scripsimus, ut quae in mandatis habebat, fratri nostro exponeret, ut interea dum nos huc venimus, de negocio ageretur, ad quem venientibus nobis citius confici posset: dixit se nihil in mandatis habere, tantum venisse ea de re, ut nonnulla nobiscum conferret; sed cum interrogaretur, haberetne mandatum ad dissidium componendum, ingenue se non habere fassus est, instititque, ut Domini sui Oratoribus ad nos venturis fides publica mitteretur. Hinc nos Pataviensem Conventum indiximus, et fidem publicam pro Oratoribus mittendis ita conscriptam misimus, ut cuiusvis nedum Serenitatis vestrae iudicio libenter committere velimus, sufficiens fuerit, necne. Quod autem Laskus parum decenter fuerit in Germania exceptus, aut dimissus, certe non videmus, qua ratione Laskus de ea re conqueri, aut non ei liberum venire et recedere fuisse dicere possit, cum diversum passim ab omnibus audiamus, quamquam satis ipse noviter in suis verbis, actibus et scriptis causam dederit, ut aliter cum eo ageretur ac actum sit. His autem ommissis, quae magis ad concitandos, quam ad conciliandos animos facere videntur, si pars adversa (uti nobis saepius obtulit) Oratores suos pro componendo hoc negocio vel Patavium, vel ad quemcumque alium locum huic vicinum mittere voluerit, eos nos pro eo studio, quo publicam salutem optamus, et excipiemus libenter, et ita ut decet tractabimus, rebusque nostris postpositis in hanc totis viribus atque animo incumbemus, pollicemurque Serenissimum fratrem nostrum honestas pacis conditiones accepturum. Si autem eius pars adversa mutato consilio nec pacem inire, nec suos Oratores ad eam tractandam et firmandam mittere voluerit, malueritque publicam quietem turbare quam aequis conditionibus dissidium componere, satis perspicere potest Serenitas Vestra, nec nos publicae saluti tanquam Romanorum Imperator, nec Serenissimo fratri nostro germano praeter sanguinis proximitatem tam arctis amicitiae vinculis nobis astricto ullo pacto defuturos. Quae incomoda ut a medio tollantur, Serenitatem Vestram rogamus, ut ipsam partem adversam ad hanc concordiam, mittendumque ad praedictum Conventum Oratores suos, et honestas pacis condictiones amplectendas hortari, monere atque inducere velit, ipsaque Serenitas Vestra suos quoque Oratores mittat, ut eo facilius ac citius negocium absolvi, et Deo optimo maximo duce componi valeat. Quae officia ut erunt Reipublicae Christianae utilia, ita et Serenitati Vestrae honorifica, et nobis maiorem in modum grata, et Serenitatem Vestram etc. Datum Ratisponae die XVII. Martii Anno 1532.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXLI.

Valterus de Plettenberg magister hospitalis B. Mariae Teutonicorum in Livonia pro Ioanne Beuen electo Tarbatensi.

Sanctissimo in Christo patri ac domino, dño Clementi divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici Septimo, dño meo clementissimo.

Beatissime Pater ac domine, domine clementissime. Post devotissimorum obsequiorum meorum oblationem, militiaeque ordinis mei commendationem ac Sanctitatis Vestrae oscula pedum beatorum. Quum per obitum quondam Reverendissimi in Christo patris ac domini, dñi Ioannis Archiepiscopi Rigensis ac Tarbatensis episcopi ecclesia ipsa Tarbatensi vacante, que propter multa et innumerabilia pericula, tum praecipue, quoniam eadem Rutenis illis scismaticis ac infidelibus immediate contigua et propinquissima his turbulentis temporibus diu vacare non possit: quocirca Venerabile eiusdem ecclesiae Tarbatensis Capitulum Reverendum et eximium virum ac dominum Ioannem Beuen, prepositum ibidem, unanimi omnium Capitularium consensu in futurum antistitem canonice elegit. Et cum idem dominus Ioannes electus genere, doctrina ac morum eruditione, vitae et famae integritate, nec non variarum rerum experientia (ut reipublicae huic paternae meo iuditio plurimum consulturus ac profuturus) summe preditus, eaque et familiaritate et amicitia mihi ac toti ordini meo coniunctus, Sanctitati V. cum commendandum non indignum duxi. Et quamquam S. V. sanctaeque Sedi apostolicae pro gratiosa condigna atque decenti confirmationis suae expeditione in debito statuti temporis termino, nisi inopinatis quibusdam intestinis patriae huius discordiis (que tamen clementi ac pientissimo cunctipotentis nutu absque seditione tumultuosa et bello, singulari quadam dicti dñi Ioannis electi diligentia atque labore pactae extinctaeque), tum etiam quod pax illa, que hic inter Livoniam et Russiam exactis temporibus inita, et hactenus observata tunc temporis expiraverat, hucusque fuisset preoccupatus, sese quam libentissime ac obedientissime obtulisset. Cum namque prefatus dñus Electus una mecum antiquam ac laudabilem pa-

triae huius consuetudinem in presenti pacis exitu consyderare et insectari presumpserimus, ac tandem presentium temporum ac status mutabilem varietatem intuentes, pro mutue vicinitatis inter nos ex una et Rutenos partibus ex altera observantia ac tranquillitate pacisque et concordiae ad certa tempora renovatione, primum oratores nostros non sine gravibus damnis ac sumptibus ad magnum Muscoviae ducem etc. destinavimus atque emisimus: illique ad Novogordiam pervenientes et ibidem Rutenorum iussu ultra mensem fere retardati ac detenti, tandem Rutheni pro innata ac solita eorum audaci temeritate atque nequitia nulla illis data occasione oratores nostros absque responso et expeditione, non citra magnam nostram ac nostrorum contumeliam atque iacturam, inaniter remiserunt. Quod itaque cum prenominatus dñus electus et ego in his periculosissimis temporibus, quibus non Livoniae solum, sed etiam aliis circumiacentibus terris, immo toti fere terrarum orbi proh dolor circumstrepentia bella atque infestationes (que Deus optimus maximus S. V. tamquam apostolicae Sedis, pacis ac tranquillitatis auctori pientissimo gratiam suam, ut eo citius ac melius mitigentur complacenturque, large conferendo ac diffundendo pie et misericorditer avertere dignetur) undique comminantur, summa animi diligentia ac curiositate attendentes, communi omnium totius patriae consensu atque consilio, ne terras has nostras inopinatis eorum hostilibus invasionibus ac incendiis perturbarent, spoliarent ac devastarent, denuo oratores nostros gravioribus sumptibus cura ac damno Muscoviam usque remisimus, qui nunc non sine ingenti sollicitudine ac cura toto tempore pacem ineuntes ad nos reversi. Iccirco magnus Muscoviae dux etc. post hoc aliquot ferme menses econverso oratores suos dictam pacem nobiscum firmiter, ut asseruere, corroborando ac stabiliendo assignavit atque transmisit: qui quidem huc advenientes communita pace (quam summus omnipotens pro uberiori huius patriae ac totius christianitatis tranquillitate hic et ubique diu inviolabiliter observari pie concedat, hinc Muscoviam versus iter arripuere. Quo nunc itaque pacto sepedictus dñus Ioannes electus tam arduis impeditus negociis interim confirmationis suae munus a S. V. expedire ac liberare potuerit, S. V. obnixius oro atque obsecro clementissime expendendum. Eapropter S. V. supplicando humillime peto, his asperrimis ac turbulentis temporibus multis cum ecclesiae Tarbatensi tum etiam toti huic patriae imminentibus periculis pro innata ac excellenti sua benignitate clementer obviando, supradictum dñum Ioannem electum in huiusmodi necessaria temporis prorogatione preallegatis plurimisque aliis ex causis gratiose excusatum habere, ecclesiae Tarbatensi preficere, ac electionem huiusmodi canonice factam pie confirmare, approbare ac ratificare, eique dño electo paterno affectu adesse non dedignari velit, neque gravari. Devinciet ea in re S. V. me et ordinem meum ecclesiamque Tarbatensem nec non totam hanc patriam arctiori erga S. V. sanctamque Sedem apostolicam observantiae ac devotionis vinculo, plurimumque huius patriae communi consulet utilitati, me propterea ac totum ordinem meum ad pedes et nutum S. V. humillime offerendo devovendoque, eandem Vestram S. pro felici, tranquilla ac diuturna totius christianae reipublicae administratione indefessis meis precibus altissimo devote commendo. Ex meo ordinisque mei castro Wenden in Livonia vigesima quinta mensis Martii Anno salutis nostrae Millesimo quingentesimo trigesimo secundo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obedientissimus filius

WALTERUS DE PLETTENBERG Ordinis Militiae Beatae Mariae Teutonicorum per Livoniam Magister.

Litt. Principum Tom. IX. fol. 41.

DXLII.

Regi Poloniae pontifex se Antonium cardinalem Sanctorum Quatuor Coronatorum eius regni protectorem constituisse significat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili, salutem etc. Egregia pietas singularisque sapientia tuae Serenitatis plurimis gravissimisque in rebus antea quoque nobis perspecta, proximis tuis litteris ex omnibus partibus suis se ostendit: nam et in deploranda morte hominis amantissimi atque observantissimi eiusdem tuae Serenitatis summam humanitatem, et in optando tibi ac Dominiis tuis Protectorem maximam prudentiam, et in re tota nobis atque huic Sanctae Sedi permittenda eximiam religionem adhibuisti. Quae omnia etsi, ut diximus, nobis minime nova aut inexpectata, iucundissima tamen, ac gratissima acciderunt: itaque non modo Serenitati tuae dilectum filium nostrum Antonium tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbiterum Cardinalem, prout tuis litteris optare videtur, Protectorem libenter damus, verum etiam te vehementer collaudamus, quod in consilio capiendo eam

moderationem adhibuisti, ut una opera et homini de tua Serenitate benemerito etiam mortuo gratiam praeferas, et imposterum rebus tuis optime consuleres. Nos enim illum, qui antea diuturna familiaritate cognitum habebamus, et posteaquam eius meritis adducti ad Cardinalatus dignitatem eveximus, magis quotidic ac magis cognovimus, et in privatis publicisque rebus atque consiliis experimur, fore non dubitamus, quin gravitate pariter et doctrina rerumque usu suomet ingenio, tum plurimum etiam imitatione atque industria quam proxime ad patruum accedat, eumque in hoc procurandorum commodorum atque ornamentorum tuae Serenitatis amplissimo munere facile aequet. Quamobrem his nostris litteris iudicium desideriumque tuum comprobamus, ipsumque Antonium Cardinalem Protectorem tuae Serenitatis, eiusque Regni ac omnium Dominiorum suorum efficimus et declaramus, tibique de eius circumspectione hoc pollicemur, fore, ut quamquam Serenitas tua pro sua maiorumque suorum charitate, proque sanctissima religione perpetuaque in hanc Sanctam Sedem observantia apud nos nec protectione, nec commendatione eget, tamen ad ea, quae his nominibus ei plurima ac maxima debentur, ex ipsius amplissima dignitate, nostroque erga eum amore maximus cumulus accedat, ut nunquam eum gravate de rebus tuae Serenitatis audituri, nec quicquam, quantum Dominus opis dederit, non benignissime tributuri simus. Datum Romae etc. die xv. Aprilis 1532. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LII. ep. 256. pag. 733.

DXLIII.

Electo Kioviensi, ut munus consecrationis ab uno episcopo, assistentibus duobus abbatibus etc. suscipere possit.

Dilecto filio Georgio Electo Kyowiensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cum nuper Ecclesiae Kyowiensi tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica autoritate duxerimus providendum, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, ac tibi, ut a quocumque malles catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus praefatum tibi impendere possit, concesserimus, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Et sicut nuper nobis exponere fecisti, in partibus, in quibus dicta Ecclesia existit, tam parvus Catholicorum Antistitum et Abbatum numerus existit, ut nec Episcoporum a iure requisitorum, nec Abbatum, qui loco Episcoporum in munere consecrationis tibi impendendo assistere valeant, sufficiens numerus absque maxima difficultate inveniri valeat, nobis humiliter supplicari fecisti, ut ne propterea muneris huiusmodi susceptio plus debito retardetur, aut etiam impediatur, tibi super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur commodis tuis paterne consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut Antistes per te vigore dictarum litterarum super munere consecrationis tibi impendendo concessarum eligendus, convocatis ac sibi assistentibus duobus Abbatibus, seu aliis duabus personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, munus consecrationis huiusmodi iuxta earum litterarum continentiam et formam tibi impendere, et tu illud suscipere libere et licite valeas in omnibus et per omnia, ac si secum Episcopi in numero per dictas litteras diffinito, aut a Iure requisito praesentes essent, et in hoc sibi assisterent, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationbus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die iiii. Maii 1532. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Brev. Tom. LII. ep. 318. pag. 888.

DXLIV.

Rex Poloniae cardinali Campegio, ut partes suas apud pontificem pro pacificandis Hungariae rebus interponat.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Maszoviae etc. Dominus et heres, Rmo in Christo Patri Dno Laurentio miseratione divina sancti Thomae in Parione S. R. E. presbitero Cardinali, Sedis Apostolicae Legato, Amico carissimo, et honorando, salutem et felicitatem. Rme in Christo Pater et Dne, Amice carme ac honorande. Cum litteris, que nobis a Cesarea Maiestate allate sunt, Rme quoque V. D. littere sunt nobis reddite, ex quibus libenter intelleximus magne cure esse Sanctissimo Domino nostro, ut Regnum Hungarie pacificaretur, discordieque, sediciones et intestina dissensio, que totam christianam rempublicam in periculum vocant, ex

illo submoverentur. Accedente enim Sanctitatis sue authoritate speramus rationem concordie, que inter Sermum D. Ferdinandum Romanorum Regem et Ioannem illius adversarium hactenus per nos confici non potuit, medio D. V. Rme et aliorum Principum Germanie opera facilius ad optatum finem deduci posse. Ceterum quod a nobis postulabat D. V. Rma, ut persuasione nostra apud Regem Ioannem adversarium Sermi D. Romanorum Regis efficeremus, ne Oratores suos in Pataviensem civitatem vel aliam quampiam Ratispone vicinam Urbem super concordia mittere repugnaret, prestitimus in hoc non minus diligentem quam officiosam operam, ut simul D. V. Rme desiderio et rei communis christiane utilitati satisfaceremus. Scripsimus siquidem ad illum ea, que nobis ad rem et persuasionem necessaria et magis accommodata videbantur. Quantum vero istis scriptis effecerimus, D. V. Rma ex exemplis litterarum illius, que cum presentibus mittimus, plene cognoscet: Nobis etenim ille videtur non futurus difficilis in mittendis quocumque Oratoribus, dummodo certus esse possit, negotium concordie Sermum D. Romanorum Regem serio secum aggredi et transigere velle. Cuius negotii de concordia ratio cum tota ex declaratione certe et serie Sermi D. Romanorum Regis voluntatis dependeat, D. V. Rma Summi Pontificis nomine operari velit tam apud Cesaream quam Romanorum Regis Maiestatem, ut nobis aliqua significatione sensum animi sui de certitudine serie in concordia tractationis indicent, quo nos eorum deliberatione instructi valeamus apud Regem Ioannem adversarium, quod cepimus, de Oratoribus mittendis persuasione nostra consequi. De nobis autem D. V. Rma sibi persuadeat, quod tam in mittendis Oratoribus nostris, quam in exhibendis pro bono publico officiis presto sumus semper futuri, nulla prorsus vel impendii vel laboris racione habita: agnoscimus enim nos publice utilitati et christiane professioni hoc debere. Quod tametsi ab inicio suscepte de Regno illo contencionis sinceriter et sollicite prestiterimus, nunc tamen illud accuracius, quam in nobis facultateque nostra esset, impendere non gravaremur, si quid in persuadenda concordia efficere nos posse cognoscamus: ad evitandum enim ingens excidium et miserabiles christianarum Provinciarum vastaciones prohibendas id maxime necessarium esse putamus, ut concordia citissime inter Sermum Regem Romanorum et Regem Ioannem illius adversarium transigatur, paxque facta publicetur, alioqui omnia calamitatum et crudelitatum genera in populum Christi devolventur. Quare D. V. Rmam rogamus, prudenciam suam et Summi Pontificis authoritatem in hac publica necessitate ita accommodare et dispensare velit, ut fructum aliquem pacis ex consiliis et opera eius omnes capiamus: factura D. V. Rma rem professione dignam, publice utilitati et nobis aliisque multis Principibus christianis maiorem in modum gratam: quam felicissimam in bona et diuturna valetudine esse ex animo optamus. Datum Cracovie die xv. Iunii anno domini MDXXXII. Regni nostri XXVI.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. ss.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXLV.

Copia litterarum Caroli V. imperatoris ad regem Poloniae de rebus Hungariae componendis.

Carolus etc. Serenissimo etc. Legimus litteras Serenitatis Vestrae, quas de dissidio Hungarico die xv. Iunii ad nos dedit, et exemplar quoque litterarum adversarii Serenissimi Romanorum Regis, fratris nostri carissimi, ad Serenitatem Vestram, cuius de Reipublicae salute studium quemadmodum non possumus non vehementer probare, ita ad litteras predicti adversarii respondere, in quibus multa falso asseverantur, plurima preter Regum ac Principum morem iactantur, supervacaneum existimamus, praesertim cum eiusmodi sint, ut si ab ipsomet adversario denuo legantur, quam multa deprehensurus sit, quae reticere potius quam scribere vel ipso iudice opportuisset. Non tamen dissimulandum esse existimamus, quod nunc de falso timore Summi Pontificis, nunc de obitu piae memoriae Regis Ludovici scribit: primum, ut quae Sua Sanctitas de iure Serenissimi fratris nostri melius instructa pro sua iustitia et equitate facit, vano potius timori quam iuri tribuantur; alterum, ut eorum culpam, qui regem in prelio deseruere, et qui Turcas in pernitiem Reipublicae concitarunt, in illos scilicet derivet, qui cum Regem armis iuvare vellent, aliorum viribus invasi ad se suaque tutanda ea convertere coacti sunt. Sed haec missa faciamus: maiora enim nunc agitantur animo, quae ut ea libeat, aut vacet confutare, ad rem paucis respondebimus. Quamquam ex eisdem litteris ellicere poteramus, quod non habeat predictus adversarius animum ad pacem propensum, qui de ea se libenter agere velle scribit, modo id a nobis et Serenissimo fratre nostro agatur, et nec ubi, nec quando, nec quibus modis id faciendum

esse existimet, usquam declarat: attamen ut Serenitati Vestrae et coeteris Principibus christianis perspicuum sit per nos non stare, quemadmodum nunquam stetit, quominus haec pax et concordia fiat, denuo Serenitati Vestrae pollicemur, nihil nos in presentia magis cupere, quam ut dissidium hoc reipublicae perniciosum e medio tollatur, et firmissima ac perpetua pax et concordia inter contendentes firmetur et stabiliatur, de eaque nos et Serenissimus frater noster serio atque ex animo agere velle, veluti haec serio et ex animo dicimus, non quod Turcarum vires aut minas vereamur, cum ita res nostras disposuerimus, ut favente Deo Optimo Maximo, cui eas ex animo commendavimus, rempublicam christianam ab eorum iugo nos servaturos speremus, sed quod perspiciamus nihil esse adeo solidum ac firmum, quod non discordia dilabatur, nihil rursus tam fragile, quod non concordia firmetur et crescat. Agat igitur Serenitas Vestra cum adversa parte, ut tanquam Christianus christianam Reipublicae salutem privatis affectibus praeferat, et animum ad hanc pacem disponat, et videbit, quam parum erat difficultatis in Serenissimo fratre nostro ad honestas pacis conditiones amplectendas inducendo. Quod si forte nostra hac levitate inductus et Turcarum praesidio fretus maluerit bellum quam pacem, et sua arma sempiternorum hostium, qui rempublicam vastant, armis adiungere quam nostris, qui eam ab eorum iniuriis tueamur, Nos certe, nec nostris copiis tum Italicis, tum Germanicis, nec Romani Imperii viribus reipublicae nunquam defuturi sumus. Quod si coeterum Christiani Principes, quibus idem imminet periculum, suas vires nostris adiungere voluerint, minori negocio res conficietur, sin minus, praestabimus saltem nos, quae omnipotenti Deo, reipublicae Christianae, nostrisque honori ac dignitati debemus: quae omnia Serenitatem Vestram latere noluimus, ut sciat nos ita propensos esse ad pacem, ut etiam paratissimi simus ad bellum, quemadmodum a Reverendo Ioanne Dantisco Episcopo Culmensi eius Oratore haec latius habitura est. Faxit optimus Deus, ut conatus nostri in illius gloriam et reipublicae salutem cedant, et ut Serenitas Vestra diu ac foeliciter regnet et valeat. Datum Ratisponae die III. mensis Iulii MDXXXII. Imperii XII.

Instrum. Misc. Poloniae.

DXLVI.

Cardinalis Campegius ad regem Poloniae se et summum pontificem nihil intermissuros, ut res Hungariae componantur, scribit.

Serenissime Rex, Domine Colendissime.

Ex Regiae Maiestatis V. litteris, quas ad me die XV. Iunii Cracovia dedit, mirificum ipsius in Rempublicam studium luce, ut aiunt, meridiana mihi clarius patuit, et ut verum ingenue ac libere fatear, Serenitas V. expectationem meam, ac opinionem pariter, quam de illius prudentia, probitate atque animi magnitudine multorum testimonio, ac fama denique ipsa referente, animo menteque conceperam, longe superavit. Etsi ullo unquam tempore mihi fieri posse persuasi, ut dissidium hoc inter Sermum Romanorum Regem atque ipsius adversarium componi posset, nunc eam spem magis atque magis in animum induxi meum, modo Maiestas V. Serma causam hanc non deserat, sed potius ut se decet, intimis usque sensibus amplectatur. Quantum enim ex iis litteris, quarum exemplum legi, coniicere potui, Ferdinandi Romanorum Regis adversarius ab ineunda pace atque concordia visus mihi est non omnino alienus: Caesaris vero ac Ferdinandi tam bene mihi hac in re cognita ac comperta voluntas est, ut nihil clarius, nihil aptius esse possit, quod item Serenitas V. ex Caesaris litteris planius intelliget. Tui itaque muneris atque officii est, Rex optime, idemque potentissime, quando de te utraque pars, ut video, multum confidit, ad hanc rem ingenii, consilii, dignitatis authoritatisque tuae nervos omnes intendere, neque prius dimittere, quam eam bene constitutam firmatamque videamus. Id autem nulla ratione commodius fieri posse arbitror, quam si (quod Maiestati V. superioribus cum Caesaris, tum meis significatum est litteris) Caesar Ferdinandusque atque ipsius adversarius Patavium, vel ad alium vicinum locum oratores cum mandatis mittant, qui de pace ac concordia inter hos Principes ineunda agant atque pertractent. Aderunt preterea Maiestatis V. oratores, aderunt quoque Sanctissimi Domini nostri nuntii, qui rem iuvent, pacemque foveant, et si quid, ut usu evenire plerumque solet, in pertractanda concordia inciderit difficultatis, id mitigare rationibus persuasionibusque temperare queant. Equidem quod ad Sanctissimum Dominum nostrum attinet, plane affirmare possum, nihil Sanctitatem Suam ardentius cupere, quam horum Principum dissidia atque discordias penitus tolli: falliturque, profecto fallitur Regis Ferdinandi adversarius, dum Summum Clementem aut Caesaris metu perterritum, aut benevolentia amoreque pellectum adduci posse iudicat, ut quae pro veritate ac iustitia

Sanctitas Sua sentiat, non sit audacter dictura libereque factura. Cuius sane rei non solum Pastorale officium, quod omnipotentis Dei vice tot annos summa cum pietate ac laude in terris gerit, Sanctitatem Suam admonet, verum etiam, quod peculiare ac proprium Illustrissimae Mediceae familiae semper fuit, ea cogitare, ea agere, quae optimos Principes vereque Christianos deceant. De me autem quod ille Princeps sentiat, non multum laboro, Deum tamen optimum testor, nihil me hactenus pretermisisse, neque in posterum pretermissurum, quod ad summovenda penitusque tollenda horum Principum dissidia pro consilii ingeniique mei tenuitate facere mihi videatur. Bene ac foeliciter vivat Serenitas Vestra, cui me humillime commendo ac trado. Ratisponae nonis Iulii MDXXXII.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXLVII.

Rex Poloniae Antonium card. SS. Quatuor Coronatorum Pistoriensem in sui regni protectorem accipit, et pontifici pro iubileo concesso in commodum Vilnensis et Plocensis ecclesiarum grates reddit.

Sanctissimo in Christo patri et dño, dño Clementi VII. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Magne mihi voluptati fuit non solum probari a vestra Sanctitate studium et racionem meam in deligendo mihi ex sentencia ipsius protectore Regni mei, sed etiam Rñum D. Cardinalem Sanctorum Quatuor Pistoriensem, quem et ob merita in me optimi illius patrui, et ipsius etiam famam laudatissimam mihi expetiveram, et V. Sanctitati litteris meis designaveram, ab illa mirifice commendari. Factum enim id fuit a me partim fide et observancia mea erga V. Sanctitatem, qua mihi dudum persuasi illam semper mihi et rebus meis quam optime consultum iri velle, partim etiam quod non dubitarem, et eum, qui mihi ex sentencia et suffragio V. Sanctitatis contingeret, apud eam graciosum futurum, et res ac negocia mea rectius successura: quare eum ipsum Rñum D. Cardinalem a me optatum, et a V. Sanctitate commendatum protectorem Regni mei omni alacritate suscipio, et illum V. Sanctitati vicissim, qua possum, diligencia et studio commendo, supplicans, ut ad eum favorem, quo ipsum V. Sanctitas pro virtute, doctrina et meritis eius evexit et complectitur, accedat etiam nonnihil hoc amicitie mee cum illo symbolum et protectionis Regni mei titulus, utinam auspicatus, quod tum demum ambos nos consequutos arbitrabor, cum illius Reverendissima Dominatio pari gracia parique favore apud V. Sanctitatem res et negocia mea atque olim patruus ipsius tractabit et promovebit, neque quin ita succedat pro benignitate in me V. Sanctitatis, et ut etiam ipsa polliceri dignetur, quicquam dubito: presertim cum V. Sanctitas dudum considerare potuit meas actiones, meaque apud ipsam postulata non in aliud fieri solere, quam ad manutenendum precipue et conservandum ordinem et statum ecclesiasticum Regni mei in moderna religionis perturbacione salvum et incolumem, maxime vero auctoritatem ordinariorum, in quibus summa status ipsius ecclesiastici consistit, qui et in provisionibus et in muneribus suis exequendis multa et indigna plerumque paciuntur istinc ex Curia Romana impedimenta, que omnia ut V. Sanctitas expendere et providere hiis dignaretur, etiam atque etiam rogo. Ceterum rem mihi gratissimam fecit V. Sanctitas, quod ad preces meas concedere dignata fuit graciam Iubilei pro restaurandis ecclesiis Plocensi et Vylnensi, quarum altera divo Sigismundo patrono meo, altera vero beato Stanislao est dicata, que non sine ingenti sumptu restaurari possunt. Sed quia Iubileus ipse serius aliquanto allatus fuit, quam ut commode publicari et in rectum dispensandi modum redigi potuerit, relligiose observantibus Episcopis utriusque ecclesie predicte cum Capitulis suis, ne quo pacto septa ipsius gracie transgrederentur: supplico V. Sanctitati, ut quod alias mihi antecessores eius concedere solebant, prorogare dignetur adhuc per suum breve ipsam Iubilei graciam, saltem ad dies quadragesimales et pasche unius anni, si longius fieri non potest. Id enim cum ad cultum et ornamentum divinum spectat, non dubito, quin hac racione et mea etiam causa sit V. Sanctitas liberaliter concessura pro virtute et benignitate sua: cui me Regnumque et dominia mea rursus omni reverencia et devocione mea commendo, et valere illam in multos annos felicissime desydero. Datum Cracovie die XII. Iulii anno domini MDXXXII. Regni mei vigesimo sexto.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXLVIII.

Rex Poloniae orat pontificem, permittat, ut episcopus Cracoviensis capitaneo sui episcopatus scholastriam Cracoviensem unacum canonicatu et praebenda in ius patronatus concedere possit.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, domino Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum comendacionem, et oscula pedum beatorum. Quam michi in modernis depravatissimis temporibus cordi sit et cure status Ecclesiasticus, arbitror vestrae Sanctitati satis constare vel ex ipsis meis peticionibus, quas frequenter non in aliud facere soleo apud vestram Sanctitatem quam ad rem ecclesiasticam Regni mei vel ornandam vel roborandam. Eius mei studii magno michi est adiumento Rev. dominus Petrus Episcopus Cracoviensis et Regni mei Vicecancellarius, inter publicas functiones undiquaque prospiciens, quid potissimum ipsi rei ecclesiastice conducat. Arbitratur is non vulgari ornamento et utilitati futurum Ecclesie sue, que in loco est tocius Regni digniore, ut Scholastria ipsius Ecclesie Cathedralis, et Canonicatus ac prebenda, que Monetaria dicitur, et quam dote cassam ipse dotare vellet, Capitaneo suo Bodzanczinensi iure patronatus perpetuo ascribantur, quod et michi plane valde probatur, videturque rebus ipsius Ecclesie non parum multum expedire, ut deinceps Capitaneus Episcoporum, qui rerum temporalium Ecclesie curam et tutelam gerit, et honoracior habeatur apud alios seculares, et sit Ecclesie cum amicis suis devinctior. Quare supplico vestre Sanctitati, ut cum id illi et leve sit concessu et absque ullo detrimento, cedat vero in utilitatem et ornamentum Ecclesiasticum, et status pontificalis eius Ecclesie, dignetur huic peticioni ipsius domini Episcopi unaque et mee non gravatim annuere, eaque duo sacerdocia, hoc est Scholastriam et Canonicatum ac prebendam eius Capitaneo Bodzanczinensi in ius patronatus concedere. Quo et ipsum dominum Episcopum reddet vestra Sanctitas in eius cura de rebus Ecclesiasticis alacriorem, et michi rem faciet gratissimam. Dominus Deus servet vestram Sanctitatem sospitem et semper felicem, beatissime pater, cui me meaque omnia eciam atque eciam diligentissime commendo. Datum Cracovie die duodecima Iulii Anno Domini MDXXXII. Regni vero et dominiorum meorum anno XXVI.

Eiusdem Vestre Sanctitatis Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXLIX.

Magister hosp. B. Mariae Teutonicorum in Livonia de luctuosa sui ordinis conditione etc. pontifici scribit.

Sanctissimo in Christo Patri ac domino, domino Clementi divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, dño meo Clementissimo.

Beatissime Pater ac domine, domine Clementissime. Post devotissimorum obsequiorum meorum oblationem militiaeque ordinis mei commendationem ac Sanctitatis Vestrae oscula pedum beatorum. Litteras Sanctitatis Vestrae decimo nono die aprilis anni huius tricesimi primi nuperrime praeterlapsi Rhomae perscriptas ea, qua decuit, reverentia atque honoris exhibitione obedientissime accepi, e quibus posteaquam mihi summa cum diligentia prelectae essent, intellexi Sanctitatem Vestram, prout id eiusdem vestrae Sanctitatis satis equidem dura expostulat provintia potissimum hac temporum serie, nec satis deplorata huius tempestatis miseria illius humeris a Deo imposita, maximo affici dolore, neque mediocrem exinde contrahere moesticiam, quod plures in Prussia, nonnulli quoque in Livonia ab orthodoxa tum vera religione proh dolor iampridem descivissent, et hinc S. V. veluti summo pastori ex oscitantia sacros in ecclesia Dei ordines negligere, aut curam illorum in tanto discrimine rerum ponere minime licitum esse nec posse. Quam ob causam cum eadem S. V. nacta esset ansam, neque contemnendam opportunitatem admodum duxisse consultum, si me quoque tamquam huius provintiae caput, quandoquidem ex preteritis quid secuturum non ita S. V. difficile sit coniectura assequi, ex paterno illius affectu et amore ad invigilandum strenue, ad bene superintendendum, ad caute demum circumspiciendum adhortaretur, ne idem ille hostis, qui Prussienses modo in suam nassam illexit, mei quoque ordinis milites nondum hereseos nota inustos ex insidiis adoriatur, atque eos in eandem cadere faciat foveam. Quo autem id melius precaveatur, consulit S. V. hortando, ut desiderio illustris simulque generosi prin-

cipis ac dñi, domini Caroli ducis Monsterbergensis in Schlesia Olsvicensis comitis, Glotzensis etc. domini, itidem amici mihi perdilecti, eo quod ad honorem firmitatemque mei ordinis sit redundaturum, me facilem atque benignum praebeam. Quod consilii ea, qua par erat, obedientia in eam partem perinde atque prestitum cum mei ordinis commilitonibus suscepi, immortales gratias S. V. primum, deinde etiam Cesareae necnon Regiae Romanae Maiestatibus, dñis meis omnium clementissimis, qui idipsum nobis consuluere, agentes. Cui quidem et consilio ex debito libenter paruissemus, verum necessitas exigit harum regionum naturam paucissimis prius S. V. subiectissime explicare. Livonia, quemadmodum id dubio procul S. V. ex varia multiplicique rerum experientia tum cognitione optime tenet, a finibus Germaniae nec non a sacro Romano Imperio procul est remota atque dissita. Ad hec variis linguis in sese divisa, ut interim circumiacentium nationum, quarum limites pertingit, aliam atque aliam loquelam silentio transeam. Et hinc est, ut ab illis, qui hic a teneris annis, quique sub obedientia S. V. item totius Romani Imperii educati, et iam ex diutina conversatione mores incolarum ac linguas callent, ad honorem, utilitatem atque sustinentiam totius Germaniae procerum vix summo cum labore ac tedio, imo crebra patrum nostrorum piae recordationis sanguinis effusione, necnon nostro (absit inanis laudis captatio) fere per trecentos annos usque in diem hodiernum, Deo laus et honor, a Rutenorum, Tartarorum caeterarumque efferarum gentium incursibus ac depredationibus defendatur et sustineatur, atque apud sanctam Religionem ordinemque nostrum retineatur. Idcirco necessarium profecto erit, ut simili modo perinde ac hactenus, sic quoque in futurum gubernetur, sin vero eo casu innovatio aliqua comitteretur. Iam pro V. S. sublimiori iuditio et experientia animo expendendum obedientissime committo, quae inde factiones, quae seditiones, item discordiae, caedes, tumultus, quos Deus pro sua misericordia benigne avertere dignetur, non modo ab exteris, verum etiam ab ipsis indigenis sint expectandae atque proventurae etc. Nam etsi S. V. necnon Romani Imperii Prussiensium terra sub obedientia S. V. sanctaeque religionis ab initio, ubi primum devicta esset, a nostro ordine bona in pace gubernaretur, defenderetur ac tueretur: postea tamen quo efficacius a praesentibus tum temporis ac futuris, ut opinati, eriperetur periculis, adeoque hostibus prestantius resisti posset, evicerunt S. V. Cesareae atque Regiae Romanae Maiestatum predecessores, felicis memoriae, suis promotoriis litterisque commendaticiis ordinem nostrum adhortantes absque ullo damno sive internicie privilegiorum illis concessorum, ut quis ex Electorum Principumve stemmate oriundus ad id muneris generalis Magisterii videlicet eligeretur et admitteretur, quod quia a militibus nostri ordinis obtinuere. Videmus iam nunc Prussiam omnino a Sacrosancta Sede Apostolica Romanoque Imperio in ordinis nostri ac totius Germaniae nobilium non mediocrem iacturam atque damnum abalienatam, nullo interim habito respectu, quod totus noster ordo in Italia, Germania atque Livonia pro defensione eius terrae auxiliatrices opes pro viribus illis attulerit, quemadmodum S. V. absque dubio post dietam novissime Augustae Windelicorum celebratam ex Legato S. V. a latere Reverendissimo in Christo patre ac domino, domino Campegio Cardinale Illustrissimo ac domino meo observandissimo clementissime percepit. Quare hic ea impresentiarum meo quidem iuditio haud necessarium iterum recensere. Preterea ab illis, quorum ibidem ex parte ordinis nostri officii erat, sicut et sese facturos polliciti, utroque fidem olim dedere nobis in necessitatibus adminiculo futuros, utpote qui longe lateque a Germaniae partibus simus avulsi, ab illis inquam hostili fere animo nunc temporis impugnamur: metuendum quoque est, ne viae publicae nobis tandem per Prussienses, quod ab illis saepius attentatum, penitus claudantur etc. Ego autem licet iam senio, laus Deo, sim gravatus, ea tamen est mihi sanitas, ea sunt mihi adhuc vires atque nervorum ingeniique robur, ut sperem, Deo auxiliante, nihil infelicius atque peius sub S. V. ac Romani Imperii obedientia religioneque christiana magistratu me functurum, eoque pacto hanc Livoniae regionem, quemadmodum ea nobis a Sanctitate V. Romanoque Imperio primum, deinde a patribus nostris, qui sanguine suo eam subiugatam atque defensam nobis tradidere, ad totius Germaniae nobilium, multorum quoque, qui hanc terram adeunt, eaque utuntur, utilitatem pro virili postmodum sustentaturum: rem tamen nihilominus una cum meorum consensu, ex Dei gratia, perinde atque expostulabat debiti ratio, per quod ordini meo firmissime sum astrictus, peregi, cuius me coram Deo, S. V. Romanoque Imperio rationem spero daturum. Ad conservandum namque constans atque pacificum in hac Livoniensi terra regimen illuc animum meum iamdudum direxi, eumque iuxta ordinis mei antiquissima statuta, privilegia, libertates, consuetudinem atque canonicam electionem in successorem post discessum meum adoptavi, qui aptus, ut nostro ordini totique huic provintiae praesit, ac non minus circumiacentium quam huius regionis notitiam habet,

quique nec Prussiensium vestigiis insistet, ita ut animos solidos adeoque firmos in Christi fide ac ordinis nostri religione, Deo dante, hic usque reperiri licebit. Si autem hae regiones post obitum meum ab illis regi deberent, qui linguarum, tum morum huius atque circumiacentium nationum vacarent peritia, id potius ad internetionem quam sustentationem vergere ac tendere posset. Proinde Sanctitatem vestram humillime rogo, ut antiqua nec illaudata mei ordinis statuta, privilegia, dominia, libertates, iura, consuetudines, canonicam denique electionem a S. V. necnon Cesareae atque Regiae Romanae Maiestatum predecessoribus felicis recordationis paterne, liberaliter, exque singulari demum favore mihi ac ordini meo gratissime data atque concessa pro innata ac solita V. S. gratia ea, qua hactenus sunt servata, firmitate, ita in posterum quoque salva atque inviolata retinere, nec non eiusmodi ac consimiles petitiones, quae meum ordinem atque has procul sitas regiones aliquo modo labilitare possent, legitimas ob rationes superius a me allatas (quas S. V. paterne ac clementer suscipiat, oro) porro ne admittere dignetur. Si autem S. V. una cum Cesarea Regiaque Romana Maiestatibus quicquam consilii invenire captareque noverit, quo terrae Prussiacae iterum sub V. S. ac Romani Imperii obedientiam ad nostri ordinis instaurationem, atque totius in Germaniae procerum emolumentum redigi possent, illud pro V. S. paterno affectu necnon apostolicae vestrae authoritatis maiestate gratiosissime quamprimum prosequi non dedignetur, etiam atque etiam rogo: devinciet ea in re S. V. me et ordinem meum, totamque hanc patriam arctiori erga S. V. sanctamque Sedem Apostolicam observantiae ac devotionis vinculo, plurimumque ordinis mei atque totius huius patriae communi consulet utilitati. Me propterea ac totum ordinem meum ad pedes et nutum S. V. humillime offerendo devovendoque eandem S. V. pro felici ac tranquilla conservatione indefessis meis precibus Altissimo devote commendo. Ex mea ordinisque mei arce Rigensi in Livonia quinto die Octobris Anno salutis nostrae super sesquimillesimum tricesimo secundo.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae) Obedientissimus filius

WALTERUS DE PLETTENBERGK Ordinis Militiae
Beatae Mariae Teutonicorum per Livoniam Magister.

Litt. Principum Tom. IX. fol. 521.

DL.

Electo Culmensi ulterior prorogatio ad suscipiendum munus consecrationis ad octo menses conceditur.

Dilecto filio Iohanni Dantisco Electo Culmensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Meritis tuae devotionis inducimur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque nos alias postquam ecclesiae Culmensi, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, de persona tua de fratrum nostrorum consilio per quasdam sub plumbo expeditas duxeramus providendum, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, tibi, ut usque ad unum annum proxime tunc futurum, a fine temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti computandum, munus consecrationis suscipere minime tenereris, nec ad id a quoquam invitus compelli posses, per quasdam primo, et deinde cum nobis exponi fecisses, quod tu infra dictum annum, ut praemittitur, concessum, pro eo, quod pro Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Rege Illustri apud Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum orator destinatus fueras, impeditus, munus ipsum infra dictum annum suscipere commode non poteras, annum ipsum ad alium annum, a fine eiusdem anni, ut praemittitur, concessi computandum, per alias in forma Brevis litteras ampliaverimus et prorogaverimus, prout in illis plenius continetur; et sicut exponi nobis nuper fecisti, infra dictum annum, ut praemittitur, ultimo prorogatum, cuius finis de proximo instat, cum animi tui quiete certis de causis munus consecrationis huiusmodi commode suscipere non speres, et propterea nobis humiliter supplicari feceris, ut annum ultimo tibi concessum huiusmodi ad aliquod aliud tempus prorogare de benignitate apostolica dignaremur: Nos commodis tuis in praemissis amplius consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, annum praedictum ultimo prorogatum, infra quem (ut asseris) adhuc existis, ad octo menses, a fine ultimo dicti anni huiusmodi computandos, quibus durantibus munus consecrationis huiusmodi suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, praemissis ac Lateranensis Concilii, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicte ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium absque spe ulterioris

prorogationis pariter extendimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXI. Aprilis MDXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII. ep. 174. pag. 570.

DLI.

Reynoldo Cuxhavedensi electo Osiliensi, ut iura sua capitulo Osiliensi resignet et cedat.

Dilecto filio Reynoldo Cuxhavedensi Electo Oziliensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Dudum nos electionem de persona tua, tunc Decano ecclesiae Oziliensis, in Episcopum Oziliensem per dilectos filios Capitulum ipsius ecclesiae, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, iuxta concordata inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam celebratam, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate approbavimus et confirmavimus, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, pro eo quod tu iustitiam non administrabas, ac debita tam per praedecessores tuos, quam etiam per te contracta satisfacere non curabas, nonnulli Nobiles ecclesiae et Capitulo praefatis, ipsiusque ecclesiae subditis gravia damna, etiam Nobiles et alias eiusdem ecclesiae personas capiendo, intulissent, et licet Capitulum praefati ad te crebras litteras dedissent, ut illis, prout bonum decebat pastorem, subvenires, vel ut a molestationibus desisterent, efficeres, nihilominus tu consilia Capituli huiusmodi sprevisses, et in certa munitissima Arce te recepisses, ac propterea dicti Nobiles tibi adversantes id intelligentes, plusquam antea in ipsius ecclesiae Canonicos et Nobiles eorumque bona saevirent: Capitulum praefati et Nobiles patriae, qui electionis tuae praedictae confirmationem, quam ut impetrares, ipsum Capitulum crebro hortati antea fuerant, te obtinuisse ignorabant, nihil a te spei aut subsidii habentes, aut sperantes, aliunde sibi consulere necessitate coacti, dilectum filium Wilhelmum ex Marchionibus Brandemburgensibus, Venerabili fratri moderno Archiepiscopo Rigensi in regimine et administratione ecclesiae Rigensis Coadiutorem apostolica auctoritate deputatum, in Episcopum Oziliensem de iure postularint, ac eidem Wilhelmo omnium bonorum ecclesiae praedictae, excepta dicta Arce, in qua te, ut praefertur, contines, possessionem, in qua adhuc existit, tradiderint, et exinde omnes tumultus huiusmodi sedati fuerint, ipseque Wilhelmus dictos Nobiles tibi adversantes et subditos dictae ecclesiae persequentes pacaverit, ac demum confirmationis tuae ignarus, post postulationem de persona sua factam huiusmodi illam per nos admitti petierit, nosque qui prius electionem de te factam, ut praefertur, confirmaveramus, postulationem huiusmodi admittere distulerimus, non ignorantes tempori aliquando deferendum esse, et propterea cupientes futuris ecclesiae Oziliensis ac illius subditorum praedictorum periculis, quae ex praemissis verisimiliter provenire possunt, obviare, et ne ecclesia ipsa Oziliensis graviora in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, prout tenemur, providere, discretionem tuam hortamur et requirimus in Domino, ut cum Capitulum et Nobiles tibi adversantes praefati te pro Episcopo et pastore habere omnino recusent, et ut a fidedignis accepimus, nulla spes videatur, quod ipsi Capitulum et Nobiles ac hi, qui eos sequuntur, te in Episcopum et pastorem sint recepturi, immo pocius maiora scandala et inconveniencia sint molituri, divinae maiestatis intuitu, ac pro scandalis, quae exinde verisimiliter, ut praefertur, oriri possent, evitandis, iuri tibi in ecclesia Oziliensi ac illius regimine et administratione praefatis, seu ad illa quomodolibet competenti in manibus praefati Capituli, quibus per alias nostras litteras super hoc damus auctoritatem et facultatem, et qui tibi, ut de cetero sustentari valeas, de aliis redditibus ecclesiasticis, ut nobis significarunt, providere parati sunt, cedere velis. Quod si, prout indubie speramus, feceris, non solum dictae ecclesiae salubriori statui, sed etiam animae tuae saluti, ac animi nostri quieti et tranquillitati, qui ex his, quae quomodolibet provenire possent, non parum cruciatur, procul dubio consules. Datum Romae etc. die XI. Iunii MDXXXIII. Anno X.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII. pag. 844.

DLII.

Capitulo Osiliensi, ut cessionem a supradicto electo Osiliensi accipiat, et ad novam pastoris postulationem procedat.

Dilectis filiis Capitulo ecclesiae Oziliensis.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Hodie per nos accepto, quod postquam nos electionem de persona dilecti filii Reynoldi Bixhonedensis (sic) tunc Decani ecclesiae vestrae Oziliensis, in Episcopum dictae ecclesiae, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, per vos iuxta concordata inter

Sedem Apostolicam et nationem Germanicam celebratam, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate approbaveramus et confirmaveramus, praeficiendo ipsum illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; cum dictus Reynoldus pro eo, quod iustitiam non administrabat, ac debita tam per praedecessores suos Episcopos Ozilienses, quam etiam per eum contracta satisfacere non curabat, nonnulli Nobiles vobis ac ecclesiae vestrae subditis huiusmodi damna, etiam Nobiles et alias eiusdem ecclesiae personas capiendo, intulissent, et licet vos ad praefatum Reynoldum Electum crebras litteras dedissetis, ut vobis ac eiusdem ecclesiae subditis, prout bonum decebat pastorem, subveniret, vel ut a molestationibus desisterent, efficeret, nihilominus ipse consilia vestra huiusmodi sprevisset et in certa munitissima Arce se recepisset, ac propterea dicti Nobiles illi adversantes id intelligentes, plusquam antea in vos et dictae ecclesiae subditos eorumque bona saevirent: vos et subditi praefati, qui electionis suae praedictae confirmationem, quam ut impetraret, crebro antea hortati fueratis, eum obtinuisse ignorabatis, nihil ab eo spei aut subsidii habentes aut sperantes, dilectum filium Wilhelmum ex Marchionibus Brandemburgensibus, Venerabili fratri moderno Archiepiscopo Rigensi in regimine et administratione ecclesiae Rigensis Coadiutorem apostolica auctoritate deputatum, in Episcopum Oziliensem de novo postulavissetis, ac eidem omnium bonorum ecclesiae praedictae, excepta dicta Arce, in qua dictus Reynoldus se, ut praefertur, continet, possessionem, in qua nunc existit, tradidissetis, et exinde omnes tumultus huiusmodi sedati fuissent, ipseque Wilhelmus dictos Nobiles praefato Reynoldo Electo adversantes, et subditos dictae ecclesiae persequentes pacavisset, ac demum confirmationis illius ignari, post postulationem de persona sua factam huiusmodi illam per nos admitti petivissetis, quam nos, qui prius electionem de dicto Reynoldo factam, ut praefertur, confirmaveramus, admittere distulimus: praefatum Reynoldum per alias nostras in forma brevis litteras hortati fuimus, ut divinae maiestatis intuitu iuri sibi in dicta ecclesia Oziliensi, necnon illius regimine et administratione praefatis, seu ad illa competenti, cum vos ei, ut decentius sustentari valeat, de aliis redditibus ecclesiasticis, ut nobis significastis, providere parati sitis, cedere vellet, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quamobrem cupientes, ut effectus earundem litterarum liberius subsequi possit, vobis, ut cessionem ipsam extra Romanam Curiam auctoritate et vice nostra, hac vice duntaxat, recipere et admittere, eaque per vos dicta auctoritate, ut praefertur, recepta et admissa, ac ecclesia ipsa propterea pastore carente, ad novam postulationem dicti Wilhelmi in Episcopum Oziliensem alias iuxta ipsius ecclesiae consuetudinem et concordata nationis Germanicae procedere libere et licite valeatis, praemissis ac quibusvis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate praedicta tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Volumus autem, quod in eventum cessionis et admissionis praedictarum vos infra trimestre tunc proxime futurum ad novam postulationem huiusmodi procedere, et dictus Wilhelmus postulationis suae admissionem a Sede praedicta infra tempus a iure concessum impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire, ac iura Camerae apostolicae propterea debita persolvere omnino teneatur: Alioquin si infra trimestre praedictum per vos ad postulationem praedictam non fuerit processum, ius postulandi aut eligendi vobis ex iuris aut concordatorum praedictorum dispositione spectans ad illum, ad quem pertinet, iuxta eamdem dispositionem devolvatur. Datum Romae etc. die xi. Iunii mdxxxiii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII. ep. 266. pag. 847.

DLIII.

Michaeli de Pazanow clerico Cracoviensi de beneficiis usque ad ccc. ducatos in Gnesnensi, Vladislaviensi et Plocensi dioecesibus providetur.

Dilecto filio Michaeli de Pazanow Clerico Cracoviensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cupientes tibi, ut commodius sustentari valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes etc. nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica etc. motu proprio etc. unum, duo, tria, quatuor et tot beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura in Gneznensi, Wladislaviensi vel Plocensi Civitatibus et dioecesibus consistentia, quorum insimul fructus redditus et proventus trecentorum ducatorum auri de Camera summam non excedant, etiam si Canonicatus et praebenda etc. in mensibus Sanctae Sedis vacantia ad praesens, et quae simul vel successive per cessum etc. in aliquo ex mensibus praedictis vacare contigerit, per te etc. infra unius mensis spatium etc. acceptanda etc. exnunc prout extunc et e converso, dummodo Stanislao minori poenitentiario in ecclesia sancti Petri praeiudicium non generetur, et

quod alias sit locus praeventioni, post acceptationem praedictam tibi conferimus, et de illis etiam providemus, inhibentes Archiepiscopo Gneznensi, necnon Wladislaviensi et Plocensi Episcopis, ac Decanis et Archidiaconis Gneznensis, Wladislaviensis et Plocensis ecclesiarum, ne de beneficiis vacaturis huiusmodi cuiquam in tui praeiudicium providere quoquomodo praesumant, ac decernentes quascumque collationes nullius roboris vel momenti existere, et sic per quoscumque iudices etc. mandantes Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Gneznensi ac Wladislaviensi et Plocensi Episcopis, ac Decanis et Officialibus Gneznensis, Wladislaviensis et Plocensis ecclesiarum, quatenus ipsi etc. te etc. in corporalem possessionem etc. inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amotis etc. Contradictores etc. Non obstante nostra de non acceptandis beneficiis etc. Datum Romae etc. die XXVIII. Iunii MDXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII. ep. 536. pag. 1648.

DLIV.

Archiepiscopo Rigensi, ut quoscunque suae dioecesis infectos lutherana haeresi, rite abiurata etc. absolvere possit.

Venerabili fratri Thomae Archiepiscopo Rigensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Volentes illa fraternitati tuae favorabiliter concedere, per quae commissum tibi ab apostolica sede ecclesiae Rigensis in partibus Livoniae consistentis, cui praeesse dinosceris, pastorale officium valeas salubriter exercere, et fidelium tuae curae commissorum animarum saluti providere, eidem fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate nostra omnes et singulas utriusque sexus ecclesiasticas saeculares, et quorumvis ordinum regulares personas tuarum civitatis et dioecesis Rigensis pestiferae et iniquae haeresis lutheranae labe infectas, necnon quae in Abbates aut alios in ecclesiastica, non tamen pontificali, dignitate constitutos, ac presbiteros et alios quoscunque clericos manus violentas, etiam usque ad sanguinis effusionem, citra tamen enormem et praesertim in facie laesionem et membri mutilationem aut mortem, temere iniecerint, si et postquam ad cor reversi fuerint, praedictamque haeresim abiuraverint, et errorem suum deposuerint, ac de praemissis dolentes, parti laesae iuxta ordinationem tuam satisfecerint, et de commissis veniam humiliter postulaverint, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propterea quomodolibet incurrerint, iniunctis eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, in forma eclesiae consueta absolvendi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos praemissorum occasione contractam ab earum personis, et circa illas penitus abolendi, ac cum eis super quacunque irregularitate praemissorum, vel quia huiusmodi sententiis innodati, Missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarint, aut illis se immiscuerint, seu alia quavis occasione vel causa, praeterquam bigamiae vel homicidii, qualitercunque contracta, prius tamen illis ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, vel si nondum ad sacros ordines huiusmodi promoti fuerint, ut ad illos, seu ad ulteriores etiam sacros ordines rite promoveri, et in illis postquam promoti fuerint, etiam in altaris ministerio ministrare, necnon secum, ut quaecunque, quotcunque et qualiacunque cum cura et sine cura se invicem compatientia alias sibi canonice conferenda recipere, et per eos obtenta beneficia ecclesiastica retinere, et insuper cum illis, qui quarto aut mixtim tertio et quarto ab eodem stipite descendentes, simplicibus aut multiplicibus consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem coniuncti ignoranter matrimonium inter se iam contraxerint, illudque carnali copula consummaverint, qui, ut accepimus, ob magnam de illis partibus ad sedem apostolicam distantiam potius in reatu incestus mori, quam ad sedem ipsam desuper recurrere eligerent, ut illi impedimento quarti aut tertii et quarti simul consanguinitatis vel affinitatis graduum huiusmodi non obstante, in sic per eos contractis matrimoniis remanere, vel ea, si videbitur, de novo contrahere libere et licite valeant, dispensandi, prolesque susceptas, si quae sint, et ex huiusmodi matrimoniis suscipiendas legitimas decernendi; demum quia in eisdem partibus nimia, ut etiam accepimus, piscium viget carentia, quibusvis partium earundem utriusque sexus personis tam ecclesiasticis saecularibus, quam quorumvis ordinum regularibus, ut quadragesimalibus et aliis temporibus et diebus, quibus esus lacticiniorum est prohibitus, eisdem diebus et temporibus lacticiniis huiusmodi, illorum, quibus id concesseris, conscientiam onerando, non tamen ultra biennium, uti et vesci possint, concedendi plenam et liberam auctoritate apostolica auctoritatem et facultatem elargimur per

praesentes, quas quoad personas civitatis et tuae dioecesis praedictarum solum tibi suffragari volumus, Non obstante ultimi Lateranensis et aliorum Conciliorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscunque, Praesentibus post biennium minime valituris. Dat. Romae die xv. Iulii MDXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Brev. Tom. LIII. ep. 426. pag. 1054.

DLV.

Capitulum Osiliense pontificem de iniquis ausibus Reynoldi electi Osiliensis instruit, et eundem anathemate percuti petit.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac dño, dño Clementi divina providentia pape Septimo, Sancte et Universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino nostro Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime pater, Clementissimeque domine. Post devota pedum oscula beatorum humilem nostrorum commendationem. Accepimus exemplar litterarum S. V. cuidam Reynoldo quondam electo Oziliensi scriptarum: ex quibus intelleximus S. V. iustis atque urgentibus rationibus motam esse, propter quas ipso Reynoldo precipit, ut a temerario suo instituto desistat, Illustrissimumque principem ac dñum, dñum Wilhelmum Coadiutorem Rigensem ac postulatum dñum nostrum Oziliensem Marchionemque Brandeburgensem etc. sue ecclesie tranquille preesse permittat, prout tenor litterarum ipsarum copiosius secum fert: pro quibus S. V. immensas gratias agimus. Licet idem Reynoldus huius paupercule diocesis subditis non parva damna, depopulationes, concremationes, depredationes, latrocinia hostili manu intulisset, hiis quidem et similibus nondum satiatus, sed et Venerabilem virum magistrum Michaelem Gralow, ecclesie Oziliensis Thesaurarium et confratrem nostrum, nocturno tempore in cubili suo per suos familiares lancea xv. fere vulneribus perfodi fecerat, Nobilemque virum Theodericum de Brakell captivavit, ac cum suis adherentibus latronibus et hiis similibus maiora damna ecclesie subditis inferre conatur: quapropter S. V. supplices ac humiles precamur, ut eidem Reynoldo per litteras suas anathematis pena, ut a suo temerario proposito desistat, precipere ac mandare dignetur, et si in tali mandato inobediens repertus, ut statim atque ipso facto una cum consortibus et adherentibus excommunicationis sententiam incurrat. Preterea, Sanctissime Pater, velit S. V. Rñis dñis Archiepo Rigensi, Episcopis Tarbatensi, Revaliensi, Curoniensi, nostro Magnifico ordinis Theutonicorum Magistro, atque reliquis statibus Livonie mandare, ut Illñum principem ac dominum nostrum in eo negotio fideliter adiuvent, atque temerarios hominis ausus latius grassari minime permittant. In hoc S. V. rem christiana tranquillitate dignam, nobis vero ac totius ecclesie Oziliensis clero summe necessariam factura: Quam divina pietas in felix regimen ecclesie sue sancte felici evo conservare dignetur. Datum Hapzell vicesima quinta mensis Augusti Anno Millesimo quingentesimo tricesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre — Humiles ac devoti

IOHANNES LODE Decanus totumque Capitulum Ecclesie Oziliensis.

Litt. Principum Tom. X. fol. 129.

DLVI.

Guillelmus postulatus Osiliensis eadem a pontifice petit.

Beatissimo Patri Clementi Septimo Divina providentia Pontifici Maximo, Domino omnium Clementissimo et patri pientissimo.

Beatissime Pater, post supplicem pedum deosculationem Beatitudini vestrae pacem, gaudium, incolumitatem atque omne bonum precor. Accepi exemplar litterarum a Sanctitate vestra cuidam, Reinoldo nomine, praetenso electo episcopo Osiliensi in Livonia scriptarum: ex quibus intellexi, Sanctitatem vestram iustis atque urgentibus rationibus motam esse, propter quas ipsi Reinoldo praecipit, ut a temerario suo instituto desistat, meque eidem ecclesiae tranquille praeesse permittat, id quod tenor ipsarum litterarum copiosius secum fert. Ego vero, nimirum qui ad eam ecclesiam regendam postulatus sum, non sine magno animi mei dolore Sanct. vestrae significo, eundem Reinoldum temerario suo ausu villas, pagos et nonnullas munitiones igne concremasse, miseros subditos ferro trucidasse, atque adeo nonnullas terras ipsius Episcopatus hostili manu depopulasse, tametsi praefatas Sanctitatis vestrae longe diversum precipientes litteras habuerit, atque a Reverendissimo et Reverendo, domino

Archiepiscopo Rigensi, patre, et domino Magistro Praeceptore ordinis Teutonicorum, vicino meo, adhortatus fuerit, ut nihil sinistri moliretur. Et quanquam satis iustas ad resistendum hominis improbitati causas habuerim, nolui tamen committere, utcumque permittente et naturali et civili lege, ut subditos mihi commissos ab iniuria vindicarem, partim ut Sanctitatis vestrae potius auxilium implorarem, quam ut viderer paria facere, partim vero ut seditionem evitarem, quae plerumque nemini magis quam ipsi innocentiae solet esse formidabilis, nimirum a domino Magistro atque ordine suo sic rogatus; partim etiam quia speravi prope diem futurum, ut a tam temerario suo incepto desistat, quando quidem satis iustae ac tollerabiles conditiones eidem oblatae sunt. Quod si neque iustis rationibus neque ullis condicionibus admoneri poterit, ut ab instituto suo desistere velit, fieri non poterit, ut hanc meis subditis illatam iniuriam inultam abire permittam. Proinde quaeso Sanctitatem vestram, non dedignetur eidem Reinoldo per litteras sub anathematis poena praecipere, ut desistat, adeo ut si adversus tale mandatum inobediens erit, statim atque ipso facto una cum suis consortibus et adhaerentibus excommunicationis sententiam incurrat. Praeterea velit Sanctitas vestra praefatis Archiepō, Episcopis, Magistro, ordini atque reliquis statibus Livoniae mandare, ut me in eo negocio fideliter adiuvent, atque temerarios hominis ausus latius grassari minime permittant: factura Sanctitas vestra rem Christiana tranquillitate dignam, subditis vero summe necessariam, atque ego dabo operam, ut pro mea mediocritate Beatitudini vestrae vicissim summis meis viribus inserviam: Quam in Christo bene valere cupio. Datae Hapsal in Livonia pridie Cal. Augusti, Anno a nato Christo Servatore MDXXXIII.

Beatitudinis Vestrae Humilis

WILHELMUS Ecclesiae Rigensis Coadiutor, Osiliensis Postulatus,
Marchio Brandeburgensis etc.

Litt. Principum Tom. X. fol. 521.

DLVII.

Rex Poloniae petit a pontifice, ut privilegium conferendi beneficia iam concessum, confirmare velit.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, dño Clementi VII. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et domine, dñe Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Ago et habeo gratias Sanct. vestrae quas possum maiores, quod hactenus in meis postulatis et precibus, ad commodum et bonum statum Ecclesiasticum pertinentibus, semper se michi benignam et vere Clementem exhibere consuevit. Verum cum petivissem a vestra Sanctitate privilegium illud, quo libera esset per omnia collacio ordinariorum Regni mei in alternatis eorum mensibus, erat et hoc meum institutum, et sic hactenus a vestra Sanctitate concessum michi arbitratus sum, ut Coadiutoriae, regressus, accessus, ingressus, et alia id genus, quibus sacerdocia viventibus possessoribus captantur, nisi cum meo et successorum meorum, ordinariique et Capituli in Regno meo consensu, nullius unquam essent momenti et roboris, propterea quod hac iter est potissimum omnibus indignis ad sacerdocia perveniendi: nunc audio nonnullos ad labefactandum et aliter interpretandum ipsum privilegium rimas querere, asserereque consensum ipsum quo ad menses vestrae Sanctitatis minime requiri. Et quia ego non in aliud obtinere curavi istud privilegium, nisi ad manutenendum in Regno meo statum Ecclesiasticum in suo robore et dignitate, hoc unum semper agens et cogitans, ut fidem sanctam Catholicam in hiis depravatissimis temporibus, non solum ab impetu paganorum, sed eciam a veneno hereticorum illibatam conservarem, intelligam vero privilegium ipsum et acceptum omnibus probis meis Regnicolis et multum rei Ecclesiastice conducere: supplico vestrae Sanctitati, ut non solum providere dignetur, quo ipsum privilegium a nemine infringi aut illi derogari possit, sed etiam talem declaracionem, extensionem, ampliacionemque ipsius facere velit, ex qua dilucide constare possit, Coadiutorias, regressus, accessus, ingressus in quibuscumque dignitatibus, eciam post Pontificales maioribus et principalibus Canonicatibus et prebendis omnium Metropolitane, Cathedralium, Collegiatarum ac parocchialium Ecclesiarum, ad quoscumque collatores, eciam laicos et collatrices Regni mei pertinencium, neque in vestre Sanctitatis, neque in ordinariorum mensibus quidquam valere, nisi quibus meus et successorum meorum ordinariique et Capituli sui consensus, qui dignis et probis nunquam denegabitur, accesserit: indignum enim videtur nomine et Maiestate Sanctitatis vestre, ut quam viam improbis et indignis hominibus sacerdocia occupandi in mensibus

ordinariorum recte precluserit, in suis patefactam esse velit. Proinde supplico vestre Sanctitati, ut habita racione propensissime devocionis mee erga Sanctitatem vestram, et istam sanctam Sedem, his precibus meis iustis et statui Ecclesiastico conducibilibus annuere dignetur, et presertim cum pro sua prudencia scire et considerare potest, quali vicinia Regnum meum undique sit circumdatum, nempe hereticis multiplicibus, scismaticis et infidelibus, ut mirum videri possit, et omnino sit plerisque, ipsum Regnum meum in tam propinqua circumquaque contagione, in tanta hominum licencia, tamque depravatis per omnia temporibus, hactenus in veteri suo rittu et relligione, inque obediencia et observancia singulari erga Sedem apostolicam constanter persistere. Et quamvis plerique secularium cum vicino exemplo, tum peculiari odio, quo flagrant in Ecclesiasticos, conati sunt frequenter et statum Ecclesiasticum labefactare, et religionem perturbare: compescit tamen et moderatur illos cum auctoritas mea, tum ordinariorum Regni mei, Prelatorumque existimacione et genere insignium, cura et sollicitudo, cumque illi vituperent et traducant abusus et indignitates, quas diligentissime notant, tam in aliis rebus Ecclesiasticis, quam eciam in sacerdociorum provisionibus et personis ad Ecclesias quomodolibet sese ingerentibus: hii contra non solum tales se prestant, quales huiusmodi aculei non ledant, sed eciam tales ad Ecclesias promoveri curant, qui et virtute doctrinaque sua, et claritate generis, suorumque propinquorum adminiculo rem Ecclesiasticam manutenere et defendere possunt. Hinc noscuntur iste preces mee apud vestram Sanctitatem cum pro aliis id genus rebus et graciis, tum vero pro ipso Privilegio, de libera ordinariorum aliorumque collatorum, saltem in ipsorum sex mensibus collatione, et precludenda via his, qui sacerdocia, cum per virtutem non possunt, variis artibus illa preocupantes, quasi iure hereditario consequi nituntur. Quo quidem Privilegio, si concessum a vestra Sanctitate sic observetur et interpretetur, ut et ego peto, et res Ecclesiastica ac dignitas vestrae Sanctitatis postulat, nichil efficacius futurum arbitror, cum ad hostium censorumque Ecclesiasticorum ora comprimenda, tum ad religionem existimacionemque ac observanciam debitam erga vestram Sanctitatem retinendam: quare ut tandem votis meis vestra Sanctitas in reficiendo, interpretando ac ampliando ipso Privilegio annuat et subscribat, eciam atque eciam supplico. Ac me Regnumque et dominia mea illis rursus, uti patri Clementissimo, omni devotione commendo, optoque, ut Christus Dominus pro incolumitate rei Christiane et optatis meis servet quam diutissime vestram Sanctitatem sanam sospitem et foelicem. Datum Vilnae die secunda Novembris, Anno domini MDXXXIII. Regni vero et dominiorum meorum anno XXVII.

Eiusdem Vestre Sanctitatis — Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLVIII.

Rex Poloniae pontifici de privilegio concesso grates reddens adaugere petit.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino, domino Clementi Septimo divina providentia Sancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum commendationem et oscula pedum beatorum. Accepi tandem literas Brevis Sanctitatis vestre, quibus clementer et paterne annuens precibus meis de reficiendo et in locis ambiguis declarando privilegio Ordinariis Regni mei concesso: scribit Sanctitas vestra se id iam mandasse Datario suo, ut in ea re desiderio meo . . . . . illius benignitate semper quidem michi perspecta et cognita, sed nunc plane confirmata, quantum possum maximas ago et habeo vestre Sanctitati gratias, eamque omni vicissim . . . . . quod et hactenus erga sanctam istam Sedem semper feci, mereri curabo. Sed quia hinc nate fuerunt tot preces mee apud vestram Sanctitatem, que . . . . . interpretacionibus et inversionibus arctatum et labefactatum non modicas difficultates et impendia pariebat, quod non fuisset, si ita plana et extensa . . . . . suadetur nulla alia interpretacione et declaratione indigere. Proinde posteaque Sanctitas vestra, ut privilegium ipsum reficiatur, annuere, idque negocii dat . . . . . plico illi, ut iam tandem, quo ita fiat, mandare dignetur, ne michi sit necesse iterum Sanctitati vestre precibus meis molestiam exhibere, quod nisi viderem valde uti . . . . . rei ecclesiastice, nisi quod metuerem, ne si privilegium istud ita imperfectum et ambiguum relinquatur, errores prioribus peiores in Regno meo pariat, nunquam id a Sanctitate vestra tanta sedulitate peterem. Metuo enim, ne qua in posterum difficultas et contencio racione ipsius privilegii inter ecclesiasticos et seculares contingat, neve successores mei

causam aliquam haberent minus reverendi observandique sedem apostolicam, quam ego consuevi, ubi concessiones huiusmodi pro bono statu ac dignitate ecclesiarum impetratas viderent his impetracionibus et cavillis, quibus hoc tempore fuerunt, obnoxias. Quo fit, ut cupiam vehementer privilegium ipsum, ita ut opus est et rei ecclesiastice expedit, planum et firmatum quasi monimentum aliquod et mee honestissime voluntatis erga rem ecclesiasticam, et Sanctitatis vestre perpetue erga me pietatis posteris meis relinquere, qui nescio an tam benignos postea habituri sint pontifices Romanos, quam ego Sanctitatem vestram erga me experior: quare nunc iterum Sanctitatem vestram oro, ut me in re tam utili et honesta voti compotem esse velit, utque vestra Sanctitas hoc ipsum privilegium ita refici et interpretari iubere dignetur, ut doctor Stanislaus poenitentiarius et Ioannes Vilamowski, quibus id negotii apud vestram Sanctitatem curandum mandavi, declarabunt. Quod vero quidam ex ordinariis Regni mei apud Sanctitatem vestram sit delatus nomine venditi consensus ad coadiutorias et regressus, id si ita esset, minime probare, immo neque ferre possem: sed michi id numquam est auditum, neque quod sciam arbitror esse aliquem inter ordinarios ipsos vel tam turpiter lucri cupidum, vel tam egenum, ut id facere necesse habeat, unde confictum id esse arbitror a quopiam improbo homine, qui ut impediret privilegii expedicionem, non veritus est apud Sanctitatem vestram rem impudentissimam comminisci. Quod si tamen ea ipsa res vera esset, ut nusquam non sunt vicia, idem contingere posset in sacris et provisionibus ipsorum; tamen ob unius aut duorum culpam facultas et privilegia aliis omnibus merito diminui non decent, sed neque camere, neque officiariis vestre Sanctitatis quidquam emolumenti decederet cum consensu quocumque modo hic obtento, nichilominus tota res isthic esset expedienda, idque quo cavetur, ne homines indigni sese ingerant ad ecclesias, non esse contra libertatem, sed in commodum et ornamentum ecclesiasticum censeri debet: quare ut non obstantibus omnibus istis commentis et difficultatibus, que hac in re ingeruntur, vestra Sanctitas mandare dignetur pro meo desiderio privilegiique firmitate declarationem et extensionem opportunam, et que non esset temporaria facere, id a vestra Sanctitate omnibus, quibus possum, precibus rogo et obsecro, eique me Regnumque et dominia mea rursus quam diligentissime commendo, valereque illam et preesse felicissime desidero. Datum Vilne die vigesima nona Novembris anno Domini MDXXXIII. Regni vero mei anno XXVII.

Eiusdem Vestre Sanctitatis Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrnm. Miscell. Poloniae.

DLIX.

Epo Cracoviensi et Nicolao Gezimoltowski, ut cardinali SS. Quatuor Coronatorum fructus capellaniae S. Dorothéae in ecclesia Gnesnensi percipiant et conservent.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi, et dilecto filio Nicolao Gezimoltowski Canonico Ecclesiae Gneznensis, vel eorum alteri.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, et dilecte fili, salutem etc. Cum nos alias perpetuam Capellaniam ad altare sanctae Dorotheae situm in ecclesia Gneznensi, tunc per obitum quondam Nicolai Poplawinezski, olim ad dictum altare perpetui Capellani, et dilecti filii Antonii tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbyteri Cardinalis, maioris poenitentiarii nostri, familiaris continui commensalis, extra Romanam Curiam defuncti vacantem, eidem Antonio Cardinali apostolica auctoritate commendaverimus, nos attendentes, quod de dicta Cappellania, utpote ratione familiaritatis continuae commensalitatis ipsius Antonii Cardinalis dispositioni apostolicae generaliter reservata, propterea quod nos prius omnia beneficia ecclesiastica per obitum quorumcunque sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium familiarium continuorum commensalium tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservaveramus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, nullus se intromittere potuit seu potest, et ne contingat Cappellaniam ipsam per aliquos indebite detineri, providere volentes, discretioni vestrae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos aut alter vestrum possessionem dictae Cappellaniae, ac illius iurium et pertinentiarium omnium nostro et Camerae apostolicae nomine praesentium vigore capiatis et apprehendatis, ac fructus ex eo provenientes percipiatis et conservetis, possessionemque et fructus huiusmodi praedicto Antonio Cardinali, quando litteras super commenda praedicta vobis praesentaverit, tradatis, et assignetis, necnon ab ea quoscumque forsan in illa intrusos, cuiuscunque status vel conditionis fue-

rint, per ecclesiasticas sententias et censuras, etiam privationis beneficiorum per eos obtentorum, et pecuniarias poenas et alia iuris remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, dicto nomine realiter et cum effectu amoveatis et expellatis, contradictores quoscunque et rebelles per easdem censuras et poenas, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus constitutionibus etc. Volumus autem, quod dictus Antonius Cardinalis litteras sub plumbo praedictas infra sex menses a data praesentium computandos expedire omnino teneatur, aliter praesentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae etc. die XIII. Maii MDXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Brev. Tom. LIV. ep. 142. pag. 323.

DLX.

Indulgentia alias concessa porrigentibus manus adiutrices pro reparanda ecclesia Vilnensi igne consumpta, petente Sigismundo rege Poloniae, ad annum prorogatur.

Clemens PP. VII. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem etc. Desiderantes fidelium omnium animas Deo lucrifieri, fideles ipsos ad pia opera exercenda et ad ecclesiarum reparationem temporalia auxilia exhibenda per spiritualia munera frequenter invitamus, ut exinde ipsis animarum suarum desiderata salus facilius valeat provenire. Dudum siquidem cupientes, quod ecclesia Vilnensis, quae casu fortuitu ignis incendio consumpta fuerat, in suis structuris et aedificiis repararetur et restauraretur, ac Christifideles eo libentius devotionis causa ad illam confluerent, et ad reparationem et restaurationem huiusmodi manus promptius adiutrices porrigerent, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspicerent se refectos, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui praedictam Vilnensem et alias ad id tunc per Venerabilem fratrem Episcopum Vilnensem eligendas ecclesias certis tunc expressis diebus, et festivitatibus infra annum tunc proxime futurum visitarent, et ad restaurationem et reparationem praedictas manus adiutrices porrigerent, pro singulis festivitatum earundem diebus, quibus id facerent, plenariam omnium et singulorum peccatorum, criminum, excessuum et delictorum suorum indulgentiam et remissionem a poena et culpa, et qualis per praedecessores nostros dari consueverat proficiscentibus in subsidium Terrae sanctae, et contra perfidissimos Turchas, qualis quoque in anno Iubilei per eosdem praedecessores concessa extiterat, per quasdam ad annum dumtaxat duraturas sub plumbo concessimus, praedicto Episcopo Vilnensi confessores, qui Christifideles huiusmodi ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, exceptis contentis in Bulla in die coenae Domini legi consueta, absolvere possent, eligendi facultatem inter alia concedendo, et deinde indulgentiam huiusmodi ad dies quadragesimae alterius tunc sequentis anni per alias nostras in forma Brevis litteras extendimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, magnitudo structurae ecclesiae Vilnensis huiusmodi talis sit, ut ex suffragiis per Christifideles hactenus ad id datis nullo modo possit dicta ecclesia ad perfectionem perduci, nos cupientes, ut dicta ecclesia optatum recipiat complementum, ac animarum salus per amplius propagetur, consideratione etiam charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis Illustris nobis super hoc per suas litteras humiliter supplicantis, litteras praedictas, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, cum in eis contentis clausulis, ad hoc ut Christifideles indulgentiam praedictam consequi, et per dictas litteras concessis frui et gaudere, ipseque Episcopus, quae sibi per dictas litteras concessa fuerant, de novo facere possit et valeat, auctoritate apostolica innovamus, ac omnia et singula in ipsis litteris contenta iuxta earum tenorem de novo concedimus per praesentes, quas sub quibusvis suspensionibus et revocationibus plenariarum indulgentiarum etiam per nos, etiam in favorem Cruciatae, et fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et alias quomodolibet, ac sub quibuscumque tenoribus et formis factis et faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere, et post annum a festo Assumptionis beatae Mariae Virginis proxime futurum computandum minime valere volumus. Datum Romae etc. die VII. Maii MDXXXIIII. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Brev. Tom. LIV. ep. 305. pag. 745.

DLXI.

Item indulgentia concessa porrigentibus manus adiutrices pro restauranda ecclesia Plocensi fulminis incendio conflagrata prorogatur.

Clemens episcopus etc. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem etc. Desiderantes fidelium omnium animas Deo lucrifieri, fideles ipsos ad pia opera exercenda et ad eccle-

siarum reparationem temporalia auxilia exhibenda per spiritualia munera frequenter invitamus, ut exinde ipsis animarum suarum desiderata salus facilius valeat provenire. Dudum siquidem cupientes, quod ecclesia Plocensis, quae sicut accepimus, fortuito fulminis incendio conflagraverat, in suis structuris et aedificiis etc. usque in finem, prout in proxima superiori pro ecclesia Vilnensi. Datum Romae etc. VII. Maii MDXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Brev. Tom. LIV. ep. 306. pag. 748.

DLXII.

Episcopo Plocensi, ut quoscunque lutheranos ad cor reversos absolvere possit.

Venerabili fratri Andreae Episcopo Plocensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Provenit ex tuae devotionis integritate, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per quae, auctore Domino, salus animarum valeat provenire. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli partium Germaniae pestiferae haeresis lutheranae labe respersi ad cor redeuntes, ad regnum Poloniae, ut communioni ecclesiae restitui possint, se conferunt, nos illorum animas omnipotenti Deo lucrifieri desiderantes, fraternitati tuae quoscunque utriusque sexus (tam ecclesiasticos) quam saeculares huiusmodi lutherana, aut quavis alia haeresi respersos undecunque existentes, ad dictum Regnum, ut in eo habitent, pro tempore se conferentes, ad veritatis lumen redire ac huiusmodi haeresim abiurare volentes, postquam errores suos deposuerint, ac de praemissis doluerint, idque humiliter petierint, si alias relapsi non fuerint, receptis prius ab eis abiuratione haeresis huiusmodi legitime et publice facienda, praestandoque per eos iuramento, quod talia deinceps non committent, nec talia aut alia iis similia committentibus seu adhaerentibus consilium, auxilium vel favorem per se vel alium seu alios praestabunt, aliisque in similibus servari solitis servatis, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propterea quomodolibet incurrerint, et ab huiusmodi delictis, excessibus et criminibus ac alias in forma ecclesiae consueta absolvendi, et super irregularitate praemissorum occasione quomodolibet contracta dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam penitus abolendi, ac eos rehabilitandi, et ad honores, famam ac in pristinum et eum, in quo ante praemissa erant, statum, necnon ad nostrum et eiusdem Sedis gremium, gratiam et benedictionem restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, et alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, et exequendi plenam et liberam auctoritatem et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostrum beneplacitum concedimus, Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XV. Maii MDXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Brev. Tom. LIV. ep. 145. pag. 329.

EPISTOLAE PAULI PP. III.

DLXIII.

Rex Poloniae pontifici gratulatur, et promittit, se nihil omissurum, ut labes haeretica a regno suo arceatur.

Sanctissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo III. divina providentia S. Rom. ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem, et oscula pedum beatorum. Cum allatum ad nos esset, ad Sanctitatem Vestram totius reipublice Christiane gubernacula esse delata, credibile non est, quanto fuerim gaudio delibutus. Nam quo maiora orbi Christiano pericula impendere videbam, Regibus et Principibus Christianis, misera sic ambicione suadente, mutuum in exicium imminentibus, vulgi et secularium animis multo maximam partem incredibili cleri odio inflammatis, hereseon novis subinde generibus emergentibus atque altius radices agentibus, quam ut extirpari facile possint: hoc sum recreatus magis et exhilaratus, cum eum Ecclesiae Pastorem celitus esse datum intellexi, qui cum sit pacis amantissimus, omni genere virtutum ornatissimus, armis doctrine, armis prudencie instructissimus, non ita magno negocio Reipublice pestes omnes resecare, atque eam florentissimo in statu, Christo duce et auspice, collocare possit. Merito itaque Sanctitati Vestre ea qua summa possum animi mei alacritate gratulor, quam Deus tot corporis, tot animi dotibus ornatam ad tantum hoc, quo maius in terris nullum esse potest, dignitatis evexit fastigium, quamquam multo me magis Ecclesie gratulari convenit, cuius calamitatum tandem aliquando pater ille misericordiarum misertus, eum dedit Pontificem, qui ad statum illius reformandum non minorem sit voluntatem quam facultatem allaturus, neque ei rei prevertendum quidquam putabit, ut Principum animos tranquillare, ordinum studia conciliare, pravas ex animis hominum opiniones possit extirpare. Id quod ut Sanctitas Vestra primo quoque tempore facere aggrediatur, atque in eam curam et cogitationem toto quod aiunt pectore incumbat, etsi currentem procul dubio, non possum tamen non hortari et rogare plurimum: nam et laudi Sanctitatis Vestre faveo que tanta futura est, vix ut celo capi posse videatur, et eo iam rem propemodum deductam esse, ut nisi tot et tantis vulneribus reipublice Christiane inustis, et presentia et mature fuerint adhibita remedia, vix ullus postea medicine sit locus futurus: tam ardenter racionibus Ecclesie prospectum cupio, ut corpus etiam libens obtulerim, si representari morte mea pax eius et tranquillitas possit. Equidem quod meum Regnum attinet, totus in hoc sum, ut pestes istas paulo ante a me memoratas procul repellam, neque eas in mea unquam dominia penetrare patiar. Cum Christiani nominis hostibus michi perpetuo res est, a quibus minus impenderet periculi, si qua fieri posset inter Principes Christianos concordia: tum ne quod heretici venenatum virus subditis meis afflare possint, ne pravis animos eorum ac perversis

opinionibus imbuant, qua summa possum cura et diligentia prospicio. In primis autem ea michi res cure est, ordinum ut sint voluntates coniuncte, quod ut confici possit facilius, via quedam et racio est a me excogitata, qua de aliis in litteris ad Sanctitatem Vestram scripsi, quam ut iudicio suo confirmare, et primas meas preces benigne velit exaudire, ea qua par est animi demissione Sanctitati Vestre supplico, ad cuius me fidem et authoritatem confero, illi me, illi filium meum unicum michique charissimum, Regem iam designatum, illi Regnum meum et dominia mea omnia humiliter commendo. Denique Deum precor, ut Sanctitatem Vestram in singularem Ecclesie sue consolationem diu servet sanam et incolumem: nam aut ea clavum tenente, Petri navicula eum, quem volumus, cursum tenebit, aut si, quod Deus omen obruat, hec nos tanta spes frustrata fuerit, acta iam et transacta erunt omnia. Datum Vilne die ultima Octobris Anno Domini MDXXXIIII. Regni vero mei anno XXVIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE ET MAGNUS DUX LITHUANIE.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXIV.

Rex Poloniae pontifici, permittit, ut potentioribus quibusdam laicis ius patronatus ecclesiasticum conferre possit, quo ad defendenda bona ecclesiastica eo magis incitentur.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, dño Paulo Tertio divina providentia S. Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Ea est nunc temporum racio, ut non desint homines prophani, qui bonis ecclesiasticis valde inhiant: ex quo fit, ut Regni mei Clero, presertim sub expedicionis bellice tempus, et multa et magna ab ordine militari negocia facessantur, bonaque illius et miseri coloni hostilem prope in modum vexantur, id tum alibi sepe, tum in Cracoviensi diocesi contingit sepissime, in qua sacerdotia impressioni predaeque militum magis sunt obnoxia, quam per ea fere iter esse militibus consuevit. Neque vero vel quid mei sit in defendendis Ecclesiasticis officii nescio, vel illud sedulo prestare non conor, sed cum nec custodes ubique possim collocare, neque liceat bellico in tumultu, in quo ad multa connivere necesse est, satis in eos animadvertere, qui ad coercendos et propulsandos Christiani nominis hostes variis ex locis proficiscuntur: alia mihi via et racio est excogitata, qua tantis malis mederi possim. Visum est enim ad rem vehementer pertinere, ut ad secularium licentiamrefrenandam, et milites in officio continendos, ab ipsis potissimum secularibus satis firma presidia compararentur, quibus dñi Epi authoritas niti possit, cui vi et armis contendere per leges Eccl. non licet. Quo vero libentioribus animis propugnationem istam bonorum Ecclesiast. susciperent, atque ad eam rem obstricti essent quodammodo et obligati: fuit mihi deliberatum iuspatronatus Ecclesiarum quarundam eis concedere. Qua de re nichil statuendum tamen putavi, nisi pro meo more, proque mea perpetua erga Sedem Apostolicam observantia prius de ea ad Sanctitatem Vestram retulissem. Cui magnopere supplico, ut animi mei propositum confimare velit, ut tres Canonicatus et prebendas Ecclesie collegiatae Sandomiriensis oppidi, cuius ad me proprietas pertinet, tum nonnullas eciam parrochiales Ecclesias in bonis Episcopatus Cracoviensis economo seu prefecto Arcis Islsensis, et item dignitates ac Canonicatus et prebendas Ecclesie collegiate Scarbimiriensis, ac nonnullas parrochiales Ecclesias economo seu prefecto Arcis Slawkoviensis donare, et in Ius patronatus sempiterno tempore adscribere dignetur. Ad multa id et Sanctitati Vestre et ordini Ecclesiastico Regni mei pertinebit: quid enim ordini Ecclesiastico usu venire potest utilius, quam si habeat aliquos homines seculares et imaginibus claros et authoritate preditos non vulgari? qui Sanctitatis Vestre meoque beneficio aucti, atque ita sint Ecclesiis obstricti, ut bona earum ad mensam Episcopalem et aliorum pertinentia contra omnes improborum impetus, qui iura ecclesiastica violare audeant, tuenda sibi necessario ac defendenda existiment. Tum autem tranquillitati Ecclesie hac racione preclare consuletur; habitura est enim certum et firmum presidium, si quando belli tempestates impendebunt, que solent in Regno meo esse frequentissime propter crebras hostium infidelium in fines meos incursiones. Me vero Sanctitati Vestre alioqui deditissimum atque una prelatos Regni mei omnes in perpetuum sibi hoc beneficio devinciet atque obligabit. Dominus Deus diu servet incolumem et foelicem Vestram San-

ctitatem pro incolumitate Reipublice Christiane: Cuius clementie me Regnumque et dominia mea humiliter commendo. Datum Vilne die ultima Octobris Anno Domini MDXXXIIII. Regni vero et dominiorum meorum Anno XXVIII.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Misc. Poloniae.

DLXV.

Pontifex mensae episcopali Plocensi parrochialem ecclesiam Svyackynyeck unit conceditque, ut eius proventus in distributiones quotidianas pro canonicis ecclesiae Plocensis converti possint.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit et convenit equitati, ut ea, que de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clementi pape VII. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Capituli ecclesie Plocensis exposito, quod alias tunc Episcopus Plocensis attendens, quod in aliis cathedralibus ecclesiis illarum partium prelatis et canonicis earumdem ecclesiarum horis canonicis et divinis officiis in eis interessentibus panis singulis diebus interessentie huiusmodi dari consueverat, ac cupiens, quod pro tempore existentes prelati et canonici dicte ecclesie Plocensis ad interessendum in ea horis canonicis ac divinis offitiis allicerentur, et divinus cultus in illa vigeret et augeretur, parrochialem ecclesiam in Svyackynyeck Plocensis diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, quondam Christofori Phalboyscki tunc in humanis agentis et ipsius parrocchialis ecclesie rectoris ad id expresso accedente consensu, mense capitulari dicte ecclesie Plocensis ordinaria auctoritate perpetuo univerat, annexuerat et incorporaverat, ita quod eodem Christoforo cedente vel decedente aut parrochialem ecclesiam predictam alias quomodolibet dimittente, liceret Capitulo prefatis corporalem possessionem parrochialis ecclesie, iurium et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illius fructus et proventus in ipsius parrochialis ecclesie usus, ac panis prelatis et canonicis ac personis eiusdem ecclesie Plocensis in ea divinis offitiis, et horis canonicis interessentibus singulis diebus iuxta morem aliarum ecclesiarum cathedralium prefatarum distributionem convertere; et deinde cum dictus Christoforus parrochialem ecclesiam predictam, quam tunc obtinebat, in manibus dicti Episcopi extra Romanam curiam sponte et libere resignasset, ipseque Episcopus resignationem huiusmodi extra eandem curiam dicta auctoritate admisisset, prefati Capitulum vigore unionis huiusmodi possessionem ipsius parrochialis ecclesie per resignationem huiusmodi tunc vacantis apprehenderant, et illam extunc tenuerant et possederant, prout tunc tenebant et possidebant; et in eadem expositione subiuncto, quod a nonnullis de iuribus unionis, annexionis et incorporationis predictarum hesitabatur, ac pro parte ipsorum Capituli asserentium fructus, redditus et proventus dicte parrochialis ecclesie sexaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, eidem predecessori humiliter supplicato, ut dictam parrochialem ecclesiam prefate mense de novo perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur: prefatus predecessor, qui antea inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, ac idem servaretur in confirmationibus unionum iam factarum, quique ad ea libenter intendebat, per que personarum ecclesiasticarum quarumlibet divino cultui iugiter insistentium pro eorum decentiore sustentatione opportune corresponderent facultates, Capitulum prefatos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis etc. censens, necnon dicte mense ac quorumcumque illi annexorum fructuum, redditum et proventuum verum annuum valorem pro expresso habens, ac resignationem predictam quatenus rite admissa non fuisset, admittens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub data videlicet pridie Idus Iunii pontificatus sui anno undecimo, parrochialem ecclesiam predictam sive ut premittitur, vel per obitum dicti Christofori postmodum extra eandem curiam defuncti, sive alias quovismodo, quem, etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultaret, idem predecessor haberi voluit pro expresso, aut ex alterius cuiuscunque persona vacaret, etiam si tanto tempore vacavisset, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata existeret, et super ea inter aliquos lis, cuius statum dictus

predecessor haberi voluit pro expresso, penderet indecisa, dummodo dicta die pridie Idus Iunii non esset in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem mense, ita quod liceret eisdem Capitulo per se vel alium seu alios corporalem possessionem parrochialis ecclesie, iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in ipsius parrochialis ecclesie usus ac panis prelatis, canonicis et personis prefatis in dicta ecclesia Plocensis divinis officiis, et horis canonicis interessentibus singulis diebus iuxta morem aliarum cathedralium ecclesiarum predictarum distributionem, ut prefertur, convertere, necnon eidem parrocchiali ecclesie per vicarium idoneum ad eorum nutum ponendum et amovendum in divinis deserviri, et animarum curam dilectorum filiorum eius parrochianorum exerceri facere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ac voluit et concessit certis iudicibus dari in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios prefatis Capitulo in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, facerent dicta auctoritate apostolica unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi plenum effectum sortiri, ipsosque Capitulum illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per Episcopum Plocensem pro tempore existentem seu quoscunque alios quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet et rebelles per quascumque, de quibus eis placeret, censuras et penas, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, necnon quoscumque, quorum interesset, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto ad eos accessu, citandi, ac quibus et quotiens opus foret, etiam sub censuris et penis predictis inhibendi, omniaque et singula alia in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, invocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachii secularis, plenam et liberam facultatem concessit, Non obstantibus priori voluntate sua predicta ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, necnon pie memorie Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri, etiam illa, qua cavebatur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocaretur, seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim, in quibus deputati forent, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere (possent), dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem litterarum non traheretur, et aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrassent, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet esset processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, necnon inde secuta quecunque prefatus Clemens predecessor ad dictam parrochialem ecclesiam voluit non extendi, sed nullum per hos eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si prefato Episcopo Plocensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem esset sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existerent, per que litteris ipsius Clementis predecessoris, si desuper confecte fuissent, non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis, Proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas dicta parrochialis ecclesia debitis non fraudaretur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligeretur, sed eius congrue supportarentur onera antedicta, idem enim Clemens predecessor ex tunc irritum decrevit et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Ne autem de absolutione, posterioribus unione, annexione, incorporatione, voluntate, concessione et decreto predictis pro eo, quod super illis dicti Clementis predecessoris eius superveniente obitu littere confecte non fuerunt, valeat quomodolibet hesitari, ipsique Capitulum illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, posteriores unio, annexio, incorporatio, voluntas, concessio et decretum Clementis predecessoris huiusmodi perinde a dicta die pridie Idus Iunii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis predecessoris littere sub eiusdem diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandam plene absolutionem, posterio-

res unionem, annexionem, incorporationem, voluntatem, concessionem et decretum Clementis predecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Quocirca venerabili fratri nostro Episcopo Wigoriensi curie causarum camere apostolice generali auditori, et dilectis filiis Preposito ecclesie Polthoniensis Plocensis diocesis ac Offitiali Wladislaviensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras, et in eis contenta quecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quotiens pro parte eorumdem Capituli desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra unionem, annexionem et incorporationem predictas plenum effectum sortiri, ipsosque Capitulum illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per prefatum Epum seu quoscunque alios quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas etc. ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, necnon quoscunque, quorum intererit, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito sumarie de non tuto accessu, citando, ac eis et quibus inhibendum fuerit, etiam sub eisdem censuris et penis inhibendo, omniaque et singula alia in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, iuxta voluntatem et concessionem Clementis predecessoris huiusmodi. Nulli etc. nostre voluntatis, decreti et mandati infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo trigesimo quarto, tertio Nonas Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Bull. Lib. XIII. fol. 350.

DLXVI.

Bona regina Poloniae Paulo PP. III. de pontificatu adepto gratulatur.

Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo divina providentia S. R. atque universalis Ecclesiae Catholicae Summo Pontifici tercio, dño clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Posteaquam intellexi Sanctitatem Vestram Dei optimi maximique nutu ad summi Pontificatus Apostoliceque Sedis apicem evectam, vehementi gaudio perfusa sum, tam propter Sanctitatis Vestrae innumeras animi sui dotes ac virtutes non vulgares, tum etiam ob singularem affectum, quo Illustrissimam Mediolani Ducem matrem meam colendissimam foelicis memoriae, meque pariter prosequebatur, ac eternum prosequitur. Ne igitur ipsa gratulatio mea diutius animo delitescat, commisi huic Venerabili Foelici Naropinski decano Wladislaviensi, Illustrissimi Regis domini et consortis mei colendissimi secretario, Sanctitati Vestrae ex intimi cordis mei desiderio coram gratulari, meique animi propensionem atque filialem observanciam offerre. Dicet etiam nonnulla, quae de mente mea procedunt: supplico, Sanctitas Vestra dignetur eum benigne audire et exaudire, praesertim cum licita et honesta petam ab eadem Sanctitate Vestra: Quam Dominus Deus pro foelici statu et incremento Reipublicae Christianae diu sanam et foelicissimam servet, eidemque Sanctitati Vestrae me unice commendo. Datum Vilnae die XXIV. mensis Ianuarii MDXXXV.

Eiusdem B. V.

Humilis filia

BONA SFORCIA REGINA POLONIE etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXVII.

Episcopus Cracoviensis summo pontifici de eius in B. Petri cathedram evectione gratulatur.

Sanctissimo ac beatissimo Patri et dño, dño Paulo Tertio divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater et dñe, dñe Clementissime. Post pedum oscula beatorum. Etsi, pater beatissime, permagno sim a Sanct. V. locorum intervallo disiunctus, tanta tamen est omnium mortalium laeticia, tanta omnium ordinum gratulacio quod tandem aliquando innumerabilium reipublicae Christianae calamitatum uberrimus ille clementiae fons et misericordiae Christus Iesus misertus, S. V. que ad illius gubernacula temporibus hisce periculosissimis sederet, delegit, ut eorum clamorum et plausuum, qui excelsis illis atque illustribus in locis fiunt et excitantur, apud nos quoque sint sonitus exauditi. Quo me tenere minus potui, quin communi ista omnium in laeticia et gratulacione, que tanta est, ut post hominum memoriam nulla fuisse maior videatur, ipse quoque pro eo, atque officii mei racio postulat, Sanctitati Vestrae gratularer, atque incredibilem animi laeticiam, quandoquidem coram

non possum, per litteras saltem illi meas declararem. Atque utinam vel per virium mearum imbecillitatem, que michi sunt longo et diutino morbo vehementer accise, vel senectutis onus gravissimum, quam morbum ipsum esse, verius quam vellem dictum esse comperior, advolare isthuc michi, et ad sacratissimos Sanctitatis Vestrae pedes accidere, eosque qua par est veneratione deosculari liceret: nichil est, quod facturus essem libentius. Ex vultu enim atque ex oculis et fronte, ut aiunt, perspicere Sanctitas Vestra posset, quam fuerim admirabili gaudio delibutus. Nullum certe michi in vita diem illuxisse memini laetiorem, quam quo primum ad me optatissimus de Sanctitate Vestra ad summum hoc humanarum rerum fastigium evecta nuncius est allatus. In spem namque certissimam veniebam, fore, ut authoritate, prudentia, gravitate Sanctitatis Vestrae Respublica Christiana constitueretur, egreque illi ac prope deposite medicina per Sanctitatem Vestram fieret eiusmodi, nullum ut ei deinceps periculum esset gravius pertimescendum. Cui enim dubium esse potest, quin de sanandis primo quoque tempore vulneribus, quae et multa sunt ei et gravia superioribus annis imposita, curae sit Sanctitati Vestrae futurum maxime. Quae in conciliandis Principum animis, proh dolor, multos iam annos, hostilem plane in modum, multum in exitium imminentibus, in coniungendis ordinum studiis, magno inter se odio dissidentibus, in extirpandis atque evellendis radicitus pestiferis ac impiis omnibus, quibus complurium iam sunt mentes imbute, defixas cogitationes suas est omnes habitura, ut michi non tam Sanctitati Vestrae gratulandum, quam Deo optimo maximo gracie videantur agende, quem cum nostri iam curam abiecisse putaremus, nos adhuc clementer respicere videmus. In ea enim tempora Pontificatus Sanctitatis Vestrae incidit, ut non tanti ex eo fructus, quanti labores et sollicitudines ad Sanctitatem Vestram sint perventure, neque paulo plus secum oneris quam honoris allaturus videatur. Que tamen onera et labores pro suo in Ecclesiam Dei amore non minus est libens Sanctitas Vestra susceptura, quam si optimis temporibus hec ad eam dignitas delata fuisset. Ea est enim animi magnitudo Sanctitatis Vestre, id robur, ea constancia, ut nullum sit onus declinatura, nullum discrimen adire recusatura, si possit laboribus suis et vigiliis reipublice Christiane salutem representare. Cuius clavum Sanctitate Vestra tenente, spes est in Christo Iesu, sopitis principum discordiis, extinctis ordinum dissidiis, evulsis hereticorum zizaniis, meliora fore omnia et tranquilliora, atque aurea illa saturni secula longo tandem intervallo reditura. Id quod ut facilius Sanctitas Vestra confectum nobis dare queat, summis Deum precibus una cum clero meo universo fatigare nunquam intermittam, ut Sanctitatem Vestram sanam atque incolumem multos in annos velit esse superstitem, quo possit ex animi sui sentencia reipublice Christiane rebus tranquillandis, atque optimo in statu collocandis tanto curam et diligenciam impendere maiorem. Ipse vero qua summa possum animi mei demissione Sanct. Vestrae supplico, ut me clerumque meum clementer respiciat, negociaque mea omnia commendata sibi habeat. Que cuiusmodi sint dñus Stanislaus Rzeczicza Penitenciarius Polonus, Sanctitatis Vestrae Capellanus, et is nobilis Andreas Przeczlawski nunctius et servitor Serenissimi Regis et domini mei meo nomine fusius isthic explicabunt. Hoc preterea Sanctitatem Vestram maiorem in modum quaeso, ut munus a me Sanctitati Vestrae missum, parvum quidem et exile, sed ex abundancia quadam amoris mei et observancie erga Sanctitatem Vestram profectum, grato atque hilari animo accipiat, neque tam muneris parvitatem, quam promptam animi mei voluntatem intueri dignetur. Christus Dominus noster servet quamdiutissime Vestram Sanctitatem: ad cuius beatos pedes me rursus suppliciter ac humiliter commendo. Datum in oppido meo Kielce die secunda Februarii Anno Domini MDXXXV.

Eiusdem Sanctitatis Vestre humilis ac devota creatura et Capellanus

PETRUS Episcopus Cracov. et Regni Polonie Viceecancellarius.

Litt. Principum Tom. XI. pag. 4.

DLXVIII.

Rex Poloniae per oratorem suum pontifici de eius ad B. Petri cathedram evectione gratulatur.

Sanctissimo ac Beatissimo patri et dño, dño Paulo III. divina providentia S. Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime pater et domine, domine clementissime. Post pedum oscula beatorum. Non ita multi menses intercesserunt, cum Sanctitati vestre per litteras gratulatus sum, quod ad summum hoc, in quo nunc est, dignitatis fastigium admirabili consensione omnium, incredibili tocius populi Christiani gaudio et laetitia, singulari Dei Optimi Maximi erga sponsam suam ecclesiam clemen-

cia et misericordia Sanctitas vestra evocata sit et evecta: sed quo plura fuerunt ad me allata de nova quadam et inaudita omnium Principum precipue Christianorum laeticia et gratulacione, deque praeclaris et prope divinis Sanctitatis vestre virtutibus, hoc michi temperare minus potui, quin non per litteras solum, verum eciam per nuncium meum iterum atque iterum illi gratularer. Tanta sum admiracione, tantoque amore virtutum Sanctitatis vestre incensus atque inflammatus, ut cum id michi ipsi facere minime sit integrum, servitorem saltem hunc meum nobilem Andream Przeczlawski mittendum putaverim, spectatorem plausus et laeticie, spectatorem laudis et gloriae Sanctitatis vestre, atque earumdem rerum gratulatorem, qui viva quod aiunt voce et animi mei laeticiam, quam ex ista Sanctitatis vestre in tantum honoris gradum evectione concepi, verbis illi meis declaret, et studium meum omne atque observanciam ad illam deferret. Hec eum isthuc mittendi causa michi fuit potissima, obiter vero certis quibusdam de rebus, de quibus antea me ad Sanctitatem vestram scribere memini, supplicando ut instaret, ei mandavi: quare ut in his, que Sanctitati vestre dixerit, queque meo nomine pecierit, verbis eius fidem habere, et postulata precesque meas clementer exaudire dignetur, qua summa possum animi mei demissione Sanctitati vestre vehementer supplico: omni officio, omnique studio meo et observantia obnixe operam daturus, ut gratum me et huius Sanctitatis vestre beneficencie memorem esse omnes intelligant. Christus dominus noster servet in multos annos vestram Sanctitatem sospitem et foelicem: Cuius benignitati me rursus omni quo possum studio commendo. Datum Vilnae die sexta Februarii Anno Domini MDXXXV.

Eiusdem Sanctitatis Vestre Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Poloniae et magnus Dux Lithuaniae etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXIX.

Rex Poloniae pontifici, ut secretario suo canonicatum in ecclesia Gnesnensi conferat.

Sanctissimo ac Beatissimo patri et dño, dño Paulo III. etc. Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime pater, post officiosam mei ditionumque mearum commendacionem et oscula pedum beatorum. Fecerat mihi superioribus annis Sanctissimus Dominus noster piae memoriae Leo papa eius nominis decimus potestatem designandi, seu nominandi nonnullos Canonicos et praelatos ad Cathedrales quasdam Regni mei ecclesias, atque id testatum diplomate suo fecerat; ac non ita multo post prioribus illis consignato et misso Brevi suo adiunxerat etiam Metropolitanam Gnesnensem, ut in ea quoque duos nominandi mihi ius esset: quamobrem ego Brevi illo fretus, designavi Venerabilem Mathiam Sliwniczki iuris utriusque doctorem, Archidiaconum Gneznensem et frugi secretarium meum, ad Canonicatum seu dignitatem in ecclesia Cathedrali Gneznensi, quae posterius ex duabus vacatura esset, idque Reverendissimo Domino Archiepiscopo Gneznensi testatum feci. Is hactenus nullum tulit fructum suae nominationis, et propter priores Romanorum Pontificum revocationes veretur, ut satis firma sit sua nominatio: proinde peto a Sanctitate vestra, velit eam nominationem privatim pro ipso Sliwnizki litteris suis confirmare ac revalidare, et in illud tempus, quo in Capitulo Gneznensi promulgata est, retractam ab omnibus, quaecumque illi obstare possint, immunem praestare, ita ut is optato suae designationis fructu aliquando frui possit: in quo fecerit mihi Sanctitas vestra pergratum. Quod reliquum est, commendo me meaque dedito studio Sanctitati vestrae: Cui diuturnam incolumitatem et omnia fausta semper opto. Vilnae XXIII. Novembris Anno Domini MDXXXV. Regni mei Anno XXIX.

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXX.

Rex Poloniae pontifici, ut Sebastianum Braniczki electum episcopum Camenecensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino, domino Paulo III. etc.

Beatissime Pater, Post sedulam mei ac ditionum mearum commendationem et oscula pedum beatorum. Superiori tempore cum Reverendum dominum Petrum Gamrath Episcopum Camenecensem ad Premisliensem Episcopatum evehendum ac transferendum commendassem, dispiciebam diligenter, ecquem reperire possem inter subditos meos, ad quem Camenecensem Episcopatum ex re mea publicaque deferrem, qui eum honorem cum dignitate ferre et posset et vellet. Recusant enim plerique

omnes, quum propter exiles admodum reditus, tum quia ea diocesis quietis ac tranquillitatis expers hostium meorum a Christi religione alienorum incursionibus, et populationibus semper est obnoxia. Nunc tandem reperi virum honestum virtuteque et pietate clarum, Venerabilem Sebastianum Braniczki Secretarium et Referendarium meum, cuius michi fides et integritas spectata est, qui hoc onus subire non detrectet. Eum itaque Sanctitati vestrae ad ipsam istam Episcopam Camenecensem confirmando diligenter commendo, orans, ut is facilem, benignam atque celerem expeditionem habeat, intuitu commendationis mee et proventuum exilitatis; deinde ut ipsi Sanctitas vestra potestatem faciat sacerdotia, quae habet paucula neque opulenta, pariter cum ista Episcopa retinendi, quo commodius atque honestius munere suo fungi et reipublicae atque Regni mei usibus inservire possit: fecerit Sanctitas Vestra dignum ea benignitate et clementia, quam in summo principe religionis nostrae esse oportet, et in Sanctitate vestra esse non dubito; ego vero debita obedientia et observantia mea erga Sanctitatem vestram et Sacrosanctam Sedem Apostolicam adnitar, ut nequando ingratus inveniar. Quod reliquum est, cupio, ut Sanctitatem vestram Deus optimus maximus longum sospitem et secundis rerum successibus amplissimam bono reipublicae Christianae conservet. Vilnae prima Ianuarii Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Regni mei anno vigesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXI.

Rex Poloniae pontifici, ut electos episcopos Cracoviensem et Posnaniensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo III. etc.

Beatissime Pater, Debita obedientie praefatione et osculi pedum beatorum exhibitione premissa. Obiit retracto tempore Reverendus dominus Petrus Episcopus Cracoviensis, quum ego e Regno meo ad magnum Ducatum Lithuanie magna loci intercapedine abiunctum concessissem, et bello adversus Moschos hostes meos gerendo occupatus essem, quo factum est, ut minus propere successorem ei designare possem. Nunc tandem habens rationem ordinis atque aetatis Reverendi domini Ioannis Episcopi Posnaniensis, designavi eum ad Cracoviensem Episcopatum a Sanctitate vestra transferendum, in eius locum ad Posnaniensem Episcopatum Reverendum dominum Ioannem Episcopum Vilnensem. Quapropter utrumque Sanctitati vestre commendo, ut eos Sanctitas vestra transferat: quod fecerit mihi gratum. Sanctitatem vestram longum salvam esse et foelici semper successu rerum florere cupio. Vilnae xvi. Ianuarii. Anno Domini mdxxxvi. Regni vero mei anno vigesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXII.

Rex Poloniae precatur pontificem, ut episcopo Plocensi decanatum Kielciensem propter reddituum episcopatus eius tenuitatem conferat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo tertio divina providentia ac universalis Ecclesie summo Pontifici, domino clementissmo.

Beatissime Pater, Post mei ac ditionum mearum sedulam commendationem et oscula pedum beatorum. Quum deferrem Episcopam Plocensem ad Reverendum dominum Ioannem Choienski, qui tunc Premisliensis Episcopus erat, non putabat is ea me voluntate esse, ut opera sua in functione Cancellarii diutius uti vellem: itaque contentus iis reditibus, quos ex Plocensi Episcopa habiturus esset, neque a me, neque a Sanctitate vestra petivit, ut ea sacerdotia, quae cum Premisliensi Episcopa obtinuisset, etiam cum Plocensi obtinere posset. Sed quum id adhuc in manu Sanctitatis vestre esse intelligam, et ille minus commode meis et reipublice negociis propter sumptuum, quos faciat necesse est, magnitudinem servire possit: tribuat hoc Sanctitas vestra homini ipsi eximia doctrina et incorruptis moribus praedito, tribuat mihi, filio suo obsequentissimo, tribuat ecclesiastico ordini, cui ille in his oris multo magis hac ratione commodaturus est, denique tribuat universe reipublice mee, cui ille commodo et ornamento esse ut potest, ita etiam solet, ut ei duo sacerdotia, quae sola habet reliqua, cum Plocensi, ut dixi, Episcopa obtinenda relinquat, nempe decanatum Kielcensem et parochiam Koscielecensem, quo

maiori cum dignitate in aula mea mihi et reipublice vacare possit. Erit hoc mihi cum primis gratum et Regno meo, ac praesertim ordini ecclesiastico utile atque honorificum: simul Sanctitas vestra declarabit in hoc animi sui propensionem, qua in doctos, cordatos et frugi homines affecta est: Quam ego longum salvam et incolumem et omnibus prosperis rerum successibus reipublice christiane utilibus quam ornatissimam esse cupio. Vilne XXVII. Ianuarii Anno Domini MDXXXVI. Regni mei anno XXX.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. susbscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXIII.

Rex Poloniae pontificem exorat, ut denarii S. Petri pro bello contra Turcas concessi novum collectorem instituat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri dño, dño Paulo III. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime Pater, Commendatione mei ac ditionum mearum, et beatorum pedum osculo reverenter praemisso. Antecessor Sanctitatis vestrae concessit ac donavit mihi denarium sancti Petri in ditionibus meis in subsidium adversus hostes Christiani nominis, qui ut meis ditionibus proximi sunt, sic eas vehementer infestant, vexant et oppugnant. Eius autem pecuniae collectorem instituerat Reverendum olim dominum Petrum Episcopum Cracoviensem: is quoniam naturae debitum solvit, peto a Sanctitate vestra, ut hoc munus colligendae istius pecuniae Reverendo domino Ioanni, quem illi in Episcopa sufficiendum existimavi, ac Sanctitati vestrae commendavi, deleget. Quod faciet Sanctitas vestra pro singulari sua quum in universam rempublicam Christianam, tum privatim in me ac dominia mea propensione: ego vicissim gratitudinem meam erga vestram Sanctitatem debita subiectione et summa obsequendi voluntate agnoscam. Quod reliquum est, cupio Sanctitatem vestram quam diutissime validam et fortunatam esse. Vilnae XXII. Ianuarii Anno Dñi MDXXXVI. Regni vero mei anno XXIX.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXIV.

Ecclesiae Vilnensi praepositura Scarbimiriensis unitur.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Paulo Episcopo Vilnensi, salutem etc. Meritis tue devotionis, quam ad nos et sedem apostolicam gerere dignosceris, inducimur, ut votis tuis, per que tuis commoditatibus consulatur, favorabiliter annuamus. Cum itaque prepositura ecclesie Scarbimiriensis Cracoviensis diocesis, que inibi dignitas principalis, et de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Polonie Regis Illustris ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, per liberam resignationem dilecti filii Stanislai Olesvyczki nuper ipsius ecclesie prepositi de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Bartholomeum Sauthkowski clericum Posnaniensis diocesis procuratorem suum, ad id ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam vacaverit et vacet ad presens. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte tui, qui etiam dux Olsthanensis existis, petitio continebat, si dicta prepositura mense episcopali Vilnensi, quamdiu ecclesie Vilnensi, cui presse dignosceris, prefueris, uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex hoc profecto commoditatibus tuis opportune consuleretur, pro parte tui asserentis fructus, redditus et proventus dicte preposoture viginti quatuor marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut preposituram predictam eidem mense quamdiu dicte ecclesie Vilnensi prefueris, unire, annectere et incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus et concessionibus apostolicis in titulum et commendam ac alias obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque ac dicte mense et illi annexorum fructuum,

reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum et concessionum tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prepositaram predictam sive premisso sive alio quovis modo, quem haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cuiuscunque persona seu per similem resignationem ipsius Stanislai, vel cuiusvis alterius de illa in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, seu si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque prepositura dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et ei cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, super ea quoque inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum et ad hoc prefati Sigismundi regis accedat assensus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mense, quamdiu dicte ecclesie Vilnensi prefueris dumtaxat, ita quod liceat tibi per te vel alium seu alios corporalem possessionem ipsius prepositure, iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere, et quamdiu eidem ecclesie Vilnensi prefueris, ut prefertur, retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in tuos ac mense et prepositure predictorum usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica tenore presentium unimus, annectimus et incorporamus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Plocensi et Casertano Episcopis, ac dilecto filio Officiali Cracoviensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi in adipiscenda possessione prepositure, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate nostra assistant, teque in illam inducant et inductum defendant, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes te vel pro te procuratorem predictum ad prepositaram huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, teque unione, annexione et incorporatione predictis pacifice gaudere, non permittentes te per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Cracoviensem, et dilectos filios Capitulum dicte ecclesie Scarbimiriensis seu quoscunque alios quomodolibet indebite molestari, Contradictores etc. compescendo, Non obstantibus priori voluntate nostra predicta ac pie memorie Bonifacii pape octavi etiam predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus ac dicte ecclesie Scarbimiriensis iuramento etc. mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi dicta prepositura debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed eius congrue supportentur onera consueta, quodque te cedente vel decedente seu dicte ecclesie Vilnensi alias quomodolibet preesse desinente, unio, annexio et incorporatio predicte dissolute sint et esse censeantur, ipsaque prepositura in pristinum statum revertatur eo ipso, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. MDXXXVI. Kalendis Ianuarii. Anno Tertio. Ex Reg. orig. An. III. Bullar. Tom. XVI. fol. 100.

DLXXV.

Ioannes episcopus Tarbatensis pontifici de indicto oecumenico concilio gratulatur.

Beatissimo Patri ac domino, dño Paulo III. etc. Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime Pater ac domine, dñe Clementissime. Sanctitatis Vestrae humilis creatura Ioannes confirmatus Tarbatensis non sine magno gaudio, nedum gratiarum actione fatetur et recognoscit, se a Sanctitate Vestra Breve apostolicum ac Bullam vocationis et insinuationis oecumenici seu universalis Concilii, per S. V. Legatum D. Pamphilium de Strazola R. Dño Archiepiscopo Rigensi metropolitano meo intimatum atque transmissum, cum debita reverentia et obedientia erga Sedem Apostolicam suscepisse. Et ut hoc oecumenicum sit faustum sanctumque universali Ecclesiae, eciam tandem meae miserandae, quae utique ultima proxima et finitima potentissimo hosti scismatico Moschovitae exposita in faucibus existit, subveniatur consulaturque, Deus Opt. Maximusque per immensam eius misericordiam concedere dignetur. Et in fidem presentium me manu propria subscripsi et sigillo consueto signavi. Datum in curia Sanguiez die quinta mensis Ianuarii Anno Domini MDXXXVII.

(L. S.) IOANNES quo supra Ecclesie Tarbatensis Episcopus manu sua propria.

Ex archivio Florent. cart. Cervini filza XXIV. fog. 9.

DLXXVI.

Paulus Speratus episcopus Pomesaniensis pontifici idem attestatur.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, domino Paulo divina providentia papae III. dño meo Clementissimo, ad sacrosanctas manus fideliter.

Gratiam et pacem, Beatissime Pater. Beatissimae Paternitatis vestrae Breve apostolicum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima Septembris anno MDXXXVI. datum, apud Insulam Marianam, sedem Pomezaniensem, qua reverentia decet XX. Februarii hoc anno MDXXXVII. accepi. Ex quo quidem Brevi apostolico (dici non potest quanto gaudio) intellexi per Beatissimam Paternitatem vestram iam tandem (gratia Deo) oecumenicum Concilium de consilio et assensu fratrum tuorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium esse indictum atque publicatum. Hoc licet antea innotuerit mihi, non tamen perinde ac nunc animum meum affecit: quamvis nullo non tempore id ipsum in summis votis haberem, ut rebus Ecclesiae iam misere et tantum non extreme laborantibus per Concilium aliquod puritate scripturarum de impuris erroribus, dono Dei triumphante, succurreretur. Et profecto bonam foelicitatis meae partem interpretor, quod nunc me vivo certo sperem indictum ac publicatum Concilium celebratum iri. Quod ut faustum atque foelix sit Beatissimae P. V. ac Universo ordini Ecclesiastico, demum etiam toti Reip. christianae, Christum ipsum, cuius negotium geritur, summe precor. Tamen non dubito autem, quin eadem Beatissima P. V. non oecumenicum modo, verum etiam pie liberum Concilium indixerit, in quo cuivis pio ad exactissimam canonicae scripturae regulam tuto loqui ac sententiam dicere liceat: siquidem scriptura divina amussis illa sacrosancta est, cui quaevis quantumvis numerosae Synodi authoritas honorem ac palmam redere merito debet. Hac itaque spe polliceor me iuxta indictionis Bullae tenorem obsequentissime adfuturum, nec puto Illustrissimum Principem D. Albertum Dei gratia Marchionem Brandenpurgensem, Borussiae, Stetiniae, Pomeraniae, Cassuborum ac Sclavorum Ducem, Burggravium Norembergensem Rugiaeque Principem, Dominum meum clementissimum, refragaturum, modo fides gentium sacrosancta mihi salva esse possit, quemadmodum decet. Hic omnes securitate publica etiam ultro prestita gaudere, ne vim, quod absit, iniustam iustus metus exhorrescens efficiat, quo minus liberum Concilium celebretur, id quod per Beatissimam P. V. ardentissimo studio efficaciter praecaveri, vel ipsa religionis causa et cardo salutis omnium Christifidelium poscit, imo flagitat. Oro itaque Beatissimam P. V. supplex, ut eadem Beatissima P. V. suo sacro diplomate publicam ad sacrosanctam Synodum istam tuto veniendi, in ea libere dicendi et ab ea recedendi securitatem facere dignetur: quod nisi impetravero, quomodo integrum mihi erit proficisci, quamvis huius profectionis cupientissimo? sed impetrabimus tam iusta a tanto iusticiae patrono: quem pro Christi et eius Ecclesiae gloria rectissime diuque valere ex animo percupio. Ex Insula Mariana sede Pomezaniensi die XXV. Februarii eodem anno MDXXXVII.

Beatissimae P. V.

In Christo obsequentissimus

PAULUS SPERATUS Episcopus Pomezaniensis manu propria.

Ex archivio Florent. cart. Cervini filza XXIII. fog. 32.

DLXXVII.

Georgius a Polentis episcopus Sambiensis idem pontifici scribit.

Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo divina providentia Pape tertio, sacrosancte Romane et universalis ecclesie Catholice Summo Pontifici, dño suo clementissimo.

Gratiam et pacem, Beatissime Pater, Beatissime Paternitatis vestre breve apostolicum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die decima Septembris anno MDXXXVI. datum in Regiomonte civitate Borussie, loco Cathedralis ecclesie Sambiensis, ea qua decet reverentia, quarta mensis Martii hoc anno 1537. accepi. Ex quo quidem etc. ut in epistola antecedenti epī Pomesaniensis. Ex Regiomonte Borussie sede Sambiensi quinta mensis Martii eodem anno Millesimo quingentesimo trigesimo septimo.

Beatissime P. V.

In Christo obsequentissimus

GEORGIUS A POLENTIS Episcopus Sambiensis.

Ex archivio Florent. carte Cervini filza XXIII. fog. 12.

DLXXVIII.

Rex Poloniae pontifici, ut praepositum Sandomiriensem commendatum habeat.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri et domino, domino Paulo III. etc.

Sanctissime ac beatissime pater et domine, domine clementissime. Post mei Regnique mei et dominiorum commendationem pedumque oscula beatorum. Proficiscitur ad Sanctitatem vestram Venerabilis Ioannes Andreas de Valentinis, Prepositus Sandomiriensis et Trocensis, et Canonicus Craccoviensis, phisicus et secretarius noster, cum ut Serenissimae coniugis meae, tum ut suas quasdam privatas istic res conficeret: ei discedenti dedi negocium, ut verbis meis summum studium meum atque observantiam ad Sanctitatem vestram deferret, atque sanctos pedes illius meo nomine deosculetur. Cum autem plurima illius constent in me merita, ut cuius opera in curanda valetudine mea ita usus sum, ut vitam hanc salutemque meam, cum a Deo discessi, illi propemodum soli debeam: queso magnopere Sanctitatem Vestram, ut eum atque negocia illius sibi diligenter habeat commendata. Quae tanto mihi sunt curae maiori, quod non solum in medendo opera illius mihi grata est et accepta, verum etiam aliis preclaris virtutibus suis, ita se cum mihi, tum omnibus regni mei ordinibus probavit, ut apud me gratiam iniverit non vulgarem, apud cunctos autem regni mei ordines summam benevolentiam summamque laudem (quod perquam rarum est in homine presertim externo et peregrino) absque ulla sit invidia consecutus: fecerit itaque mihi Sanctitas vestra rem gratissimam, et omni vicissim studio atque observantia mea compensandam, si ex fonte suae benignitatis et gratiae aliquam in illum non poenitendam partem derivare fuerit dignata. Cui me ipse quoque commendo, Deumque precor, ut in multos annos Sanctitas Vestra vivat et valeat felicissime. Datum Cracoviae v. Aprilis Anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo septimo. Regni vero mei anno xxxi.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXIX.

Rex Poloniae pontifici, ut Thomam Sobocski suum clementer exaudiat.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri et domino, domino Paulo III. etc.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Mitto isthuc in conspectum Sanctitatis Vestrae praesentem nuncium generosum Thomam Sobocski, Tribunum Lanciciensem et aulicum meum: cui dedi in mandatis, ut primum Sanctitatis Vestrae pedes officiosa et debita veneratione ac obedientie praestatione meo exosculetur nomine, deinde illi nonnulla, quae et temporis occasio et rerum simul necessitas in praesens adferunt, de mente mea exponat. Quare supplico Sanctitati Vestrae, ut illum dicentem indubia fide audire, et orantem clementer exaudire dignetur, factura id Sanctitas Vestra pro singulari et paterna erga me pietate, et mea vicissim erga se et istam sanctam Sedem longo tempore probata observantia. Cui ut Deus optimus maximusque et rectam valitudinem et cursum vitae diuturnum cum summa foelicitate coniunctum tribuere dignetur, hoc apprime opto et diligenter ab illo praecor. Datum Cracoviae die xvii. mensis Maii Anno domini mdxxxvii.

Eiusdem Sanctitatis Vestre — Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXX.

Patres synodi provincialis Petricoviensis pontifici oratorem a rege pro negotiis ecclesiae Romam missum commendant et petunt, ut ipsis annatae in commodum regni condonentur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo III. etc.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine Clementissime. Post humilem perpetuae servitutis nostrae et orationum commendationem, pedumque oscula beatorum. Ita postulantibus vel flagitantibus potius magnis quibusdam et arduis necessitatibus atque periculis cum Regno universo, tum praecipue Reipublicae huic nostrae ecclesiasticae impendentibus, visum erat Rmo dño

Andreae Archiepo Gnesnensi, legato nato Regnique primati, ut synodum quam vocant provincialem ediceret, in qua et de propulsandis declinandisve periculis istic imminentibus, et de mittentibus nunciis ad concilium generale per Sanctitatem V. edictum consilium iniretur. Sed nescimus quo fato nostro evenerit, ut priusquam dies veniret synodo habendae constituta, dominus Archiepus vitam cum morte commutaret. Itaque cum sublato illo animi penderemus, parum certi quid esset de edicta synodo faciendum, in qua nihil statui et decerni posse videbamus, eo e vivis sublato, penes quem summa erat statuendi decernendique potestas: urgebat atque instabat Serenissimus Rex et dominus noster, ut edictam synodo diem obiremus, neque nos moveret quicquam mors domini Archiepi, quo minus praesenti Regni necessitati subveniremus: atque si non alia de re, de ea saltem consilia nostra conferremus, ut aliquid ab ordine nostro ecclesiastico pecuniae conferretur, qua miles conscribi possit, ad hostiles impetus repellendos. Quod nos cum tam benignum principem et dominum nostrum tanto a nobis studio contendere videremus, contra officium nos facturos existimavimus, si voluntati illius essemus adversati. Ecce autem, quo tempore synodus est per nos habita, renunciatum nobis fuit, missum esse ad S. V. a Regia Maiestate nuncium, qui necessitatibus Regni expositis, illi supplicaret, ut annatas quas vocant, quibus Regnum hoc, cuius facultates alioqui tenues sunt, vehementer exhauritur, remittere dignaretur. Id nos cum accepissemus, visum est ad officium nostrum pertinere, ut quae nos discrimina maneant, nisi nos Sanct. V. clementer respicere fuerit dignata, S. Vestrae litteris nostris in praesens significaremus. Etenim, si unquam antea, tum proximis superioribus comitiis magna proelia sustinuimus, libertates ordinis nostri contra clamores hominum prophanorum equestris ordinis tueri et defendere contendentes: atque adeo, nisi tam pius, tam sanctus, tam clemens nobis parens potius quam dominus contigisset, qui egregia quadam in nos voluntatis inclinatione propendet, nihil factum erat propius, quam ut maiore fortunarum nostrarum parte everteremur; adeo vidimus prophani ordinis animos erga nos exacerbatos. Queruntur magnam quotannis a se pecuniam exigi pro tuendis Regni finibus, quin et sanguinem se suum, nedum facultates profundere, ut nobis ociosis et securis esse liceat. Nostrum vero ordinem non modo non conferre quicquam ad conscribendos milites, sed insuper etiam pecuniam ex Regno ingentem efferre, patriamque per nos spoliari, quae ipsa per se est egentissima, atque earum copiarum, quas habemus, magnam partem ad Romanam Curiam transferri, qua tamen nihil est in orbe locupletius. Itaque non dubitant nos impietatis accusare, qui patria, cui prima charitas debetur, deserta, ad eos facultates nostras, qui minus egent, transmittimus: interea captivos nostros duci, ad summam inopiam redigi, ferro et igni depopulari omnia patimur. Negent ipsam sanctam Sedem Apostolicam, quae paterno affectu debet omnibus Regnis Christianis providere, ne quid detrimenti accipiant, tanta crudelitate, tam nulla esse misericordia, ut eos velit spoliatos, quos videt tot hostium incursionibus propulsandis, propter pecuniarum defectum pares esse non posse. Sed omnem eius rei culpam nos solos sustinere, qui si necessitates et pericula Regno huic imminentia sanctae Sedi Apostolicae diligenter exponeremus, eam, ut est pia mater omnium Regnorum et provinciarum Christianarum, non solum non facturam nobis istarum annatarum gratiam, quemadmodum fecit Regno Ungarie atque aliis nonnullis, verum de suo quoque additura aliquid, ut Christiani nominis hostium impetum propulsare possimus. Nos esse, qui non solum non recusemus annatas dare, verum etiam hoc agamus, ut magis atque magis semper augeantur, quemadmodum in expeditionibus anni superioris factum est, iis, quorum res agebatur, diu frustra reclamantibus, qui litium expensis in Urbem factis, qui multis aliis sumptibus ita patriam nostram exhauriamus, ut iam copiae non sufficiant ad eam contra hostes defendendam. Incredibile est, quanta nunc earum rerum nomine ordo noster flagret invidia, et ingens nobis periculum impendere videtur, nisi S. Vestra, tanquam deus aliquis, quod aiunt, ex improviso nobis apparuerit, et nos clementer fuerit respicere dignata. Non adeo sumus officii nostri obliti, ut quid S. Vestrae a nobis debeatur non videamus: sed ea est nunc temporum perversitas, ea rerum omnium difficultas, ut cedendum temporibus et necessitati parendum esse omnino videatur. Ipse Rex noster Sermus erga Sanctam Sedem Apostolicam eo studio est, eaque observantia, ut de suis commodis decedere futurus esset semper paratior, quam aliquid de Sanctae Sedis istius utilitate imminuere: tamen is ipse, cum summa sit penes eum potestas, coactus est insanis subditorum clamoribus de more suo decedere, atque nuncio misso a S. Vestra petere, ut annatas istas praesenti Regni necessitati condonaret: nedum ut nos tantae voluntati omnium ordinum refragari possimus, cum fortunae nostrae eorum sint iniuriis opportunae, de quibus actum esset iam pridem, nisi Dei singulari beneficio tam pro-

picium nobis principem haberemus. Quare S. Vestrae ea qua summa possumus animorum nostrorum demissione quam diligentissime supplicamus, ut nos fortunasque nostras salvos esse velit, ut Serño Regi nostro ea, quae petit, benigne concedere dignetur: alioqui, cum summa sit prophani ordinis in nos invidia, magis eam inflammabit, neque poterit eorum erga nos animis disiunctius esse quicquam et alienius. Qua ex re quanta sint nobis pericula pertimescenda, S. Vestra pro sua prudentia procul dubio intelligit. Cuius gratiae, clementiae patrocinioque nos suppliciter commendamus, deúmque precamur, ut S. Vestram, quae virtutum suarum fama totum terrarum orbem implevit, in multos annos incolumem servet ac felicem, quo possit Rempublicam Christianam constituere, atque omnia rite atque ordine comfecta reddere, quaecumque ad utilitatem illius pertinere videbuntur. Datum Piotrkovie XXIX. Maii Anno domini MDXXXVII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Devoti oratores et Capellani

EPISCOPI, ABBATES ET CAPITULORUM NUNCII IN HAC SYNODO CONGREGATI.

Litt. Principum Tom. XI. fol. 105.

DLXXXI.

Episcopi Poloniae petunt a pontifice, ut annatae extremis regni necessitatibus impendendae sibi remittantur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dno Paulo eius nominis III. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater et dñe, dñe Clementissime. Post humillimam perpetuae servitutis nostrae et orationum commendationem. Decreta fuit in proximis Comitiis generalis expeditio bellica contra non solum patriae huius nostrae, verum etiam totius Christiani nominis hostes sempiternos robore prestantes, multitudine infinitos. Cui cum ipsa sacra Maiestas Regia dñus noster clementissimus praeesset, simul atque convenerunt universi Regni nobiles, quam telam orsi fuerant superioribus regni Comitiis, eam incredibili studio sunt pertexere conati, atque tam obstinato obfirmatoque animo pertendebant, ut ne quid sacrarum annatarum et pallii nomine e regno pecuniae in Urbem efferretur, sed ea potius in regni necessitates conferretur, ut coacta fierit Maiestas Regia non alia lege et conditione ascendendi ad altiora potestatem nobis concedere, quam fidem illi prius nostram obstrinxissemus, fore, ut hanc pecuniam, quam maiores nostri sanctae Sedi Apostolicae numerabant, Regni patriaeque nostrae, cui prima charitas debetur, necessitatibus donaremus. Nos pro officio nostro, proque eo studio et observancia, qua sumus et esse perpetuo volumus erga Sanctam istam Sedem, quidvis potius et facere et pati nos esse paratos significavimus, quam ut ad has parum nobis dignas pactiones descenderemus: sed cum videremus mora ista et procrastinatione diuturna praedia omnia et possessiones Archiepiscopatus Gnesnensis a pertranseuntibus militibus ita exhauriri, ut nihil iam propemodum in illis reliquum fieret, cumque una animadverteremus nobilium pertinaciam augeri in dies, neque adduci eos ulla ratione potuisse, ut aliquid de ista sua contentione remitterent, fecimus inviti, ut altius ascensuri supplices nos a Sanctitate Vestra petituros promitteremus, quo pecuniam, quae per nos Sanctitati Vestrae solvenda veniret, Sanctitas Vestra Regni necessitatibus donaret. Spem etiam dedimus futurum apud Sanctitatem Vestram precibus nostris locum. Quae spes ne nos fallat, Sanctitatem Vestram, qua summa possumus animorum nostrorum demissione rogamus et obsecramus: ea enim nunc sunt tempora, ea hominum audacia, id odium erga ordinem nostrum, ut periculum sit, ne fructibus Ecclesiarum prorsus spoliemur, nisi, quod sapientes omnes facere consueverunt, Vestra Sanctitas temporibus cedere in animum induxerit. Quod si perscribere Sanctitati Vestrae vellemus, quibus argumentis et rationibus egerint Regni huius nobiles, ut id Maiestati Regiae persuaderent, in immensum cresceret epistola: sed eius certe generis fuerunt ea, quae afferebant, ut vel constantissimi viri animum flectere potuerint, fortassis et Sanctitas Vestra, si statum regni huius cognovisset, rationibus eorum auditis permoveri potuisset. Et nisi singulari Dei benignitate tam pius nobis, tamque christianus princeps contigisset, non defuerunt consilia et rationes, quibus ad evertendum statum nostrum impelli potuisset, magnoque in periculo et discrimine tota Respublica regni huius ecclesiastica versaretur. Sed nos plura commemorando Sanctitati Vestrae molesti esse nolumus: quam etiam atque etiam vehementer petimus, ne si minus per eam nobis licuerit Regni patriaeque nostrae necessitatibus consulere, occasionem det equestri ordini, gravius aliquid in nos fortunasque nostras consulendi, et ea quo iure, qua iniuria eripiendi, que sibi precario concedi nolle viderint. Satius fuerit magisque e dignitate Sanctitatis Ve-

strae pecuniam hanc muneribus illis acceptam ferri, quam alia quapiam, qua nos nollemus ratione tamen extorqueri. Hoc quoque rogamus, ut ne durius accipiat Sanctitas Vestra scripta haec nostra: scripsimus enim inviti et recusantes, sed ingens (quod aiunt) telum est necessitas. Nos nihilominus pro eo atque debemus in officio et potestate Sanctitati Vestrae futuri sumus semper: cuius nos gratiae suppliciter commendamus, Deum precamur, ut eam in multos annos incolumem et felicem conservet. Datum Cracoviae IV. Iulii Anno dñi Millesimo quingentesimo tricesimo septimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devoti Oratores et Capellani

IOANNES Episcopus Cracoviensis et nominatus Gneznensis.

IOANNES Ep̄us Plocensis et nominatus Cracov. R. P. Cancell.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXXII.

Rex Poloniae pontificem orat, ut nominatum episcopum Vladislaviensem confirmet.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime. Observantiam meam et oscula pedum beatorum ad Sanctitatem vestram reverenter defero. Si fuit aliquando tempus ullum, quo Sacerdotum ordo magno in periculo et discrimine versaretur, hoc illud esse videtur, quo tanta laborat ex invidia, ut eam vix iam sustinere posse videatur. Id quod cum diligentius mecum reputarem, tota mente in eam curam et cogitationem incumbere coepi, ut pro veteri more institutoque meo, proque ea benevolentia, qua Dei ministros prosequi nunquam intermisi, eorum rationes, quantum possem, stabilirem provideremque, ne quid ordo hic detrimenti caperet. Sed fieri id alia ratione commodius non posse visum est, quam si in Episcoporum collegium cooptatus esset aliquis, qui claro atque illustri genere natus, opibus authoritateque magna praeditus, eorum conatibus obsistere posset, qui toti in hoc sunt, ut aliqua ratione sacerdotes et Episcopos fortunis suis evertere possint. Quum itaque proximis hisce superioribus diebus accidisset, ut sublato e vivis Reverendo patre Ioanne Vladislaviensi Episcopo, ecclesia Vladislaviensis pastore suo orbata esset, cupiens ego mentis meae cogitata perficere, atque sacerdotum ordini, cuius res vehementer inclinatae sunt, prospicere, Episcopatum Vladislaviensem Magnifico Lucae a Gorca Palatino Poznaniensi, uni ex primariis Regni mei Senatoribus et consiliariis, nec opinanti detuli. Quod quidem praeter morem et consuetudinem maiorum meorum feci, qui dignitates ecclesiasticas nunquam soliti sunt iis mandare, qui profanis antea honoribus functi, complures annos cum uxore vixissent; sed ego in hoc viro Vladislaviensi Episcopo renunciando multa secutus sum, quae ubi Sanctitas Vestra cognoverit, nihil dubito, quin sit factum istud meum probatura. Videbam in Regno ditionibusque meis non esse dioecesim aliam, in qua prava et perversa haereticorum dogmata ita alte radices egissent, atque in hac Vladislaviensi, cui tota Pomerania, quatenus ad me pertinet, magna etiam Cassuborum pars subiecta est: quibus ex terris, qui debentur Episcopo fructus, ii magna ex parte non redduntur, ut nisi dioecesis haec potentem aliquem Episcopum nacta sit, non facile possit ea, quae sunt ablata, recuperare. Deinde vero in hoc Magnifico Luca a Gorca multa esse perspiciebam, quamobrem dignus videri posset, cui tam excellens istud Episcopi munus dignitatemque ultro non rogatus deferrem: nam praeterquam quod est illustri genere natus, quod splendore, magnificentia, liberalitate longo caeteros intervallo anteit, quod opibus floret, quod gratia et authoritate apud omnes ordines tantum valet, quantum vix quisquam alius in Regno meo; iis etiam virtutibus, quae propius ad Episcopum pertinent, ita est ornatus, ut multo ante Episcopum egisse videatur, quam ad honorem hunc vocatus fuerit; siquidem consilio, prudentia, rerum usu, dicendi gravitate et copia nemini secundus esse videtur, ad quae Dei munera pietatem quoque et religionem tantam adiunctam habet, ut ne iis quidem concedere visus sit, qui se nuncium saeculo remisisse profitentur. Gessit meum in superiore Polonia vicarium, fuit illius terrae praefectus generalis, fuit Castellanus, fuit postremo Palatinus, in omnibus iis dignitatibus ita se gessit, ut vita atque erga Deum cultu caeremoniaque magis Episcopum quam Praefectum, Castellanum, Palatinum referre videretur. Neque quisquam Episcoporum illius terrae iura Ecclesiae defenderet et repugnaret ardentius, quam quanto ille studio eius propugnationem semper suscepit. His ego et pluribus illis, quas enumerare longum esset,

rebus adductus, eum pro meo erga clerum studio Vladislaviensem Episcopum nominavi: quam nominationem meam, quin Sanctitas Vestra ratam sit habitura, nihil equidem ambigo. Sed quoniam dum meum in superiore Polonia ageret vicarium, de plerisque, qui capitalem fraudem admiserunt, iussu illius extremum supplicium sumptum est, videtur illi per leges pontificias non licere, sacris ut initietur, supplico Sanctitati Vestrae, ut eum legibus his solutum esse velit: facultatem praeterea concedat omnes sacros ordines uno eodemque die suscipiendi. Et mihi Sanctitas vestra gratiam fecerit, et universo clero Regni multum fructuosam: Cui me Regnumque et dominia mea etiam atque etim commendo, eamque pro bono reipublicae Christianae diu ei, in quam vocata est, Sedi praeesse desidero. Datum Petricoviae die xxi. Februarii Anno Domini mdxxxviii.

Eiusdem Vestre Sanctitatis Obsequentissimus filius

Sigismundus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Ex archivio Florent. carte Cervini filza XXIV. fog. 19.

DLXXXIII.

Exemplar litterarum Hieronymi Laski oratoris regii Constantinopoli, quibus regem Poloniae certiorem de rebus Turcicis et Hungaricis etc. reddidit.

Sacratissima Maiestas Regia et Domine, Domine Clementissime.

Humilem ac perpetuam servitutis obedientiaeque meae commendationem. Quo pacto Sermus Dñus Ioannes Rex acceptum hoc V. Sacratissimae Maiestati referat, quod se illi pro communi necessitate praestiturum obtulit, cognoscet V. Maiestas ex litteris suis, quas ad illam mitto: cuius Celsitudo imposuit mihi, ut suo nomine haec V. Maiestati declararem.

In primis quod Imperator Turcarum cum duobus suis filiis et his iunioribus castra sua una a Danubio dieta posuit, ponsque in alium locum demissus, oppidum videlicet Obluczyeza, quo in loco Danubius ita magnus est, ut affirment eas naves, quas pro ponte conduxerat, insufficientes fuisse: qua in re Maiestas V. non opus habet haerere, quandoquidem aliae naves magna furia iam iam afferebantur ex locis superioribus in Obluczyeza. Ludffi Bassa et Begleerbegi Romaniae cum Zanzaco Henderalbensi fuerunt, qui praecedent et praecedebant copias Imperatoris sui. Sciat etiam V. Sacratissima Maiestas, Turcam in praesentia mei unum ex suis Gausis apud Sermum Dñum Ioannem Regem habuisse, litterasque misisse, quibus declarat venire se contra Moldavum, ut eum in toto demoliatur, qui cum non habeat alibi quo se recipiat praeter castra, quae in Transilvania habet. Nam Sermus Rex Poloniae cum valido exercitu ab una, Tartari ab altera, Turca vero ab tertia partibus communicato consilio veniant, et ob id rogare, ut Sermus D. Ioannes Rex copias suas colligat, et modum querat intercipiendi Moldavum et deinde Turcae tradendi, cui ille Rex respondit obtemperaturum se desiderio Turcae, et collecturum ex omnibus locis, etiam [et] ab amicis quos in Germania habet, copias suas, sed quia Moldavus habeat multa confinia cum V. M. Sacratissima, timere se dixit Sermus D. Ioannes Rex, ne se eo Moldavus conferat, addidit etiam non timere se adventum Imperatoris, quum nihil in eum peccaret, sed Transilvanos ob necem Gritti habere suspectum adventum Turcae, et ob id voluisse omnia victualia exurere, relinquereque loca debiliora deserta, vixque et cum labore Sermum D. Ioannem Regem ab ea intentione reduxisse Transilvanos, addidi etiam ipse quendam ex voluntate suae Celsitudinis, egimusque cum Turca Turcice et eorum arte etc. quia cognovi diu istum nuntium, quem quatuor dumtaxat diebus tenuit, et alioqui sua Celsitudo dimisisset eum ocius, sed volebat aliquas in Alpibus praeparationes etc. facere illique ostendere.

Praeterea orator Sermi Dñi mei Poloniae Regis, qui apud Turcam fuit, noluit permitti, ut per Hungariam rediret, coactusque est ire Tauricam, et demum per Tartarorum campos, misit tamen ad Sermum illum Regem et ad me suum unum servitorem, per quem haec nunciavit, rogavitque, ut Sermus D. Ioannes Rex sibi consulat, Turcam contra illum et neminem alium venire, illique esse infensissimum propter pacem cum V. Maiestate initam, admonuitque, ne ullis literis aut verbis credat, sed ut sibi quam maxime provideat, Antonium Rinconem Haragusam esse expeditum et dimissum, neque Turcam in suo ex Andrinopoli egressu scivisse se quidpiam de pace inter Caesaream et Christianissimam Maiestates facta, de qua Turca ore suo oratorem eundem interrogavit. Retulit etiam eo consilio Turcam filios suos secum ducere, ut unum in Moldaviam, alium in Transilvaniam cum Sanzaco Henderalbae instituat, maiorem vero natu misit in Mesopotamiam cum omnibus Asiaticis viribus et aliquibus Ianitzeris, affirma-

vitque idem servitor non habere apud se Turcam ultra et ad extremum 5000 Ianitzerorum et Georgium Gritti fuisse Andrinopoli, nescire tamen si veniat.

Moldavus etiam praesente me suum nuncium apud Serm̃um illum Regem habuit, qui magna instantia petiit, mitterentur sibi 3000 aut 2000 peditum Pixidariarum et Siculorum copiae; vellet enim his viribus adiutus Turco copiam pugnae facere, ad quem misit illius Celsitudo et eius voluntate, ipse etiam misi subditum V. Maiestatis Sacratissimae Iacobum Fischer rogatum ne ante tempus se et suos in discrimine ponat, sed ut paulisper expectet, ut V. Maiestatis auxilia adveniant etc. Significavit etiam habuisse se a Turca nuncium et literas, quibus iubet eum esse bono animo, et ut ad se cum exercitu veniat: Turcam enim propterea in Moldaviam venire, quod inde in Transilvaniam commodiorem aditum habeat, quam ex alio quopiam loco, et certe nunc facile dinoscitur Ibraym Bassam succubuisse et apud Turcas fidem et pudorem una cum Ibraym periisse, qui non verentur tam anilibus technis christianos velle Principes decipere.

Sacratissima Maiestas Regia, cognoscit V. Celsitudo ex literis Serm̃i D. Ioannis Regis quam expectationem habeat militis Hispanici, ita ut sibi nihil defuturum existimet, modo eos habeat, qui personam suam pro honore Domini Dei et V. Sacratiss. Maiestatis suoque vitare nollet discrimini exhibere: quare et ipse humillime V. Maiestatem precor, illique pro fide mea consulo, nolit suae ipsius eiusque Maiestati nunc deesse, sed mittere qua potest celeritate dignetur dictum militem, ut ad manum habeamus: credat enim mihi V. Sacrat. Maiest. Serm̃um D. Ioannem Regem habiturum 35000 equitum, 5000 peditum Hungarorum, neque adeo vilium, ut bonis assistere aut bonam operam facere nesciant vel nolint. Taceo autem de alia multitudine, quam vel ex sola Transilvania illius Celsitudo habebit, ubi omnes tres nationes capitatim arma capient, Moldavus etiam aderit nobis cum 25000, licet ipse 10000 promittat, veniet etiam et Transalpinus, quas vires is exercitus V. Sacratiss. Maiestatis in officio retinebit, et profecto plus V. M. sibi animos omnium Hungarorum conciliavit mittendo istum Germanicum peditum, quam unquam ulla re alia, quibus si V. M. Hispanos mittet, plus sibi amoris fideique parabit, plusque illis credere poterit quam omnibus aliis literis et obligationibus etc. si quibus vel eget Vestra Maiestas sola, vel liberi sui.

Bombardarum contraximus bonum numerum, nam et ipse aliquas meas contuli; sed penuriam habemus magistrorum iaculandi, sine quibus tormenta inutilia sunt cadavera: rogat itaque Serm̃us Rex Ioannes V. Sacratiss. M. mittat sibi eius generis magistros.

Postremo commiserat Serm̃us D. Ioannes Rex Dño Seredi pecuniam pro Tockay dari, ad quem Thesaurarius suae Cels. cum V. Maiestatis misit: sed tamen Dñus Seredy obaudit V. Maiestatis scripta, et nunc maxime iniuriam Serm̃i illius Regis homines depactat, unicas naturas colligit, ubi rogat eius Celsitudo V. Maiestatem, docere illam velit, quid cum Seredi sit facturus, aut quo pacto castrum Tockay et pactationem post literas Maiestatis V. illi exhibitas factam repetere ab ipso debeat. Scit enim sua Celsitudo, quid hic opus facto esset, propterea ut scripta V. Maiestatis reputentur, sed nihil vult inscia V. Maiest. facere, et haec sunt, quae Serm̃us ille Rex mihi iniunxit, ut V. Maiestati Serm̃ae significarem, qui diligenter V. Maiest. rogat, ut generoso Dño Alberto Stembergk de Zelenahora salvum conductum ad sex menses prolonget, et cito mittat: alia V. Maiestas Serm̃a de rebus meis ex annexis praesentibus. Datum Budae penultima Augusti MDXXXVIII.

Minimus servitor
HIER. LASKI etc. mpp.

Litt. Principum Tom. IX. fol. 521.

DLXXXIV.

Rex Poloniae gratulatur pontifici de pace per eum inter imperatorem et Gallorum regem Niceae facta, petitque denarium S. Petri necessitatibus regni impendendum sibi concedere velit.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, dño Paulo Tertio divina providentia Sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clemementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Cum essem distentissimus qua de Tartaris, contra quos iustum exercitum conscripseram, qua de Turcis, qui in ipsis prope Regni mei finibus grassantes non mediocrem hominibus meis terrorem iniecerant, non potui facere, ut Sanctitati

vestrae pro eo atque debebam pacem hanc gratularer, quam inter eos christianos Reges divino magis quam humano consilio confecit, ex quorum concordia atque amicicia tanto plus potest ad universam rempublicam christianam commodi redundare, quanto et opes eorum maiores sunt et latius patet Imperium. Dabit itaque mihi veniam Sanctitas vestra, si serius illi tantam rem gratulor, qua nullam potuit se digniorem totique reipublice christianae gratiorem utilioremque praestare, quanquam datum a me fuit negocium Secretario isthic meo Venerabili Andree Czarnkowski, Canonico Gnesnensi, ut si cuius causa Niceam fuit profecta Sanctitas vestra, id illi ex animi sententia cecidissé, meo illi nomine foelicitatem hanc gratularetur, quod ab eo diligenter factum esse lubens accepi. Sed quando ab istis curis bellicis, in quibus omnes meae cogitationes defixae fuerunt, respirare tandem aliquando licuit, non possum, quin ipse quoque per litteras Sanctitati vestrae gratuler, quod eam prae caeteris dignam Deus duxerit, per quam afflictis christianorum rebus tantam lucem adferret, quae tetris quibusdam tenebris obductae videbantur, quam diu Reges isti armis inter se decertabant, qui ut loco ita copiis et facultatibus longo post se caeteros christianos principes intervallo reliquerunt, ex quorum odiis atque dissidiis quanto maius reipublicae christianae periculum et discrimen impendebat, tanto plus Sanctitati vestrae debere universum nomen christianum, cuius beneficio non solum ereptum est ex tantis imminentibus periculis, verum etiam in certam propemodum spem adductum, non minori se immanissimo hosti suo terrori futurum, quam quanto ille id superioribus hisce temporibus metum perculsit: laudet qui volet eos pontifices, qui cum luctu atque caede complevissent omnia, magnas sibi victorias et triumphos magna hominum strage edita pepererunt, meo certe iudicio nulla esse potest maior victoria, nullus trimphus Pontifice dignior, quam quem retulit Sanctitas vestra ex principibus his christianis in gratiam et amiciciam reductis, quorum ut discordia interitum prope iam reipublicae christianae allatura videbatur, ita fieri non potest, quin ex eorumdem concordia perpetuaque pace redintegrata, magnum ad eam emolumentum Deo bene iuvante perveniat: hoc est vere Pontificem agere, hoc est verum esse Christi Vicarium, pacem, quam Christus mundum relinquens mundo reliquit, inter Principes et populos stabilire, concordiam firmare, sempiternam amiciciam conciliare. Clara erit semper et illustris laus haec Sanctitatis vestrae, de de qua ne postera quidem aetas conticescet, omniaque commoda et emolumenta, quae pax isthec orbi christiano pepererit, cum a Deo discessum fuerit, soli Sanctitati vestrae accepta ferentur, quo maiore illi studio in eam curam et cogitationem incumbendum est, ut quam maxime sit pax ista nomini christiano fructuosa; fructus autem ex ea maiores percipi non poterunt, quam si de communi nominis nostri hoste debellando, deque tot tam dissectis sectis abolendis atque ad unitatem ecclesiae omnibus revocandis consilia cogitationesque susceptae fuerint. Quam ad rem si quid ego adferre adiumento potero, nihil in me requiri patiar, quod ad christianum Regem sancteque Sedi isti addictissimum pertinere putavero: nam si quisquam alius, ego me eum esse profiteor, qui christianam rempublicam non solum conservatam, verum etiam quoad eius a me fieri possit, auctam quam maxime velim omnique ratione amplificatam. Utor isthic multum opera Venerabilis Andree Czarnkowski iuvenis patricii, Canonici Gnesnensis et secretarii mei, qui cum suam mihi probet sedulitatem, cupio illum sacerdotiis aliquibus auctum et honestatum, quare Sanctitati vestrae supplico, ut ei gratiam concedat, cuius vigore ad certam pecuniae summam sacerdotia consequi possit, summam autem hanc certumque numerum prescribere nolo Sanctitati vestrae, illius iudicio permittens. Nihil ambigo, quin hac in parte rationem sit habiturus et meae petitionis et loci, quo natus est iste meus secretarius, cui benigne factum cupio. Quoniam vero dedi ei in mandatis, ut Sanctitati vestrae meis verbis supplicaret, ne quid deflecteret ab ea liberalitate, qua priores Pontifices erga me usi sunt, qui Sancti Petri denarium sanctae Sedi huic debitum Regni mei necessitatibus condonarunt: queso Sanctitatem vestram, ut eum meo nomine verba facturum attente, et benigne audiat, praecibusque eius vel meis potius locum det, habitura me sibi benignitate hac quam maxime obstrictum et obligatum. Cuius clementiae me et subditos meos iterum atque iterum commendo, a Deo praecor, ut Sanctitati vestrae vitam diuturnam et prolixam rebus in omnibus foelicitatem tribuere dignetur. Datum in Civitate nostra Cracoviensi die III. mensis Novembris Anno Domini MDXXXVIII. Regni vero et dominiorum meorum Anno XXXII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXXV.

Rex Poloniae iterum petit a pontifice, ut denarium S. Petri in Polonia ad reprimendos Turcas sibi concedere velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo tercio divina providentia SS. Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Eae nunc sunt Regni mei rationes omnium, ut opibus adiutum id opporteat potius, ne in christiani nominis hostium potestatem cadat, quam ut velle quisquam debeat ex inopi Regno aliquid sibi emolumenti querere. Etenim praeter graves vicinos Tartaros, quibus iam pridem septum est, accessit proxima superiore estate vicinus alius multo formidolosior non mihi solum, verum eciam cuncto christiano orbi, truculentus ille Turcarum Tyrannus, quem omnes a finibus suis quam longissime abesse cupiunt. Is Valachiam meae ditioni contiguam suae iam ditionis fecit: ita quae fuit olim Romanorum, ea nunc facta est Turcarum colonia. In singulos namque dies migrare eo Turcae et suas ibi sedes figere dicuntur. Quae res metuo, ne quid Regno meo adferat detrimenti: quare supplico Sanctitati vestrae, ut pro paterna sua benignitate, qua periclitantibus christianorum Regnis subvenire tenetur, hoc quoque meum respicere dignetur tanto aequioribus oculis, quanto maiore diligentia provisum est a me, ut cum aliorum quorumdam fides vehementer sit labefacta, id in fide, officio potestateque sanctae Sedis Apostolicae semper in hunc usque diem remanserit. Non hoc peroro, quod ultro aliis Regibus offerre soliti sunt ii, qui ante Sanctitatem vestram Ecclesiae gubernacula tenebant, ut ex arca sua benigne Regno meo faciat, ut belli contra contra crucis hostes gerendi nervos mihi suppeditet: sed cum certum exile vectigal ex regno meo Sanctitati vestrae debeatur, quem S. Petri denarium vocant, queso illam magnopere, quod iam alias quoque feci, quandoquidem non ignorat, quot proelia, quot dimicationes quotannis contra crucis hostes sustineam, maiore meo sumptu, quam cui ferendo iam esse possem, ut vectigal hoc satis tenue sempiternis temporibus regni mei necessitatibus condonet. Et vere sancti Pontificis officio fungetur, et cunctae reipublicae christianae plurimum commodabit. Commendo Sanctitati vestrae interpretem isthic meum Venerabilem Andream Czarnkowski, Scholasticum Wladislaviensem et Canonicum Gnesnensem, atque rogo, ut quaecumque potest in eum ornamenta conferre, iis eum liberaliter auctum velit et honestatum, ne quis in sacerdotiis in Regno meo beneficio Sanctitatis vestrae obtinendis potiore quam ipse iure, sed unus omnibus aliis anteponatur, quemadmodum aequum est, eum qui et cubicularium Sanctitatis vestrae et meum apud illam agit interpretem: Cui me quoque et Regnum meum, qua summa possum, animi mei demissione commendo, ac Deum praecor, ut illam in multos annos incolumen et foelicem conservet. Datum Cracoviae die XXIX. mensis Aprilis Anno Dñi MDXXXIX. Regni vero mei XXXIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Ex archivio Florent. carte Cervini filza XXVIII. fog. 50.

DLXXXVI.

Episcopus Chelmensis nuntium apostolicum Germaniae de progressu Lutheranismi in Polonia edocet.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Ioanni Moroni Dei gratia Episcopo Mutinensi, S. D. N. apud Serenissimum dominum Romanorum etc. Regem Nuncio, maiori honorando.

Revme in Christo pater et domine, maior honorande, Salutem et officiosissimam obsequiorum meorum commendationem. Etsi nullus mihi cum Rma Dominatione vestra usus, nulla intercedit noticia, tamen cum cognovissem ex iis, quae Sermus dominus Romanorum Rex ad Sacram Maiestatem Regiam dominum nostrum clementissimum scripsit, quanta cura et vigilantia provideat Rma Dominatio vestra, ne quid respublica christiana detrimenti capiat, non potui, quin hunc illi talem animum gratularer, atque unae Rmae Dominationi vestrae significarem, si qui sunt, qui fortasse pauciores sunt opinione hominum, sed si qui tamen sunt, qui ex regno hoc in Vittenbergensi Schola litteris dant operam, nullam eius rei culpam penes S. Maiestatem regiam residere, quae tot iam edicta promulgavit, quibus cavere conata est, ne quis eo proficisceretur, sed nihil tamen adhuc profecit. Idque ea potissimum de causa, quod non tenentur edicto regio, nisi ii, qui possessiones habent: at adolescentes isti nihil fere habent suum, cum omnia sint in parentum potestate, itaque liberiores habent rerum omnium voluntates, neque

possunt, quae nulla sunt bona, commisso vendicari. In parentes autem ipsos animadverti qui potuit, cum praeter scientiam contraque voluntatem suam eos ibi commoratos dicerent, a se Lypsiam, non Vittenbergam datas, quibus fides sibi facta esset, eos mandati fines non excessisse. Sed quando Lypsiam quoque lues iam ista pervenit, sublatus erit praetextus omnis in illas oras adulescentes mittendi, neque impune ferent, si qui edicto Sacrae Maiestatis regiae non obtemperaverint. Quae certe si quisquam alius declarat se esse vere christianum principem, et pestem hanc quam longissime potest a Regni sui finibus arcet: atque utinam pari previdentia caveret Sanctissimus Dominus noster, ne apud vicinos nostros latius serpat indies pestis ista; iam enim ipsos etiam prope electos in errorem induci videmus, dum dubitant, ubi sit vera ecclesia. Quae modice fidei hominum dubitacio maiorem opinione omnium mihi dolorem attulit, ita ut tenere me non potuerim, quin libellum quendam excudendum curarem, in quo ita ecclesiae nostrae authoritas defenditur, ut omnis de ea dubitacio tollatur. Eum Rm̃ae Dominationi vestrae mittendum existimavi, quo magis testatum illi facerem studium erga illam et observantiam meam. Boni consulat, quaeso, atque omnia sibi de me, quae de studiosissimo sui, certo polliceatur. Quod superest, Deus Dominationem vestram Rm̃am quam diutissime ut servet incolumen et faelicem, ex animo opto. Datum Cracoviae v. Decembris Anno Domini MDXXXIX.

Eiusdem Dominationis V. Reverendissimae Servitor

Samuel Karyewoski nominatus Episcopus Chelmensis
et R. P. Vicecancellarius.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXXVII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici electum Camenecensem regis Poloniae oratorem commendat.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dñe Rm̃e. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Proficiscitur in praesentiarum ad Sanctitatem vestram Reverendus syncere nobis dilectus Ioannes Wylomovski designatus Episcopus Chamenecensis, Serenissimi Regis Poloniae Orator, coram eadem Beatitudine vestra nonnulla religionis causam generalisque Concilii negotium concernentia praefati Regis sui nomine expositurus, prout Sanctitas vestra latius ab eo intelligere dignabitur. Quocirca Beatitudinem vestram singulari affectu rogamus, velit illum non solum clementer audire, verum etiam in iis ipsis tanti momenti negotiis ita commendatum habere, ut tum legationem istam Regis sui nomine susceptam ex voto confecisse videatur, tum eiusmodi litteras nostras apud Sanctitatem vestram sibi non parum authoritatis atque ponderis ad obtinendas eas res, quarum causa missus fuit, attulisse sentiat. In quo eadem Beatitudo vestra rem et pastorali suo officio dignissimam, et nobis apprime gratam factura est: cui nos reverenter et obsequiose commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die duodecima mensis Ianuarii Anno Domini MDXXXX. Regnorum nostrorum Romani Decimo, aliorum vero Decimoquarto.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Humilis et obsequeus filius

Ferdinandus.

Ad. Carolus.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DLXXXVIII.

Nuntius apostolicus cardinalem Farnesium legatum de rebus a se in Polonia gestis edocet.

Rm̃o ac Illm̃o Dño meo Colm̃o Alexandro Cardinali Farnesio S. Rom. E. Vicecancellario, Sedis Apost. Legato.

Rm̃o et Illm̃o Monsig. Sig. mio Colm̃o.

Da li 28. Decembre da Agria in qua non ho scripto a V. Illm̃a S. per mancamento de messi, et par non li esser cosa degna di aviso: non ho pero mancato di scriver spesso a Roma, essendomi più volte offerti messi per Venetia. Io de qui son stato et son molto honorato et acharezato da questi Serm̃i Re, la prima audientia hebbe, volsero fusse publica, per ilche me parse retirar al parlar mio al segno, V. S. Rm̃a vedarà per la copia, penso mandarli con questa, et certo viddi nel principio questo bon vechio Re lachry-

mare. Non ho havuto poi altra audientia salvo che due da la Serm̃a Regina, parte per le occupatione grande vi sono in questa sua Dieta, parte per la indisposition del Re vechio, per la qual si è etiam differito el presentar de Spatha fin ala prima Domenica di Quadragesima, accio Sua Maesta possesse esser lì presente. In quel giorno mandò a levarmi di casa per dui Vescovi, si come havea etiam prima facto, et a la porta de la Chiesa el Re giovane con la processione et con el Vescovo di Cracovia in pontificale vene ad incontrare: el quale cantò la Messa, essendovi presenti el Serm̃o Re vechio, la Regina, li Oratori del Serm̃o Re de Romani, sei Vescovi et li Baroni del Regno, avanti li quali finite le ceremonie feci una breve oratione, qual mi parse esser a proposito di questi tempi et beneficio di questo Regno, et mi forzarò mandarne copia a V. S. Ill̃ma, se non con queste, con le prime.

Ne la seconda audientia de la Serm̃a Regina toccai la cosa di Roxano et di la casa: quanto a Roxano, me disse che la have havuta intentione di venderlo per esser gente rixose et factiose; ma che intesa la cosa, quello populo mandò a supplicarli, li facesse gratia de non li alienare, et per questo si era levata dal primo proposito, et che ne haveva trovato octanta cinque millia scudi over ducati, et quando fusse per venderlo, lo daria a chi piu ne desse. Me parve de qui comprendere che quando se li facesse melior partito, forse lo acceptaria; ma perche N. S. mi commesse solo, tentasse lo animo suo senza venir a conclusione, non hebbe ardir passar piu oltra. Ben occorrendomi a partir prima che habbi altra risposta sopra de cio da Sua Sanctita over da V. Ill̃ma S., tentarò come da me se le fusse per lassar per li 85 millia scudi o per qual menor pretio.

Quanto a la casa, fece cascar il parlarne incidenter, Sua Maesta si dolse molto non haver mai havuta gratia da N. S. anzi haverli levate alcune nominatione, gratificando piu presto ogni vil Pollacho che se: et hora levarli quella casa con volerla appropriare al Nepote come di casa Sforzescha, et che lei non cognoscea altri de casa Sforzesca nè piu proximi di se, et piu che Sua Santita havea levata al Vescovo de Lodi una pension, li pagava un Cardinale, et si maraveliava che Sua Santita tolleret alicui ius quaesitum, concludendo che la casa valea da xx in xxv millia scudi, et se li pagasse Sua Sanctita verria ad esser satisfacto el Vescovo de Lodi et lei: risposi, ad ogni parte, et quanto a le nominatione che 'l era consueto a tempi levarle etiam al Imperatore et altri Re, et quanto a la pensione non ne credeva cosa alcuna, ma ben credeva fusse arte de Monsig. de Lodi per far che Sua Maesta lo subvenisse; in fine non vedo se li possa cavar cosa alcuna, salvo con pagar et strapagare.

Li parlai etiam circa le cose publiche, prima per voler lei intendere et intervenire al tutto, et poi per aquietarla dimostrando che N. S. me havea expressamente imposto che in tutto el negociar mio facesse capo a Sua Maesta, et mi governasse secondo el suo conselio, confidandose Sua Sanctita nela prudentia de Sua Maesta, et nelamore havea portato a la Ill̃ma sua madre, mentre era in minoribus, et qui me slongai circa la expeditione generale ogni volta se facia, ricercando el parere di questo Serm̃o Re et per età et altre qualità prudentissimo del modo et qualità de le gente, et qual subsidio possesse dar per defension del suo Regno et dil resto de la christianità. Se risolse in una parolla che loro haveano bona pace con el Turcho, nè erano per mancarli la fede et intrar in tal ballo con exponer a certo periculo el suo Regno, sapendo molto ben le discordie de li Principi christiani, et avidità insatiabile de occupar quel del compagno, et non di conservarglelo, alche anchor che con diverse ragione respondesse, monstrandoli etiam qual animo havea il Turcho verso di loro, havendo da quatro mesi in qua fabricata una forteza sopra el fiume Nestor, qual divide la Vallachia dala Polonia, et havendola edificata parte su quello di Pollonia, et piliata la materia per la fabrica su quello di sua Maesta contra la confederatione hanno insieme; et piu havendo di novo mandato un numero de cavalli a veder un altro loco piu verso il Septentrione per fabricare un'altra forteza, et serare questo Regno da ogni canto, per posserlo a suo bon piacere opprimere. Respose che di questa ultima partita non haveano ferma certeza, ma ben che 'l Turco preparava tre grossi exerciti, uno contra el Sophi, el secondo contra Christiani, el terzo contra Moschobiti, et che non vedeano alincontro apparati de Christiani di possarsi defendere, non che loro havessen causa de metter il suo in compromesso, che ben ne possa parlare con el Serm̃o Re, ma che non ne cavaria altra risposta, che 'l Turco se laudaria de lui, dicendo che 'l non era Re Christiano qual piu li servasse la fede.

Mando a V. Ill̃ma S. un capitulo extrato da lettere de Hieronimo Laschi a questa Serm̃a Regina da Constantinopoli, quale Sua Maesta mi ha mandato acio lo veda, a benche per quanto se intende de qui, el dicto Laschi deve esser gia ritornato a la Caes. Maesta, pur potria venire a qualche proposito a V. S. R̃ma il vederlo. Dicono che 'l se ritrovò a la circoncisione de li filioli dil Turco, et li fu dato el primo loco

tra li Oratori, et che' il primo giorno del anno partì da Constantinopoli accompagnato da tre millia cavalli fin a li confini de Turchi.

Illm̃o et Rm̃o Signor mio, io non so quello me habbia a fare, dal tempo che partito da Roma non ho mai havuto cosa alcuna de la mia provisione, et son stato con gran spesa, et oltra quello ho consumato del mio, fui etiam forzato nel partir da Buda piliare cento scudi da Monsig. di Transylvania. Qui questo Serm̃o Re me fa le spese con suo grande danno, che dove ho XIIII. servitori computato me, loro ne tengono XVI. a servirme, di modo che ho con bon modo inteso che in 43 giorni che son stato qui, la spesa facta passa quatrocento fiorini, et me ne vergogno darli questa graveza, maxime non havendo che negociar con loro; ma perche N. S. mi commette nela instructione non parta senza licentia sua, non lo posso fare, et benche habbia le spese, sappia V. S. Rm̃a che tanti sono li extraordinarii facti, et che sarò sforzato a la partenza fare, che'l me saria stato piu a proposito me havesseno lassato far le spese da me. Oltra di questo non ho resolutione alcuna da Roma circa le bolle de Hungaria, se le ho a dare a le mane del Serm̃o Re, che altramente non sono per piliarle, et supplico a V. Illm̃a S. se degni circa il tutto risolverme. Et perche considero che la Caes. Maesta facta la Pascha verra in Germania, iudicaria, parendo cussi a V. S. Rm̃a, che 'l non fusse fora di proposito di ritorno far quel camino, et mostrare a Sua Maesta haver commissione da N. S. venir a Sua Maesta, et farli intendere quello ho tractato in Hungaria et in Polonia, acio cognosca la bona mente di Sua Sanctita in ogni conto.

Et perche tegno N. S. ordinarà che dia le bolle al Serm̃o Re de Hungaria, che non vedo se possa far altramente, iudicaria fusse a proposito de lì me fermasse alquanto fin se concludesse con quel Re, con el quale ho singular gratia et me ha aperto lo animo suo con una gran fede verso di me.

La promotione del Rm̃o Monsig. Marcello cussi come è gloriosa a N. S. qual non se affatica in altro che exaltar la virtù et procurare el ben publico, non altrimente spero che la sarà proficua a V. S. Illm̃a, et che lei sarà quella ne caverà il fructo che Dio lo facia, a la quale baso la man et humilmente me li commendo. Da Cracovia a li XXIIII. de Febraro 1540.

Di V. Rma. et Illma. Sig. Humile et obedientissimo Servitore

HIERONIMO RORARIO.

Oratio per eudem nuntium apostolicum praedicta occasione habita.

Vides, Serenissime Rex, quo te munere donet Maximus Pontifex, nempe quo Romani Pontices Illustres Reges de Catholica fide, de sancta Sede Apostolica benemerentes illustriores reddunt. Te vero quonam argumento, qua ratione, quo consilio potissimum eligit, qui per aetatem vix dum aliquid meditari, ne dum patrare potuisti, ob quod preferri debueris tot clarissimis Regibus, tot famosissimis Principibus, qui non cessant Catholicam fidem et Sedis Apostolice dignitatem contra impios hostes defendere? Serenissimorum profecto parentum tuorum pia et nunquam intermissa merita prudentissimum Pontificem excitarunt, nunquam fore te sperantem, ut tali semine satus degeneres: possunt quippe aeterni nominis Genitores tui (pace aliorum Principum dixerim) in primis gloriari hoc Polonie Regnum inter tot fluctus, tot procellas, tot turbines, quibus ecclesia Dei, quibus Respublica christiana quatitur, sua pietate, Religione, prudentia ab impiis hereticis impolutum, ab immanibus barbaris tutum servasse servareque; sed et haec plusquam Regia indoles tua sita oculis a Summo Pontifice commeretur, et a sacro illo Cardinalium Collegio, quam a me nunc cernitur, aut quae auribus est accepta, quanto alacriores redderet, quanto in magnam certamque spem erectos, in maiorem etiam nunc certioremque erigeret Maiestate, virtute (sic) adolescens, quem talis tantusque Pontifex, qualem multa saecula non viderunt, nec gregi suo diligentius invigilantem, nec in eo simili aetate pro publico commodo fortius insudantem, nec dignos dignis laudibus, premiis, honoribus magis extollentem, quem porro tot illustres Cardinales, quot nullo unquam in coetu, nullo in aevo sanctitate vitae, sapientia, eruditione, omni virtute conspicui micuere, macti inquam virtute, quem tot tantique viri ex omni Regum numero elegerunt, quem hoc munere dignum censerent, gloriari potest Maiestas tua ab illis usque primordiis, quibus sancta Sedes Apostolica instituit in illa sacratissima Natalis Domini nocte Pileum et Ensem benedicere, ut de se benemeritos Reges non quercea, non graminea corona, nec aurea decoraret, sed suis longe preciosioribus, vel quod benedicuntur in ea nocte, in qua humano generi salus illuxit, vel quod ab illo, qui Omnipotentis Dei vicem in terris gerit, vel quod non de grege cuilibet ut illa, sed Regibus mittuntur. Gloriari nempe potes nunquam contigisse, ut in huiusce usque adeo iuvenilis aetatis Regem tantorum virorum iudiciis praerogativa caderet felix ter et quater: felix tamen, si cogitaveris non tantum honoris quam honeris

tibi adiunctum, difficilemque prorsus caeterum gloriosam provinciam humeris tuis impositam, quam nisi graviter sustinueris expleverisque, non iactum in genitoribus tuis fundamentum eos, qui te elegerunt, fefellisse, sed te sibi defuisse apparebit; possunt etenim hominum immutare omissa paterna semita, prava sodalitia, et ut ille Roboam Salamonis iunioris potius, quam seniorum consiliis inhaerens animus, generatio bona, educatio sancta, pertinax virtus mentiri alioquin non possunt. Hoc tibi pileo Spiritus Sancti specie insignito veluti impenetrabili galea munito erunt hostes fidei repellendi, hoc tibi gladio erunt iidem transfigendi, et praesertim istae dolosae Vulpeculae, quae pietatis personam deferentes vineam Domini demoliri nituntur, prophana sacris, privata publicis miscentes, dumtaxat ut apud imperitum vulgus turpe lucrum et inanem auram aucupentur.

Ah! infelix Germania, quo te impostores isti praecipitem traxerunt? Dum tu sanctorum Patrum via ambulasti, qui sanguine Christi fundatam Ecclesiam sanguine suo erexerunt, et ad hanc toto orbe corruscantem amplitudinem evexere, nulla terrarum pars te felicitior atque beatior vivebat, nulla reperiebatur in te urbs, nullum oppidum, nullus pagus, in quo ferverent factiones, quae sunt non civitatum tantum, verum ipsorum Regnorum exitiales pestes. Quisque Deo, quisque sibi, quisque amico vivebat, eras et tuis et exteris nationibus probitatis imago, Religionis specimen, mutui amoris exemplar: postquam autem vivendi rationem mutare libuit, et pro illis, qui in solitudinibus, in haeremo, in ieiuniis, atque assiduis lacrimis situ et squalore obsiti animosam et inopem vitam traxerunt, in suppliciis autorem vitae sequentes. Postquam inquam illos deserere, istos amplecti libuit, qui pro solitudine turbas amant, pro haeremo tabernas, pro ieiuniis compotationes, pro lacrimis cantilenas, nitidi et delicati non in igne, sed in ardore libidinum, non in carnificinis, sed in omnis lasciviae et turpitudinis caeno voluptatis, caecitatis lapsa, et ut tot inter dissidentium atque invicem digladiantium haereticorum turbas divisa, nedum vel hoc imperitie et impietatis argumento monita, quid in fide sequare teneas, credas, penitus ignores, hinc veluti mente abalienata et furiis concita in mutua dissidia, mutua vulnera ruisti. Vidimus perpaucis ante annis tuorum civium sanguine campos madere, vidimus virentia prata interfectorum ossibus albescere, vidimus cadaverum tumulis planities insurgere, dum ab istis tuis egregiis Evangelicis doctoribus, an corruptoribus edoceris, nullas erga Deum caeremonias colere, nullam Principibus obedientiam, nullum Sacerdotibus cultum, nullum maioribus observantiam exhibere christianam libertatem, nullis hominum subiici legibus, nulli timori, nullis Imperiis solutum eque ac sacris initiatum rusticum, ac civem civem, ac nobilem nobilem, nobilem ac principem christianum esse, id unum nomen cuiusque ordinis, cuiusque dignitatis discrimen tollere: at ubi publica cessarunt, et satis sanguinis superque haustum est, nec compressis manibus desides sederent, inimica pacis Erimnis et invidens publico bono Thesiphones colubris et facibus armata in privatos lares irrupere. Nulla est tam angusta atque tam humilis domus, nulli tam parvi habitantium numero penates, in quibus non diversa sentientium haereticorum insania debacchetur, cuncta illitis veneno, discordiis, livore, inimicitiis, rabie ardent, pater in filium armatur, frater in germanum, maritus in coniugem, servus in dominum, dum etiam et mulieres, si Deo placet, et vilissima mancipia non horrent. Vas illud electionis illotis manibus tangere, impuris oculis inspicere, polluto ore proferre, et mystica illa sensa ac divina arcana, quae etiam eruditissimis, qui Spiritu Sancto non ducuntur, obscura et ignota sunt, seu vanitates suas agentes invicem iactare audent. Et miramur, si iustissimus vindex Deus has poenas, haec supplicia de catholicae fidei, de sanctae suae Sedis Apostolicae contemptoribus sumit in istos fascinatores Deo et bonis omnibus invisos, gladius is tibi stringendus erit, ne qua futura tempestate, horret animus dicere, cum Serenissimi Parentes tui aut penitus senuerint, aut in coelos rapti migraverint, florentissimum Poloniae Regnum, quod illorum nunc institutis pace, otio, quiete fruitur, pestilentissimis dogmatibus turbetur, misceatur, laceretur: si recte memorata recordor, Themistocli illi Atheniensi sola ambitione impulso Miltiadis tropheum somnos adimebat, quanto magis tibi haec a me hodierna die breviter recitata somnos adimere debent, ita Deus faxit, Deus ille, qui in hoc Regio vultu venerandam in Patre Maiestatem effinxit, Deus ille, qui pietatem, Religionem, caetera animi bona in utroque genitore regno ipso clariora, hoc tamen pulcro in corpore inclusit, ut longaevos parentes longaevus ipse superes, quo possis, non repetam a maioribus per manus traditam Religionem, recentia sequar, ab ipso patruo tuo Beato Casimiro, qui hanc unam religionem colendo, quam isti osores nostrae salutis evertere conantur, coelos adipisci et innumeris clarere miraculis meruit, pari cultu Maiestas tua non dicam observare, ne certa in dubia revocem, sed a subditis tibi gentibus observari curet, sic Summi Pontificis, sic sacri illius Cardinalium

Collegii conceptam de te spem non frustraberis, sic Poloniae populi, qui sub hoc mitissimo atque sapientissimo sene, sub hac religiosissima atque prudentissima femina feliciter degunt, felicius adhuc sub te fortunabuntur, et Maiestas tua per hos tramites gradiens Regni sui terminos, quod felix faustumque Reipublicae Christianae sit, ultra Scythas et Pontum propagabit.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano et Relat. Poloniae Tom. CXIV.

DLXXXIX.

Idem nuntius apostolicus de rebus Polonicis et Hungaricis refert.

All' Illustrissimo et Reverendissimo Sig. Cardinale * * *

Le mie ultime furon de cinque Febraro, ali xv. poi che fu la prima Domenica di quadragesima fu presentata la Spatha. Fui levato di casa da dui Vescovi secondo il solito et condutto ala Chiesa Episcopale, qual è nel Castello, dove el Sermo Re giovene venne con processione, et con il Vescovo di Cracovia in pontificale ad incontrarme a la porta dela Chiesa, et fui condutto al Altare magiore a presentarla in mano del prefato Vescovo. Quale cantò la messa, in choro sedeva el Sermo Re vechio, la Regina et el Re giovene; vi era poi un Arcivescovo con altri quatro Vescovi, li Oratori del Sermo Re de Romani, et li Baroni del Regno. Finita la messa et facte le solite ceremonie hebbe (hebbi) una oratione breve, ma per quanto fu iudicato accomodata ali tempi presenti et a le necessità di questo Regno con tanta attentione, et maxime di questo Sermo Re vechio, de la Regina, quale intende benissimo, et di quelli Reverendi Prelati, che la magior parte piangeva; quando fui al passo de deplorar le calamità di Germania, a caso me rivoltai a la parte dove stavano molti Baroni Alemani, subditi perho a questo Re, et quelli sono iudicati in qualche parte infecti de la heresia Lutherana, dil che S. Maestà ne prese consolatione. La risposta fece Monsig. Chelmense Vicecancelliero molto copiosa, et non meno accomodata; ne mando copia de la mia a V. Illma S. acio si degni vederla. Fui dapoi conducto da tutti li Vescovi, et molti Baroni al pallazo del Rev. Cuiaviense, qual dete un bancheto al solito de cento et cinquanta vivande, et durò fin a la nocte.

Poi el terzo giorno fui chiamato da la Serma Regina, dove per esser stato advertito de molte cose, quale saria longo a scriverle, mostrai haver expressa commissione da N. S. in tutto el negociare mio far capo a Sua Maestà, et con lei communicare il tutto, secondo il parer et consilio suo governarmi, confidandosi Sua Santità nela prudentia sua et observantia verso la Sede Apostolica, et poi nel amor se ricordava haver portato, mentre era in minoribus, a la bona mem. de la Illma sua madre. Primamente tocai circa la generale expeditione se havesse a fare per la commune salute de Christianità, et particularmente del suo Regno et dil Sermo genero suo, quali erano li più vicini al periculo, et che speranza de aiuto si potesse haver dal suo Regno. Secundariamente tocai la sinistra informatione data a N. S. ch'el ci fusse alcuni, quali se sforzasseno infectare el Sermo filio suo de la heresi Lutherana; la quale cosa perho Sua Santità non potesse persuaderse, considerando ch' el era stato educato da Sua Maestà, et fin al presente giorno perseverava sotto la tutella sua, nè io per quanto havea possuto comprendere, trovava che Sua Santità se fusse de la concepta speranza inganata. A la prima parte rispose molto ben cognoscere le discordie de Principi Christiani, et avidità di levar al compagno el stato et non di conservarcelo; et che loro haveano bona pace con il Turcho, nè erano per violare la fede data con ponere in expresso periculo il Regno suo, et che il Turco medemo dava questa gloria al suo Re di mantenere più la sua fede che alcun altro Principe Christiano. Et benche li facesse veder el bon animo havea il Turco verso di loro, havendo gia quatro mesi edificata una forteza sul fiume Nestor, qual divide la Polonia da la Valachia su quello di Sua Maestà, et piliata etiam la materia per la fabrica contra la forma de lor confederatione, secondo ho etiam scripto a V. S. Rma, et poi novamente mandato un numero de Cavalli a vedere un altro loco più al Septemtrione et verso la parte de Moschobiti per fabricare un' altra forteza, et serare questo Regno da ogni canto, per posserlo a suo bon piacere opprimere. Et benche etiam andasse moderando la proposta mia con dire che N. S. non ricercava se rompesseno con el Turco et mettessero il Regno suo in periculo, ma solo dicesseno el consilio et parere suo, et quando poi vedesseno li Principi Christiani esser talmente uniti et potenti, che possesseno resistere al nemico, et la impresa in essere, che alhora facesseno da boni Principi Christiani, et da quelli sono, agiongendo che'l suo Sermo genero Re Gioanne non obstante ch'el è più vicino al periculo, non havea mancato dal debito suo in tal cosa, et facto lo officio di bon et vero Principe Christiano; non per questo ne posse cavare

altra risposta ch' a esser vero de la prima forteza, et che haveano mandato a dolerse con il Turco, de la seconda non haver anchor ferma certeza, et che ben possen parlarne con la Maestà del Re, ma che non caveria altra risposta.

Circa il filiolo disse N. S. esser stato mal informato, che lei lo havea educato, oltra che la natura lo inclinava a la bontà et religione del padre, et che in conto alcuno non ne parlasse a Sua Maestà che'l saria un mettere molestia et affanno a quel bon vechio senza causa.

Da poi Sua Maestà mandò da me un suo con un extracto di una de Hieronimo Laschi da Constantinopoli de xxviii. Decembrio, del qual ne mando copia a V. S. Rm̃a, dolendosi che N. S. insieme con li altri Principi Christiani tractassen con el Turcho senza far mentione dil Serm̃o Re de Hungaria. A questo li respose, Sua Maestà non haver da dolersi, nè manco da maraveliarsi, attento che li Oratori del prefato Serm̃o Re hano largamente exposto a Sua Santità il suo Re tenere amicicia con il Turcho, et più offerto per mezo suo operare che il Turcho facilmente inclinaria a tregue etc. et quello han dicto a Sua Beatitudine, pono etiam haver dicto ad altri Principi Christiani, de modo che non li è parso nè han iudicato necessario includerlo nel numero de li altri; anzi che'l saria stato un farlo cascar in suspecto al Turco. Mandò a replicare che chi havea facto tal officio apresso N. S. havea facto male et contra la verità.

Dicono el prefato Hieronimo Laschi havere scripto, che'l fu invitato dal Turco a la solennità del circoncidere li filii, et hebbe el primo loco tra li Oratori, et ch' è partito al primo de Gennaro accompagnato da iii millia Cavalli fin a un loco de confini, qual lui ricercò, et de lì se ne andava a la Caesarea Maestà.

Sto in expectatione di haver risposta quello ho a fare de le Bolle de Hungaria, et del mio stare o partire da quì: circa le Bolle non restarò con ogni humiltà ricordare che'l se ha da haver rispecto magior a N. S. et a la Sede Apostolica che a Principe alcuno sia qual se volia, Sua Santità per non alienare quel Regno da la devotione sua verso la Sede Apostolica con tanti contrasti, li concesse la confirmatione de Vescovati. Li Vescovi non sono per levar le Bolle, che oltra che ne sono alcuni quali poco se ne curano, hano etiam dui rasoni promptissime, che lì sono Vescovati, quali non hano la mita de le entrade (che) haveano, et sono li principali le Cinque-Chiese, del qual Vescovato li Turchi occupano da xii millia scudi de entrada, et quel de Agria, del quale per quanto me vien dicto, el Serm̃o Re de Romani occupa da x millia. L' altra ragione è, che dicono li sui Vescovati non essere pacifichi nè sicuri, et che sariano pazi da cathena a spendere questi denari non essendo certi de posserli godere solo questa està. Da l' altra parte quel Serm̃o Re non se pol desmenticare la iniuria de la s. mem. de Clemente, et me la exprobrò da novo nel suo Consilio: al che alhor rispose con dimostrar le difficultà premevano Clemente, di modo che'l era forzato a sentire et operar contra lo animo suo; et parimente li fece cognoscere quello havea etiam facto a la prima andata mia in Hungaria, la bona mente et bone operatione di N. S. fin alhora, quum esset in minoribus; ma si vede al presente che N. S. non li conceda queste bolle, o che differisca la risposta per havere il parere di qualche Principe. La qual cosa non pol stare ascosa, anchor che Sua Santità poi ge le dia, non li haverà gratia alcuna, et porà cascare tal sinistro, al quale nè Sua Santità, nè altro Principe li potrà provedere. Prometto a V. S. Rm̃a avanti Dio che io nol facio per gloriarme, che Sua Maestà ha più volte havuto a dire, che sel non fusse la dextreza et modestia uso, con ogni altro se saria piu volte rotto, et el medemo ha dicto Frazorsi Thesoriero Vescovo de Waradino.

Poi del mio partire non so quello me habia a fare, havendomi N. S. nela instructione commesso, non me parta senza licentia: el Serm̃o Re facta la Pascha partirà per Lituania, paese lontano de piu de 700 milia, et qui me fa le spese con sua graveza, che dove ho xiii servitori, ne tene xvi de li sui a servirme, de modo che per bona via ho inteso che in 52 giorni lì son stato, è stato speso piu di 400 fiorini, dilche me ne vergogno ad esserli ad una tanta graveza, et tanto piu non havendo cosa importante da negociare: ne ho scripto al Rm̃o Legato, et supplico etiam a V. S. Rm̃a che se vegni al piu presto risolvermi, a la quale humilmente me ricomando. Da Cracovia a li xxiiii. de Febraro mdxxxx.

Reverendissimae et Illustrissimae D. V.

Humilis et obedientissimus servitor
Hieronymus Rorarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DXC.

Regina Poloniae se et oratorem a rege Romam missum pontifici commendat.

Sanctissimo in Christo patri domino, dño Paulo III. divina providentia Sancte Romane Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, domine Clementissime. Post filialem obedientiam et obsequiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Cum Serenissimi... coniux et filius meus reges Polonie, nosque mitteremus isthuc ad Sanctitatem vestram nuncium nostrum nobilem Ioannem Ocieski, dedi ego etiam ei in mandatis, ut Sanctitatem vestram meo nomine salutet, et nonnulla ei de mente nostra referat. Supplico eidem vestre Sanctitati, ut in omnibus, que dicturus est, plenam illi fidem et aures benignas prebere vestra Sanctitas dignetur, quam Dñus Deus in multa tempora sanam ... tam conservet, et felicissimos ei rerum successus tribuat: cuius gratie clemencieque me et mea obsequia commendo tanquam domino et patri clementissimo. Datum Vilne die xv. Novembris MDXL.

Eiusdem B. V.

humilis serva

BONA REGINA etc.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DXCI.

Episcopus Cracoviensis pontifici Ioannem Vilamowski electum Camenecensem, ab ordine ecclesiastico regni Poloniae pro rebus ecclesiae Romam missum, pontifici commendat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino, domino Paulo III. divina providentia SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime.

Subiectissimam perpetuae servitutis meae et orationum commendationem, pedumque oscula beatorum. Cum legatus isthuc esset ad Sanct. V. a S. Maiestate Regia atque una Synodo provinciali, quae fuit proximo vere Pietroviae congregata, Rev. in Christo Pater dñus Ioannes Vilamowski nominatus Camenecensis Epus, quo sum aliquamdiu Cancellario usus, pro ea familiaritate, quae mihi cum eo summa intercessit, postulavi ab illo, ut me quoque servitutemque meam subiectissimam Sanctitati Vestrae quam diligentissime commendaret, cui me plurimum debere profiteor, quod illius beneficio Praemisliensi primum, deinde Plocensi, postremo Cracoviensi Episcopatu auctus sum et honestatus. Itaque ut gratam S. V. memoremque voluntatem meam declararem, quoniam tempus id nunc adest, quo muneribus missitandis magis atque magis conciliatum quisque sibi vult eum, in quem summa voluntatis suae inclinatione propendet, misi ipse quoque strenae loco perexiguum munus Sanctitati Vestrae, quod ut grato animo accipiat, qua summa possum animi mei submissione supplico. Nam cum et tempora nunc nobis sunt iniquiora propter eam religionis pestem, quae circumcirca in omnibus vicinis regionibus grassatur, ut fieri non possit, quin verum illud esse experiamur, (quod est in proverbio) Aliquid mali propter vicinum malum, et sumptus cogamur facere maximos, ut quorum iam refrixisse videtur pietas, eorum studia nobis adiungere possimus, non potuit a me maius aliquod et S. V. dignius praestari. Caeterum si S. V. opera restituta (sic) fuerit pestis haec, si incommodis iis, quibus nunc affecti atque afflicti videmur, aliqua fuerit per illam medicina allata, tum vero ad voluntatem propensam maior accedet facultas omnia ea prolixe S. V. praestandi, quae sunt grati et memoris animi officia: quare supplico S. V. ut in eam curam incumbat, atque ea, quae ordini nostro imminere videntur pericula, propulsare conetur. Non me modo, sed omnes Regni huius, vel potius omnium Christianorum Regnorum Episcopos, atque adeo clerum suum universum sibi devinctissimum redditura, apud Deum vero Optimum Maximum summam gratiam initura, cui non aliud S. V. praestare poterit sacrificium gratius, quam si sponsam illius Ecclesiam, quam ille non corruptibilibus auro et argento, sed precioso sanguine suo redemit, integram studuerit conservare, omnesque ex ea divisiones, omnia scismata radicitus evulserit, atque illud opitulante Christi gratia et misericordia effecerit, ut omnes unitatem spiritus in vinculo pacis amplectantur. Qua de re nihil attinet me multa scribere, cum hac ipsa de causa missus isthuc sit Rev. dominus Ioannes nominatus Camenecensis Episcopatus, qui rem pluribus verbis explicabit, ac ea, quae nobis totique ordini Ecclesiastico impendent discrimina, sub oculos S. V. subiiciet: cui ego iterum atque iterum subiectissimam servitutem meam, quam possum,

officiosissime commendo, atque illud S. V. supplex oro, ut mea quoque privata et meorum negocia commendata sibi habeat, quae cuiusmodi sint, ex hoc ipso Rev. dño nominato Camenecensi Ep̄o cognoscet: ego vero S. V. ineuntem annum hunc feliciter evenire cupio, ut longa incolumitate fruatur, atque omni felicitatis genere cumuletur, quod quidem ego a divina eius Maiestate una cum clero meo universo dies noctesque precari nunquam intermittam. Cracovia IIII. Kal. Ianuarii Anno a Christo nato MDXXXX.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis Creatura et subiectissimus Capellanus

PETRUS Episcopus Cracoviensis manu pp.

Litt. Principum Tom. XI. fol. 135.

DXCII.

Rex Poloniae pontifici, ut episcopum Camenecensem oratorem suum benigne audiat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo III. etc. Summo Pontifici, etc.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei, Regni et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Mitto isthuc ad Sanctitatem vestram reverendum in Christo patrem dominum Ioannem Wilamowski, nominatum Camenecensem Episcopum, sincere mihi dilectum: cui dedi negocium, ut Sanctitatem vestram nomine meo viseret, atque ad beatorum pedum eius oscula venerabundus accederet: quaedam etiam mandata dedi, quae cum meis verbis exponet, supplicamus Sanctitatem vestram, ut eum clementer audiat, verbis eius haud aliter atque si me ipsum dicentem audiret, fidem habeat matureque provideat, ne quid respublica christiana detrimenti capiat. Quod superest, Deus Sanctitatem vestram quam diutissime ut servet incolumen et felicem, opto. Datum Cracoviae penultima Decembris Anno Domini MDXXXX. Regni vero et dominiorum meorum anno XXXIII.

Eiusdem Vestre Sanctitatis Obsequentissimus filius

Commissio propria Regie Maiestatis:

SAMUEL humilis Capellanus Ep̄us Chelmensis et R. P. Vicecancell.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXCIII.

Archiepiscopo Gnesnensi conceditur, ut administrationem ecclesiae Cracoviensis ad alterum annum retinere possit.

Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi in Archiepiscopum Gnesnensem electo.

PAULUS PP. III. Venerabilis frater, salutem et apost. ben. Meritis tue devotionis inducimur, ut personam tuam specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Nuper siquidem, cum nos ecclesie Gnesnensi, tunc per obitum bone memorie Ioannis olim archiepiscopi Gnesnensis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute, de persona tui etiam tunc episcopi Cracoviensis, pro quo carissimus in Christo filius noster Sigismundus Polonie Rex illustris nobis desuper humiliter supplicaverat, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate providissemus, teque illi in archiepiscopum prefecissemus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, Nos consideratione eiusdem Sigismundi Regis etiam super eo nobis humiliter supplicantis, tecum, ut etiam postquam in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis eiusdem ecclesie Gnesnensis ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fores, unacum ecclesia ipsa Gnesnensi ecclesiam Cracoviensem, cui preesse dinosceris, ad annum extunc computandum dumtaxat in administrationem retinere, illamque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac de fructibus episcopatus Cracoviensis disponere et ordinare, illosque in tuos usus et utilitatem convertere valeres, motu proprio dicta auctoritate dispensavimus, ac voluimus, quod tu infra dictum annum eandem ecclesiam Cracoviensem dimittere omnino tenereris, alioquin illam ex tunc anno predicto elapso, nisi interim dispensationem huiusmodi dicta auctoritate prorogari contingeret, quo casu litteras desuper infra ipsum annum in totum expedire et iura propterea debita persolvere astrictus esses, vacare decrevimus eo ipso. Cum autem dilectus filius nobilis vir Sigismundus iunior princeps Polonie, ipsius Sigismundi Regis natus, prout nobis exponi fecit, existimet Reipublice Regni Polonie maxime conducere dispensationem huiusmodi ad alium annum prorogari: Nos Regni et ecclesie Cracoviensis huiusmodi utilitati consulere, tue commoditati ac ipsius Sigismundi principis votis in hac parte benigne annuere volentes, dispensationem predictam tibi ad annum, ut prefertur, concessam ad

alium annum a fine ipsius prioris anni computandum, quo durante eandem ecclesiam Cracoviensem in huiusmodi administrationem retinere, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare libere et licite valeas, salvo decreto in eadem dispensatione apposito, ita quod tu litteras apostolicas super dispensatione huiusmodi infra ipsum primum annum in totum expedire et iura propterea debita persolvere, necnon infra annum prorogatum huiusmodi eandem ecclesiam Cracoviensem demittere tenearis, alioquin illa dicto prorogato anno elapso vacare censeatur, ut prefertur, auctoritate predicta tenore presentium extendimus et prorogamus, Non obstantibus premissis ac constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, necnon ipsius ecclesie Cracoviensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome 28. Maii 1541. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. II. ep. 451.

DXCIV.

Bonae reginae Poloniae super eodem argumento.

Carissime in Christo filie Bone Polonie Regine illustri.

Paulus PP. III. Carissima in Christo filia, salutem etc. Nuper postquam nos ecclesie Gnesnensi, tunc per obitum bone memorie Iohannis olim archiepiscopi Gnesnensis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitute, de persona venerabilis fratris Petri episcopi Cracoviensis, pro quo carissimus in Christo filius noster Sigismundus Polonie Rex illustris nobis super eo humiliter supplicaverat, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate provideramus, ipsumque Petrum episcopum eidem ecclesie Gnesnensi in archiepiscopum prefeceramus et pastorem, curam et administrationem illius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac consideratione eiusdem Sigismundi Regis etiam super eo nobis humiliter supplicantis, cum eodem Petro, ut etiam postquam in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem, seu quasi regiminis et administrationis dicte ecclesie Gnesnensis ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus foret, unacum dicta ecclesia Gnesnensi ecclesiam Cracoviensem, cui etiam tunc preesse dinoscebatur, ad annum extunc computandum dumtaxat in administrationem retinere, illamque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare valeret, motu proprio eadem auctoritate dispensaveramus, ac volueramus, quod idem Petrus episcopus infra dictum annum ecclesiam ipsam Cracoviensem omnino dimittere teneretur, alioquin illam anno predicto elapso, nisi interim dispensationem huiusmodi prorogari contingeret, quo casu litteras desuper infra ipsum annum in totum expedire, et iura propterea debita persolvere astrictus esset, vacare decreveramus eo ipso. Nos intuitu et contemplatione dilecti filii nobilis viri Sigismundi principis Polonie, ipsius Sigismundi Regis et Maiestatis tue Reginalis filii, existimantis hoc ipsum Reipublice Regni Polonie maxime conducere, dispensationem predictam ad alium annum a fine ipsius anni computandum eadem auctoritate per alias nostras in forma brevis litteras prorogavimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem eadem Maiestas tua Reginalis nobis humiliter supplicari fecerit, ut etiam illius intuitu annum prorogatum predictum ad alium annum extendere et prorogare dignemur, Nos licet putemus idem ad hoc Maiestatem tuam inducere, quod induxit prefatum eius filium, quia tamen proprium est temporum parere varietates, et fieri posset, ut antequam dictus prorogatus annus labatur, status rerum aliud exigeret, quid Maiestas tua super hoc prius nobis scripserit, expectare decrevimus, intendentes si ex tuis litteris et aliis rationibus intellexerimus, id cum dominis reipublice Regni huiusmodi Maiestatibus vestris expedire, eiusdem Maiestatis tuae votis in hoc omnino satisfacere, ut Maiestas tua experiatur apud nos non minorem locum tuas quam consortis et filii tui predictorum preces habuisse, quod ipsum Maiestatem tuam per has nostras litteras intelligere voluimus. Datum Rome 29. Maii 1541. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. II. Brev. ep. 458.

DXCV.

Arnoldus episcopus Revaliensis pontifici Ioannem Monnihusen electum Osiliensem commendat.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri et Dño nostro, Dño Paulo divina providentia Pape tercio, ac sacrosancte Catholice et universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño meo Clementiño.

Beatissime Pater, Domine Clementissime ac gratiosissime, Post oscula pedum Sanctitatis vestre Beatorum et sinceram ac humillimam obsequendi voluntatem. Haud absque animi merore et ve-

hementi dolore S. V. humiliter exponere et significare compellor, ex urgentissimis et multis gravaminibus et pereuntis Ecclesie Osiliensis commiseratione Reverendum in Christo patrem et dominum, dñum Reinoldum Episcopum Osiliensem, ad manus Venerabilis sui Capituli omnem administrationem et gubernationem Ecclesie et diocesis Osiliensis, tenore cuiusdam Instrumenti resignationis et contractus, coram multis venerabilibus et egregiis viris et dominis provintie huius Livonie sponte, libere, pure, simpliciter et solemniter resignasse. Et ne in universum predicta diocesis et Ecclesia pastoris solatio destituta et viduata penitus periret, Capitulum antedictum postulavit et elegit in Administratorem Reverendum in Christo patrem et dominum, dñum Iohannem Monnichusen Episcopum Curonensem, Thesaurarium et Canonicum Werdensis et Osiliensis Ecclesiarum, virum plane huiusmodi dignitati et negotio emeritissimum et vehementer necessarium, ex nobili prosapia in legitimo thoro sive matrimonio in Germania natum et procreatum, providum, discretum, litterarum scientia utique et moribus commendatissimum, in sacris ordinibus aetateque legitima constitutum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum, et his gravissimis Ecclesie persecutionibus, procellis et oneribus optatissimum accomodatissimumque, prout plenius decreto promemorate postulationis ac aliis litteris dinoscitur. Porro eandem electionem aut postulationem fuisse oppido quam necessario factam hisce testor attestorque. Et nisi eandem Deus Opt. Max. pro sua ineffabili benignitate fieri disposuisset, profecto actum fuisset de commiseranda ecclesia et diocesi Osiliana, non tamen absque periculoso et tremendo omnium nostrum his Livoniae partibus degentium ac in Ruthenorum faucibus constitutorum discrimine. Neque dubium, quin idem D. postulatus Administrator Ecclesie Osiliensis et universe Livoniae ad gloriam nominis divini sit profuturus: quare, Beatissime pater, humiliter et devotissime S. V. oro et obsecro, ut vestra S. ex innata et genuina sua clementia postulationem et electionem huiusmodi tam vigore privilegiorum Ecclesie Osiliensis, quam concordatorum nationis Germanicae (quibus subsunt) gratioso et paterno favore, cum retentatione et conservatione ecclesie Curonensis, nec non dignitatum, prebendarum, nominationum Imperialium ac pensionum, unacum diminutione annatarum admittere et confirmare, expeditionemque huiusmodi nequaquam differre, sed maturare dignetur, ut foelicius cum Dei auxilio tot innumeris malis hoc procelloso heresum tempore, ac tot suspectis et infestis vicinis Regibus et nationibus, videlicet Ruthenis infidelibus, Swecis, Danis et aliis, quibus quotidie undequaque provintia Livoniae, et precipue Osiliensis Ecclesia, partim insularis, partim maritima circumdatur, resistere valeat, et diocesim tot gravissimis debitis ac infestino odio laborantem, redimere et liberare queat. Et tandem, ne diffusioribus litteris agendis plus aequo S. V. sim molestior, his paucis Sanctitatem vestram in tocius Christianitatis tuitionem et defensionem diu salvam et incolumem devotissime, et piis precibus omnipotenti Deo commendare haud cessabo. Datum Revalie apud Ecclesiam Cathedralem a S. V. et sacrosancta eius Sede apostolica mihi licet immerito commissam, VIII. die mensis Augusti Anno salutis nostre Millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

Eiusdem S. V.

Humilis et devotissimus filius
ARNOLDUS Dei et Sacrosancte Sedis Apostolice gratia
Episcopus Ecclesie Revaliensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DXCVI.

Ioannes episcopus Tarbatensis idem instantissime a pontifice petit, ut Ioanni a Monnighusen episcopo Curoniensi ecclesiam Osiliensem administrare etc. permittat.

Beatissimo in Christo Patri ac Dño, Dño Paulo Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime. Post devota Sanctitatis Vestrae pedum oscula beatorum et humillimam mei et Ecclesiae meae commendationem. Sanctissime Pater, Cum iam aliquot annis Reverendus in Christo Pater ac dñus Reinoldus Cathedralis Ecclesiae Osiliensis Episcopus, dominus meus, frater semper dilectus, premeditato bonoque zelo cogitans, ad optimum Christianum piumque Principem serio spectare, provinciam Dioceseos a Deo omnipotenti (et) Sanctitate Vestra traditam et commissam quiete et pacifice posteris suis relinquere, necnon in hoc se talem gerere, quod ad emolumentum totius Reipublicae tum conducat, tum utile sit, perpendens etiam aetatem suam iam iam ingravescentem, corpore debilitato laborantem, capite crebris doloribus, defe-

ctusque memoriae, quod id non satis, nisi etiam accederent, horrendum dictu, periculosissima erga nostram catholicam fidem, Sanctitatem Vestram, Collegium Arthodoxae (? Cardinalium aut sacrum) tempora, proboque principi regnanti insidiosissima, etiam circa curam rectam rerum temporalium importunissima, quae omni ex parte labe Luterana infecta, intricata et defoedata est, et confine Diocesim Osilianam ex bello intestino, prediis, redditibus, pecuniis ita depopulatam, exhaustam et emunctam aere alieno plus aequo adeo gravatam, dubium certe, an ad pristinum statum restaurari aut redigi queat, in tantum nisi de ea consulte et brevi spacio prospiciatur, actum sit, citraque inevitabilem magnam iacturam diu consistere nequit: quas tam necessarias causas praefatus Reinoldus deliberans, neque ita eum inopinatum et improvisum, quod Deus avertat, quid humanitus contingat, constituit decrevitque ecclesiae suae desolatae de successore honesto et sincero prospicere, difficultatesque post obitum suum circa ecclesiam accidentes mature praevenire. Propterea in Administratorem et proximum successorem sibi a Venerabili Capitulo Osiliensi Reverendum in Christo patrem etc. dominum, fratrem meum dilectum, Iohannem a Monnighusenn Episcopum Curoniensem ac ecclesiae Osiliensis Canonicum, virum sacris in ordinibus constitutum, preclaro nobilitatis genere prognatum, veteris Christianae religionis sacrosanctae Romanae ecclesiae eximium cultorem, multarum rerum usu versatum, litterarumque peritia apprime instructum, dari petiisse ac postulasse, quamvis illam causas ob graves enumeratas acceptare Epus Curoniensis renuens, usque quo a statibus nostrae provinciae magnis cum praecibus ad hoc impulsus, tandem nostrorum monitis obtemperans, magis utilitatis Christianae reipublicae gratia, quam aliqua ambitione sua in nostrum quoque rectum consilium consensit, eamque accipiendam censuit. Qui Capitulares honestis suis moribus inspectis deliberatisque eum concorditer, amice, unanimiter in administratorem et proximum successorem praefatae Osiliensis Diocesis elegerunt, ut Sanctitas Vestra ex Decreto electionis publico coram prospicere liceat. Quare, ut honestum illud institutum tanto accuratius procedere possit, praefatus dominus Reinoldus Episcopus Osiliensis praecibus me admonuit, quatenus dictum dñum Curoniensem Sanctitati Vestrae tenuibus meis litteris commendarem, humiliter etiam et devote peterem, ut Sanctitas Vestra electionem de persona sua concordi suffragio initam admittere dignetur, et electum iam in Administratorem et proximum Successorem dñi et ecclesiae Osiliensis confirmet de gratia speciali. Quando autem licite petentibus pias ac bonas denegare praeces nequaquam convenit, insuper non tam ego quam caeteri provinciae status certi de scientia litterarum, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutis meritis, de quibus Rever. dñus Curoniensis a fide dignis, probis tum honestis viris sero commendatur, nosque ipsi aspicientibus nostris oculis id assidue compertum habemus, devote supplico, oro obsecroque, Sanctitas Vestra dignetur gratiose electum superius dictum in cetu Reverendissimorum Cardinalium ad huiusmodi electionem clementer, benigniter admittere, eumque praefato dño Osiliensi in Administratorem et proximum successorem constituere, ad ipsam quoque ecclesiam confirmare, etiam in retentione alterius Episcopatus Curoniensis cum annatis, taxa et compositione, ut vocant, adeo clementem, pium ac mitem se ostendere, quod ob mediocrem enumerationem expensarum ad miserrimam et egenam Osiliensem Diocesim facilior sit ei accessus, presertim quamvis olim prohdolor nostris in partibus videbatur florentissima, mediocri ope dotata, nunc autem vetustioris ornatus adeo sibi non conformis, quod veteris quidem digna sit nominis, et praeter nomen solum obtinet nihil. Attinet et illud, nostram provinciam Livonicam ultimis in confinibus religionis christianae sitam, necessariumque continue contra barbaros Catholicae fidei haereditarios hostes Rhuthenos esse colluctandos, omnibusque viribus niti, quod Christiana salus corpore, sanguine, ope nostro solo tuetur.

Haec namque Sanctitas Vestra indubitatae nostrae fidei propugnator et asilum clementibus oculis intuens, faciet rem sine dubio his difficillimis Christianorum temporibus constitutis Sanctitatis Vestrae domino fratre meo sincero Epo Curoniensi, probo Christiano, in superioribus petitis condignam et laudabilem, ne bonus ille presul vacuis, ut aiunt, manibus honorem solum adeptum, sine sustentatione sui (et) suorum aliquo non consecuto emolumento possidere inanem provinciam cogatur, tum mihi caeterisque provincialibus nimirum in modum gratam, ecclesiaeque destructae Osiliensis quammaxime necessariam et perutilem, a me autem et electo devoto candidoque animo erga Sanctitatem Vestram ob eius pium, sincerum regimen a Deo Optimo Maximo flexis genibus, contritoque corde petendum, et debita nostra obedientia in perpetuum non oblituris. Quam Altissimo in faelicem Reipublicae Christianae incrementum, me, ecclesiam meam ob praesentium temporum turbolentias sat labo-

rantem unice commendo, commendatumque praecor. Datum in Arce mea Tarrabatensi in Vigilia Laurentii Martiris Nona Mensis Augusti Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Primo.

Eiusdem S. V.

Humillimus et devotissimus
IOHANNES Eps Tarrabatensis.
Hermannus de Leweszow Secretarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DXCVII.

Regina Poloniae pontifici preces de facultate sibi facta nominandi ad quoddam beneficium ecclesiasticum renovat.

Sanctissimo in Christo patri et domino, dño Paulo III. divina providentia S. Rom. Ecclesie Pontifici Maximo, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater, domine Clementissime. Humilem mei ac obsequiorum meorum in gratiam Vestre Sanctitatis commendationem, et oscula pedum beatorum. Concesserat michi Sanctitas Vestra facultatem nominandi tres personas: duas videlicet ad Varmiensem, et terciam ad Cracoviensem Ecclesias Cathedrales: cuius quidem facultatis vigore nominavi ego duas personas ad Varmiensem Ecclesiam, que bina nominatio ad effectum iam pervenisse fertur. In tercia vero persona effectum non habet: licet enim nominaverim ad ipsam Cracoviensem ecclesiam Venerabilem Antonium Carolum Bononiensem servitorem meum, tamen ille morte preventus est, antequam haec nominatio de illo facta sortita effectum fuisset. Itaque cum ea nominatio hoc modo cassa ac inanis iam esset, nec uti ea potuissemus, scripsi estate proxima ad Reverendissimum dominum Sanctorum Quatuor Cardinalem regni nostri Protectorem, ut hanc nominationem seu nominandi facultatem ad predictam Cracoviensem Ecclesiam revalidari beneficio Vestre Sanctitatis michi obtineret, misique tum ad illius Dominationem Reverendissimam copiam eiusce facultatis: verum ea de re nichil michi Dominatio sua Rma respondit, vel quia litterae meae non sint ei reddite, vel quia illius Dominatio in occupatione maximarum rerum curare id non potuerit; nam de liberalitate Vestrae Sanctitatis erga me dubium michi nullum esse debet. Idcirco ego ius michi semel a Sanctitate Vestra concessum nolens negligere, preces meas apud eandem Sanctitatem Vestram repetere volui, cui nunc supplico, illamque omni quo possum studio oro, dignetur Sanctitas Vestra propter perpetuam in se, et Sanctam istam Sedem observantiam hanc nominationem de persona Caroli defuncti, in aliam personam idoneam et nobis gratam per me nominandam auctoritate sua transferre, atque si haec facultas revocata sit, robur ei pristinum restituere, illamque revalidare et in integrum restituere. Quod ut Sanctitas Vestra facere dignetur, eam obnixe rogo ac supplico. Mitto autem iterum copiam eiusce Brevis, quo michi Sanctitas Vestra hanc ipsam nominandi facultatem dederat, ad Venerabilem Stanislaum Rzeczíska penitentiarium, cui negocium hoc curandum apud Sanctitatem Vestram commisi. Quem sollicitantem Vestra Sanctitas benigne et clementer audiat, meque id a se exorari non gravate sinat: rem faciet michi gratissimam et omnibus officiis meis compensandam. Commendo me ac obsequia mea favori et clementiae Sanctitatis Vestre, quam Sancte isti Sedi diu feliciter preesse et sanam ac incolumem valere ex animo precor. Vilnae die VII. Octobris MDXLI.

Eiusdem Beatitudinis Vestre

Obsequentissima filia
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXCVIII.

Regina Poloniae pontifici, ut archiepiscopo Gnesnensi episcopatum Cracoviensem retiuere permittat.

Sanctissimo et Beatissimo Patri et domino, domino Paulo Tercio etc. S. Rom. Ecclesie Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime et Beatissime Pater, pedes Sanctitatis Vestrae reverenter in primis exosculor, fidemque et observantiam meam summam ipsi defero. Postulavimus anno superiori ego et utraque Maiestas Regia, alter coniux, alter filius meus charissimus, a Sanctitate Vestra per nuncium nostrum, ut Reverendissimo domino Petro Episcopo Cracoviensi, quem transferri ad Archiepiscopatum Gnesnensem a Sanctitate Vestra cupiebamus, Episcopatum Cracoviensem una cum Archiepiscopatu, quoad nobis placeret, vel triennium dumtaxat, retinere nostra causa per Sanctitatem Vestram liceret. Ac Regiae qui-

dem Maiestati utrique singulis annis concedendis Sanctitas Vestra tunc non gravate gratificata est: mea vero postulata de anno tertio non reiecit illa quidem, sed in aliud tempus distulit, non abnuens et mihi gratificari, si expedire id regno etiam tum videretur. Quoniam autem consilium illud communiter nobis cum utraque Regia Maiestate tunc susceptum, ac bene deliberatum fuit, ne nunc quidem magis etiam deliberata id muto, quin maiore etiam studio contentioneque Sanctitatem Vestram oro, ut quod coniugi, quod filio meo tribuit, mihi quoque petenti tribuat, ne quod externorum commendationi datum est, daturque saepe non in paucis, dum vivunt, aliquo peccato meo in sacrosanctam Sedem Apostolicam et Sanctitatem Vestram mihi eiusdem nationis, atque gentis ad unum annum negatum a Sanctitate Vestra esse videatur. Mihi ex ea re neque seritur, quod aiunt, neque metitur: sed regni nostri commoda religionisque stabilimentum agitur. Nam Reverendissimus dominus Archiepiscopus supramemoratus is homo est, cui cum et ingenii vigor, longusque rerum usus, expeditum consilium, et humanitas atque benignitas singularem omnium ordinum gratiam, et haec omnia cum fide, integritate ac dignitate coniuncta summam authoritatem in hoc regno pepererint, apprime necessaria est Regie Maiestati eius praesentia Cracoviae, quae urbs et Regia est atque caput Regni, et periculis hostium christiani nominis vicinitate magis obnoxia, ut praesens praesenti consilio rempublicam, quoties usus postularit, sive praesentibus, sive, ut nunc, absentibus nobis, adiuvare, subiectorumque nobis hominum ad res novandas, pravaque dogmata ex finitimorum Germanorum consuetudine et commertiis propendentium animos in consensione mutua, ecclesiaeque Catholicae unitate et in officio continere possit, in ea potissimum urbe atque diocesi, unde tanquam e specula vel e praetorio caeterae urbes atque ditiones nostrae ad omnia signum expectant. Non ambit quidem ille, verum charitate patriae et nostra auctoritate adductus, neque sumptus, quos permagnos faciat, necesse est, neque laborem detrectat, dum iuniores alii iugum id tam bene ferre condiscunt. Negat autem alterum hunc annum Serenissimo rege iuniore rogante concessum accepturum se esse, nisi deinceps quoque, quoad Regiae Maiestati utrique et mihi placuerit, et expedire visum fuerit, vel tertium certe annum utriusque retinendi potestatem a Sanctitate Vestra me orante habuerit, propterea quod totis pene unius anni fructibus in annatam et expeditionem consumptis, plus ipse incommodi quam commodi ex ea retentione Çracoviensis Episcopatus percepturus esset, maxime quod in administranda republica maiores multo sumptus quam alias facere eum oportet. Quocirca iterum atque iterum oro Sanctitatem Vestram, ut ne meas apud se preces tam aequas vanas et irritas esse patiatur: quod omni studio et observantia mea de sacrosancta ista Sede Apostolica, ac de Sanctitate Vestra promereri contendam, Quam, ut Deus optimus maximus diutissime salvam foelicemque servet, sedulo precor. Vilnae XXVI. Februarii Anno domini MDXLII.

Eiusdem Beatitudinis Vestre

humilis filia
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DXCIX.

Rex Poloniae pontifici, ut archiepiscopus Gnesnensis episcopatum Cracoviensem tertium annum retinere possit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo Tertio etc.
Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime pater et domine, domine clementissime. Pedes Sanctitatis vestrae beatos reverenter in primis exosculor, observantiamque et servitutem meam addictissimam defero. Non potest mihi non magnopere grata esse propensa ista erga me Sanctitatis vestrae voluntas, cuius non leve documentum accepi anno superiori, cum Sanctitas vestra Reverendissimo domino Petro Archiepiscopo Gneznensi, primati Regni mei, cuius opera et industria fideli promptissimaque in maximis rebus ego et parentes mei Serenissimi cum laude utimur, retinendi Episcopatus Cracoviensis ad alterum annum me orante potestatem fecit: de quo permagnas ago gratias Sanctitati vestrae, et omni studio omnique ratione promereri de ipsa vicissim contendam. Sed quoniam Serenissimae Reginae matris meae, quam equidem omni cultu et veneratione, ita ut par est, prosequor, eiusdem modi petitio de tertio anno repulsa, aut verius in hoc tempus reiecta est, inchoatum illud modo, non etiam absolutum esse Sanctitatis vestrae in me beneficium duco, tum quod me matris mihi posthabitae pudet, tum quod dominus Archiepiscopus supra memoratus meo se illi beneficio (si modo beneficium illud dici debet, cuius in eum onus magis quam commodum redundat) usurum esse negat, nisi tertius sibi adiiciatur an-

nus, propterea quod si pro uno anno solvere annatam et iura Camerae debet, et Cracoviae manens, necessario maiores quam usquam alias reipublicae causa sumptus faciet, magis damnosa quam compendiosa ista ipsi retentio fuerit: quare quod Serenissimi Parentes mei nullo suo privato, sed magno publico commodo rogant, rogo et ego etiam atque etiam, dignetur Sanctitas vestra retentionem illam in tertium annum intuitu Serenissimae matris meae addictissimae Sanctitati vestrae prorogare, imo vero in arbitrium eam Serenissimi patris mei, meumque deinceps etiam conferre; quando non insolens id est sacrosanctae Sedi isti Apostolicae, et in meo quoque Regno patrum memoria aliquoties usitatum, ut unus Episcopatum cum Archiepiscopatu, vel duos Episcopatus simul nota eius indulgentia, etiam quoad viveret, obtineret. Non dubito Sanctitatem vestram in eo nobis omnibus libenter gratificaturam esse: quorum summam erga se observantiam studiumque et obsequium addictissimum, et ante semper cognovit, et magis etiam, si fieri poterit, deinceps cognoscet: cui me dominiaque mea quam diligentissime commendo, diuturnamque et omni foelicitate cumulatam vitam opto. Vilnae XXVII. Februarii. Anno domini MDXXXXII.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIAE manu pp. ss.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DC.

Rex Poloniae pontifici, ut quemdam Dominicum I. U. D. commendatum habeat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino, dño Paulo III. etc.
Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Cum proficisceretur isthuc venerabilis hic Dominicus Iuris utriusque Doctor, quem ego propter excellens ingenium minimeque vulgarem eruditionem et morum integritatem singularem inter eos numero, qui non postremum apud me gratiae locum obtinent, committere nolui, ut vacuus meis litteris ad Sanctitatem vestram veniret. Cumque praeter alias dotes, quibus eum affatim Deus ornavit, fidem etiam suam et diligentiam serviendo Serenissimae coniugi meae plurimum probaverit, facere non potui, quin vel hoc nomine Sanctitati eum vestrae de meliore, quod aiunt, nota commendarem. A qua peto, ut suam illi gratiam et favorem impartiat, ac si qua in re liberalitate Sanctitatis vestrae uti voluerit, benignum illi se supplicanti et facilem praestet: id mihi futurum est vehementer gratum, atque omni vicissim officii genere et obsequii humanitatem hanc Sanctitatis vestrae exequare conabor: Quam ut Deus in multa tempora servet incolumem atque omni foelicitatis genere cumulet, ex animo precor, meque et servitutem meam Sanctitati vestrae diligenter commendo. Datum Cracoviae XXVI. Augusti, Anno Domini MDXLII. Regni vero mei anno XXXVI.

Eiusdem Sanctitatis Vestre Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCI.

Archiepiscopus Gnesnensis se ad concilium oecumenicum venturum aut viros graves et doctos missurum pontifici significat.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino Paulo eius nominis tertio, sacrosanctae Rom. ac universalis ecclesiae summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater, et dñe clementissime. Osculationem beatorum pedum studiumque et servitutem meam addictissimam Sanctitati vestrae reverenter in primis defero. Otto Trucces baro illustris, humanitateque et omni virtute ornatissimus, convocandi concilii oecumenici causa huc ad Serños principes meos a Sanctitate vestra missus, gratum admodum cum apud ipsos principes, tum apud nos omnes hic peregit nuncium, mihique eiusdem Sanctitatis vestrae litteras eadem de re scriptas peropportune, hoc est in ingressu itineris ad synodum nostram provincialem, quam tum cogebam, reddidit, de quibus ego secundum mandatum Sanctitatis vestrae cum caeteris fratribus meis episcopis, et universo ordine abbatum et sacerdotum in illa ipsa synodo communicavi. Quod si per Serños principes meos et per valetudinem meam licebit, sane quam lubens parebo monitis Sanctitatis vestrae ipse, ut veniam ad concilium istud diu bonis omnibus exoptatum. Sin minus licebit, tamen

allegabuntur istuc cum a nostro Ordine, tum a Sermis principibus meis graves, prudentes doctique viri. Idque ut accurate et mature confiat, erit mihi curae: sed tum haec, tum alia fusius ipse dñus Otto Sanctitati vestrae verbis meis exponet. Quod reliquum est, commendo me etiam atque etiam quam diligentissime Sanctitati vestrae, cui ut diu sospiti cum isti sanctissimi conatus, tum omnia semper prospere bonoque reipubl. christianae succedant, deum precor. Cracovia VII. Idus Novembris 1542.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Humilis Capellanus

PETRUS Archiepiscopus Gnesnensis et Episcopus Cracoviensis.

Litt. Principum Tom. XI. fol. 170.

DCII.

Rex Poloniae pontifici Andream Zebrzidowski nominatum episcopum Camenecensem commendat.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo tercio divina providentia Sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis vestrae. Cum e vita excessisset ante menses aliquot Rev. in Christo pater D. Lucas, eum qui est Chelmensis, in locum eius Wladislaviensis, qui vero Camenecensis, Chelmensem, Camenecensem vero Episcopum renunciavi Venerabilem Andream Zebrzidowski, Secretarium meum, et litterarum studiis expolitum, et ingenii quadam acrimonia praeditum, ut eum et mihi et ecclesiae usui fore persuasum habeam. Hanc renunciationem meam, ut Sanctitas vestra authoritate sua apostolica confirmare et approbare dignetur, Sanctitati vestrae supplico. Quoniam vero Camenecensis diocesis in ipsis Regni mei finibus cum sit, hostium est incursionibus oportuna et continuis eorum populationibus vexatur, factum est ex eo, ut proventus Ecclesiae Camenecensis pertenues, ac propemodum nulli sint, neque dignitatem suam Episcopus tueri possit, nisi aliunde proventus habeat uberiores: quare a Sanctitate vestra peto, ut ita nominatum hunc nostrum confirmet, ut reservari interim ei sacerdotia, quae possidet, omnia et singula iubeat, absque quibus se pro eo, ut dignitas eius postulat, alere ac sustentare non posset: rem et aequam et mihi gratam Sanctitas vestra factura, Quam diu sanam et foelicissimam a Deo Opt. Max. esse precor et opto. Datum in Civitate mea Cracoviae die XXVII. mensis Februarii Anno Domini MDXLIII. Regni mei XXXVII.

(Eiusdem S. V. obsequentissimus filius)

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCIII.

Regina Poloniae cardinali Farnesio Dominicum comitem Luchese commendat.

Rm̃o et Illm̃o etc. Domino Cardinali Alexandro Farnesio etc.

Rm̃o et Illm̃o Signor, Amico nostro charissimo et honorando. Ancorache con duplicate nostre lettere gli mesi passati habbiamo scritto tanto a V. S. Rm̃a, come anchora al Rm̃o Santi Quattro, con ringratiarle molto dello effettuato in servigio nostro con sua Santità circa il negotio del Domenico di Conti Luchese: nondimeno havendo mo considerato che per non esser stata la Corte in Roma, nè tampoco in luogo fermo, che facilmente potrebbe esser accaduto, dette nostre lettere non haver havuto buon ricapito, nè tampoco esser pervenute in sue mani, al presente essendoci occorsa opportunità, non ci è paruto disconvenevole repetergli il medesimo con questa nostra, con la quale torniamo a ringratiarla del buon uffitio et miglior effetti, si è dignata far appresso di sua Santità in servigio nostro circa il negotio predetto, con pregarla che parimente resti servita di tener ricordata et essortata sua Santità, che si in cio, come in tutte le altre nostre occorrenti cose, continuamente debba perseverar con tal buono animo et intentione dimostrarsegli pronto et favorevole. Perloche ne gli offeremo anchora noi pronta a fargli piacer et cosa grata per ogni suo commodo, benefitio et honore. Di Cracovia il dì 27. di Giugno del 43.

De V. S. come sorella

BONA REGINA etc.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano

DCIV.

Rex iunior Poloniae pontifici, ut archiepiscopus Gnesnensis episcopatum Cracoviensem, quoad vivat, retinere possit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo divina provid. eius nomine tertio S. R. ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine Clementissime. Studium, observantiam et servitutem meam officiosam cum osculo beatorum pedum Sanctitati Vestrae in primis defero. Fecit Sanctitas Vestra pro paterna sua indulgentia et benignitate erga me, et Serenissimos parentes meos, Regnumque nostrum commune, quod Reverendissimo domino Petro Archiepiscopo Gneznensi, et Primati Regni nostri Cracoviensem Episcopatum cum Archiepiscopatu triennium obtinere apostolica authoritate permisit: quae res grata profecto mihi et Serenissimis parentibus meis accidit, non quod aliquod in ea privatum nostrum emolumentum versaretur, sed quod expedire id reipublicae et regno nostro magnopere hac temporum malignitate atque turbulentia iudicaremus. Est enim ille is vir, quem semper in regia, et ad manum nobis adesse maxime ex usu publico sit: quippe qui et consilio magno est, studioque et benevolentia erga me et Serenissimos parentes meos singulari, et vero summa apud omnes regni huius nostri ordines gratia et authoritate. Quod cum ita sit, iterum atque iterum supplex peto a Sanctitate Vestra, dignetur beneficium istud suum in nos et in regnum nostrum magis etiam proferre atque cumulare, et paterna beneficentia sua mihi indulgere, ut in potestate mea sit post exactum istud triennium, quamdiu deinceps ego velim, ut idem dominus Archiepiscopus hunc ipsum Episcopatum Cracoviensem retinere possit etiam ad extremum usque vitae suae tempus, si ita expedire reipublicae existimavero: ut enim sese ostentant tempora, video, non minus in posterum, quam hactenus fuit, conducibile id fore regno meo. Non mihi autem solum, sed et Serenissimis parentibus meis, ad quorum ego voluntates meam semper adiungo, in eo gratificabitur Sanctitas Vestra: Cui me ditionesque meas etiam atque etiam commendo. Cracovia XIIII. Iulii MDXLIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. ss.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCV.

Regina Poloniae per Martinum Cromerum pontifici duos crateres argenteos inauratos mittit petitque, ut archiepiscopus Gnesnensis episcopatum Cracoviensem, quoad vivat, retinere possit.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo eius nominis tertio Pontifici Maximo, domino Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime pater et domine, domine Clementissime. Studium et observantiam meam cum osculo beatorum pedum Sanctitati Vestrae reverenter in primis defero. Cum istuc iuvenis honestissimus et eruditus Martinus Cromerus, Reverendissimi dñi Archiepiscopi Gneznensis et Episcopi Cracoviensis secretarius, cuius fideli opera et industria ego quoque multum utor, proficisceretur, nolui committere quin Sanctitatem Vestram pro debito meo per eum viserem, studiumque addictissimum et observantiam meam eidem Sanctitati Vestrae reverenter deferrem. Mitto autem per eum Sanctitati Vestrae duos crateres argenteos inauratos itineribus, quae multa et libenter Sanctitatem Vestram facere scio, aptos atque commodos: exile quidem munus, verum a devotissimo animo profectum, et quod crebro usu observantiae meae memoriam Sanctitati Vestrae refricaret, quod ut equo lubentique animo Sanctitas Vestra accipiat precor. Caeterum quoniam spem fecit mihi anno superiori Reverendissimus Dominus Cardinalis Sanctorum Quatuor Sanctitatis Vestrae nomine, amplius etiam adiecturam esse Sanctitatem Vestram ad id spacium, quod Reverendissimo domino Archiepiscopo Gnesnensi, ut retineat Episcopatum Cracoviensem, me et Serenissimis Regibus marito et filio meo petentibus, concessum est, etiam prope adest, ut id spacium exactum sit, iterum atque iterum supplex una cum filio peto a Sanctitate Vestra, ut in illius atque meam pariter potestatem hunc ipsum Episcopatum conferat, nempe ut in nostro sit arbitrio, quamdiu velimus, ut eum ipse dominus Archiepiscopus retineat, etiam quoad vixerit, si ita expedire regno nostro et reipublicae duxerimus. Neque vero sine gravi causa id postulamus: perutilis enim et pernecessaria est nobis hic ad clavum reipublicae sedentibus huius viri presentia et authoritas cum gratia populari coniuncta. Fecerit ergo Sanctitas Vestra in eo mihi filioque

meo, atque ipsi etiam marito Regi seniori, a cuius voluntate voluntates nostrae in hac parte seiunctae non sunt, vehementer gratum: Nos autem gratiam istam Sanctitati Vestrae familiaeque eius omni officio et obsequio referre studebimus, quam ut Deus omnipotens diutissime sospitem felicemque servet bono reipublicae Christianae, sedulo precor. Cracovia XIIII. die Iulii Anno domini MDXLIII.

Eiusdem Beatitudinis Vestre humilis serva

BONA REGINA POLONIE etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCVI.

Rex iunior Poloniae cardinali Farnesio Martinum Cromerum suum apud pontificem oratorem commendat petitque, ut pontifex archiepiscopo Gnesnensi Cracoviensem episcopatum retinendi potestatem faciat.

Rm̃o in Christo et Illm̃o Principi et dño Alexandro Farnesio S. Rom. Eccl. tit. S. Laurentii in Damaso diacono Cardinali et Vicecancellario, amico in primis honorando.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Dominus et haeres, Rm̃o in Christo et Illm̃o principi et domino Alexandro Fernesio miseratione divina S. Rom. ecclesiae tit. S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali et Vicecancellario, amico honorando, salutem et felicitatem. Rm̃e in Christo et Illm̃e domine, amice honorande, Expectabamus nos quidem a D. V. litteras mutuae benevolentiae testes, sed damus tamen veniam festinato utinam quidem et salutari reipublicae Christianae itineri eius, praesertim quod Venerabilis Martinus Cromerus Canonicus Cracoviensis, tunc quidem a Rm̃o D. Archiepiscopo Gnesnensi missus, nunc vero a Serm̃is dominis et parentibus nostris, et a nobis etiam nuncius ad S. D. N. remissus, de studio eiusdem D. V. Rm̃ae erga nos nobis renunciavit, eiusque studii pignus attulit, retentionem Cracoviensis ecclesiae D. Archiepiscopo in triennium ope et patrocinio Rm̃ae D. V. prorogatum: de qua agimus gratias et S. D. N. et D. V. Rm̃ae, quanquam sunt certae causae, cur ea retentione D. Archiep̃i uti nolimus. Atque ut in arbitrium quidem nostrum ac Serm̃orum parentum nostrorum ea retentio conferatur, iam non contendimus, quando neque solere id, neque recte fieri posse dicitur, quod vero potest, quodque solet, petimus, nempe ut quoad vixerit D. Archiep̃us supra memoratus ecclesiam Cracoviensem retineat, a qua eum amoveri aequum non esse existimamus, partim propter merita eius erga nos et erga rempublicam regni nostri, quae ipse cum antea semper magna ostendit, tum nuper in comitiis regni, nobis absentibus, ut certo didicimus, plurimum auxit, et indies etiam illustriora reddit: partim autem quod videmus id nobis et reipublicae magnopere expedire, non modo ut eo loco eoque honore ipsum dignemur, sed etiam ut is quam amplissimus et quam maximus authoritate sit in regno nostro, qui nobis absentibus munera nostra fideliter atque dextere obire solet. Quocirca postulamus a D. V. Rm̃a, ut in ea re cito et bene conficienda nuncio nostro omni consilio, auxilio et gratia apud S. D. N. adsit, ex quo plenius omnia cognoscet, itaque ut ipsi fidem habeat, postulamus. Velimus autem, nobis ut potius auscultet S. D. N. quam clandestinis malignorum obtrectationibus, non queri hac de re quemquam ordinem in regno nostro, neque vero fit cuiquam iniuria, si nos in eo nostro et Serm̃orum parentum nostrorum iudicio indulgemus. Porro quacumque re vicissim gratiam uberiorem etiam referre D. V. Rm̃ae poterimus, libenter id faciemus, quae ut diu sospes atque fortunata sit, optamus. Olicae VIII. die Martii MDXLIIII.

SIGISMSNDUS AUGUSTUS REX.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCVII.

Rex Poloniae pontifici, ut Ioannem Andrussovicz nominatum episcopum Kioviensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo III. etc.
Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum humilem commendacionem, et oscula pedum beatorum. Vacuit longo tempore Kioviensis ecclesia in magno ducatu nostro Lituaniae, quam propter proventuum tenuitatem nemo erat, qui gubernandam susciperet, quod non esset habiturus, unde se pro eo, ut Episcopi dignitas postulat, sustentare posset: tandem vero providere illi de pastore cupiens, nominavi Episcopum eius Venerabilem Ioannem Andrussowicz Canonicum Vilnensem, non genere magis quam virtute

nobilem. Quam meam nominationem ut ratam habere et authoritate sua apostolica confirmare dignetur, Sanctitati vestrae supplico: illud una peto, quandoquidem fructus Episcopatus nulli prope sunt, ut eum solutum legibus iis velit, per quas cum Episcopatu sacerdotia obtinere non licet, quo in eorum possessione nihilominus permaneat, ut tanto melius Episcopi dignitatem tueri possit: rem fecerit Sanctitas vestra mihi valde gratam. Deum precor, ut illam in longa tempora servet incolumem: Cuius me gratiae commendo. Datum in Brzesczie Lituanica XXVII. Septembris Anno Dñi MDXLIIII. Regni nostri Anno XXXVIII.

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCVIII.

Regina Poloniae cardinali Farnesio gratias agit de favore, quo apud summum pontificem prosequitur archiepiscopum Gnesnensem.

Rm̃o etc. Cardinali Alexandro Farnesio S. R. E. Vicecancellario etc.

Reverendissime in Christo Pater et Illustrissime domine, amice noster charissime et honorande. Colla charta sua de 5. di Agosto havemo inteso lo esseguito per V. S. Reverendissima et Illustrissima con sua Santita, et con tutto il Reverendissimo Collegio de Cardinali, per effettuare il desiderio del Reverendissimo Gnesnese a contemplatione et compiacenza degli Serenissimi Re, nostri consorte colendissimo et figlio amantissimo, et nostra et le buone opere amorevolmente spesoci, del tutto dicemo restarne molto servita, commentando la esattissima diligenza sua in cio usata et lo buono effetto seguito ad votum, per la qual cosa la ringratiamo quanto piu e potemo et volemo, offerendonegli pronta ad ogni suo honore et beneficio a noi possibile, certiorandola qualmente tanto loro Maesta Serenissime come anchora noi non potremo non tenere sempre recentissima recordatione di V. S. Reverm̃a et Illustrm̃a si per ogni debito rispetto, come anchora per gli suoi vertuosi et amorevoli diportamenti et affettione dimostra tenere verso noi et nostre cose, per il che negli offerimo pronta a fargli piacere. Di Bressa il di XXV. di Settembre del 44.

De V. S. come Sorella

BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCIX.

Cardinali protectori regni Poloniae, insistat apud pontificem, ut electus episcopus Kioviensis confirmetur.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Reverendissimo in Christo patri domino Antonio miseratione divina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinali, Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae summo poenitentiario, et Regni nostri Protectori, Amico charissimo et honorando, Salutem et foelicitatem. Reverendissime in Christo pater, Amice noster charissime et honorande, Fuit aliquando insignis civitas Ciovia, cuius adhuc ruinae visuntur: sed cum hostium impetus magnos saepe sustineret, eo redacta est, ut magna sit nunc circumquaque vastitas, et in ipsa eciam civitate solitudo; finitimos enim habet Tartaros, quorum latrociniis agri Ciovienses semper sunt infesti, nulla ut dari requies videatur: tuemur eam nihilominus, et est ditionis nostrae. Habuit aliquando ut cives copiosos et locupletes, ita Episcopum quoque non parvis opibus praeditum, qui nunc nullos prope fructus habere videtur. Quamobrem complures annos vacavit Ecclesia, neque erat, qui onus absque emolumento percipere vellet: sed nos tamen esse officii nostri putavimus providere, ne nobilis olim civitas Episcopo suo careret. Nominavimus itaque Cioviensem Episcopum . . . . . . Ioannem Andruschewicz Canonicum Vilnensem, virum et nobilem et magna vitae integritate praeditum: Sanctissimo domino nostro supplicavimus, ut nostram hanc nominationem ratam habere, et eam authoritate sua apostolica confirmare dignaretur. Quod nos quidem Sanctitatem eius non gravatim facturam confidimus, sed quo celerius confici res possit, a Reverendissima Paternitate vestra postulamus, ut ipsa quoque suam authoritatem interponat: illud una curet impetrandum, ut nominatus noster solutus esse possit legibus, per quas et Ep̃o illi esse et sacerdotia retinere non licet, quae si adempta ei sint, non esset habiturus, unde nomen Ep̃i dignitatemque tueri posset; nam fructus ecclesiae aut nulli sunt, aut certe perexigui: rem fecerit Reverendissima Paternitas vestra nobis valde gratam. Datum in Brzesczye Lytuanico die XXVII. Septembris Anno Dñi MDXLIIII. Regni nostri XXXVIII.

SIGISMUNDUS REX subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCX.

Rex Poloniae cardinalem Farnesium suplex adit, efficiat apud summum pontificem, ut Cracoviensis praepositus etc. licentiam de bonis propriis testandi obtineat.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Supremus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres. Revmo in Christo patri domino Alexandro tit. sancti Laurentii in Damaso Cardinali de Farnesio, sanctae Romanae ecclesiae Vicecancellerio et Regni nostri protectori, amico charissimo et honorando, salutem plurimam et omnem felicitatem. Reverendissime in Christo pater et domine, amice charissime et honorande, Accepimus lege sancitum esse, ne quisquam ex ordine sacerdotum testari de bonis suis atque heredem eorum instituere audeat, quod nobis dubium non est de iis bonis intelligi, quae ex sacerdociorum fructibus quesita sunt, non autem hereditate obvenerunt, aut labore atque industria parta sunt: nam quae sunt huius generis, de iis, quominus arbitratu suo statuere sacerdoti liceat, credimus eum hac lege nequaquam prohiberi. Cum itaque nos ipsi locupletes testes esse possimus, quod preter patrimonium suum, de quo nobis non satis constat, Ven. Ioannis (sic) Andreae de Valentinis Mutinensis, Cracoviensis, Sandomiriensis, Klepardiensis et Trocensis prepositi, supremi phisici et secretarii nostri, plura multo possideat ingenio suo et labore quesita, quam ex sacerdociorum fructibus corrasa, qui omnes, ut est vir cumprimis splendidus et liberalis, quamvis copiosi sunt, ad necessarios tamen sumptus ei sufficere non videntur: supplicavimus Sanctissimo D. N. ut ei diploma suum det, quo significet hac eum lege non teneri, potestatemque ei faciat, quos visum fuerit, eorum quae moriens reliquerit omnium heredes instituere, aut si de universis bonis haec ei facultas obtineri non possit, saltem ad summam sedecim milia ducatorum concedatur. Quo minore autem id negocio confici posset, dedimus ei literas nostras, quibus testatum omnibus facimus, quantum in tabulis nostris expensarum illi nostro nomine latum sit: fecit hoc ipsum et Serma coniux nostra: porro a Senatoribus et consiliariis regni et magni ducatus nostri Lithuaniae plura etiam, quam ab utroque nostrum, ei obvenisse dubium non est. Quare cum haec ita se res habeat, a Rma Pat. vestra petimus, ut suam et ipsa operam authoritatemque interponat, quo possimus id, de quo S. eius diligenter supplicavimus, impetrare, ita impetrare, ut nullam pro literarum expedicione pecuniam Venerabilis Ioannes Andreas numerare necesse habeat. Qua etiam de re misimus Venerabilem hunc Bonifacium de Valentinis, prepositum Mutinensem, quem et ipsum Sanctissimo D. N. commendavimus: ac S. eius supplicavimus, quandoquidem recte illi munus aliquod eiusmodi mandare posse accepimus, ut aut Firmi aut Fani, aut Ascoli, aut Anconae eum esse praefectum velit. Quod si utramque petitionem hanc nostram Rma Dom. vestra fuerit adiuvare conata, ut rationem illius esse habitam cognoscamus, plurimum sibi nos ea re devinxerit, neque quicquam nobis hoc quidem tempore gratius facere poterit. Quod restat, optamus Rmam Patern. vestram bene et foeliciter valere. Datum Cracoviae secunda Decembris Anno Domini MDLXIIII. Regni nostri Anno XXXVIII.

Sigismundus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXI.

Rex Poloniae eadem a summo pontifice petit.

Sanctmo ac Beatmo in Christo patri et dno, dno Paulo tercio divina providentia SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dno Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendationem, ac oscula pedum beatorum. Cum lege sancitum sit, ne quis per universam Italiam ex iis, qui sacris iniciati sunt, facere testamentum audeat, aut ad haeredes ea transmittere, quae sit ex ecclesiae fructibus consecutus; quoniam Venerabilis Ioannes Andreas de Valentinis, Cracoviensis, Sandomiriensis, Clepardiensis et Trocensis Praepositus, supremus phisicus et secretarius meus, cuius extant in me multa praeclara merita, Mutinae, quae patria eius est, cum alias habet labore suo quesitas facultates non contemnendas, tum amplas aedes ingenti sumptu nuper exedificavit, vereri visus est, si quid factum de se Deus vellet, ne genere proximis haeredibus exclusis, quorum ipse rationibus prospectum cuperet, ad alienum quempiam, quae moriens isthic reliquisset, pervenirent: quare supplicavit mihi, quo ne id fieret, provideri sibi conarer. Ego vero pro egre-

gia mea in illum tum bene de me merentem voluntate legandum e vestigio ad S. V. duxi propinquum hunc eius Venerabilem Bonifacium de Valentinis Praepositum Mutinensem: a Sanctitate V. peto, ut cum illi pro propinquo suo supplicaverit, quo lege hac solutum eum velit, me sibi supplicare existimet ac preces illius meas esse preces iudicet, easque clementer audire dignetur: etenim quod exploratum habeo, illud testari possum, cum domum quam fabricatus est, tum quae reliqua Mutinae possidet Venerabilis Ioannes Andreas, aliunde sibi quesita esse, quam ex iis vectigalibus, quae ex sacerdotiis suis quotannis percepit. Quae ampla quidem esse negari non potest, sed cum sit vir splendidus et liberalis, ac excelso quodam animo praeditus, ad hos etiam sumptus, quos in Regno meo facit, nequaquam ei sufficere videntur: alit enim familiam multam, clerosque etiam nobiles, equos complures, dum Aulae meae splendori ac ornamento ne ipse quidem deesse conatur. Praeterea quibus in locis sacerdotia possidet, in iis quoque non pauca aedificat, dubium ut esse possit nemini, quod ex sacerdotiorum fructibus nihil ei redundet ad augendas quas habet Mutinae facultates: multo enim plura habet labore suo atque industria quaesita, quam quantum ex annuis sacerdotiorum vectigalibus ad eum pervenit: nam praeter ea, quae Sermae coniugis meae, quaeque procerum Regni mei benignitate nactus est, ex meo solius fisco octo milia sexcentos octuaginta aureos, ut in rationibus expensa illi lata esse comperi, percepit, sicut ex aliis meis patentibus literis S. V. cognoscet uberius. Ex quo facile coniecturam facere potest, quod quae habet Mutinae, non ex sacerdotiorum fructibus quaesierit, lege ut ista teneri minime videatur, cum quae cui industria sua parta sunt, de iis libere testari nullo iure impediatur, quandoquidem ut ipse vivit in Regno meo, ne ad sustentandum quidem eum sacerdotia, quae possidet, sufficiant. Quamobrem iterum atque iterum maiorem in modum peto Sanctitatem V. ut hac eum lege solutum velit, potestatemque ei faciat in testamento, quod scripserit, arbitrio suo de iis omnibus, quae Mutinae possidet, statuendi, quo cum ex suis facultatibus tum quae ad sui nominis memoriam propagandam est fabricatus, ex iis propinquus haeres potius quam alienus quispiam consolationis aliquid accipiat, aut si mavult S. V. ad certam aliquam summam hanc ei facultatem concedere, tum ut diploma illi faciat conscribi, quo ad aestimationem sedecim milium ducatorum testamentum ei conducere liceat. Cuius generis literas ad plumbum expeditas si gratis illi nulla per eum pecunia numerata dari iusserit S. V. in me ipsum hac eam liberalitate usum esse interpretabor. Quoniam vero, quem ad S. V. hac de causa mitto, a quamplurimis esse idoneum accepi, cui munus eiusmodi mandari possit, rogo S. V. ut aut Fani, aut Anconae, aut Ascoli, aut Firmi praefectura eum ornare dignetur: rem S. V. fecerit cumprimis mihi gratam, et quae ad augendum studium meum et observantiam erga S. V. multum pertinebit. Quam opto quamdiutissime esse incolumem et felicem, cuius gratiae me et mea dominia iterum commendo. Datum Cracoviae quarta die mensis Decembris Anno Dñi MDXLIIII. Regni vero mei anno XXXVIII.

Eiusdem Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX manu pp. subscripsit.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXII.

Rex Poloniae pontifici, ut cardinalem Farnesium regni sui protectorem constituere velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino, dño Paulo III. etc. Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei, Regni et dominiorum meorum commendacionem, et oscula pedum beatorum. Cum esset mihi renunciatum Reverendissimum dominum Cardinalem Sanctorum Quatuor ex hac vita excessisse, sane quam fui animo perturbato, cum quod amicum mihi hominem amisisse, tum quod Regni mei fideli et diligenti protectore minime opportuno tempore orbatus esse videbar: nunc enim maxime, si unquam antea Regnum meum boni protectoris apud Sedem Apostolicam indigere videtur, quando non solum ab externis hostibus de fortunis deque vita hac, quam finiri tamen aliquando oportet, verum etiam a domesticis de eterna illa vita, quam spe concipimus, in discrimen vocamur; a quibus haud scio, an maius etiam nobis periculum impendeat, quam ab illis, qui se hostes nostros profitentur aperte, qui cum in corpora modo saeviant minus esse metuendi videntur, quam ii, qui animis etiam nostris mortem afferre conantur sempiternam. In hac ergo temporum difficultate, quae post hominum memoriam magis perturbata fuisse videntur nunquam, etiam atque etiam cogitavi, in cuius me Regnumque meum fidem po-

tissimum conferrem, quemque dari mihi a Sanctitate vestra Protectorem in demortui locum supplicarem: et meo et omnium, quos in consilium adhibui, iudicio nemo visus est ad hanc provinciam gerendam magis idoneus quam Nepos Sanctitatis vestrae, Reverendissimus dominus Alexander Cardinalis Farnesius, de cuius multis preclaris virtutibus ita multa predicari accepi, ut earum admiratione adductus tenere me non potuerim, quin ultro scriptis ad eum litteris peterem, ut hoc onus in se suscipere mea causa ne gravaretur. Quod etsi qua esse dicitur humanitate, facturum enim confido: tamen ut in eandem voluntatem V. quoque S. animum illius hortatione sua impellat, atque Protectorem eum Regni mei designet, diligenter supplico. Nihil est quod mihi hoc tempore facere possit gratius: nam neque maiore authoritate habere posse quemquam videor, quam cuius fidei et meas et meorum omnium res fortunasque omnes libentius committam. Quod restat, cupio Sanctitatem vestram quam diutissime esse incolumem et foelicem, cuius gratiae et clementiae me et dominia mea supplex commendo. Datum Cracoviae quarta die Decembris Anno domini MDXLIIII. Regni vero mei et dominiorum Anno XXXVIII.

Eiusdem Sanctitatis vestrae — Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS REX manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXIII.

Regina Poloniae pontifici, ut Ioanni Andreae de Valentinis praeposito Cracoviensi testamentum condendi facultatem concedat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo eius nominis tercio miseratione divina Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei commendationem et oscula pedum beatorum, Venerabilis Ioannes Andreas de Valentinis Cracoviensis, Sandomiriensis, Clepardiensis et Trochensis praepositus, supremus phisicus et Secretarius Serenissimi domini coniugis mei et meus quoque, non de me modo, verum etiam de eo, cuius mihi salus atque incolumitas mea ipsius salute atque incolumitate charior est, Serenissimo dño ac coniuge meo observatissimo praeclare merendi finem nullum facit: quo est uterque nostrum propensior ad rationes illius, quacumque possumus ratione adiuvandas. Cum itaque lege cautum sit per universam Italiam, ut nemo ex iis, qui in sortem Domini vocati sunt, testamentum condere et bonorum suorum heredes instituere possit: quandoquidem quae patria illius est, Mutinae non contemnendas habet facultates, non sine causa vereri visus est, ne quae magno labore suo atque industria sibi quaesita essent, ea cum humanitus ei aliquid accidisset, exclusis genere proximis ad alienos pervenirent: quare utrique nostrum supplicavit, ut preces nostras apud Sanctitatem vestram interponeremus, quo hac eum lege solutum vellet. Quae res adeo cordi fuit sue Maiestati Regiae, domino meo et coniugi observantissimo, ut nuncium etiam suum de ea mitteret ad Sanctitatem vestram, eum qui has reddet, venerabilem Bonifacium de Valentinis prepositum Mutinensem, cui ego quoque dedi negocium, ut meo simul nomine hac ipsa de re Sanctitati vestrae supplicaret. Ita quosdam legem istam interpretari audio, quod de iis tantum bonis testari sacerdotibus in Italia non liceat, quae sunt ex sacerdotiorum fructibus conquisita: si quae vero aliunde parta sunt, ea in legis huius praescriptum non cadere. Nunc ego Venerabili Ioanni Andreae testimonium hoc dare possum, quod multo plura labore suo atque industria quaesita habeat, quam quantum ex suorum sacerdotiorum vectigalibus percepit. Quae etsi ampla sunt et fructuosa, tamen quo est ille animo excelso, liberali et munifico, quicquid ex iis quotannis corradere potuit, nequaquam id ei sufficit ad se pro suo splendore sustentandum: complures enim alit etiam nobiles, equorum una non parvum numerum, dum et ipse requiri in se nihil patitur, quod ad splendorem atque ornamentum aulae Serenissimi coniugis et domini mei pertinere putet. Huc accedit, quod quibus in locis sacerdotia possidet, in iis quoque aedificat multa, plus ut eum expendere quotannis certum sit in haec ipsa, quam quantum ad eum redit ex sacerdotiis. Caeterum et Serenissimi coniugis mei, et mea liberalitate, ac procerum etiam Regni huius, apud quos est valde gratiosus, non mediocri accessione facultates illius auctae sunt: nam praeter ea, quae a Serenissimo coniuge et domino, quae et a Senatoribus et consiliariis Regni numerata ei et donata sunt, in meis tabulis expensa illi lata esse comperi septem milia quingentos aureos. Quare dubium esse nemini debet, quin et sumptus, quos facit in domum, quam fabricatus est Mutinae, et quae ad eas, quae sibi morte parentum obvenerunt, facultates ibidem adiecit, ea non ex sacerdotiorum fructibus, sed arte sua quaesiverit. Quo minore ne-

gocio a Sanctitate vestra impetrare posse confido, ut hanc illi veniam det, quo possit de omnibus, quae Mutinae possidet, testamentum condere, et eorum, quos volet, heredes instituere: quod ut facere dignetur Sanctitati vestrae supplico. Quod si vero ad certam aliquam summam hanc ei concedere mavult potestatem, tum et diplomate suo caveat, rogo, quo ad sedecim milium ducatorum aestimationem ei testamentum facere liceat. Quod diploma si benignitate Sanctitatis vestrae gratis citra ullam pecuniarum munerationem ei concessum fuerit, pergratum mihi futurum est. Sed et illud a Sanctitate vestra peto, quandoquidem eum, qui hac de causa mittitur, quorundam testimonio idoneum esse intellexi, cui munus aliquod eiusmodi mandetur, ut eum aut Fani, aut Anconae, aut Ascoli, aut Firmi praefectura velit ornatum. Quod cum fecerit Sanctitas vestra rem mihi multo gratissimam, ac non me modo, sed et Serenissimum dominum coniugem meum sibi plurimum devinxerit. Quod reliquum est, opto Sanctitatem vestram quam diutissime esse incolumem et faelicem: cuius gratiae me commendo. Datum Cracoviae quarta die mensis Decembris Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis vestrae — Obsequentissima filia
Bona regina etc.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXIV.

Episcopus Plocensis Cardinali Farnesio regem eum protectorem regni constituisse significat.

Rm̃o in Christo Patri et dño, dño Alexandro miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali de Farnesio, S. R. E. Vicecancellario et Regni Poloniae Protectori, dño colendissimo.

Reverendissime in Christo pater et domine, domine colendissime. Commendata humili servitute mea. Facit hoc illustris hominum opinio de virtute Rm̃ae Dominationis Vestrae singulari, nulli ut sint honores tanti, qui non illi deberi putentur. Errat autem Rm̃a Dominatio Vestra, si nominis sui famam iisdem quibus Italiam finibus contineri existimat. Est illud theatrum, in quo spectantur virtutes Rm̃ae Dominationis Vestrae, ita resonans, ad nos ut usque significationes vocesque referantur. Hinc adeo factum est, ut quod munus magno studio semper expetendum alii putaverunt, id ultro Rm̃ae Dominationi Vestrae nec opinanti deferretur, atque ita deferretur, ut plus ad se regnumque suum, quam ad Rm̃am Dominationem Vestram honoris ex eo redundaturum sacra Maiestas Regia existimaret, si talem esset Regni sui Protectorem nacta, quem non modo emolumento, verum etiam singulari ornamento fore sibi regnoque suo persuasum habet. Gratulor itaque munus hoc tam amplum Rm̃ae Dominationi Vestrae, quod tanta sua cum dignitate consecuta est, ac Deum precor, ut ei fauste, faeliciter prospereque eveniat. A Vestra vero Rm̃a Dominatione maiorem in modum peto, ut me, qui et ipse honoris huius Rm̃ae Dominationis Vestrae fautor extiti, in clientum suorum numerum referat, ac si qua in re opem illius atque operam imploravero, suam mihi benignitatem impartiatur: ego vero, quantum gratia possum apud sacram Maiestatem Regiam, semper honori et dignitati Rm̃ae Dominationis Vestrae inserviam, ac omni officiorum meorum genere talem me praestabo, ut quaecunque mihi praestare dignata fuerit Rm̃a Dominatio Vestra, ea etiam apud gratum et memorem collocasse intelligat. Dedi autem negotium servitori isthic meo Thomae Conopinczki, ut Rm̃ae Dominationi Vestrae quibusdam de rebus supplicaret. Quod si in iis, quae petiverit, gratia illi et patrocinium Rm̃ae Dominationis Vestrae non defuerit, gratam illi et memorem voluntatem praestare conabor. Deum precor, ut Rm̃am Dominationem Vestram quam diutissime servet incolumem, et omni felicitatis genere cumulet, cuius me gratie commendo. Datum Cracoviae xiv. Decembris Anno Domini mdxliiii.

Eiusdem Dominationis V. Reverendissimae — humilis servus et Sacellanus
Samuel Ep̃s Plocensis Vicecancellarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXV.

Regina Poloniae card. Farnesio Stanislaum Volski custodem ecclesiae Cracoviensis commendat.

Rm̃o etc. Cardinali Alexandro Farnesio etc.

Bona Dei gratia Regina Polonie, Magnadux Lituanie, Russie, Prussie, Masovie etc. Domina. Rm̃e in Christo pater et domine, amice charissime ac honorande, salutem et omnis boni continuum incrementum. Magnificus Nicolaus Volski Senator et Consiliarius regni nostri, idem Magister curie no-

strae, libcros suos ita instruit, ut usui regno nostro esse possent, e quorum numero filium hunc natu maiorem Stanislaum Volski custodem Ecclesie Cracoviensis et Secretarium regium, postquam iam et patrie instituta et mores huius Aule cognitos habere videatur, ad Urbem istam curiamque Romanam misit, ut in tam ampla et bene culta Curia in moribus se excolat, et usum earum rerum ediscat, que ad functionem Ecclesiasticam pertinent. Quanto maiora sunt patris eius de nobis merita, tanto maiore studio hunc eius filium vestre R̃me Dom. commendamus, rogamusque, ut tum nostra causa, tum virtutis eius gratia benignum respectum in illum habere, gratiaque et favore eum suo prosequi velit: et si qua in re consilio opeque vestre R̃me Dom. uti necesse habuerit, id ei humaniter prebere et in sua protectione habere velit. Rem nobis vehementer gratam faciet vestra R̃ma Dom. quam mutua gratificatione referre curabimus. Cupimusque, ut eadem Dom. vestra R̃ma diu sit salva, incolumis et semper felix. Datum Cracovie die quarta Ianuarii MDXLV.

Eiusdem D. V. tanquam soror

BONA REGINA etc.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXVI.

Rex Poloniae reginae in eius bonis iuspatronatus omnium beneficiorum ecclesiasticorum concedit.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Polonie, supremus Dux Lithwanie, Russie, Prussie, Mazowie etc. dominus et heres. Significamus hisce litteris nostris, quorum interest, universis et singulis presentibus et futuris harum noticiam habituris. Quia nos habentes benignam rationem meritorum et debiti erga nos coniugalis amoris Serenissime principis domine Bone eadem gratia Regine Polonie, magni ducis Lithwanie, Russie, Prussie, Mazowie, Bari etc. domine, coniugis nostre charissime, volentesque, ut pleniore dominio sua Maiestas uteretur in omnibus bonis et tenutis suis, tam que reformacionis dotis et vitalitatis nomine, quam illis, que in summis aliquibus pecuniariis obligatorio donatoriove modo a quibuscunque personis cuiuscunque status et conditionis in scriptis habet, aut alio quocunque tandem iuris titulo acquisivit, in regno nostro Polonie omnibusque dominiis et ducatibus ad regnum nostrum coniunctim vel divisim pertinentibus tenet et possidet, ac que in posterum quovismodo contractus permutacionis, locacionis, ordinacionis condicionisve pacto et voluntate possidebit, ex certa scientia, consensu et liberalitate nostris regiis dedimus, donavimus et concessimus ad tempora extrema vite ipsius Serenissime Maiestatis Iuspatronatus presentandi plenarium nostrum ad omnia et singula ecclesiastica beneficia, quocunque censeantur nomine et titulo, que his pro expressis habere volumus, ad collationem et conferentiam nostram regiam pertinentia, in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus hospitalibusve et illarum capellaniis, aut aliis quibuscunque suis nominibus et titulis appellatis, et in bonis Sue Maiestatis possessionis suprascriptis consistentibus, sive illa per cessum vel decessum, resignacionem, permutacionem, surrogacionem, substitucionem et alium quemvis casum, modum vel contractum, qui industria humana excogitari possent, vacaverint, damusque, donamus et conferimus Sue Maiestati ad extrema vite ipsius tempora harum serie litterarum: ita ut liceat Sue Maiestati tanquam vere patrone et collatrici legittime ad ea omnia et singula ecclesiastica beneficia in bonis suis prefato modo possessis et verisimiliter possidendis per eosdem vacacionis modos suprascriptos vel alios, si qui forte ingenio humano excogitari possint, vacatura, aut si iam in presens de iure vel de facto vacent, personam vel personas idoneas statuique ecclesiastico aptas presentare, promittentes pro nobis et successoribus nostris, ac pro illorum ratihabicione presentibus caventes, hanc iurispatronatus nostri donacionem, sicut prefertur, a nobis factam, datam in omnibus suis punctis, clausulis, tenoribus et continentiis universis, annexis et connexis et inde sequentibus effectibus nulla ex parte labefacturos et impedituros, sed firmiter servaturos, nullis remediis iuris et facti mediantibus, et premissa omnia, quominus ad effectum suum pervenirent, invalidantibus quibuscumque abrenunciamus, et ab aliis personis aliquod ius et interesse quesitum ad ea etiam se habere pretendentibus cavemus: quare vobis Reverendissimis et Reverendis in Christo patribus dñis Archiepiscopis et Episcopis locorum illorum ordinariis dioecesumque suarum diocesanis modernis et pro tempore existentibus, vel eorum in spiritualibus vicariis generalibus, ac ceteris ad hoc potestatem habentibus hanc nostram iurispatronatus et presentandi donacionem et concessionem denunciamus, atque ad eorundem noticiam deducimus, hortantes, quatenus dum et postquam Serenissima Regina domina Bona coniux nostra charissima prefata in casu et casibus vaca-

cionis suprascriptis ad beneficia huiusmodi ecclesiastica vacatura, que in omnibus bonis et tenutis Sue Serenitatis superius specificatis ubilibet consistant, ad nostramque collacionem Regiam pertinere dinoscuntur, personam vel personas idoneas et statui ecclesiastico aptas vigore presentis donacionis, iurispatronatus et collationis nostre presentaverit, eandem vel easdem personas ad dicta beneficia instituatis et investiatis, curam animarum, administrationem spiritualium regimenque temporalium sibi in eisdem ex officio suo pastorali committentes, non expectatis a nobis et successoribus nostris aliis litteris, neque obstantibus quibuscumque donacionibus, concessionibus, expectativis et ceteris quibuscunque prerogativis nostris ad eadem beneficia ecclesiastica vel illorum aliquot, cuicunque antea a nobis concessis vel forte concedendis, obtentis vel obtinendis, quibus presentium tenore derogamus, easque cassamus, annihilamus et irritas prorsus esse volumus, et Sue Sacre Maiestatis in hac parte litteras et earum vigore ipsos presentandos ceteris omnibus anteferimus et anteferri volumus, nec etiam attentis alicuius rei et negocii in premissis et illorum occasione quacunque specialitate, que merito alium consensum nostrum requirere videretur, quam presentibus sit expressum, ad omnium et singulorum premissorum debitum effectum sorciendum, damus et prestamus, nil prorsus in suspenso relinquentes, harum serie litterarum, quibus sigillum nostrum in testimonium evidens appendi fecimus, easque manu nostra propria subscripsimus. Datum Cracovie feria tercia post dominicam Iudica anno dñi MDXLV. Regni vero nostri XXXIX.

SIGISMUNDUS REX subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXVII.

Rex et regina Poloniae card. Farnesio Iosephum Iasienski archidiaconum Vilnensem commendant.

Rm̃o in Christo patri dño Alexandro miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Card. Farnesio etc.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russie, Prussie, Masoviae etc. Dominus et haeres, Rm̃o in Christo patri dño Alexandro miseratione divina tituli sancti Laurentii in Damaso Cardinali Farnesio, sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, et Regni nostri Protectori, amico charm̃o ac honorando, salutem et felicitatem. Rm̃e in Christo pater et domine, amice charm̃e ac honorande, Rev. Dñus Paulus Ep̃us Vilnensis resignavit Praeposituram suam Scarbimiriensem, quam ex nostra collatione obtinebat, Ven. Iosepho Iasienski Archidiacono suo Vilnensi, servitori suo bene de se ac de nobis merito; sed reservavit tamen sibi regressum ad eamdem Praeposituram: quod negocium quia scientibus atque consentientibus nobis factum est, idcirco commendamus illud vestrae Rm̃ae D. et rogamus illam, operam suam interponat, ut is ipse Archidiaconus in ea Praepositura, per novam provisionem, si necessaria fuerit, ita firmetur, ut tuto ac secure illam obtinere queat, utque regressus pro ipso Rev. domino Ep̃o Vilnensi signetur et expediatur, ad quem et nos consensimus, et Iosephus Archidiaconus consensit etiam, et praesens isthic consensiet. Et ut regressus ipse istiusmodi clausulis verborum obfirmetur, videlicet quod si dictus Iosephus Praeposituram hanc Scarbimiriensem obtinere vel nollet vel non posset, aut si illam resignaret aut dimitteret, aut si eadem Praepositura per obitum illius aut alio quovis modo vacaret, ipse dom. Ep̃us Vilnensis salvum plenumque ius pristinum, quod antea habebat, liberumque regressum ad eamdem Praeposituram habeat, et possessionem illius recipiat, ac ut illam simul cum Episcopatu suo reservatam habeat, sicuti ante hanc resignationem habebat. Commendamus etiam specialiter vestrae Rm̃ae Dominationi Archidiaconum ipsum, postulamus, ut illum ad se benigne accipiat, et in negociis eius operam, consilium et patrocinium suum praebere velit: rem nobis gratam factura, quam illi gratificatione nostra mutua referre curabimus. Et valere illam felicissime ex animo optamus. Cracovie die XII. Augusti MDXLV. Regni vero nostri XXXIX.

Ex mandato S. Maiestatis Regie

THOMAS DE SOBOTHA R. P. Cancellarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXVIII.

Regina Poloniae cardinali Farnesio eumdem Iosephum Iasienski commendat.

Rm̃o in Christo patri dño Alexandro miseratione divina etc. Cardinali Farnesio etc.

BONA Dei gratia Regina Polonie, Magnadux Lithuanie, Russie, Prussie, Masovie etc. Domina. Rm̃e in Christo pater et domine, amice charissime et honorande, salutem et omnis boni perpetuum in-

crementum. Commendat sacra Regia Maiestas Polonie, coniux ac dñus noster honorandissimus, Dominationi Vestre Rñe negocium Venerabilis Iosephi Iasienski Archidiaconi Vilnensis, cui Reverendus Dñus Paulus Epus Vilnensis propter pleraque illius in se merita Prepositurum Scarbimiriensem, Regia Maiestate consentiente, resignavit, reservato sibi ad eam regressu, quemadmodum id Vestra Rñia Dom. ex litteris Maiestatis sue plene cognoscet. Et quia idem Iosephus est etiam bene de nobis meritus, et unus ex hiis, qui libenter inserviunt nobis, idcirco merito suo illum etiam R. D. Vestre commendatum esse voluimus, et rogamus illam, ut in negociis eius bonum consilium illi prebere, et gratiosus patronus esse velit, ut rebus suis isthic ex sententia confectis cito domum revertatur. Rem nobis vehementer gratam faciet, quam illi officiis mutue benevolentie referre curabimus. Bene et feliciter valeat Vestra Rñia Dom. et nos mutua benevolentia prosequatur. Cracovie die XIV. Augusti Anno dñi MDXLV.

Eiusdem D. V. tanquam soror
BONA REGINA etc.
Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXIX.

Rex Poloniae pontifici, ut Ioannem Bylinszki nominatum episcopum Plocensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo III. etc.
Summo Pontifici, domino clementissimo.

Beatissime pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum, meique, Regni et dominiorum meorum in graciam Sanctitatis vestrae commendacionem. Venerabilis Ioannes Bylinszki Canonicus Plocensis bonam aetatis suae partem cum in Comitatu meo traduxerit, tum in legacionibus et aliis in rebus eius opera multum usus sum: est enim vir solers atque industrius, cui neque rerum usus, neque doctrina deest. Quamobrem et virtutis eius et meritorum habita racione, cum in eius locum, qui proxime ex hac vita excessit, Reverendissimi dñi Petri Archiepiscopi Gnesnensis et Episcopi Cracoviensis Reverendum dominum Samuelem Plocensem Episcopum Cracoviensem nominassem, ipsum Plocensem in huius locum designavi. Quem cum persuasum habeam Ecclesiae illi non parvo usui fore, Sanctitati vestrae supplico, ut eum Plocensem Episcopum confirmare dignetur, et Ecclesiae illius racionibus bene consultura et mihi cum primis gratum factura. Commendo me in graciam Sanctitatis Vestrae, Quam ut Deus servet diu incolumem, precor. Datum Cracoviae die undecima Novembris Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Regni mei trigesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis vestrae
Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.
Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXX.

Rex Poloniae cardinali Farnesio, efficiat apud pontificem, ut Sigismundo Sobek canonicatus et praebenda, quos Stanislaus Hosius obtinebat, conferantur.

Rño in Christo Patri dño Alexandro de Farnesio miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono S. R. Ecclesiae Viceecancellario et Regni nostri Protectori.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Supremus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Revño in Christo patri dño Alexandro de Farnesio, miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali, S. R. Ecclesiae Vicecancellario, et Regni nostri Protectori, amico nostro charissimo ac honorando, Salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum. Revñe in Christo pater, domine amice noster charissime ac honorande, Anni iam aliquot intercesserunt, cum Venerabilis Stanislaus Hosius, Iuris utriusque Doctor, Cracoviensis, Varmiensis et Sandomiriensis Canonicus, Secretarius noster, Canonicatu suo et prebenda (sic) fundi Rzemienczicza Iuris patronatus nostri cessit Ven. Sigismundo Sobek ex causa permutationis, reservato sibi ad eundem Canonicatum regressu, ad quem nos tanquam unicus Patronus facile consensimus. A Rñia Paternitate Vestra petimus, cum Stanislaus hic Hosius gratus nobis et probatus servitor sit, cuius opera multum utimur, ut etiam Sanctissimi Domini nostri consensum isthic ei impetrare dignetur, ita ut litteras expedire necesse non habeat, sed signatura tantum hoc quidem tempore sufficere ei queat. Rem fecerit nobis valde gratam. De rebus autem ad Ecclesiam Culmensem pertinentibus referet nonnulla Rñiae D. Vestrae nostro no-

mine Ven. Caspar Hannovius Canonicus Varmiensis, cui ut fidem habeat et ei se facilem et benignum praestet, rogamus. Valeat foeliciter Vestra Revm̃a Paternitas. Datum Cracoviae xxiii. Decembris Anno Domini mdxxxxv. Regni nostri Anno xxxix.

Ex commissione Maiest. Reg. propria
Samuel Ep̃s Plocensis, Electus Cracov. ac Vicecancell.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXI.

Rex Poloniae card. Farnesio negotium poenitentiarii regni in Romana curia constituto commendat.

Rm̃o in Christo Patri Domino Alexandro de Farnesio etc.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Supremus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres, Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesio miseratione Divina tituli sancti Laurencii in Damaso Diacono Cardinali, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri Protectori, amico nostro charissimo ac honorando, Salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, domine amice noster charissime ac honorande, Venerunt ad nos honesti viri aliquot, qui se anno proximo superiori misisse certam pecuniam dicerent, aureos plus minus centum, pro quarumdam causarum expeditione Venerabili Stanislao Rzeczicza Regni nostri Poenitenciario, quam pecuniam a se missam morte Stanislai fisco esse vendicatam querebantur. Quoniam vero ipsa Rm̃a Dom. Vestra facile perspicit, quod in eiusmodi pecuniam nihil sibi Iuris fiscus potuit vendicare, quae defuncti non fuerit, petimus ab illa, ut authoritatem suam interponat, quo centum isti aurei aut residuum eorum numerentur Venerabili Ioanni Dabniczki, quod quae conficienda erant per mortuum Stanislaum, ea ut expediret, hic ei commissum est. Rem et aequam fecerit et nobis vehementer gratam. Valeat foelicissime Rm̃a D. Vestra. Datum Cracoviae die xxi. Februarii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Sexto, Regni nostri xl.

Ex commissione Maiest. Reg. propria
Samuel Ep̃s Plocensis, Electus Cracov. et Vicecancell.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXII.

Rex Poloniae pontifici, ut archidiaconum Vilnensem contra molestias cuiusdam canonici eiusdem cathedralis protegat.

Sanctissimo ac Beatissimo patri et dño, dño Paulo III. etc. Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei dominiorumque meorum commendationem, et oscula pedum beatorum. Mathias Dobranczki canonicus gratialis Vilnensis, ex Iudeo Christianus factus, quum in servicio Reverendi dñi Pauli Episcopi Vilnensis ad fortunam aliquanto uberiorem devenisset, Romam praeterita aestate veniens comitem itineris sui summumque amicum Venerabilem Iozephum Iassienski Archidiaconum Vilnensem, cuius equo et impendio istuc vectus, magnamque eius in se liberalitatem per multos annos expertus est, quadam dementia actus, omnium beneficiorum Reverendi domini Episcopi patroni sui, officiorumque eiusdem Archidiaconi prorsus immemor omnia sacerdotia eius impetravit, variisque calumniis et difficultatibus sumptibusque affecit. Quod facinus vel eo nomine est mihi molestius graviusque, quod haec sacerdotia mei sint Iurispatronatus, quae homo levis temere nititur eripere in vilipendium authoritatis meae, iuriumque meorum detrimentum, et Iozephus Iassienski de Serenissimis Principibus dominis parentibus meis observandissimis meque, ac de ecclesiis, quibus praeest, ita meritus est, ut eum iusticia suadente nequaquam deserere, iuribusque meis deesse mihi liceat. Tametsi vero iuxta constitutiones dominiorum meorum in ipsum turbatorem iurisque mei invasorem animadvertere possem, malui tamen haec prius Sanctitati Vestrae deferre et illum admonitione quam poena aggredi. Supplico Sanctitati Vestrae, prohibeat huic turbulento homini, ne Archidiaconum Vilnensem sacerdotiorum meorum a multo tempore pacificum possessorem litibus molestet: iubeat etiam Sanctitas Vestra, ut iurisdictioni et causae renunciet, denique ut ad sacerdotia sua curata, quae inter errores et scandala Schismaticorum reliquit, sine mora redeat: quod si secus fecerit, poenam irremissibilem proscriptionis sacerdotiorumque privationis et bonorum suorum publicationis incurret: factura Sanctitas Vestra rem mihi vehementer gratam, et ecclesiis sacerdotiisque Archidiaconi pernecececessariam, quae enim per praedecessores eius partim erant destructa,

partim neglecta vel amissa, ea omnia industria, opera, diligentia sumptuque suo recuperavit, et in bonum ordinem reduxit. Merebor hanc gratiam omnibus officiis devotioneque mea Sanctitati vestrae, Cui vitam longam et foelices successus ex animo praecor, eiusque gratiae me, et dominia mea iterum unice commendo. Datum Vilnae die vigesima nona Mensis Marcii, Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

(Obsequentissimus filius)

Sigismundus Augustus Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXIII.

Rex Poloniae pontifici grates reddit de suo oratore perhumaniter excepto, promittit legatos suos quam primum ad concilium oecumenicum Tridenti iam inchoatum mittere, petitque, ut Achilles Maffei advocatus regni Poloniae designetur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo divina providentia Papae tercio SS. Rom. ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum, meique Regni et dominiorum meorum commendacionem. Reversus ad me nunctius meus, quem ad Sanctitatem vestram legaveram, reddidit mihi Sanctitatis vestrae litteras, quibus minime vulgarem animi sui propensionem erga me et Serm̃um filium meum, ac Regna et diciones utriusque nostrorum declarat, atque ea nobis omnia prolixe defert, quae a benevolentissimo patre obsequentes filii sperare possint et expectare. Simul eciam narravit mihi se acceptum isthic esse perhumaniter, atque ita dimissum, ut quibus de rebus a me missus fuit, eae sint ex animi mei sentencia confectae: nam et nominaciones et subrogaciones Episcoporum per me factas ratas habere atque authoritate sua apostolica confirmare, et caetera, de quibus ei fuit per me supplicatum, concedere liberaliter est dignata. Quibus nominibus ego Sanctitati vestrae ingentes gracias, multumque illi me debere profiteor: enitar omni studio, ut me gratum prestem et memorem, quamque de constanti mea fide et observantia erga se sanctamque Sedem Apostolicam istam Sanctitas vestra opinionem concepit, eam ut non modo aequasse, verum eciam superasse videar, modis omnibus contendam. Hortatus una est me nuncius iste meus nomine Sanctitatis vestrae, ut cum ipsi mihi per affectam et aetatem meam et valetudinem venire non liceat, saltem Legatos designem, qui ad Concilium proficiscantur, quod est Tridenti in Spiritu Sancto congregatum. Neque vero dubito, quin teneat memoria Sanctitas vestra, quanta contencione saepe actum per me sit, et Sanctitati vestrae supplicatum, ut Concilium hoc citra ullam prorogacionem ulteriorem primo quoque tempore congregandum curaret: nam si cuius alterius, mea quoque et Regni dicionumque mearum plurimum interest, ut religionis hoc dissidium tandem aliquando tollatur; serpit enim in dies malum hoc longius, ut ei obviam venire sit perdifficile. Quamobrem quod mihi Sanctitas vestra mandare dignatur, id summa animi mei alacritate faciam: nisi quod ea me res nonnihil est retardata, quod qui propiores ei loco sunt, ubi Concilium habetur, eos neque ipsos venisse neque Legatos adhuc suos misisse audio, quin et dubitari de iis, qui concilio huic congregando causam praecipue dedisse videntur, num sint ad concilium profecturi. Quae tamen res nihil movet animum meum: simul ut alios catholicos Principes Legatos ad Concilium suum misisse cognovero, non committam, ut in me mora sit ulla. Quae ad catholicam fidem a maioribus nostris per manus nobis traditam integram et inviolatam conservandam, quae ad tuendam sanctae Sedis Apostolicae dignitatem pertinebunt, ea mihi curae futura sunt maxime: nam in Ecclesia, et pro Ecclesia, si usus sit, mori mihi prorsus est deliberatum. Ecclesiam autem aliam non agnosco quam cui praeest Sanctitas vestra, quam indubitatum esse Christi Vicarium et legittimum Petri successorem profiteor. Caeterum supplicat iam pridem Sanctitati vestrae Reverendus in Christo Pater dominus Samuel Episcopus Cracoviensis et Regni mei Procancellarius, ut habere possit facultatem in mensibus Sanctitatis vestrae vacancia sacerdocia conferendi: quam ut ei concedere ne gravetur, et ipse Sanctitati vestrae supplico. Nam cum vir bonus et prudens atque acri iudicio sit praeditus, fieri non potest, quin sui similes viros bonos et prudentes atque excellenti doctrina praeditos, in quos prae caeteris singulari quadam suae voluntatis inclinacione propendet, augendos et ornandos sacerdociis procuret. Quamobrem non ipsi modo Sanctitas vestra rem gratam fecerit, sed et Ecclesiae totique dioecesi huic preclare consuluerit, ac me quoque sibi beneficio hoc suo devinxerit. Est et aliud, quod petam a Sanctitate

vestra. Datus ab illa est Regno meo protector Reverendissimus dominus Alexander de Farnesio sancti Laurencii in Damaso Cardinalis, Nepos Sanctitatis vestrae, quem ob eximias, quibus preditus est, virtutes, et quod eum singulari in me studio esse cognovi, amo plurimum, et ex eo Protectore mihi dato maiorem in dies voluptatem capio: quoniam vero advocatus mihi deest, et est mihi probitas, doctrina et propensa quaedam in homines meos voluntas Venerabilis Bernardini Maphei, qui est a secretis Sanctitatis vestrae, plurimum commendata, quandoquidem eo Advocato uti non licet propter alias graviores curas, quibus est implicitus, visum est, ut fratrem illius dari mihi Advocatum peterem Venerabilem Achillem Mapheum, Advocatum Consistorialem et Canonicum sancti Ioannis Lateranensis, quod eum non esse fratris dissimilem persuasum habeam: hunc itaque ut Regni mei Advocatum designet, Sanctitati vestrae supplico. Penitenciarium autem constituere dignetur honorabilem Simonem a Calissz: is enim mihi tanquam ad id munus prae caeteris idoneus commendatur. Commendo me in gratiam Sanctitatis vestrae, Quam ut Deus servet diu incolumem, precor. Datum Cracoviae XVI. Maii Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Regni et dominiorum meorum XL.

Obsequens filius Sanctitatis vestrae

SIGISMUNDUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXIV.

Poloniae rex pontifici, ut Andream Noszkomiszki nominatum episcopum Plocensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo divina providentia Papae tertio SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei Regnique et dominiorum meorum commendacionem et oscula pedum beatorum. Excessit e vita ante menses aliquot reverendus pater Ioannes Bielinszki quinquagesimo die post, ut arbitror, quam confirmationem a Sanctitate vestra et possessionem episcopatus Plocensis adeptus est, in cuius locum deliberanti mihi, quem potissimum Sanctitati vestrae nominarem, satis probatus et idoneus visus est venerabilis Andreas Noszkomiszki canonicus Plocensis, de quo supplico, ut meum hoc iudicium et nominationem ratam habere, authoritateque sua approbare Sanctitas vestra dignetur, neque pati, ut ab eo quicquam annate nomine preter litterarum sumptum exigatur, eumque tollerabilem, quando quidem moris antiqui et iuris usitati sit, si quis anno in episcopatu non exacto decesserit, eum qui postea illi sufficeret, annatam non solvere. Id queso, Sanctitas vestra ut providere dignetur: nam alioquin magnus hic rursus secularium fremitus erga Sedem istam concitaretur, quem quidem pro mea in istam Sedem observancia sedare et compescere hactenus solitus sum semper. Quoniam vero per affectam valetudinem meam subscribere hisce ipse non potui, dedi negocium Serenissimae domine Bonae Reginae coniugi meae charissimae, ut suis ipsa litteris de voluntate mea Sanctitatem vestram redderet certiorem. Commendo me iterum atque iterum Sanctitati vestrae, Deumque praecor, ut eam Sedi isti diutissime praeesse faciat incolumen. Cracovia XXIIII. Augusti Anno Domini MDXLVI. Regni mei XL.

Ex commissione Maiestatis Regiae propria

SAMUEL Eṗs Cracoviensis et R. P. Vicecancellarius.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXV.

Regina Poloniae cardinali Farnesio, ut episcopus Plocensis ab solvendis annatis in Romana curia eximatur.

Rm̃o in Christo patri dño Alexandro miseratione divina tituli sancti Laurentii in Damaso Cardinali, S. Romane Ecclesie Vicecancellario, Regni nostri Protectori, amico charm̃o ac honorando, in absencia Rm̃o dño Cardinali Sfodcrato Viceprotectori.

BONA Dei gratia Regina Polonie, Magnadux Lituanie, Russie, Prussie, Masovie etc. Domina. Revm̃e in Christo pater et domine, amice charm̃e ac honorande, salutem et omnis boni incrementum. Audimus, quod isthic Rome Rev. domino Andree Episcopo moderno Plocensi in expeditione episcopatus sui non leves difficultates ingeruntur, et ut Serm̃us Rex filius noster amatissimus ex annatis sibi concessam pecuniam accepisset, fides isthic ei non datur, et ob eam causam expedicio episcopatus Plocensis magis difertur atque indifficultatur, magnaque pecunia annate nomine ab eo exigitur. Ut igitur

idem dominus Episcopus fidem faciat ea de re, mittit istuc Serm̃i Regis iuvenis filii nostri recognitionem propria manu Sue Mai. subscriptam, et recognitione virorum bonorum per iuramentum comprobatam, a parte testificantem, quod Serm̃us ipse filius noster Rex pecuniam huiusmodi ex annatis sibi donatam accepit. Eam recognitionem nos etiam vidimus cum multis consiliariis et non modo manum Sue Maiestatis, sed et manum scribe agnovimus, quarum utrumque pros . . . imus et idcirco de rei veritate fidem indubiam litteris hisce nostris facimus, rogamusque Reverendissimam Dominationem vestram, ut et ipsa credat, ... in eam fidem adducat efficiatque, ut ipse dominus Episcopus Plocensis solutione annate non gravetur, ac ut cito expedicionem suam habere valeat. Erit ea res ambabus Regiis Maiestatibus et nobis plurimum grata. Operam hanc Dominationis vestre Reverendissime curabimus illi mutua gratificatione nostra referre, cuius amori ac benevolencie nos commendamus, et valere illam felicissime desyderamus. Cracovie die XXII. Decembris anno Domini MDXLVI.

Eiusdem D. V. tamquam soror
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXVI.

Regina Poloniae card. Farnesio Andream Schpoth de Crayow abbatem Claraetumbae commendat.

Rm̃o in Christo Patri et Illm̃o dño Alexandro Diacono Cardinali de Farnesio, S. R. C. Vicecancellario et Regni nostri Poloniae protectori, amico nostro charissimo et honorando.

Rm̃e et Illm̃e domine, amice charissime. Essendo il Rev. Padre Andrea Schpoth de Crayow Abbate in Vanchoczko eletto in Abbate de Claratumba in Mogilla, desideramo che possa tener la prima abbatia, cio è quella de Vanchoczko, con quella de Claratumba in Mogilla, attento ch' egli è gran difensor della Sede Apostolica contra Lutherani, dove egli infin ad hora è stato grandissimo difensore, et dubitamo che venendo tal Abbatia de Vanchoczko ad altro governo, non venessero quelli sottoposti in qualche errore, et così serpendo si facesse qualche gran male. Per tanto V. S. Rm̃a supplicarà soa Santità per parte nostra, voglia unir queste due Abbatie Vanchoczko et Claratumba in Mogilla alla vita del Padre Andrea Schpoth de Crayow, accioche possa continuare lo suo bono regimento ad honor de Dio et conservatione dell' autorità della santa Sede Apost. et di tale unione ne sentiremo da sua Santità non volgare gratia, et a V. S. Rm̃a se offerimo per gratificarla. Da Cracovia il 18. di Genn. del 47.

De V. S. come sorella
BONA REGINA etc.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXVII.

Regina Poloniae card. Farnesio per Bernardinum Maffei causam Bartholomaei Gontcoski archidiaconi Cracoviensis commendat.

Rev.' D. Bernardino Maffei secretario Illm̃i Card. de Farnesio sincere nostro dilecto.

Reverende vir, sincere noster dilecte. Li mesi passati essendo stato citato il Reverendo Bartolomeo Gontcoski Archidiacono di Cracovia, che dovesse personalmente comparere in questa Romana Corte per la causa che voi sapete, et ne sete o potrete essere informato da Ludovico Herman suo procuratore, scrissemo al Reverendissimo Cardinal vostro Padrone in comendatione di detto Archidiacono, con fargli fede qualmente il suddetto si per essere malsano, et patire massimamente di rottura, per il che non potrebbe in cosi lungo viaggio cavalcare senza pericolo di sua vita, come per essere Secretario del Serenissimo Re nostro Consorte Colendissimo, et ancho nostro, sarebbe impossibile poter comparere personalmente, come è stato citato, pregando percio Sua Signoria Reverendissima, che stanti detti giusti impedimenti fosse stato contenta oprarsi che detto Archidiacono fosse stato ammesso a comparere per procuratore, et non personalmente, overo che la causa fusse commessa in queste parti: sopra del che non havendomi Sua Signoria Reverendissima in sin qui fatto risposta veruna, impedita forse in maggiori occupationi, et per l' assenza sua di Roma, l'havemo per esscusata; ma intendendo che il Reverendissimo Cardinal Sfodrato a cui la causa è commessa, si per il continuo riclamare del avversario, come ancho per certe false depositioni di alcuni malivoli et emoli di esso Archidiacono, quali depongono il sodetto Archidiacono non essere hernioso, nè tampoco secretario de le predette Maesta, pretende omninamente farlo comparere personalmente, non volendo ammettere atto alcuno di detto suo Procuratore.

Et perche tutto quello che ha detto vostro Reverendissimo havemo con le passate nostre scritto et testificato, et che di nuovo anche al presente scrivemo et testificamo di detto Archidiacono, è la pura et mera verita, et in questo et in ogni altro maggior caso si po et deve havere et prestare piu piena fede alle lettere et parola nostra, che alle sinistre informazioni et depositioni di detti maligni: resteremo pero da voi servita, che ricevuta questa senza punto indugiare vogliate essere con detto Reverendissimo Patron vostro, et pregare Sua Signoria Reverendissima di nostra parte, che con effetto facci con detto Reverendissimo Sfrodato Commissario, o con chi altro a Sua Reverendissima Signoria parera, che esso Archidiacono senza comparere personalmente sia inteso a sue ragioni, et ammesso a sue defensioni per legitimo Procuratore stanti detti giusti impedimenti, overo che la causa si commetta a persona non suspetta in queste parti, che oltre non si mancara ministrarsi compimento di giustitia, ne si fara piacere gratissimo, del che ne tenerete al spesso ricordato et sollecitato detto Reverendissimo con avisarne di quanto circa cio sera esseguito.

Al ritorno [fe qui] di Roma Lorenzo Warmentoski Polono noi fe intendere il Reverendo Achille vostro fratello desiderare servirci per agente in essa Romana Corte, del che desiderando noi saperne la verita, et il voler vostro, col mezzo di nostri agenti in Vinetia vi ne scrissemo; ma in sin qui non n'habbiamo havuto altramente risposta, essendo a voi caro che detto vostro fratello abbrazzi tal nostro servizio, et concorrendovi la sua volonta ne lo notificarete con la prima commodita vi occorrira, attalche contentandovi possiamo cominciare a servirci di lui, et commettergli delle cose occorrenti, et quando no, ne possiamo provedere di altro. Di Cracovia il dì ultimo di Marzo del XLVII.

BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXVIII.

Rex Poloniae card. Farnesio Albertum Starozrzepski canonicum Gnesnensem commendat

Rm̃o in Christo patri et dño Alexandro miseracione divina tituli S. Laurentii in Damaso Cardinali de Farnesio, S. Rom. Eccl. Vicecancellario et Regni nostri Protectori, Amico nostro charissimo et honorando.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, supremus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Dominus et haeres. Reverendissimo in Christo patri et domino Alexandro miseracione divina tit. Sancti Laurencii in Damaso Cardinali de Farnesio, Sanctae Rom. Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri protectori, amico charissimo et honorando, salutem plurimam et omne bonum. Revm̃e in Christo pater, amice charissime et honorande, Proficiscitur isthuc Venerabilis Albertus Starozrzepski Gnesnensis et Plocensis Canonicus, Secretarius noster, ut certa quaedam negocia sua conficiat, eum Rm̃ae Paternitati vestrae commendamus, atque ut ei favorem suum et gratiam impertiat, quo rebus celeriter ex sentencia confectis ad nos mature redeat, magnopere postulamus. Rem nobis valde gratam factura. Rm̃am Paternitatem vestram diu sanam atque foelicem valere ex animo optamus. Dat. Cracoviae XVIII. mensis Aprilis Anno domini MDXLVII. Regni vero nostri XLI.

Ex Commissione Maiest. Reg. propria

SAMUEL Ep̃s Cracov. ac R. P. Cancellarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXIX.

Regina Poloniae cardinali Farnesio Stanislaum Vaposki commendat.

Rm̃o in Christo patri ac Illm̃o dño Alexandro Diacono Cardinali Farnesio, S. R. Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri Protectori, Amico charissimo et honorando.

Rm̃e ac Illm̃e domine, Amice noster charissime et honorande. Desiderando il presente gentilhuomo Stanislao Vaposki cortigiano del Serenissimo nostro Consorte et Signor Colendissimo servire a Vostra Signoria Reverendissima, havemo voluto accompagnarlo con questa nostra, col mezzo de la quale la pregamo che a causa nostra resti contenta accettarlo et mirarlo di quel buon' occhio et favore che in lei confidiamo, et sia ancho contenta quando l' Illm̃o Signor suo fratello si conferisse alla Corte Çesarea darlo alli servigi di quello, perche desidera veder quella Corte, che oltre la rendemo certa chel prefato fara honore a V. S. el prefato signor suo fratello ne restara ben servito, a noi fara signalato

piacere. Nè altro occorrendone, la Divina Maesta conservi sua persona come piu felicemente desidera. Da Petrochovia il dì IV di Agosto del XLVII.

De V. S. como sorella
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXX.

Archiepiscopus Gnesnensis card. Farnesium exorat, ut episcopos Poloniae apud pontificem de non mittendo nuntios ad concilium oecumenicum Tridento Bononiam translatum excusare velit.

Rm̃o ac Illm̃o in Christo patri et dño, dño Alexandro Cardinali Farnesio etc.

Rm̃e et Illm̃e in Christo pater ac dñe, dñe et patrone Colendissime. Observantiam et servitutem meam sedulam Rm̃ae et Illm̃ae D. V. reverenter imprimis defero. Ex litteris Rm̃ae et Illm̃ae D. V. vigesima octava Martii datis intellexi, Sm̃um D. N. de non missis ad Concilium Oecumenicum hinc nuntiis meam accepisse excusationem, quod mihi fuit vehementer gratum, neque solum eius Sanctitatis clementiae, verum etiam V. Rm̃ae et Illm̃ae D. benignitati, qua negotium hoc adeo promovit, id retuli acceptum. Nihil autem pro mea in Sanctam istam Sedem perpetua fide atque observantia iam pridem magis in votis habebam, quam ut de hoc Concilii negotio et Sm̃i D. N. de nobis expectationi, et nostro etiam offitio Reipublicae Ecclesiasticae debito a nobis responderetur. Qua quidem potissimum de causa convocata est nuper a me Provincialis Synodus, in qua communi omnium sententia designati sunt, qui ad Concilium istud proficiscerentur: verum et nostra studia et nuntiorum, qui propediem arrepturi erant iter, praepedivit allatum interea nuntium de Concilio Tridento Bononiam translato. Quo cum nemo Transalpinorum Episcoporum proficisci voluerit, dubitandum est a nostris, an caeteros illuc antevertere, an ab instituto itinere supersedere deberent: visum est tandem omnibus in dicta Synodo congregatis, ego ad Sm̃um D. N. litteras ut darem, quibus morae huius nostrae causas, tum quod in his terris esset multorum de hoc Concilio iuditium, quinne Religionis atque rerum nostrarum esset hic status, Sanctitati suae perscriberem. Quamobrem V. Rm̃am et Illm̃am D. maiorem in modum rogo, ut easdem litteras meas, vel pocius communem huius provinciae meae cleri vocem eius Sanctitati offerre, partesque nostras sicuti adhuc summa cum laude fecit, benigniter tueri dignetur: potissimum vero hinc nuntiorum mittendorum cunctationi quaeso patrocinetur, quae non aliqua equidem negligentia, sed iustis et gravibus de causis producitur, quas causas V. Rm̃a et Illm̃a D. ex litteris meis ad eius Sanctitatem datis abunde cognoscet. Vix equidem dici potest, Rm̃e et Illm̃e domine, quanta pericula nobis ex depravata vicinia impendeant, cuius virus quo magis illic supprimitur, hoc periculosius nobis afflari videtur, atque illinc veluti exulans, hic a quibusdam excipitur: ne tamen plane radices agat, nihil curae atque sollicitudinis a nobis unquam praetermittitur. Verum id in totum prohibere atque exacerbatos nescio quo facto in nos secularium quorumdam animos mitigare, non nisi in solius Dei et secundum hunc in Sm̃i D. N. situm est potestate: nempe si sua Sanctitas Concilio oecumenico (in loco quam nunc esse videtur commodiore) indicto omnibus fidei dissidiis mederi, perversasque ac incertas de religione hominum opiniones tollere curaverit: quod Sanctitatem eius pro paterna sua in gregem dominicum pietate atque clementia facturam confidimus. Ut autem Christus id prosperet, eiusque Sanctitatem pro totius Ecclesiae salute diutissime servet, iugibus precibus una cum clero meo universo Patrem coelestem sedulo fatigabo. Idem etiam, ut V. Rm̃am et Illm̃am D. incolumem atque florentem tueatur, cupio ex animo. Lovitio die XX. Octobris Anno domini MDXLVII.

Eiusdem Reverendissimae et Illustrissimae D. V.

Servitor et Capellanus
NICOLAUS Archiep̃us Gnesnensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXI.

Marschalcus regni Poloniae card. Farnesium supplex adit, efficiat apud summum pontificem, ut matrimonium contractum inter quemdam Malchiarem et Annam ratum habeatur.

Illm̃o ac Rm̃o Dño Alexandro Farnesio S. Rom. Ecclesiae Cardinali etc.

Cum necessitas, quae Diis ipsis etiam iura ponere dicitur, me ignotum a V. Illm̃a ac Rm̃a D., Illm̃e ac Rm̃e Domine, quaerere cogit auxilium, tum vero virtutis ac dignitatis illius fama, praetereaque

ratio provintiae eius, quam pro Regno Poloniae suscepit nuperrime, ad iungendum Vestrae Ill. dexteram invitant, saluto V. Ill. reverenter, simulque mea obsequia amica illi denuncio, ac V. Ill. insuper etiam nostri Regni hominibus illam patronum istic contigisse gratulor, quae et propter virtutem a nostris saepe predicatam volet, et propter officium atque autoritatem opitulari poterit:. tametsi vero vel iucundum vel facile aliquid V. Ill. principio scribere ab aliaque petere vellem, quia tamen casus humani non in nostra potestate sunt, sed qualescunque fiunt ac emergunt, talibus nostrum sermonem et operas accommodare oportet: is ergo talis est.

Quidam Malchiar de Pangow, tametsi rebus aliis tenuis, sola tamen re militari apud nos clarus, captus amore cuiusdam Annae viduae ab olim patruo suo morte relictae, illam sibi accepit in coniugem, et iam ex ea duos pueros suscepit. Quod ubi loci Episcopus rescivit, ipsum Malchiarum cum coniuge quasi incestus reos excommunicavit, atque hactenus eodem vinculo innexos retinet, nisi separentur. Et sentio equidem, Illm̃e Dñe, non bono exemplo hunc duxisse, illam vero nupsisse. Cum tamen illa libera iam fuit a lege prioris olim mariti propter mortem eiusdem, et tanta consensio utrinque intercessit, propterea quod proles secuta est, ita ut nulla fere ratione commode separari queant, et V. Ill. precor, quo eius causae austeritatem, quacunque ratione potest, mitigaret, et ut summus Pontifex necessitati illi obsecutus matrimonium utrinque tot modis consumatum etiam ratum esse velit, sentenciamque Episcopalis excommunicationis literis suis rescindat, obsecro. Cum enim in urbibus ac regnis pleraque manifeste mala aut dissimulando aut inviti ex causa aliqua indulgendo toleramus, hoc factum cum manifestis scripturis tanto minus legibus politicis adversetur, pretextu aliquo eius Beatitudo connestiet, et tamen ne deinceps admittatur, prohibere non difficile poterit, quandoquidem eius Beatitudo ad clavum Ecclesiae considet, et pro varietate necessitatum humanarum vela contrahit vel relaxat. Qua de re Alberto Syemikovio Ill. V. bono servitori, aliisque isthic nostratibus cum V. Ill. conferendum commisi, ita ut summo beneficio me adfectum esse putem, si et militem illum virum nobis V. Ill. restituat, et eius conscientiam sedet, ipsosque liberos nihil commeritos velut ex damnato coitu natos capite diminui prohibebit, me et servitia mea perpetua pro premio interea relatura, dum se occasio non offert, per quam itidem V. Ill. obsequi potero, ut cupio. Dominus Deus Vestram Ill. ac Rm̃am Dom. diutissime servare dignetur incolumem. Ex Wisnicze antepenultima mensis Februarii Anno 1548.

Eiusdem V. Illmae. ac Rmae. Dominationis

Servitor Petrus Kmitha Comes in Wisnicze, Palat. et Capit. generalis Cracov. Regni Poloniae Summus Marscalcus etc. Idem manu propria.

Ex Archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXII.

Regina Poloniae orat pontificem, ut archiep̃um Nicosiensem purpura condecorare velit.

Sanctissimo in Christo Patri et dño, dño Paulo tercio etc. Summo Pontifici.

Sanctissime ac beatissime Pater et domine, domine clementissime. Post humilem mei commendacionem et oscula pedum eius beatorum. Perspecta est, ut credo, Sanctitati vestrae eruditio, morum honestas, sanctimonia vitae, rerum agendarum usus ac prudentia, aliaeque plurimae virtutes Rm̃i in Christo Patris domini Livii Podakatharri Archiepiscopi Nicosiensis, quibus ille eam famam et gratiam multorum magnorumque hominum comparavit sibi ipsi, ut dignus amplis honoribus esse iudicetur. Is cum se mihi propter eas virtutes et propter benevolentiam erga me suam, grataque obsequia sua multum probaverit, facere non potui, quin illum S. V. commendarem: pro quo humiliter ei supplico, ut cum novos Cardinales creare dignabitur, quod illam in proximo facturam fama est, hunc etiam tantum virum in eum Sacrosanctum Cardinalium suorum numerum cooptare, et hac dignitate honoreque Cardinalitio honestare ac insignire dignetur. Quod et ille eidem S. V. summa sua fide et observantia, donec vivet, promereri curabit, et ego tanquam obsequentissima filia humilibus obsequiis meis et gratificatione venerationeque perpetua refferre studebo. Quam sanam perpetuo foelicem valere et sanctae Sedi isti Apostolicae praeesse diutissime ex corde desydero: Cuius gratiae clementiaeque me humiliter commendo. Cracoviae undecima Martii Anno Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo.

Eiusdem Beatitudinis V. Humilis serva et filia

Bona regina etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXXIII.

Rex Poloniae card. Farnesio Martinum Cromerum oratorem suum commendat.

Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesio miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, et Regni ñri Protectori, Amico nostro Charissimo ac honorando.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesio miseratione divina tituli S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali, Sanctae Romanae Ecclesiac Vicecancellario et Regni Protectori, amico nostro charm̃o ac honorando, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, dñc amice noster charm̃e ac honorande, Mittimus ad Sanctissimum Dominum nostrum Venerabilem Martinum Cromerum Canonicum Cracoviensem Secretariumque nostrum, ut de morte divi parentis nostri nuntium Sanctitati eius perferret, et studium illi nostrum atque observantiam deferret, nosque in Sanctitatis eius Sancteque Sedis istius authoritate ct esse affirmaret, et fore semper nostris verbis promitteret. Cui dedimus in mandatis, ut vestram quoque Rm̃am Dominationem nostro nomine viseret, feliciaque omnia precaretur, Quam felicissime diuque valere optamus. Dat. Cracoviae xiiii. Iunii Anno Domini MDXLVIII.

Sigismundus Augustus Rex manu pp.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXIV.

Regina Poloniae card. Farnesio negotium archidiaconi Cracoviensis commendat.

Rm̃o in Christo Patri ac Illm̃o dño Alexandro Diacono Cardinali Farnesio S. R. E. Vicecancellario, et Regni Poloniae Protcctori, amico nostro charissimo et honorando.

Rm̃e in Christo Pater ac Illm̃e dñe, amice noster charissime et honorande. Havendo noi alli mesi passati scritto a V. S. Rm̃a et com' ella sa alla Santità del Papa in commendatione del Ven. Bartholomeo Gantchowski, Archidiacono di Cracovia et nostro Secretario, sopra la causa vertcntc tra lui et il fisco apostolico et Simone di Scipion Polono, della quale insin a questa hora non si n' è havuto non solo risposta alcuna, ma meno quella fine che la ragione del prefato ricerca, et noi confidiamo nella integrità et virtù di V. S. non potemo se non amirare, anzi havendo si lungo silentio appar che piu tosto si doni luoco presso la Sede Apostolica a turbatore del quieto vivere che alla ragione et innocenza del prefato, come gia hanno fatto citare il Ven. Giacobello Dottore et Canonico Cracoviense nostro Phisico sopra certe finte criminationi, et c' habbia detto male di alcuni cortegiani, come colle precedenti nostre havemo piu allungo a V. S. scritto. Per tanto desiderando noi che l'una et l'altra causa delli prefati habbia quella fine et silentio che la ragione l'accompagna, ci la raccomandiamo strettamente, o vero s' alcuno pretende essere ingiuriato, operarsi con sua Santità, resti servita commetter in queste parti la cognitione della causa ad alcuno o a tutti Vescovi, et sia lecito alle parti per loro interesse cercar ragione dove piu se li conviene, come piu allungo sarà stata di cio ragguagliata dal Ven. Dottore Cromero Secretario et Nuntio Regio. Nè altro occorrendone Iddio N. S. conservi, prosperi et essalti V. S. come piu felicemente desidera. Da Cracovia il dì xxvii. di Giugno del xlviii.

De V. S. R. como Sorella

Bona regina etc.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano

DCXXXV.

Rex Poloniae a summo pontifice exposcit dari coadiutorem archiepiscopo Leopoliensi.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et domino, domino Paulo divina providentia Papae tercio Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summo Pontifici, domino clementissimo.

Beatissime Pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique Regni et dominiorum meorum commendationem. Quandoquidem Rm̃us dominus Petrus Starzechowski Archiepiscopus Leopoliensis et aetate et valetudine est affecta, ut officio suo recte fungi non possit, adiutorem illi dari vellem Venerabilem Felicem Ligesa Canonicum Cracoviensem, cumprimis nobili genere

in Regno meo natum, quem Sanctitati vestrae commendo. Et quoniam quae mea nunc, eadem fuit aliquando voluntas divi olim parentis mei, qui non ita pridem in Christo obdormivit, supplico Sanctitati vestrae, ut quae fuit utriusque nostrum voluntas, ad eam suum assensum aggregare, et ius coadiutoriae Venerabili Felici huic concedere velit: ita ut non modo quoad fuerit adiutor Archiepi, verum etiam posteaquam in eius locum successerit, omnia nihilominus ei sacerdotia retinere cum ipso Archiepiscopatu liceat, cuius proventus et redditus annui tenuiores sunt, quam ut ex illis pro dignitate vitam suam sustentare possit; sunt enim bona Archiepiscopi Tartaris et Valachis finitima, quorum fere semper sunt latrociniis infesta. Rem fecerit Sanctitas vestra mihi valde gratam, si peticioni huic meae locum dederit. Commendo me in gratiam Sanctitatis vestrae, quam ut dominus Deus diutissime servet incolumem, precor. Datum in oppido nostro Niepolomicze XIIII. mensis Augusti Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Regni et dominiorum meorum anno decimonono.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE MAGNUS DUX LITHUANIE mpp.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXVI.

Rex Poloniae pontifici Martinum Cromerum oratorem suum commendat.

Sanctmo ac Beatmo patri et dno, dno Paulo III. etc. Summo Pontifici, dno clementissimo.

Beatissime pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique Regni et dominiorum meorum in graciam Sanctitatis vestrae commendacionem. Commisi Venerabili Martino Cromero Canonico Cracoviensi, Secretario et Nunctio ad Sanctitatem vestram meo, ut nonnulla nomine meo referat Sanctitati vestrae. Supplico itaque eidem Sanctitati vestrae, ut in omnibus quaecunque nomine meo illi exposuerit, fidem indubiam adhibere dignetur, ac faciles illi ac benignas aures accommodet, rem mihi Sanctitas vestra gratissimam factura. Commendo me et dominia mea in graciam Sanctitatis vestrae, quam ut Deus optimus maximus diutissime foelicem et incolumem servet, ex animo precor. Datum in oppido nostro Niepolomicze XV. Augusti Anno Domini MDXLVIII. Regni et dominiorum meorum XIX.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE MAGNUS DUX LITHUANIE mpp.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXXXVII.

Rex Poloniae card. Farnesio de litteris consolatoriis circa obitum parentis sui sibi missis gratias agit, spondetque demortui vestigiis se inhaerere velle.

Rmo in Christo patri domino Alexandro Farnesio Cardinali etc.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc. dominus et heres. Rme in Christo pater, Consolatio tua de obitu divi parentis nostri vel hoc nomine cumprimis grata nobis accidit, quod amoris tui in nos et in divum parentem nostrum nobis esset insignis: cui quod multa tribuis, neque pauciora nobis, in illo fortasse iuditii, in nobis benevolentiae testimonium est. Etsi enim conamur sedulo ii esse, quos tu nos in epistola tua latine et pereleganter scripta esse praedicas, tamen quae scribuntur a te, in eam partem libentius accipimus, ut admoneri nos existimemus, quales esse debeamus: itaque ultro quod aiunt currentibus calcar addidisti, ac magis etiam animum nostrum earum virtutum amore inflammasti, quam laudem pro tuo in nos studio nobis tribuis. Fuit nobis quidem ab ineunte etate nostra hoc semper propositum, ut paternarum virtutum vestigiis incedere conaremur, ac pro virili nostra eniteremur, ut si minus assequi eas possemus, quam proxime tamen ad illas accessisse iudicaremur. Nunc haec tua cohortacio, sic enim illam potius quam laudationem vocare visum est, faces nobis ad id addidit, quod pridem facere deliberatum habebamus: quare quo summo studio possumus, contendimus, ut opinionem de nobis tuam non fallamus, neque in alia re magis curae nostrae cogitacionesque consumentur, quam ut quem tantum desyderium tamque gratam sui memoriam reliquisse videmus divum parentem nostrum, eum ita moribus nostris exprimere possimus, ut eum in nobis vivere et spirare cognoscant homines et letentur. Ac cum alias illius virtutes amplecti studebimus, tamen illud inprimis elaborabimus, ut si minus eo superiores, pares

illi tamen fuisse videamur studio et observantia erga sanctam Sedem Apostolicam, in cuius fidem et potestatem nos Regnumque nostrum et omnia nostra libenter conferimus: sed et illud minime committemus, pluris ut ille te fecisse videatur, quam quanti nos merito tuo facimus et facturi sumus semper. Quam ob rem quae de illius, eadem de nostro in te animo tibi promittas, licebit, si quibus in rebus studium in te nostrum declarare poterimus, nulla occasionem pretermittemus. Datum Sandomiriae vi. Septembris Anno domini MDXLVIII. Regni nostri XIX.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXVIII.

Rex Poloniae Alexandro Sculteti canonico Varmiensi, qui Romae de suspitione haeresis se purgaverat, in Poloniam redire, salvo conductu ipsi concesso, permittit.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Significamus tenore praesentium, quod cum octo plus minus viri graves et fide digni, iurati ac legittime examinati pro testimonio dixissent, Alexandrum Sculteti, qui fuit aliquando Canonicus Ecclesiae Cathedralis Varmiensis, multa dixisse fecisseque, ex quibus colligi posset, eum de veritate corporis et sanguinis Christi male sentire, et in Sacramentariorum haeresi versari, supplicatum erat divo parenti nostro, ut pro facultate concessa per Leonem decimum Regibus et Principibus christianis haereticos capiendi, proscribendi et debitis suppliciis afficiendi, Maiestas eius capiendi et proscribendi curaret. Quae pro eo, ut erat animo magis ad misericordiam propenso, quam ad severitatem implicato, nihil in eum gravius consulendum esse putavit, nisi prius auditus esset: itaque diem illi certam constituit, quam obiret causamque diceret, ac de obiectis criminibus se purgaret. Ille vero dicta sibi die non modo non venit ipse ad iudicium, sed neque nuncium, neque literas misit, quibus aut prorogationem peteret, aut exceptione uteretur, aut legittimum aliquod impedimentum causaretur. Quam illius contumaciam in eam partem acceperat divus parens noster, quasi suo ipse iudicio se condemnasset, atque ideo in conspectum Maiestatis eius venire non auderet: itaque contumacia hac illius offensa sententiam contra illum tulit, atque eum ex Regno terrisque suis proscripsit. Cumque ille intra mensis unius spatium post latam sententiam supplex per necessarios quosdam suos peteret, ut divus parens noster proscriptionis hoc decretum abrogare dignaretur, quod se morbo quodam impeditum venire non potuisse, nuntium misisse, sed eum interceptum fuisse diceret, divus parens noster, ut omnes de se querendi causas praecideret, non abrogavit quidem proscriptionis decretum, sed eius tamen executionem in menses aliquot suspendit, ut interea doceret Alexander ea quae scripserat de morbo suo deque nuntio intercepto. Quorum cum ille nihil docuisset, decretum suum de capiendo deque proscribendo illo divus parens noster ratum esse iussit. Interea Alexander in Urbem profugit, ubi dicitur haeresim abiurasse. Nunc postulatum a nobis est nomine Rm̃i dñi Alexandri Farnesii Cardinalis protectoris, ut proscriptionis decretum a divo parente nostro octavo ab hinc anno latum rescindere dignaremur, atque ei potestatem in Regnum nostrum redeundi faceremus. Quod cum facere nobis non liceret, quandoquidem acta omnia divi parentis nostri rata per nos fore promisimus; fecimus nihilominus in gratiam Rm̃i dñi Cardinalis protectoris, ut eum ad finem usque anni vertentis fide nostra in Regno terrisque nostris versari permitteremus, ita ut permittimus praesentibus, salvumque condctum hunc nostrum ad finem anni vertentis duraturum damus praesentibus et concedimus, ut intra tempus hoc libere in terris nostris versari, ac primum quidem Episcopo suo rationem fidei suae reddere, atque in gratiam cum illo redire conetur. Qui simul ut testimonium ei dederit, quod intra spatium istius anni ita se gesserit, quemadmodum catholicum sacerdotem gerere se oportet, tum demum ad commendationem Episcopi facere nobis licebit, ut eum nos quoque in gratiam nostram recipiamus, ac liberam ei ita ut antea in Regno dominiisque nostris quibuscumque commorandi potestatem permittamus. Quare mandamus vobis universis Palatinis, Capitaneis, Officialibus nostris ac aliis quorum interest status et condicionis cuiuscumque, ut hunc salvum conductum nostrum in omni serie eius teneant et observent, nullamque vim huic Alexandro directe vel indirecte inferant, neque inferri a quovis permittant palam vel occulte aut quesito colore; verum eundem Alexandrum salvum esse in persona rebusque suis durante hoc salvoconductu nostro curent, versarique in Regno et dominiis nostris libere permittant, pro gratia nostra aliter non facturi, harum quibus sigillum nostrum praesentibus est impressum testimonio literarum. Datum in

Kunow VII. Septembris Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Regni vero nostri decimo nono.

(L. S.) R. Rñdi in Christo patris Samuelis Maczieiowski Epi Cracov. et R. Pol. Cancellarii.

SAMUEL Eps Cracov. et R. P. Cancell. subscripsit.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXXXIX.

Archiepiscopus Gnesnensis spondet cardinali Farnesio, se in omnibus praesto fore abbati Martinengo nuntio apostolico.

Rmo ac Illmo in Christo patri et dño, dño Alexandro Farnesio tituli S. Laurentii in Damaso SS. Rom. Ecclesiae Diacono Cardinali et Vicecancellario, Regni Poloniae protectori etc.

Rme ac Illme in Christo pater ac domine, dñe et patrone colendme. Observantiam et servitutem meam Rmae et Illmae Dominationi vestrae reverenter defero. Gratissimae mihi fuerunt Rmae et Illmae Dominationis vestrae litterae, quas Illustris ac Rñdus dñus Abbas Martinengus Smi D. N. nuntius mihi reddidit, ex quibus admirabilem quamdam humanitatem, et haud mediocrem eius erga me benignitatem facile perspexi. Ac recte quidem existimavit Rma et Ill. Dom. vestra, me sui studiosissimum atque observantissimum semper fuisse, eoque libentius clarissimum hunc virum mihi commendandum duxisse. Quem tametsi singularis prudentia atque humanitas, tum morum incredibilis suavitas satis commendare videatur, vestrae Rmae ac Illmae Dom. commendatione ad meam in eum benevolentiam quantus cumulus accesserit, vellem equidem non solum in his aedibus meis, verum et alibi me ei ostendere potuisse. Si enim Sermo Regi meo (tum cum is legatione fungeretur) praesens adfuissem, equidem operam officiumque meum ei libenter praestitissem: doleo itaque et hanc occasionem mihi ereptam esse mei et in Sanctissimum D. N. cultus atque observantiae, et in vestram Rmam ac Ill. Dom. studii testificandi. Nihilominus sicut hactenus feci, quantum in me erit, sedulo contendam, ut ne tam Sermi Regis mei, quam reliquorum huius Regni procerum in istam Sacrosanctam Sedem ac in ipsum S. D. N. fides atque observantia unquam defuisse videatur. De quibus praeterea cum Rñdo D. Abbate communicaverim, quidve ad Sanctissimi D. N. mandata ei responderim, ex eodem Rma et Ill. Dom. vestra optime cognoscet. Quam ut Deus Opt. Max. incolumem atque florentissimam diutissime tueatur, opto. Lovicii XVII. Septembris Anno Dñi MDXLVIII.

Eiusdem Rev. et Ill. Dom. vestrae

Servitor et Cappellanus

NICOLAUS Archieps Gnesnensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXL.

Idem nuntius edocet pontificem, quae cum rege Poloniae de mittendis nuntiis ad concilium oecumenicum etc. egerit.

Al Rmo et Illmo Monsig. Sig. mio Colmo, Monsig. il Card. Farnese Vicecancellario a Roma.

Doppo l'ultime mie ch' io scrissi a V. S. Rma et Illma di questa medesima città, il Re come seppe la venuta mia, mandò un suo gentilhomo per me, co'l quale andai a Sandomiria, luogo lontano di qua 20 di queste miglia, dove venne S. M. da un altro luogo vicino detto Rodomia, cosi il dì poi all'entrata sua havuto gratissima audientia satisfeci all'offitio impostomi da S. Santità, che certo gli fu oltramodo accetto, et di consolatione grandissima, et le gratie che S. M. ne rese infinite. Esposi appresso il restante della mia commissione, la quale fu udita et intesa attentissimamente, et mi parse non lassar indietro parte che ricercassi la qualità et la importantia del negotio. Le risposte sustanziali mi furno rese il giorno seguente, la somma delle quale è questa, che S. M. sicome si ingegnarà semper caminar per le vestigie del Padre, che fu in ogni tempo devotissimo alla Sede Apostolica, cosi in ogni tempo et occasione si sforzarà rappresentar la medesima devotione et animo verso quella S. Sede. Et quanto alla venuta di questi Prelati al Concilio, che piu presto si maraviglia non venghino, che ne habbino mai havuto impedimento alcuno. Quanto poi al mandar i Nunzij del Regno, che gli è necessario parlarne nella futura conventione, nel che non mancarà per satisfare alla voluntà di S. Beat. et quello che seguirà in detta conventione circa queste pertinentie, lo farà sapere o per ambasciatore o per lettere; ma che la deliberatione del luogo, dove si dovesse celebrare il Concilio, evacuarebbe tutte le difficultà che di presente si allegano, cosi dalli spirituali, come dalli temporali. Similmente que Prelati con i quali ho parlato diffusamente del tutto, che sono stati il Vescovo di Cracovia, l'Arcivescovo Gnesnese, el Vescovo de Cameniez, mi hanno risposto, che non pos-

sono mancar di venire o di mandare, ma dall'altra banda che la persona loro è molto necessaria di qua, cosi per le occorrentie delle cose presenti, come per poter reparare a questa labe della heresia penetrata in qualche parte di questo Regno, che in absentia loro andarebbe ogni dì piu contaminando le regioni, tutta volta che obediranno alli comandamenti di S. Santità et sperano che ogni contradittione, qual potessero fare i temporali, debbia esser convinta dalla promessa, quale S. Maestà dirà havermi fatta di mandargli. Quanto all'eshortare i Moschoviti a reunirsi alla Sede Apostolica, S. Maestà ha commendato grandemente questo buon zelo di N. Sig. et che si affaticarebbe molto prontamente per aiutarlo se tra loro fussi miglior intelligentia che non è, maxime essendo al fine della tregua, et che quando pure venisse la occasione, che farebbe ogni conveniente offitio. Delli Penitentieri raccomandati gia dal Serm̃o suo padre, non essendo giudicati idonei che darà opera per trovar persona atta a tale offitio. Quanto allo statuto concernente la impetratione delli beneficii iure, come dicono, cortegianico, S. M. non può darne resoluta risposta si non alla detta conventione, nella quale non è parso a S. M. che io mi ritrovi per modo alcuno, allegandomi (oltra le incommodità grandi, quali io dissi essermi facili, dove seguisse il servitio di N. Sig. et di S. M. anchora) i rumori che vi potrebbono nascere per causa di questo matrimonio, per i quali non vuole che io vegga, quanto fosse, sarebbe minore l'autorità sua di quella che doveria esser in un Re. La quale risposta mi è parso che non habbia replica. Allo Sculteti S. M. in gratia di V. S. Rm̃a et Illm̃a si contenta fare un salvocondotto; ma che non gli è lecito rescinder el decreto di suo padre. Similmente che le cose beneficiali sono sotto altrui iurisditione, ove S. M. non s' ingerisce, ma che non mancarà di raccomandarlo etc.

Fui similmente in Varsovia dalla Serm̃a Regina, con la quale feci li offitii che dovevo, et riportai molte risposte piene di buona satisfactione, sicome piu diffusamente renderò conto di questo et d'ogni altro particolare al mio ritorno, maxime non havendo piu tempo dal messo che parte di questa città, ove io mi ritrovo da hieri in qua licentiato, et in camino d'Italia. Tratanto mi raccomando humilmente in buona gratia di V. S. Rm̃a et Illm̃a, alla quale N. Sig. Dio conceda quanto desidera.

Di Cracovia alli xxii. Settembre 1548.

La pressa del messo è in causa che strettamente si scriva il successo de la negociacione, pero me risservo alla venuta mia, con la quale serà anche di ragionare di qualche altra cosa per commissione di questo Re. Non resterò di dire, che con tutto che questi Prelati dichino di venire prontamente al Concilio, dove vorrà N. Sig. non veniranno se non haveranno un altro breve precettorio, anchor che io servendome del breve mio credentiale, hogli civilmente commandato per virtù de la credenza, che Sua Santità voleva se me desse, che se disponghino al venire. Quanto alle lettere che alle volte vengono contrarie et circa retentione de benefici et commendatitie, Monsig. di Cracovia se ne excusa galantamente, come V. S. Rm̃a intenderà poi.

Di V. S. Rma. et Illma.

Humilissimo Servitore
L'Abbate Martinengo.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXLI.

Episcopus Cracoviensis cardinali Farnesio Martinengum nuntium apostolicum commendat.

Revm̃o in Christo patri et Illm̃o principi et dño, dño Alexandro de Farnesio miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et Regni Poloniae protectori, domino observandissimo.

Revm̃e in Christo pater et Illm̃e princeps et domine, dñe observandissime.

Officiosissimam perpetuae servitutis meae et orationum commendationem. Etsi Reverendus dominus Abbas Martinengus nuntius apostolicus vel hac ipsa de causa commendatione egere minime videbatur, quod eius personam sustineret, qui cum Christi in terris locum teneat, non est alius cuius maior authoritas apud omnes esse debeat: tamen Revm̃ae Dominationis Vestrae litterae ad id, quod mea sponte facturus eram, credibile non est, quantum mihi currenti calcar addiderint, ut quem alioqui pro officio meo, quo summo licuisset honore, excepturus eram, propter commendationem Rm̃ae et Illm̃ae Dominationis Vestrae aliquid etiam addere cupivissem, cuius augendi locus iam non fore videbatur. Quod si minus prolixe praestiti, quam vel ipse volebam, vel eius dignitas postulabat, in causa fuit, quod ab ea civitate, in qua maiore eum honore et uberioribus officiis prosequi licuisset, longius aberam. Atque in quo loco congressi sumus, in eo aeque propemodum hospes ego fui atque ille: facultas

ergo defuit, non voluntas ea praestandi, quae cupiebam, vel pro Sanctissimi Domini nostri, cuius legatum egit, dignitate, vel pro Vestrae Rmae et Illmae Dominationis, quam ego merito illius plurimi facio, tam accurata commendatione. Sed spero tamen promptam et alacrem voluntatem meam non minus illi gratam fuisse, quam si ad rem collata esset. Auditus est a sacra Maiestate Regia, et quo maximo fieri potuit, in eo loco honore acceptus.

Quod me attinet, hoc sibi de me persuadeat velim, quod de addictissimo sibi homine, quibuscumque officiis atque obsequiis meis demereri mihi gratiam Rmae et Illmae Dominationis Vestrae potero, nullam eius rei occasionem praetermittam. Opto Rmam et Illmam Dominationem Vestram quam diutissime incolumem esse et faelicem, cuius gratiae benevolentiaeque me diligenter commendo. Ex Boducaczin XXIIII. Septembris Anno domini M. D. XLVIII.

Eiusdem Rmae. et Illmae. D. Vestrae

humilis servus atque capellanus

SAMUEL Eps Cracoviensis et R. P. Cancellarius.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXLII.

Regina Poloniae apud pontificem archiepum Gnesnensem mendaciter accusatum defendit.

Reverendissimo in Christo Patri et Illustrissimo Dño, Dño Alexandro Cardinali Farnesio etc.

Revme in Christo pater et Illme domine, Amice charissime et honorande.

Pensavamo poi la morte del Serenissimo Re nostro Signore et Consorte Colendissimo di eterna memoria, non molto fastidire V. S. con scrivergli cose tediose, ma la malignita d'alcune persone di maggiore et minore dignita di questo Regno astrengendone a far il contrario, sera contenta lei havere quella pacienza ad intenderle, et provedervi per rispetto et amor nostro, che noi havemo a patirle. Sapera dunque che essendo il Serenissimo Re nostro figlio, o per colpa di sua eta, o per consiglio et persuasione d'altri (il che piu presto si crede) incorso nell'errore, qual per esser noto a V. S. il tacemo, oltre che tutta la Nobilita di esso Regno ha repugnato et repugna a tal fatto, in niun modo volendo infin a questo tempo che sortisca altramente effetto, vi concorrino ancho per decoro del lor Serenissimo Principe, honore della corona, et de loro stessi molti prencipali Signori, et tra gli altri il Reverendissimo Nicolo Arcivescovo di Gnesna primo Senatore di esso Regno, di grande autorita, nostro Capellano, huomo certamente Catholico da bene, amatore di questa Republica et obediente a Sua Santita et Sua Sede Apostolica (siccome non dubitamo che pienamente V. S. ne sia stato informata dal Reverendo Abbate Gerolimo Martinengo Nuncio gia destinato per Sua Santita gli mesi passasi al sodetto Serenissimo nostro figlio et noi). Il che fortemente increscendo a colloro che con l'ambitione del lor regnare et d'ingrandire se stessi, et gli suoi poco mirando alla grandezza et honore del lor Serenissimo Patrone, et manco alla vergogna et danno di esso Regno et sua Republica, desiderano et voglino che tal disordine habbia compito effetto, et per havere in cio manco ostacoli et contradittori intendemo che debbano talmente malignare appresso di Sua Santita il prefato Monsignor l'Arcivescovo con accusarlo, o farlo accusare falsamente nelli Uffici criminali di quessa Romana Corte, et oprarsi di si fatto modo, che dal Reverendo Auditore di Camera con monitorio penale sia citato et sforzato onninamente a comparere personalmente, et difendersi in essa Romana Corte. Et perchè noi che stiamo su il fatto, conoscemo et sapemo verdateramente che di quanto venera accusato et incolpato esso Reverendissimo Arcivescovo tutto procedere da l'odio, invidia et molevolenza che li viene portata, et dalla malignita degli accusanti, ma molto piu di colloro ch'il faranno accusare per accappar tanto piu facilmente il predetto lor cattivo et perverso intento: sera pero pregata V. S. et contenta a causa nostra et rispetto de l'honor nostro con l'autorita et valer suo ordinare a' tutti Giudici Criminali di essa Romana Corte, et spetialmente al predetto Auditore di Camera et Procuratore fiscale, che senza saputa et ordine di V. S. non si debba cacciar fuori processo alcuno, ne farsi qualsivoglia atto contra il medesimo Arcivescovo, senza che noi prima non ne siamo da lei avisata. Il che riputaremo a favore speziale et memorabile.

Et piu perche col mezzo del Venerabil Martino Cromero, quale gli mesi passati dal sodetto Serenissimo nostro figlio, et da noi fu mandato per Oratore a Sua Santita, V. S. ci ha promesso far cedere dal Baldasarro Basta ad ogni raggione, lite et causa che lui havesse sopra la prebenda et Ca-

nonicato di Loviccia, vacato per morte del quondam Bernardo Dottore Pontificio, sera pertanto contenta ordinare che tal cessione con effetto si faccia in mano di chi in cio hara potesta; tanto piu, quanto che come ella sa il prefato Baldasarro in ricompenza di detto Canonicato ne ha havuto un'buono et bello beneficio nella Cathedrale Chiesa di Cracovia, et che ne sera grato piacere.

Non resteremo finalmente pregare V. S. che con il suo voler et potere il Giacomo Dottore Pontificio nostro Phisico, del quale altre volte l'habbiamo scritto, et spetialmente fatta pregare per il sodetto Martino Cromero, sia liberato et penitus assoluto dalle cause se gli domandino per il Procuratore fiscale di questa Romana Corte, et che si agitano nel giudicio et tribonale del prefato Reverendissimo Auditore, opposteli et accusato falsamente da suoi nemici et invidi, che oltre V. S. sera stato defensore della verita et innocentia, a noi si ne fara medesimamente gratissimo piacere. Et perche di tutto il soprascritto ne faremo sollecitatore il magnifico Aniballe Bozzuto, sera parimenti contenta V. S. prestargli credito di quanto sopra cio a bocca gli dira et sollecitara, consentendo che la espeditione sia corrispondente alle dimande nostre, et alla confidenza che havemo in V. S. la quale nostro Signore Iddio conservi et contenti conforme al suo disio. Di Varsavia il dì xv. di Gennaro del xlix.

Eiusdem Dominationis Vestrae Reverendissimae

tanquam soror
BONA REGINA etc.
Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXLIII.

Episcopus Premisliensis pontificem de calamitosa ecclesiae Polonicae conditione et de necessitate continuandi concilium oecumenicum, quo tantis malis mederi possit, edocet.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo patri et dño, dño Paulo divina providencia Pape Tercio Sancte Romane Ecclesie Pontifici Maximo, dño dño Clementissimo.

Beatissime pater et domine, dñe Clementissime. Osculo pedum beatorum Vestre Sanctitatis humiliter oblato. Cum veniret Abbas Martinengus Camerarius iussu Vestre Sanctitatis (in) Poloniam, attulit etiam mihi a Sanctitate Vestra credencie litteras, quas humiliter pro debito meo et cum reverencia a Revmo dño Archiepiscopo Gneznensi oblatas suscepi, illi enim is Nuncius Vestre Sanctitatis reliquerat litteras mihi pertinentes. Et exposuit dominus Rmus Archiepus predictus mihi mentem, et fere divinum desiderium mandatumque Vestre Sanctitatis, ut vigilanter superintenderem, quo Secta Lutherana eliminaretur in mea diocesi, et populus Christianus in recta fide et constitucionibus Ecclesiasticis constanter perseveret, et ut Rutheni adducantur ad unionem fidei orthodoxe. Scire dignetur Sanctitas Vestra, quod toto conatu et sollicitudine sinceraque intencione ago nunc, ut egi in aliis diocesibus, ex quibus sum translatus, pro conservando cultu divino, et ne error aliquis oriatur, aut ne diocesis mihi a Domino Deo et a Sanctitate Vestra commissa pravitate heretica inficiatur, subito enim iuris processu contra tales procedere consuevi, multos coercens, predicans ipsemet populo verbum Dei, et adducens ad constanciam religionis sancte, similiter Ruthenos ad unionem. Didici namque in Urbe existens sub Pontifice Maximo felicis recordationis Clemente Septimo, et intuens assidue faciem et vultum Sanctitatis Vestre, quum egregie preesset tunc celeberrimo ordini Cardinalium, quomodo res magne auctoritate et magno consilio iustoque iudicio gerebantur et processerunt, et quia perversi corrigebantur: nunc autem multo magis postquam magnitudine virtutis Dei Sanctitas Vestra assumpta est, et suscipere dignata est gubernationem et curam hominum et statuum orbis totius, ita ut nihil magis oportunum seu pernecessarium premeditari Sanctitas Vestra audiatur et videatur, nisi ut fides sancta Christiana integra inviolataque permaneat, tranquillitasque sit in populo Christiano, extirpatis quibusvis erroribus: in quo optato felicique desiderio et sancta expectatione Dominus Deus prosperare semper dignetur Vestram Sanctitatem. Quando quidem laudabiliter Concilium iamdudum indictum est per Vestram Sanctitatem, illudque cum dignitate procedit: tribuat denique Dominus Deus ex alto, ut uno consensu omnium in vetusta et firma observacione canonum et constitutionum Ecclesiasticarum determinetur seu concludatur, ex quo Luterus cum suis sequacibus in Sectas dudum damnatas incidit, aut si aliquas moderaciones impii nunc expectarent, ne demum ludibriis inconstancia astruant nobis ac illudant, et se prevaluisse contra determinacionem presentis Concilii letentur. Sic etenim est, quod expectatur indies decisio et finis Concilii a malevolis, et comminaciones fiunt contra Clerum tanquam liceret sub

utraque specie decetero communicare, quod Deus procul avertat, et ne decime solvantur ad decisionem Concilii, sitque liberum uxores clero ducere, ita sibi certocertius proponunt et persuadent, affirmantque purgatorium non esse, ac alia multa scandala, carnibusque diebus prohibitis vesci impune ut liceat, in detrimentum Ecclesie et Cleri libertatumque ecclesiasticarum ab impiis prestolari feruntur. Que Sanctitati Vestre dño meo Clementissimo significare dignum censui, ut prospero successu Concilii hisce et aliis erroribus oportune obviaretur et diffiniatur, quo in Sacrosancta fide Christiana et bonis operibus, perpetua et antiqua laudabili observacione canonum atque constitucionum et libertatum Ecclesiasticarum iuriumque unusquisque per orbem perseveret et permaneat. Clarissima profecto et magna sunt gesta Vestre Sanctitatis tam de huiusmodi Concilio, quam de diligenti et sumptuosissima structura templi Sancti Petri, atque de municione Urbis Romane, et doctissimis virtuosissimisque viris fovendis et retinendis, nec non indigentibus sublevandis, et ut queque in bono ordine et fama ac honestate procedant et conserventur passim per Sanctitatem Vestram in bonum exemplum universis Christifidelibus. Sic ut pro tot et tantis muneribus ab omnipotente Deo Vestre Sanctitati concessis laus et honor et gratiarum actio sit Deo Opt. Max. qui tribuat Sanctitati Vestre longitudinem dierum, et ad multa tempora incolumen sospitemque servet Vestram Sanctitatem, exoro, prosperam denique semper et laudabilem gubernacionem et directionem Sancte Romane Sedis et Universalis Ecclesie concedat Vestre Sanct. pro mea et omnis status spiritualis singulari consolacione. Et cum his me commendo, et oraciones meas in gratiam Sanctitatis Vestre omni mea devocione devoveo. Datum in Brzozow die XVIII. Februarii Anno Domini MDXLIX.

Sanctitatis Vestre

Devotissimus ac deditissimus humilisque servitor
IOHANNES Epus Premisliensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXLIV.

Episcopus Vladislaviensis card. Farnesio desiderium Romam adeundi ad lucrandas anni sancti indulgentias exprimit.

Rmo in Christo patri et dño, dño Alexandro de Farnesio etc. Cardinali etc.

Rme in Christo pater et dñe, dñe observandissime, Studium et observantiam. Etsi saepe iam gratia atque authoritate Rmae P. V. utor, idque fortassis etiam nonnumquam in rebus leviusculis, et quod summum est, nunquam aliquod hactenus grati animi indicium Vestrae Rmae P. exhibui, tamen Rmam P. V. vehementer etiam atque etiam rogo, ut ne eam rem mihi potius quam temporibus ipsis adscribat. Ego enim quum in hac Regum nostrorum mutatione, quae semper apud omnes fere nationes ingentem negociorum ansam secum trahit, et domi variis et prolixis consultationibus, et foris legatione Hungarica occupatissimus essem, simulque quum exoptatissimum illud tempus imminens viderem, quo ex apertione portae aureae multus ad nos, qui de grege Christi sumus, fructus est rediturus, neque antea potui, neque hoc laetissimo tempore adventante sperare desii, meam V. Rmae P. gratitudinem declarare. Nam vel ego ipse, quod quidem in primis faciam, si per ecclesiae et regni negocia licebit, isthuc me recipiam, S. D. N. et Rmam P. V. salutandi, tam laetis et faustis caeremoniis communicandi, Urbemque videndi gratia, quae nostri ad nos pene, quas in Europa vidi urbes, sola propemodum deesse videtur: vel si minus ipse potero, aliquem meorum mittam, qui animi mei gratitudinem Rmae V. P. testetur. Interea rogo, ut rebus meis, quas isthic Mathias Mancolinus Sermi Regis nostri a secretis et Trocensis praepositus, qui nuper eo advenit, procurat, V. Rma P. gratia atque authoritate adsit, ut et confirmationem donationis Monasteriorum Pomeranicorum et commendationem illorum apud S. D. N. possimus quam primum obtinere, Nepoti etiam ex fratre meo, ut aetatis imperfectio gratia ipsius S. D. N. relaxetur. Qua de re scribo Leonardo Hermanno, qui isthic est inter Polonos. Totum hoc et deditissima voluntate mea, et quibuscunque rebus potero, V. Rmae P. cito reponam ac lubens, cui me in gratiam diligentissime commendo. Datum 19. Novembris Anno Dñi 1549. Volboria.

Vestrae Reverendissimae Paternitatis

Obsequentissimus ex corde servitor
ANDREAS ZEBRIDOVIUS Epus Wladislaviensis et Pomeraniae.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

EPISTOLAE IULII PP. III.

DCXLV.

Regina Poloniae Iulio PP. III. de summo ecclesiae pontificatu adepto gratulatur.

Sanctissimo in Christo Patri ac dño, dño Iulio tertio divina providentia sancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et dñe, dñe clementissime. Post servitutis et obsequiorum meorum in graciam Sanctitatis vestre commendationem et oscula pedum beatorum. Posteaquam nunctiatum mihi esset Sanctitatem vestram ad summi pontificatus dignitatem divino munere electam esse, summo gaudio elata egi gratias domino Deo, quod Sanctitatem vestram sacrosancte Romane ac universali ecclesie talem pastorem dedit, qui vite sanctitate, animi magnitudine et rerum gerendarum pericia religioni et reipublice christiane, bellis ac scysmatibus iamdiu fluctuanti certam opem sit laturus. Gratulor itaque ex animo summum hunc honorem Sanctitati vestre, quem illi faustum, foelicem ac fortunatum esse opto, et Sanctitatem vestram indubitatum beati Petri esse successorem et verum Christi vicarium recognosco, meque filiam eius devotam et obedientissimam profiteor. Et ut plenior sit gratulatio hec mea, commisi Venerabili ac religioso patri, fratri Francisco Lismanino ordinis Franciscani ministro et commissario, penitenciario meo, uberiore oratione gratulari meo nomine Sanctitati vestre hanc sacrosanctam dignitatem, et nonnulla ei de mente mea referre, suplex oro, ut que ille meo nomine dixerit, fidem ei indubiam adhibere, et me clemencia ac benignitate sua prosequi dignetur. Ad cuius beatos pedes me et obsequia devota offero Sanctitati vestre, quam Deus optimus maximus pro salute et tranquillitate rei christiane salvam et foelicissimam diu preesse faciat. Datum Varsavie die xx. Marcii MDL.

Eiusdem Beatitudinis vestre uti filia

Bona regina etc.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DCXLVI.

Pontifex episcopum Culmensem inquisitorem haereticae pravitatis in dioecesi Pomesaniensi instituit.

Venerabili fratri moderno Episcopo Culmensi.

Iulius PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Sygismundus Augustus Poloniae Rex Illustris nobis nuper exponi fecit, in civitate et diocesi Pomesaniensi variae haereses et pravae circa catholicam Christi fidem opiniones pullulent et vigeant, et ne maiores in dies succedant, verisimiliter formidetur, et qui pro Episcopo Pomesaniensi ad presens se gerit, praemissis nedum occurrat, sed quantum in eo est, faveat et adhereat: idem Sygismundus Rex

nobis humiliter supplicari fecit, ut pro extirpatione dictarum haeresum curam huiusmodi alicui eiusdem Regni Poloniae Praelato praemissis occurrere verbo et opere potenti demandari, aliasque in praemissis opportune provideri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes pro nostri pastoralis officii debito inconvenientibus huiusmodi providere, fraternitatem tuam, de cuius prudentia, probitate et in Deum pietate certam spem concipimus, et quem ad praemissa verbo et opere potentem esse intelleximus, ad haereses et pravas opiniones huiusmodi in civitate et diocesi praefatis extirpandas Inquisitorem cum plena, libera et omnimoda facultate ea omnia, quae ad officium Inquisitoris haereticae pravitatis a Sede Apostolica specialiter deputati de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinuerit, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et procurandi apostolica auctoritate tenore praesentium ad nostrum beneplacitum constituimus et deputamus, curam super criminibus haeresim seu a fide catholica apostasias, vel alios errores sapientibus huiusmodi inquirendi, ac errantes seu qualitercumque in praemissis culpabiles debitis poenis puniendi et mulctandi, ad gremium Ecclesiae redire sponte volentes, et ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes ab omnibus et singulis eorum criminibus, excessibus et delictis, ac ecclesiasticis seu temporalibus sententiis, censuris et poenis propterea incursis in utroque foro, praevia abiuratione ac servatis de iure servandis, absolvendi, ac aliorum Christi fidelium consortio aggregandi, et ad famam et ad honores, ac patriam et bona restituendi et reintegrandi plenam et liberam tibi etiam una cum Ecclesia Culmensi, cui praeesse dignosceris, plenarie committendo, in illo qui dat gratias et elargitur premia confidentes, dirigente domino actus tuos, in Ecclesia ipsa, civitate et diocesi Pomesaniensi diligentiae industria haereses et pravae opiniones huiusmodi tollentur, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae Ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 25. Iulii 1550. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LIX. fol. 306.

DCXLVII.

Regi Poloniae pontifex de oratore sibi misso et de studio avitam fidem instaurandi gratulatur.

Carissimo in Christo filio Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri.

Iulius PP. III. Carissime in Christo etc. Maiestatis tuae litterae, quas Secretarius tuus ternas nobis reddidit, varie nos affecere. Eae enim, quibus de eo nobis gratularis, quod ad summum Pontificatus fastigium evecti sumus, teque post celebrata tui Regni comitia oratorem tuum ad praestandam nobis de more obedientiam missurum esse scribis, voluptati et gaudio nobis fuerunt; liquido enim ex eis litteris fore perspeximus id, quod semper de tua Serenitate et speravimus et expectavimus, et inclitae recordationis genitori tuo omnium saeculorum memoria digno Regi haud minus in cultu et observantia Apostolicae Sedis caeterisque virtutibus, quae quidem vera est laudataque haereditas, quam in Regno et dominiis successurum: contra vero ex aliis litteris, per quas nonnullos Maiestatis tuae ditioni atque imperio subiectos, quaedam de ritibus Catholicae fidei et sanctae matris Ecclesiae in tuo Regno immutandis moliri significas, gravi sane molestia et sollicitudine pro eo ac debuimus, affecti sumus; quam tamen eaedem tuae litterae non parum minuerunt, quod in illis affirmas te in ea religione persistere omnino velle, in qua natus es, neque ab Ecclesiae placitis unguem latum discedere. Quae verba et pientissimo eodemque prudentissimo Rege digna plane certam, atque exploratam spem nobis attulerunt, minime timendum esse, ne te Rege et moderatore tuorum et Regni et dominiorum talem sensum et animum gerente, quicquam haereticum aut Schismaticum per tuos subditos suscitari possit, quorum ferme et consuetudo semper est, ut suorum Regum ac Principum mores sequantur. Quod vero pluribus verbis ac rationibus Maiestas tua persuadere nobis conatur, ut pro his ipsis, quae in tuo Regno metuis, et universalis Ecclesiae bono Concilium prosequi velimus, non est quod in eo nobis persuadendo valde tua Serenitas laboret, siquidem ex quo Dei benignitate ad nos delatum est summi Apostolatus munus atque officium, nihil animo nostro magis fixum fuit hodieque haeret, quam et Concilium ipsum primo quoque tempore celebremus, et ad eum finem atque exitum, quem boni omnes optare debent, Deo praeeunte et adiuvante, perducamus, ut tandem sublata funditus omni de religione cultuque opinionum defensione et errore, sua Ecclesiae Catholicae restituatur concordia et unitas. Praeterea mittemus brevi ad Maiestatem tuam non modo nuntium, verum etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem legatum nostrum, talem qualem te cupere ostendis, qui res et motus tui Regni huiusmodi, nisi

interim forte sedati conquieverint, ex Serenitatis tuae sententia ac votis componere studebit. Quod autem ad negotium Alexandri Sculteti attinet, de quo litteras satis longas ad nos dedisti, mandavimus dilecto filio nostro Cardinali Farnesio tui Regni apud nos protectori, ut de hoc ad Maiestatem tuam nostro nomine scriberet: quem nos quidem Cardinalem cum ex virtute, gratia, auctoritate meritisque erga nos plurimum diligamus, tantum deinceps addemus ad amorem ob commendationem tuam, et quod tui Regni Protector apud nos est, quantum tua Regia dignitas nostraque in te singularis benevolentia postulat. Tibi autem, fili carissime, ita persuasum esse cupimus, nos pro tuorum progenitorum tuisque in nos et hanc Sanctam Sedem reverentia, pietate ac meritis, proque nostro vicissim erga te amore, quantum cum Deo poterimus, libentissime semper honesta vota tua ad exauditionis gratiam admissuros esse, sicut ex eiusdem Cardinalis Farnesii litteris plenius intelliges. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXIII. Iulii MDL. Pontificatus nostri Anno Primo. M. Card. Crescentius.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LVII. fol. 149.

DCXLVIII.

Orator regius in Poloniam redux card. Farnesio nuntiat, quae cum rege egerit, repetitque eiusdem desiderium episcopum Cracoviensem cardinalem renunciatum iri.

Al Illm̃o et Rm̃o Monsig. et benefactore etc. Cardinale Farnesio etc. Signore Clementissimo.

Subiectissimam ac demissam servitutem meam commendo in summam clemenciam Illm̃ae ac Rm̃ae Dominacionis vestrae etc. Post meum ab Urbe discessum nihil aliud cogitabam, quam ut Serm̃o Regi meo eam promptitudinem animi erga Magestatem illius, quam in me praesentem Illm̃a et Rm̃a D. V. monstrabat, ego quoque Magestati suae possem referre, tandem post longam peregrinacionem periculaque, quae in itinere loci distancia passus eram, veni (in) Poloniam, iamque comicia illa regni tum erant finita, in quibus nihil magis agebatur, quam causa religionis. Qua de re etsi peragrans Germaniam a multis audiveram, non credebam tamen a meis tam facile iri opugnatum, quo ad usque huc veniens, primum a Rm̃o Crachoviensi meo, cuius auctoritas hoc in regno magna est, tum etiam a multis, qui in aula Regis versantur, ea omnia, ita uti ferebatur vulgo, gesta in comiciis esse, attonitus fere singula audivi: tandem propensionem in Regnum hoc et summam observanciam in Magestatem Regiam Illm̃ae et Rm̃ae Dom. V. Magestati suae dixi. Quare cum Magestas Regia, tum eciam Rm̃us D. meus non parum erat exhilaratus, ipseque meciebar animo summum Magestatis suae in Sacram Sedem ac Illm̃am Dom. V. Rm̃am animum. Illud tamen non postremo loco Magestas sua ex me peciit, quid causae esset, quod in hunc usque diem Sanctissimus Dñus noster procrastinaret Rm̃um Crachoviensem in collegium Cardinalium cooptare, cum iam non sit incognita virtus illius et merita, non solum in regnum hoc, verum eciam in rempublicam totam Christianam: tamen cum mentem Sanctitatis suae et id, quod Illm̃a et Rm̃a D. V. ut referrem Magestati suae, mihi iniunxit, eum iam certo futura creacione Cardinalium futurum: quievit animo facile Magestas sua, et gratissime hoc nuncium a me accepit, pro reque certissima Magestas sua iam habet. Et illud miratur Magestas Regia, quod causa Iuris patronatus ita, uti Magestas sua literis, et ego quoque verbis ad Illm̃am D. V. Rm̃os quoque Crescencium et Mapheum Cardinales nomine Magestatis suae pecii, non sit ad partes delegata. At cum hoc ad negocium Rever. D. Andreae Czarnchovii pertinere videtur, in cuius graciam Magestas sua equitati serviens hoc connatur, ut in hoc auctoritate Regis Czarnchovii ius servetur: supplico Rm̃ae et Illm̃ae D. V. velit summam racionem habere presentis, qui in legacione ad Sedem Sacram non solum ob nobilitatem familiae suae, et ob praeclara maiorum suorum merita, verum eciam cum intelligant omnes eum esse in Regis gracia, Italiaeque ingenio educatum, putabat Magestas sua, eum accepciorem et Illm̃ae et Rm̃ae D. V. et Sanctissimo nostro futurum: Illm̃a et Rm̃a tamen D. V. ipsa cognoscet hominem.

Ego vero, qui tot beneficiis et summa clemencia ab Illm̃a et Rm̃a D. V. sum affectus, facere non potui, quin aput omnes summam illius clemenciam praedicarem, quam ego non meritis meis ab Illm̃a et Rm̃a Dom. V. sed summa propensione animi in Magestatem Regiam et Rm̃um D. Crachoviensem meum aput omnes praedico, perpetuoque nomen Farnesiorum praedicabo. Quam diu foelicissime vivere opto ac desidero. Crachoviae XX. Septembris Anno MDL.

Illmae. ac Rmae. Dom. Vestrae

perpetuus servitor

LORENZO, Secretario.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCXLIX.

Episcopo Posnaniensi conceditur, ut veluti senator regni in regni consiliis, in quibus de causis criminalibus agitur, interesse possit.

Venerabili fratri Benedicto Episcopo Posnaniensi.

Iulius PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui ratione ecclesiae Posnaniensis, cui praeesse dignosceris, Regni Poloniae quartus in ordine senator existis, et exinde teneris in consiliis Regni, in quibus plerumque causae et negocia sanguinis, honoris et status, ac alia plura criminalia tractantur, interesse et super eis consulere, et votum tuum quandoque absolvendo, et quandoque condemnando, prout fert iustitia, dare, dubites, tum ex eo quod praemissa hactenus executus fuisti, tum quia ex causa dissentionum et discordiarum, quae inter personas status Ecclesiastici et status saecularis ob turbatam religionem ad praesens in istis partibus vigent, pro defensione Cleri et Ecclesiasticae libertatis, et ut vim vi repellas, aliquot armatos in tui subsidium habere coactus fuisti, sententias, censuras et poenas Ecclesiasticas in similia praesumentes latas, et exinde irregularitatem incurrisse, nobis humiliter supplicari fecisti, ut statui tuo in praemissis consulere, ac tecum super praemissis dispensare, aliasque conscientiae tuae se renitenti opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes (te) ob fidei et devotionis affectum, quo nos et Romanam revereris Ecclesiam, favore prosequi gratiae specialis, huiusmodi supplicationibus inclinati, te a quibusvis excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis per te praemissorum occasione, et quia sic ligatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrasti aut alias te in illis immiscuisti, contractis auctoritate Apostolica tenore praesentium absolvimus, ac tecum, quod in ordinibus per te susceptis etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura saecularia et quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus Apostolicis in titulum et commendam ac alias obtines, retinere, nec non dictae ecclesiae Posnaniensi praeesse, illam in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis tibi dudum impenso uti, necnon de caetero quoties opus fuerit, in consiliis praefatis interesse, et tam solus, quam cum aliis dicti Regni senatoribus te rebus criminalibus, quae inibi pro tempore tractabuntur, immiscere, ac cognitioni et decisioni quarumcumque causarum et quaestionum criminalium contra quoscumque, etiam clericos saeculares et quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares, alias tamen tuae iurisdictioni subiectos intendere, necnon votum tuum absolvendo, et etiam condemnando, etiamsi exinde mors aut mutilatio membrorum, vel alia etiam sanguinis poena subsequi debeat, dummodo a sententia ipsa per te ipsum ferenda abstineas, dare et praestare, necnon pro defensione Catholicae fidei ac Cleri et Ecclesiasticae libertatis huiusmodi, et ut vim vi repellere possis, armatos tot quot opus fuerit in tui subsidium habere, absque alicuius irregularitatis seu inhabilitatis, vel infamiae macula seu nota, aut aliquo sententiarum, censurarum et poenarum Ecclesiasticarum contra similia perpetrantes latarum incursu, aliasque libere et licite valeas, de specialis dono gratiae dispensamus, Non obstantibus praemissis, et quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ipsius Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20. Octobris 1550. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LIX. fol. 371.

DCL.

Pontifex regi Poloniae de obedientia sibi per oratorem suum praestita gratulatur.

Charissimo in Christo filio . . . Regi Poloniae Illustri.

Iulius PP. III. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Accepimus litteras Serenitatis tuae, quas nobis dilectus filius Andreas Czarnkowski reddidit: et quae ipse Andreas nobis eius nomine exposuit, libenter audivimus. Agnovimus enim cum in litteris, tum in Oratoris tui verbis egregiam illam fidem et observantiam, quam erga hanc Sanctam Sedem et clarae memoriae pater tuus, et omnes maiores tui semper prae se tulerunt. Gratulationi de nostra ad summum Pontificatum assumptione tam honorifice, tantaque cum pietate nobis expositae benemerendo de isto amplissimo Regno, quibuscumque rebus cum Deo potuerimus, ut respondeamus, enixe operam dabimus: atque omnino efficere cona-

bimur, ne nostra erga te, fili charissime, officia minora ullo unquam tempore videri possint, quam ea fuerunt, quae praedecessores nostri maioribus tuis praestiterunt. Quod eo impensius faciemus, quo te illis et religione et omnibus virtutibus, quae ab excelso eodemque maxime Christiano Rege expectandae sint, non modo parem, sed superiorem etiam fore generosa indoles tua, et praeclara documenta, quae iam saepe dedisti, dum Catholicae ecclesiae auctoritatem divina ope fretus constanter et acriter tueris, nobis facile pollicentur: obedientiam quidem a te nobis more maiorum exhibitam pio animi affectu et plane paterna excepimus caritate. Cognoscet vero Serenitas tua ex Oratoris sui verbis, qua simus erga ipsam voluntatis propensione, quantoque animi ardore Christianam Rempublicam, cuius nobis gubernacula a divina bonitate commissa sunt, in pristinum decus ac dignitatem restituere contendamus. Cum ipso enim Oratore (quod virum summa gravitate, prudentia ac fide praeditum cognovimus) cum alia multa, tum quae ad Oecumenici Concilii rationes pertinent, communicavimus. Cognoscet etiam ex eodem, quanta et quam prompta fuerit nostra in his, quae Serenitatis tuae nomine postulavit, ipsi gratificandi voluntas: ac in sequentibus dehinc temporibus intelliget Serenitas tua, nihil fore nobis iucundius, quam honestissimis ipsius votis ac postulationibus, quibuscumque Deo favente licitum fuerit obsequiis, annuere. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die xx. Decembris MDL. Anno Primo.

M. Cardinalis Crescentius.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLI.

Episcopo Posnaniensi, ut contra episcopum Enensem procedere et omnes regulares etiam exemptos in sua dioecesi reformare possit.

Venerabili fratri Benedicto Episcopo Posnaniensi.

IULIUS PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, Venerabilis frater Iacobus Episcopus Enensis, de cuius alias, tunc ordinis fratrum Minorum professoris, persona Ecclesiae Enensi tunc certo modo pastoris solatio destitutae provisum, et cui, quod in civitate et tua diocesi Posnaniensi Pontificalia officia exercere valeret, indultum Apostolica auctoritate extitit, suarum salutis et professionis immemor, Deique timore postposito, habitu regulari abiecto, mollibus ac luxuriosis vestibus, etiam sericeis, ac rocchettis lineis, nec non birretis rubeis, et aliis indumentis dictae professioni, necnon personae et statui suis indecentibus et prohibitis uti, et omnia ad eius libitum confundere praesumat, ac tibi Praelato suo parere, et Pontificalia officia iuxta decreta et mandata tua exercere recuset, et diversi clerici et presbyteri, ac aliae personae Ecclesiasticae tam saeculares quam utriusque sexus diversorum ordinum regulares, et religiosae dictarum civitatis et diocesis sub praetextu, quod ex diversis privilegiis eis per Sedem Apostolicam concessis ab ordinaria iurisdictione tua exempti, et dictae Sedi aut aliis mediate vel immediate subiecti existant, et propterea a te corrigi et puniri nequeant, curam animarum eis ratione beneficiorum ecclesiasticorum, quae in civitate et diocesi praefatis obtinent, et cultum divinum negligant, ac alias diversimode excedant, variaque crimina et delicta committant, ac vitam eis minus convenientem ducant in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, ac tuae iurisdictionis ordinariae contemptum: nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi per te, vel tuum in spiritualibus Vicarium generalem praefatum Iacobum Episcopum ad decentibus, necnon personae, professioni et statui suis convenientibus habitu et indumentis utendum cogendi et debite coercendi, ac iuxta eius demerita puniendi, necnon clericos et presbyteros, et alias personas huiusmodi visitandi, corrigendi et puniendi facultatem et auctoritatem concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes Romanum Pontificem omnium exemptorum Iudicem ordinarium existere, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in iis et aliis maioribus specialem in Domino fiduciam obtinemus, quod donec apud Ecclesiam Posnaniensem, cui praeesse dignosceris, resederis, per te ipsum vel tuum in spiritualibus Vicarium generalem eundem Iacobum Episcopum ad decentibus ac personae, professioni et statui suis convenientibus habitu et indumentis utendum cogere et debite coercere, ac iuxta eius demerita punire, necnon quascumque utriusque sexus tam saeculares, quam cuiusvis etiam dictorum Cisterciensium et Mendicantium, ac sanctae Clarae ordinum, non tamen militiae sancti Ioannis Hierosolimitani, regulares personas a iurisdictione tua ordinaria quomodolibet et qualitercumque exemptas, etiam dictae Sedi immediate, aut eorum Praelatis et aliis superioribus tam intra quam extra limites dictae diocesis consistentibus, ac illorum et non tuae iurisdictioni subiectas, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, et quibus-

cumque exemptionibus et immunitatibus praeterquam ratione residentiae in Romana curia suffulti fuerint, auctoritate nostra, appellatione remota, visitare et contra illas etiam per viam inquisitionis vel investigationis seu denunciationis, aut ex officio vel appellationis seu requisitionis procedere, et delinquentes seu alias quomodolibet culpabiles repertos corrigere et debita animadversione punire, necnon monialium, sororum et quarumcumque aliarum mulierum quocumque nomine nuncupatarum, etiam praefatorum et quorumvis aliorum ordinum Monasteria et alia regularia loca tam in capite, quam in membris, iuxta eorum regularia instituta reformare, nec non omnia in praemissis necessaria facere, exercere et exequi, ac superinde statuere et ordinare libere et licite valeas, Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam, facultatem et potestatem concedimus, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon quibuscunque privilegiis, indultis et litteris Apostolicis praefatis ordinibus etiam Mendicantium et illorum personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et nemini adversus praemissa suffragari posse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod quoad loca et exemptos alios superiores habentes contra eos vigore praesentium procedere nequeas, nisi prius eorum superiores per te, vel eundem Vicarium tuum super visitatione et correctione ac aliis praemissis debite requisiti, ea infra competentem eis ad id praefigendum terminum exequi recusaverint seu distulerint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20. Octobris 1550. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LIX. fol. 377.

DCLII.

Regina Poloniae pontifici de sede Chelmensi Iacobo Uchanski collata grates agit.

Sanctissimo ac beatissimo patri et dño, dño Iulio tercio etc. Summo Pontifici.

Sanctissime ac beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Studium, observantiam et servitutem meam perpetuam summisse in primis defero Sanctitati Vestrae, eiusque deinde pedes beatos reverenter exosculor. Quod a Sanctitate Vestra preces meae humiles non ita pridem apud ipsam pro Rñdo Iacobo Uchanski adhibitae tale pondus reportaverint, ut earum propemodum causa ipsum Iacobum Uchanski Episcopatui Chelmensi preficere dignata sit, habeo quam maiorem possum gratiam Sanctitati Vestrae dño meo clementissimo. Quodquidem non tam precum mearum efficatiae aut aliquibus meritis meis, quae nulla prorsus erga eandem Sanctitatem Vestram extant, quam singulari eius in me clementiae tribuo, quam ut Sanctitati Vestrae digne promereri queam, adhibebo eam animi mei cogitationem, ut non modo id nunc fecisse gratum sit Sanctitati Vestrae, verum et deinceps quequc alia facturam illam mea causa lubentissime plane confidam. Quod vero attinet fidem et constantiam meam in colenda sacrosancta hac sede apostolica et Sanctitate Vestra, eam proculdubio perpetuam in me agnoscet Sanctitas Vestra, cuius gratiae me iterum diligentissime commendo, eamque diutissime sanam, sospitem et florentem esse pro universe reipublicae christianae utilitate ex animo precor. Warsowiae xx. Februarii MDLII.

Eiusdem Beatitudinis Vestre

Obsequentissima filia
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLIII.

Rex Poloniae a pontifice petit, ut episcopus Plocensis in mensibus pontificiis beneficia conferre possit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Iulio divina providentia Papae III. etc.

Beatissime pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique Regni ac dominiorum meorum commendationem. Quoniam singulari fide atque observantia erga me est

Reverendus dominus Andreas Noszkowski Episcopus Plocensis, peto a Sanctitate vestra quo maiore possum studio ac animi demissione, dignetur Sanctitas vestra indultum illius, quod conferendorum in diocesi sua beneficiorum in mensibus Sanctitatis vestrae habet, prorogare, ut habeat quo iis, quorum opera in Episcopatus muneribus procurandis utitur, benigne facere possit. Nam nunc profecto, Beatissime pater, si quando alias unquam Episcopi huius regni mei eorum virorum, qui vitae morumque pietate ac doctrina excellunt, praesidio opus habent, hac lutherana haeresi passim hić vires sumente, in quos sumptu non mediocri opus est, ac iis ipsis benefitiis, quae indulgentia Sanctitatis vestrae habent. Hoc beneficium Sanctitatis vestrae ad retinendos homines nostros in sanctae Romanae ecclesiae religione ac Sanctitatis vestrae fide vehementer conferet. Commendo me, Regnum dominiaque mea clementiae et benignitati vestrae. Datum in civitate nostra Gedanensi die XVI. mensis Augusti, Anno domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Regni et dominiorum meorum XXIII.

Eiusdem Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLIV.

Ferdiuandus rex Romanorum petit dispensationem, ut Catherinam filiam suam Sigismundo Aug. regi Poloniae desponsare possit.

Beatissimo in Christo patri et dño, dño Iulio III. divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, domine reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Multae ac diversae eaedemque gravissimae sunt causae, propter quas summopere cupiamus Sanctitatis vestrae permissione ac dispensatione suffragante Serenissimo Principi domino Sigismundo Augusto Regi Poloniae, magno Duci Lithuaniae ac Russiae, Prussiae etc. filio et consanguineo nostro charissimo, Serenissimam principem dominam Catherinam Archiducissam Austriae etc. Ducissam Mantuae etc. filiam nostram charissimam secundum ritum sanctae matris ecclesiae desponsare ac in veram et legitimam coniugem et uxorem dare, nempe pro utriusque nostrum Regnorum dominiorumque et subditorum perpetua amicitia, pace et tranquillitate conservanda, fulcienda et exaugenda, ac praesertim pro defensione et commodo universae christianae reipublicae cum debita erga Sanctitatem vestram et sanctam illam Apostolicam Sedem obedientia et observantia, eamque ob causam iniunximus Reverendissimo ac nobili devoto Don Didaco Lasso di Castiglia, nostro consiliario et apud Sanctitatem vestram agenti, hoc negotium obtinendae necessariae desuper dispensationis apud eandem Sanctitatem vestram, perquam diligentissime tractandum et primo quoque tempore foeliciter conficiendum, sicuti Sanctitas vestra ab eo cognoscere dignabitur. Propterea reverenter et impensissime rogamus et obsecramus, ut predicto agenti nostro in iis, quae ei nomine nostro dixerit, benignas aures praebere et plenam indubiamque fidem adhibere, ac simul petitam huiusmodi necessariam dispensationem nobis benigniter concedere dignetur, in primis cum hoc non solum in nostrum ac praedicti Serenissimi Regis Poloniae privatum commodum cedat, sed sicuti speramus in deo omnipotenti, toti reipublicae christianae proficuum futurum sit, sicuti Sanctitatem vestram pro suo clementi et paterno erga nos animo ac pio rem christianam iuvandi studio propensissime facturam esse non dubitamus. Id quod simul cum Serenissimo Poloniae Rege omnibus filialis observantiae officiis erga eandem promereri contendemus, cui nos reventer offerimus et obsequiose commendamus. Datum in oppido nostro Sopronio die quarta mensis Maii anno dñi MDLIII. Regnorum nostrorum Romani vigesimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Humilis et obsequens filius

FERDINANDUS.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLV.

Rex Poloniae pontificem exorat, ne permittat, ut sacerdotes in ecclesiis Poloniae et Prussiae sine suo consensu coadiutores sibi associent.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post mei Regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. In omnibus Regni mei ecclesiis est id in more institutoque maiorum positum, ut nemo sibi vicarium, quem adiutorem vocant, in sacerdotium sine meo consensu possit asciscere, idque pro eo ac debetur firmiter et inviolate servatur. Supplico

Sanctitati vestrae, ut in Prussia quoque, quae et ipsa mea provincia est, idem deinceps fieri servarique velit. Quum enim Pruteni Germani natione sint, iisque undique septi, quibus, Romanae ecclesiae institutis abiectis, novam quandam hoc est nullam religionem amplecti collibuit, pernecessarium est omni ratione providere et cavere, ne qua illis asciscendorum temere vicariorum et occupandorum me inscio sacerdotiorum potestas permittatur. Ea de re ad Rmum dominum Cardinalem Puteum pluribus scripsi. Deus optimus maximus Sanctitatem vestram ecclesiae suae diutissime incolumem conservet et omni genere foelicitatis comulet. Datum Vilnae die xxv. Maii. Anno domini MDLIIII. Regni mei xxv.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae manu pp. ss.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLVI.

Aloysius Lippomannus episcopus Veronensis nuntius apostolicus in Poloniam mittitur.

Venerabili fratri Aloisio Episcopo Veronensi.

Iulius PP. III. Venerabilis frater etc. Fortasse fraternitas tua ob perpetuam suam pro Religione christiana, fideque catholica in rebus his vigilantiam non minus quam nos audivit, in Poloniae Regnum nobilissimum, nullaque antea macula infectum, pravitatis haereticae contagionem ita nonnullis in locis serpere coepisse, ut nisi aliquod remedium, atque illud quidem praesens adhibeamus, vehementer timendum sit, ne natio illa universa corrumpatur, atque in id morbi genus facile incidat, quod (ut optime novit tua fraternitas) aut nunquam, aut raro sanari potest. Quare cum videamus maxime necessarium esse, ut illuc aliquis mittatur, qui non solum nostro et Sanctae huius Sedis nomine, sed sua etiam virtute, doctrina, pietate huic malo mederi et possit et sciat, nemo nobis adhuc in mentem venit, qui ad hanc curationem te vel aptior vel promptior esse videatur, vel in cuius erga nos atque ipsam Sedem studio, diligentia, fide conquiescere tutius possimus. Et quamvis non ignoremus, quantum perturbationis, curae tibi istic creditae, piisque et eximiis tuis lucubrationibus haec profectio allatura sit, quia tamen nostra et Sedis eiusdem causa, ac in primis Domini nostri Iesu Christi, cuius agitur res, omnes labores atque omnia incommoda libentissime te, ut experti iam sumus, suscepturum confidimus, has ad te dedimus litteras, ut fraternitas tua, eis perlectis, ad hoc opus sanctissimum se interim accingat et paret, dum eam de profectionis tempore, deque rebus, quae ad hoc negocium pertinent, certiorem faciamus. Quod quam et nobis ac Regi illi Serenissimo et Deo gratum sit futurum, ex re ipsa plane potes intelligere. Quae res et haec ipsa, quae scripsimus, ut apud te solum sint, neque ullo modo divulgentur, in primis desideramus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XIII. Ianuarii MDLV. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. LXI. fol. 15.

EPISTOLAE PAULI PP. IV.

DCLVII.

Paulus PP. IV. Sigismundo Augusto regi Poloniae suam electionem notam facit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Paulus PP. IIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quando, ita Domino volente, ad eius gregis custodiam Venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales in conclavi congregati, uno omnium consensu quarto abhinc die in locum sanctae memoriae Marcelli Secundi Pontificis Maximi, personam nostram delegerunt, sentimus quidem nos, quantum onus debilibus humeris nostris impositum sit: sed cum divinae voluntati nulla in re quantumvis gravi reluctari debeamus, eo animo ac spe id laturi sumus, ut Deus idem omnipotens imbecillitati nostrae sua ope adsit; praesertim, cum ut ipse videt, qui scrutator est cordium, nos hoc obeundo munere nihil ante oculos nobis prius ponamus, quam animarum salutem, morum emendationem, Christi fidelium pacem et tranquillitatem, ac denique, ut communem Patrem decet, commune omnium bonum. Cum autem non ignoremus Serenitatis tuae mentem pro sua probitate ac virtute cum mente hac nostra maxime convenire, Te quoque una cum caeteris christianorum Regibus vere catholicis salutandum nostris litteris, hortandumque in Domino censuimus, ut primum omnibus precibus Deum optimum maximum rogare velis, ut ea, quae diximus, non minus quam desideramus facere possimus, deinde quod ad tuas partes attinebit, ita nobis in eo adiumento esse, ut pietas tua ac religio perpetuumque in christianam Rempublicam studium, singularisque in sanctam ecclesiam Sedemque Apostolicam amor atque observantia nobis pollicentur. Quae sane omnia iampridem cum caeteris tuis meritis nobis cognita tanti apud nos sunt, ut in privatis tuis ac tuorum rebus, quae cum Dei ac Sanctae huius Sedis honore fieri a nobis poterunt, non minora officia a nostra erga te benevolentia expectare possis, quam nos a Serenitate tua in rebus publicis optamus, speramusque, ut ex Nuncio nostro, quem ad te sumus propediem missuri, Serenitas tua pluribus cognitura est. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. Maii MDLV. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 107. fol. 58.

DCLVIII.

Patres Petrocovienses pontificem per archidiaconum Calisiensem de misera ecclesiae Polonicae conditione edocent.

Sactissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo Divina providentia Papae IV. SS. Rom. ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici dño, nostro clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula Pedum beatorum perpetuam servitutem orationesque nostras vestre Sanctitati humillime deferimus.

Cum in tanto discrimine Religionis Catholice, quod vel maxime incrementum ex praesentibus comitiis Petrocoviensibus capiet, nullum alium tutiorem salubrioremque portum praeter Sanctitatem vestram Sedemque hanc Sacrosanctam Apostolicam habeamus, ad quem secure in praesentibus nostris adversitatibus confugere possimus: mittimus hunc nunctium nostrum Venerabilem D. Franciscum Crasinium, Archidiaconum Calisiensem et Canonicum Cracoviensem ad Sanctitatem vestram, ut ingentia pericula, in quibus Religio Catholica ordoque noster in Regno Poloniae versatur, nomine nostro Sanctitati vestrae exponeret, salubriaque remedia, quibus tantis malis occurri possit, ab eadem supplex peteret: cui ut indubiam fidem in omnibus adhibere, benignasque aures praebere dignetur, a Sanctitate vestra maiorem in modum rogamus. Quod superest, Deus Optimus Maximus Sanctitatem vestram diutissime sospitem atque incolumem conservare dignetur, suoque Spiritu Sancto ipsam corroboret, ut rebus fidei Catholicae iam plane in nostro Regno inclinatis sapientia et authoritate sua, quanto celerius potest, subveniat. Datum ex Comitiis Petrocoviensibus XXI. die Maii Anno Domini MDLV.

Sanctitatis Vestrae

Sacellani et creaturae

NICOLAUS Archiepus Gneznensis Legatus natus et Regni Poloniae Primas, et reliqui Regni Poloniae Episcopi.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. pag. 195.

DCLIX.

Patres synodi provincialis Petricoviensis pontificem exorant, ut concilium oecumenicum Tridenti iam indictum quantocius perficiatur, solemniterque declarant, inconsulto Romano pontifice circa concilium nationale non ita pridem a Romanorum rege ad religiosa dissidia sopienda propositum se nihil acturos.

In nomine domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, Quod anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tredecima, die vero lune vigesima mensis Maii, Sede sancte Romane ecclesie post obitum foelicis recordacionis Marcelli Pape secundi vacante, Anno primo, Petricovie in palacio Serenissimi principis et domini, domini Sigismundi Augusti Dei gratia Regis Polonie, Magni Ducis Lithwanie, Russie, Prussie ac Masovie etc. domini et heredis, ubi de more sua Maiestas cum Senatu Regni Polonie consilia facere consuevit, In mei notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia, personaliter constituti Reverendissimi in Christo patres, domini Nicolaus Dziergowski Dei gratia Gnesnensis Legatus natus et primas, Foelix Ligeza Leopoliensis metropolitanarum Ecclesiarum Archiepiscopi, Andreas Zebrdowski Cracoviensis, Ioannes Wladislaviensis et Pomeranie, Andreas Czarnkowski Posnaniensis, Andreas Nuskowski Plocensis, Ioannes Dziaduski Premisliensis et Iacobus Uchanski Chelmensis Dei gratia Episcopi insimul congregati, tenens et habens idem Reverendissimus dominus Gnesnensis Archiepiscopus suis in manibus quandam protestacionis papiri cedulam eandem michi notario publico infrascripto porrexit, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis.

Quamvis ab inicio statim ad hec usque tempora, quando primum in Germania haeresis nata est, spargique deinde et serpere in gente illa cepit, tam a praedecessoribus nostris Reverendissimis Polonie ordinariis, quam a nobis quoque, qui in eorum successimus locum, summo semper studio cavebatur, ne qua labes ex ea ipsa haeresi in hoc regnum inferretur, neve haec vicinitas et commercia cum hominibus pravis imbutis et infectis opinionibus aliquam nobis pestem afflarent: tamen fieri non potuit, ut haec diligencia nostra eum haberet successum, quem optamus, quo prorsus provincie Regni huius ab omni infectione essent libere. Ceperunt namque primum levia incendia sese exercere ex finitimorum hominum commerciis, que licet per nos sepius fuerint restincta auctoritate ad id Serenissimi principis nostri implorata; tamen sepius deinde erumpentia fatali quadam temporum calamitate lacius hoc Regnum pervaserunt, et in penitiora eius loca penetrarunt non sine maximo dolore nostro, quibus mors optanda, quam aliqua religionis christianae in Regno novatio expectanda. Porro quia nos tantis malis resistentes id pro virili nostra sedulo conati sumus, ut illa averteremus, nonnullos ex ordine ecclesiastico pravorum dogmatum authores non solum Ecclesiastica censura perstrinximus, sed etiam poenis legittimis in eos animadvertimus. Non paucos item ex ordine equestri in ius vocavimus, atque iuris ordine in crimine haereseos servari solito contra eos processimus: que res subito maximarum et gravissimarum turbarum in Regno causa existit, ingensque inde odium in nos ecclesiasticos secu-

larium personarum exarsit, indigne ferentibus omnibus sentencia nostra bona eorum confiscari, ipsosque vita et honore privari debere. Has enim poenas iure divino et humano dictante execrabile haereseos crimen post se trahit, ac preter aeternam anime damnationem, his etiam temporibus malis participes sui involvit. Videns itaque serenissimus et clementissimus princeps noster Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Polonie etc. quanto in discrimine ex hac ordinum perturbacione Regnum suum versaretur, metuensque, ne ex huiusmodi dissidiis aliquid deterius eveniret, Turcarum presertim immanissimorum christiani nominis hostium, necnon Moschorum et Tartarorum exercitibus finibus Regni iamiam incumbentibus, quorum illi aliquot iam arces in Hungaria huic Regno finitimas, a Cracovia civitate primaria non plus fere quam quindecim miliaribus distantes, anno superiori occuparunt; isti vero incursionibus suis, quas contra foedera crebriores facere consueverunt, non parvum detrimentum dominiis sue Maiestatis minantur. Cupiens pro sua clementia Regia rem tam periculosam Reipublice moderatis componere consiliis, comitia publica Anno presenti ad diem vigesimam secundam Aprilis indicere dignatus est, in quibus in primis de componendis istis ordinum dissidiis tractari ceptum est. Quoniam vero eiusmodi dissidia nequaquam componi ac sedari posse intelligebat, nisi prius scismata in religione tollerentur, ita ut omnes idem saperent et docerent, eamque rem alia ratione confici non posse, quam authoritate concilii universalis, quod quamvis iam aliquoties inceptum et celebrari pertentatum fuerit, tamen ad effectum suum peccatis fortasse nostris merentibus hactenus nunquam pervenire potuit. At vero universus Equestris ordo et bona pars Senatus nulla ratione adduci potuit, ut prius de Turcarum bello aliqua inirentur consilia, quam eorum postulatis de Religione satisfieret. Quamobrem sacre Romane Maiestati visum est petere a sancta Sede Apostolica, quo nationale concilium hic in Regno Polonie indici agique liceat, per quod authoritate eiusdem Sedis accedente, controversie de Religione exorte componi possent, illudque, ne res in longum extraheretur, ut quanto celerius fieri potest, ediceretur, cupiebat: interea vero ut Reverendissimi Regni Polonie ordinarii a processibus suis ordinariis ad concilium illud supersederent, contra eos praesertim, qui privatim sub utraque specie Eucharistiam sacram sumere inceperant, aut qui sacerdotes foverent coniugatos, seu qui in celebratione missarum vulgari potius lingua quam latina uti mallent.

Caeterum in aliis rebus, ut nulla admitteretur innovacio sacramentorum, observacio et usus, ut idem retineatur in ecclesiis, quam semper catholici observarunt et etiamnum observant, eaque ut nullis incesserentur blasphemiis, ritus denique a Sancta Romana Ecclesia alieni ne inducerentur, sed ut omnia prorsus ad concilii diffinitionem essent integra, que publico Ecclesie consensu ab omnibus hactenus rata sunt habita: quare nos Nicolaus Dzyergowski Ecclesie Metropolitane Gnesnensis Archiepiscopus, legatus natus et Regni Primas, unacum Reverendissimis dominis eiusdem Regni ordinariis, videlicet Foelice Ligeza Leopoliensi Archiepiscopo, Andrea Zebrdowski Cracoviensi, Ioanne Vladislaviensi et Pomeranie, Andrea Czarnkowski Posnaniensi, Andrea Noskowski Plocensi, Ioanne Dziadaski Premisliensi, Iacobo Uchanski Chelmensi Episcopis in dictis Comitiis tunc presentibus diligenter expendentes muneris et officii nostri partes, attendentesque quod inconsulto capite nostro, sancte videlicet Romane et universalis Ecclesie summo Pontifice, nichil in eiusmodi rebus ad negocium religionis pertinentibus attemptare nobis liceret, consensimus quidem, ut de Concilii Nationalis ac Religionis controversiis ad sanctam Sedem Apostolicam refferretur, eiusque iudicio et arbitrio res tota committeretur, quando quidem Sedes illa aliarum omnium Ecclesiarum sit moderatrix et magistra, sed quantum ad suspensionem iurisdictionis processuum ordinariorum contra hereticos et reliqua contra sanctiones sancte Catholice Ecclesiae attentata nequaquam consentimus, neque id nobis omnino licere putamus, de quo etsi in Senatu coram sacra Regia Maiestate et universis Senatoribus quilibet nostrum ex loco suo publice solemniter protestatus sit, tamen et coram te notario publico solemniter protestamur, et desuper petimus nobis a te fieri tot quot fuerint necessaria instrumenta, vosque hic presentes requirimus in testes, super quibus omnibus et singulis supradicti Reverendissimi domini Nicolaus Archiepiscopus, Episcopi ac eorum quilibet petiit et requisivit per me notarium publicum infrascriptum sibi fieri et tradi unum, duo aut plura, publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec Petricovie sub anno, indiccione, die, mense et loco, quibus supra, praesentibus ibidem venerabilibus dominis Petro Miskowski Scholastico Cracoviensi, Paulo Glogowski Archidiacono Plocensi testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 192.

DCLX.

Episcopus Varmiensis gratulatur pontifici de eius evectione ad S. Petri cathedram, exponit calamitosam ecclesiae Polonicae conditionem, petitque, ut nuntius in Poloniam quantocius et quidem episcopus Veronensis mittatur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo IIII. divina providentia Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime pater et dñe, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum. Quis sit status rerum apud nos, non dubito, quin ex aliis iam audiverit S. vestra, sed uberius tamen et certius omnia cognoscet ex nuntio, quem una cum provinciae suae reliquis Episcopis Rm̃us dñus Archiep̃us isthuc mittit. Causa religionis eo loci proh dolor deducta est, ut gravissimorum concursum periculorum non metuere non possimus. Ac aliqua tamen, antequam Regni Comitia fuissent habita, spes affulserat rerum tranquillandarum, cum allatum esset, a Iulio tertio Pontifice maximo designatum fuisse nuncium ad nos R. D. Aloisium Lipomanum, virum et doctrina et iudicio praestantem, cuius prudentia motus istos, quos cupidi rerum novandarum quidam excitarunt, in synodo provinciali sedatos iri sperabamus et optabamus. Ecce autem rumor de morte Pontificis allatus consilia nostra perturbavit, spem debilitavit, et quantum animorum his addidit, qui christianam religionem eversam cupiunt, tantum nobis, qui conatus illorum pro virili nostra refutare conamur, diminuit. Quid enim facerent membra capite destituta? Sed recreati fueramus non ita multo post, cum accepissemus in locum demortui Marcellum secundum suffectum fuisse, de quo fuit admirabilis quaedam hominum expectatio: quod cum constans esset fama, sic in eo pietatem cum sana doctrina certare, neutra ut alteri cedere velle videretur: sibi tamen ipsi quam minimum tribuere, sed ex Vestrae S. consiliis pendere totus diceretur, verum hoc quoque nostrum gaudium, eo citius omnium opinione ex hac vita sublato, minime diuturnum, sed magno fuit moerore commutatum. Sed qui pater est misericordiarum et Deus totius consolationis, memor clementiae suae, nostrarum autem offensionum immemor, quibus iram illius meruimus, respexit nos tandem oculis misericordiae suae, ac S. Vestram elegit, cuius ministerio pridem optatam iam ab omnibus ecclesiae suae tot iam et tantis tempestatibus et procellis iactatae atque agitatae tranquillitatem restitueret. Quantum putat fuisse gaudium nostrum S. Vestra, quantam gratulationem omnium, cum tam laetae rei nuncius ad nos pervenisset? Magna fuit spes de Marcello, qui proxime antecessit, sed cum is in constituenda religione secundum Deum non in alterius, quam S. Vestrae consiliis fiduciam suam collocasse dicatur, quanto maiora sunt, quae ab ea expectamus, quam ut aetate, sic et authoritate, et rerum usu, et divinarum humanarumque scientia rerum et vitae sanctimonia caeteros longo post se intervallo relinquere, non obscura nec incerta fama cognovimus. Huc accedit, quod cuius nos Regis imperio paremus, ei S. Vestra arcta quadam propinquitate devincta est, ut si cui alteri, nostrae praecipue genti non alius optandus fuerit Pontifex ad res religionis vehementer in hoc regno nostro perturbatas quieti suae pristinae restituendas. Quamobrem tenere me non potui, quin et gaudium ipse meum de hac provectione S. Vestrae litteris meis explicarem, et simul honorem hunc ad illam delatum esse non ipsi magis S. Vestrae quam ecclesiae gratularer. Quid enim ad S. Vestram ex eo praeter curas et sollicitudines, labores et molestias perventurum est? At nos interim tanto feliciores, qui tam sollicito de salute nostra gubernatore, tamquam moderandae navis et ventorum tempestatumque declinandarum perito, facilius nos ad optatum tranquillitatis portum perductos iri confidimus. Quam ut nostram de se fiduciam confirmet S. Vestra, ego quoque quamvis postremi inter rectores loci, sed studio tamen et observantia erga summum gubernatorem nemini secundus, supplex peto. Actum enim erit de nobis, nisi Dei primum, deinde S. Vestrae nobis praesidium affulserit repentinum: quanto fuerit cunctatum diutius, tanto cervicibus nostris maius discrimen impendet. Mittat itaque, quem missura est, quavis cunctatione semota, ac ne quod maius detrimentum capiant ecclesiae, quae sunt in ditionibus Serenissimi Regis mei, nec aliunde secundum Deum quam a S. Vestra rebus suis afflictis auxilium expectant, tempori providere velit. Nullum Christo poterit praestare sacrificium gratius, quam si quem ille sanguine suo congregavit, Sanctitatique Vestrae commendavit gregem suum, eum ab immanibus feris dispergi lacerarique passa non fuerit: sed in eo potius elaboraverit, ut quod infirmum est, consolidari, quod aegrotum, sanari, quod confractum est, alligari, quod aberravit, in viam reduci possit. Nos vero, quum his per Dei gratiam S. Vestrae ministerio, quae nobis impendent, periculis fuerimus liberati, et nos et nostra omnia S. Vestrae debebimus, neque Deum precari supplices unquam intermittemus, ut S. Ve-

stram pro ecclesiae suae tranquillitate tuenda quam longissimo tempore servet incolumem et felicem: Cuius gratiae, clementiae protectionique me qua summa possum animi mei submissione diligenter commendo. Datum Heilsberg in Prussia XII. Iulii. Anno Domini MDLV.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

servus humillimus et addictissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.
Litt. divers. ad Paul. IV. Tom, I. fol. 197.

DCLXI.

Bona regina vidua Poloniae Paulo PP. IV. de eius electione gratulatur.

Sanctissimo in Christo patri et dño, dño Paulo IV. divina ordinatione Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino mihi clementissimo.

Sanctissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestrae beatorum et obsequiorum meorum in gratiam illius commendationem. Cum audivissem maximum Summi Pontificatus honorem ad Sanctitatem vestram omnibus suffragiis delatum esse, pro meo erga istam Sacrosanctam Sedem cultu perpetuo et ipsam Sanctitatem vestram singulari observantia ac propensa voluntate maximam ex eo nuncio cepi laeticiam, committereque nolui, quin statim Sanctitati vestrae summi istius muneris et dignitatis accessionem gratularer. Dominus Deus faciat, ut Sanctitas Vestra in ista Sancta Sede multos annos praesideat ad laudem et gloriam Dei, totius Ecclesiae ac Reipublicae Christianae incrementum, meumque singulare solatium. Id certe Sanctitati vestrae ex animo cupio, quemadmodum plenius eam laeticiam, gratulationem et vota mea Reverendissimus dominus Cardinalis Puteus, Amicus meus charissimus, Sanctitati vestrae nomine meo verbis exponet. Commendo iterum in Sanctitatis vestrae clementiam obsequia mea, eamque optime et diutissime valere cupio. Datae in Civitate nostra Varsoviensi XIX. Iulii, Anno Domini MDLV.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

filia et serva
BONA REGINA etc.
Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 190.

DCLXII.

Regi Poloniae, ut episcopum Veronensem nuntium apostolicum benigne recipiat eique fidem adhibeat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri.

PAULUS PP. IV. Charissime in Christo fili noster, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex pluribus et gravissimis, quibus afficimur, curis haec nos praecipue sollicitat, ut nobilissimum istud Regnum tuum, quod pravorum hominum et depravare alios ac corrumpere cupientium opera humani generis hostis, ut intelleximus, perturbare, et haeresum labe polluere ac contaminare coepit, in catholica religione et fide Ecclesiaeque unitate contineamus; quando ei malo nec Iulius, nec Marcellus felicis memoriae Pontifices, quibus, ut divinae voluntatis placitum est, nos successimus, morte praeventi, ea, quae cogitaverant, remedia adhibere potuerunt: itaque venerabilem fratrem Aloisium Episcopum Veronensem, virum integerrimum et rerum usu doctrinaque praestantem, una cum aliquot maxime piis et doctis hominibus nostrum et Sedis Apostolicae Nuncium istuc misimus, cupientes animarum saluti simul et Regni tui, quod non minore in periculo versatur, paci, quieti stabilitatique pro nostro pastorali officio, et pro paterno in Serenitatem tuam amore consulere, nullum praeterea officium, remediumque omissuri, quod prodesse vobis posse cognoverimus. Etsi autem non sine maximo dolore nostro malum non parum auctum et corroboratum esse intelleximus, tamen nostram in primis spem et fiduciam in summa Dei misericordia ponimus, deinde tuae, charissime fili noster, pietati prudentiaeque confidimus. Qui enim ex piissimis ortus parentibus, in catholicae fidei et religionis cultu, et matris ecclesiae sinu educatus sis, non dubitamus, quin non modo in ea fide, in qua baptizatus es, quamque et a maioribus tuis accepisti, et adhuc retinuisti, sis mansurus, verum etiam omnem operam daturus, ut sparsa istic ab inimico zizania extirpetur, religioque in pristinum statum restituatur, etiamsi ex haeresibus et religionis ipsius perturbatione nullum ad te et Regnum tuum incommodum esset perventurum. Cum vero ipso rerum usu et recentibus exemplis intellectum sit, quot calamitates, quot tumultus, quantam rerum omnium civilium confusionem Principibus et nationibus afferat religionis et divini cultus perturbatio, ipsa quoque Regni tui salutis et publicae pacis ac tranquillitatis ratio cogit huic pe-

sti, dum recens est, mederi, et adversariorum adeo pernitiosos conatus antequam plus roboris et firmitatis assumant, reprimere: omne enim malum in ortu ipso facile extinguitur, inveteratum vero et confirmatum difficillime tollitur. Sed cum nec confirmatione nostra pietatem tuam egere arbitramur, nec hortatione prudentiam, nec desint tibi, qui fidelia et recta consilia dare possint, illud abs te petimus, ut ipsum Nuncium nostrum, qui cum pro Dei honore, tum etiam pro tua laude et Regni tui salute tam longum iter, et tot labores suscipere minime recusavit, ita excipias et tractes, ut te pro tua et maiorum tuorum erga Sanctam hanc Sedem observantia, nostroque in te paterno animo facturum confidimus, eique et viro optimo et Serenitatis tuae studiosissimo ut nobis ipsis fidem habeas. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIIII. Augusti MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 197. fol. 106.

DCLXIII.

Catherinae reginae Poloniae nuntium apostolicum commendans pontifex easdem exhortationes adhibet.

Charissimae in Christo filiae nostrae Catherinae Poloniae Reginae Illustri.

PAULUS PP. IV. Charissima in Christo filia nostra, salutem etc. Cupientes pro nostro pastorali officio et munere, ad quod Divina nos voluntas licet indignos vocavit, omni animi studio exortas in ista olim maxime pia natione haereses, antequam id malum confirmetur, extirpare, divinoque cultui ac religionis integritati, et animarum regnique ipsius saluti consulere, mittimus istuc nostrum et Apostolicae Sedis nuntium Venerabilem fratrem Aloisium Episcopum Veronensem, virum eximie pium doctrinaque et aliis virtutibus ac Dei muneribus insignem, maximam autem spem in Dei optimi misericordia primum habemus, deinde multum Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Regis et Reginae socrus tuae, quibus scribimus, pietate prudentiaque confidimus. Nec vero de Charissima in Christo filia nostra minus nobis pollicemur: novimus enim quam piis catholicisque parentibus orta sis: novimus, quantopere Deum semper timueris. Nec dubitamus, quin in tanto divinae religionis et animarum periculo catholicae et maxime piae Reginae officio sis functura, et eandem fidem, quam in baptismo professa es, constantissime defensura. Vides enim de Dei honore et religione, de populorum plurimorum salute, deque regni ipsius tranquillitate et quiete agi: intelligis, quanto in maiore honoris ac dignitatis gradu a Deo collocata es, tanto maiore studio te debere catholicam ipsius religionem contra seditiosos homines, et coecos ipsos ac coecorum duces defendere, quemadmodum sane facturam te esse confidimus, sicuti etiam ex ipso nuntio nostro intelliges, cui eandem ac si nos ipsos audires fidem ut habeas, abs te petimus. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. fol. 107.

DCLXIV.

Item archiepiscopo Gnesnensi et reliquis Poloniae episcopis.

Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Gneznensi Regni Poloniae Primati.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. In ipso nostri Pontificatus initio, cui nos muneri licet indignos Deus praeesse voluit, et si Dominicum gregem per omnes Christiani orbis partes mentis oculis circumspeximus, nostrum pastorale offitium omnibus praestare parati, rectamque quam divina bonitas nobis donare dignata est, voluntatem rebus et operibus declarare, praecipuam tamen curae et solicitudinis nostrae partem convertimus ad tuendam istius regni salutem, et ad te ac caeteros istic fratres et Coepiscopos in maximo Ecclesiarum vestrarum, et aliorum Christifidelium discrimine adiuvandos, cum intelligamus, quantopere a vobis laboret, quantamque religionis et fidei catholicae perturbationem perpetuus Christi, et eius ecclesiae hostis Sathan per homines rerum novarum cupidos contra vos excitaverit. Cui malo felicis recordationis praedecessores nostri Iulius III. et Marcellus II. mederi, cum id sane cuperent, et iam instituissent, morte praeventi minime potuerunt. Itaque Venerabilem fratrem Aloisium Episcopum Veronensem ad Charissimum in Christo filium Regem vestrum, et ad vos nostrum et Sedis Apostolicae nuntium mittimus, quem ob eximiam et praestantem vitae ac morum integritatem, magnum rerum usum, et non minorem doctrinam in primis idoneum fore iudicavimus. Etsi autem dolemus ex toto corde, istius inclytae nationis nostrae salutem tanto in periculo versari, tamen divina primum misericordia confidimus fore, ut ea tempestas sedetur, deinde Serenis-

simi ipsius Regis vestri vestraque Praelatorum pietate ac prudentia, tuaque praeterea, Venerabilis frater, auctoritate, virtute, constantia, quem optime (ut convenit) animatum esse et causam religionis pie fortiterque defendere non parvorum testimoniis eisque amplissimis quotidie nobis affirmatur. Neque enim dubitamus, quin fraternitas tua memor muneris et officii sui in tam sancta causa non modo comes et hortatrix, sed etiam dux aliorum futura sit, et pro Dei honore, et patriae quiete, et commisso sibi grege constantissime, ut instituit, et ut verum pastorem decet, pugnatura. Cuius fidei et virtutis suae a Deo omnipotente ea praemia accipiet, quae pro ipsius honore et gloria laborantibus in coelesti regno proposita et parata sunt, quemadmodum ex eodem Episcopo omnia copiosius auditurus es, cui si omnem fidem, ut per se is promeretur, adhibebis, nobis gratissimum facies. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Reliquis Poloniae Episcopis.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. fol. 109.

DCLXV.

Ferdinandus Romanorum imperator pontifici res ecclesiae catholicae in Polonia pro viribus se tuiturum, et episcopo Veronensi nuntio in istud regnum misso in omnibus adfuturum esse spondet.

Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo IV. divina providentia Sacr. Romanae et universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, dñe reverendissime, post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Intelleximus tum ex litteris Sanctitatis Vestrae XIV. die proxime praeteriti mensis Augusti datis, tum ex eiusdem nuncii Reverendi devoti syncere nobis dilecti Alovisii Episcopi Veronensis sermone, Sanctitatem Vestram audito rerum Polonicarum in praeceps ruentium statu iussisse, ut iter in Regnum illud, quanto celerius possit, prosequatur, ideoque non dubitare Sanctitatem Vestram, quin accepturi simus eiusdem excusationem, si tantisper sine nuncio remanserimus, donec Reverendus Episcopus Pharensis devotus syncere nobis dilectus ad Sanctitatem Vestram pervenerit, et auditus ab eadem vel remittatur, vel alius ipsi substituatur. Cognita igitur et voluntate Sanctitatis Vestrae et necessitate in eisdem litteris explicata, tantum abest, quod ipsum Reverendum Veronensem diutius hic detinere voluerimus, ut etiam omni studio devotionis suae iter promovendum duxerimus, eundemque una cum legatione sibi demandata Serenissimo Principi Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniae, filio nostro Charissimo, diligenter commendavimus. Caeterum quoniam Reverendus Pharensis ante complures dies hinc discessit, et fortassis ad Sanctitatem Vestram iam quoque appulit, propediem expectabimus, quod aut ipse redeat, aut alius in locum eius succedat, mallemus quidem, si cum bona Sanctitatis Vestrae voluntate fieri queat, Pharensem remitti, qui et nobis ob eius singularem prudentiam ac industriam, vitaeque honestatem cum primis gratus existit, et propter magnum rerum Germanicarum usum atque experientiam plus caeteris profuturus videtur, sed non est nostrum vel in hac re vel in aliis Sanctitati Vestrae modum praescribere, praesertim cum hoc desyderium nostrum Sanctitati Vestrae proxime satis abunde declaraverimus, Sanctitas Vestra nunc quod sibi visum fuerit, aut e re ac dignitate sua et sanctae Sedis Apostolicae fore putaverit, benigne agere et statuere poterit. Quod autem ad ea attinet, quae Sanctitas Vestra a nobis se expectare scribit, quod scilicet nihil omnino simus praetermissuri, quo tot non solum Germaniae, sed Regni etiam Poloniae malis una cum Sanctitate Vestra medeamur, eidem Sanctitati Vestrae timendum non est, quod imposterum ad conservandam propagandamque Catholicam relligionem nostram remissiore quam hactenus animo futuri simus. Cum enim agnoscamus, quae Deus pro ratione regii nostri muneris a nobis exigat, eadem certe alacritate deinceps etiam parati sumus statum eius pro viribus tutari et defendere, quatenus quidem ratio et conditio turbulentissimorum istorum temporum, personarum atque locorum feret, et bonus aliquis effectus ac fructus sperari poterit. Nam quae hic a nobis in arduo isto negotio pro qualitate temporis acta et responsa sint, Sanctitas Vestra a nuncio suo praefato Reverendo Pharense, nec non praefato Reverendo Veronense benigne cognoscere dignabitur, si spes aliqua rei foelicius conficiendae affulsisset, officio utique nostro non defuissemus. Proinde cum nequeamus ad praesens, quae vellemus, ullis laboribus et studiis consequi, Sanctitas Vestra pro sua pietate et aequanimitate ea, quae fieri potuerunt ac debuerunt, boni consulet, ac excusationem nostram maxime necessariam benigno et paterno affectu accipiet, cui filialis nostrae observantiae officia ac studia reverenter deferentes, nos obsequiose commen-

damus. Datum in nostra et Imperii Civitate Augusta Vindelicorum die secunda mensis Septembris Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani vigesimo quinto, aliorum vero vigesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 9.

DCLXVI.

Reginae Poloniae viduae, ut in studio tuendae avitae fidei sedulo perseveret.

Charissimae in Christo filiae nostrae Bonae Reginae Poloniae Viduae Illustri.

PAULUS PP. IV. Charissima in Christo filia nostra, salutem etc. Ex litteris Serenitatis tuae, quas dilectus filius noster S. R. E. Cardinalis Puteus tui studiosissimus nobis reddidit, et ex eius sermone intelleximus, quantum laetitiae ceperis, ut istuc allatum fuerit in hac Summi Sacerdotii sede nos locatos fuisse. Grata nobis quidem, ut debuit, gratulatio tua fuit; et eo gratior, quod abs te profecta est, quam et plurimum ipsi semper in Domino dileximus, et ab ea nos item diligi iudicavimus. Tanta est tamen oneris huius magnitudo, quod Altissimo placuit humeris nostris quamquam infirmis imponere, ut nulla ipsi laetitia ex huius honoris specie, at vero multo maxima dies noctesque ex eo solicitudine afficiamur, cupientes pro nostro pastorali officio gregis nobis a Domino commissi saluti omnibus in locis prospicere atque consulere. Cuius nostrae solicitudinis maxima pars ex haereticorum factione in isto Regno tantopere aucta oritur: qua de re nuncii ad nos litteraeque venerunt, ex quibus quanto res in periculo sit, non sine maximo animi dolore cognovimus. Qua tamen in molestia nos cum multorum aliorum virtus atque constantia, tum Serenitatis tuae egregius et praestans in tuenda catholica fide et vera religione animus non parum consolatur: quem, ut Serenitas tua eo acrius, illustrius vehementiusque declaret, quo apertius quidam et audacius impietatem suam pravitatemque exercent, a te, carissima filia, pro pietate tua, pro loco et auctoritate, quam obtines, et expectamus et petimus: id quod aliis etiam litteris nostris fecimus, quas Venerabili fratri Aloisio Episcopo Veronensi, nostro et Apostolicae Sedis nuntio, ad te dedimus. A nobis quidem et Sede Apostolica nullum officium erga charissimum in Christo filium nostrum Regem, et istam nobilissimam nationem, quod tali tempore vobis praestari possit, defuturum est. In Serenitatem tuam vero tam is noster et est et erit semper animus, ac tanta tibi gratificandi voluntas, quantum cum Domino poterimus, ut in nobis et clarissimae matris tuae memoriam, quam dum vixit, summo studio prosecuti fuimus, et erga Serenitatem tuam paternam charitatem perpetuo vigere, (eamque) a nobis diligi sis intellectura. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die VIII. Octobris MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LVI. fol. 138.

DCLXVII.

Episcopis Poloniae significat pontifex eorum oratorem humaniter se excepisse, hortaturque, ut avitam fidem tueantur, depravatosque cleri mores reforment.

Venerabilibus fratribus Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi Legato nato et Primati,
aliisque Archiepiscopis, Episcopis et Praelatis Regni Poloniae.

PAULUS PP. IV. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Istuc, ut putamus, iam pervenire potuerat Venerabilis frater Aloisius Episcopus Veronensis, noster et Sedis Apostolicae Nuntius a nobis missus, quod ita et fraternitates vestras desiderare et rem ipsam postulare cognoveramus: cum ad nos cum litteris et mandatis vestris venit dilectus filius Franciscus Ecclesiae Calisiensis Archidiaconus, qui diligenter admodum nobis exposuit, quantopere malum istic auctum sit, et quanto in discrimine versetur vestrarum Ecclesiarum salus. Qua ex re quanto dolore et solicitudine affecti simus, non facile dixerimus, quod fraternitates vestrae tali Ecclesiarum tempore ad Sedem Apostolicam sibi confugiendum putarunt, in ea re nos minime spem ipsarum fallemus, neque nostro officio deerimus: verum enitemur, ut ipsarum Ecclesiarum et nobilissimi Regni saluti omnibus, quae apta et opportuna visa fuerint, et quae a nobis potuerint proficisci, remediis consulamus. Nam illud quidem, de quo actum fuerat, ut concilium vestrae nationis Episcoporum istic haberetur ad componendas de fide et religione controversias, nullo modo a nobis probari potuisset: itaque fraternitates vestrae prudenter admodum, et

pro sua erga Sanctam hanc Sedem reverentia fecerunt, quae rem totam ad ipsam Sedem Apostolicam reiecerint. Neque enim in Conciliis Provinciae aut Nationis alicuius de fidei religionisque Catholicae dogmatibus disceptari, ac statui quicquam, vel maiorum nostrorum instituta, vel iuris ratio et sacrorum Canonum decreta patiuntur: de his enim rebus in oecumenicis generalibusque conciliis agendum et decernendum est, ut quae ad omnes pertinent, ab omnibus approbentur. Cum autem eiusmodi generale Concilium in urbe Tridentina haberi coeptum, bis iam propter obiecta impedimenta intermissum fuerit, nos ut congregari id denuo ac perfici Deo iuvante possit, ut optamus, ad tollendas omnes eo remedio haereses et schismata, in eam curam, quemadmodum necesse est, incumbemus, ut pacem inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorem et Henricum Gallorum Regem conciliemus; neque desperamus actioni huic nostrae divinam misericordiam optatum esse exitum concessuram, et utrunque eorum Principum non defatigatione solum et diuturnitate belli, sed sui etiam officii recordatione, et quietis ac salutis Regnorum suorum causa nostris paternis consiliis esse obsecuturum. Interea vero expectabimus vestras et Nuntii nostri litteras, ex quibus quid actum istic post ipsius adventum, quidque rebus inter illum et fraternitates vestras communicatis constitutum fuerit, cognoscamus, non dubitantes, quin illius virtus et prudentia magno vobis solatio et usui sit futura: tunc autem nos quoque commodius statuere poterimus, quid a nobis agendum sit. De quaestionibus autem a vobis exerceri coeptis adversus eos, qui ob crimen haeresis in iudicium sunt vocati, hortamur fraternitates vestras, ut si illi errores suos agnoverint, eosque abiuraverint, vos christianae mansuetudinis et clementiae memores illos absolvatis: pertinacibus vero et alios, qui integri sunt, corrumpere et a recta fide ac matris ecclesiae obedientia abducere conantibus acriter resistendum est. Hoc enim est tempus, quo gregis Dominici partes vobis commissae vestram pastoralem vigilantiam et sollicitudinem maxime implorant, et quo vos illis defendendis, et gratiam ab aeterno earum pastore maximam initis, et vestrae ipsorum saluti simul consulitis: quamobrem nolite ullius periculi metu ab earum defensione et officio vestro deterreri, spem habentes in eo, qui ecclesiam suam nunquam deserit, eamque non levioribus quam hoc tempore tempestatibus alias agitatam concussamque servavit, qui nobis officio nostro acriter seduloque fungentibus aderit, ne plus luporum saevitia ad ovium suarum perniciem, quam pastoris charitatem ad earum salutem valere patietur: pro labore autem brevi aeterna nobis praemia retribuet. A nobis vero omnia auxilia expectate, quaecumque ad sublevandos labores carissimorum fratrum nostrorum pro Dei honore et animarum salute laborantium, Deo ipso adiuvante, offerre poterimus. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die VIII. Octobris MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 254. fol. 138.

DCLXVIII.

Stanislao Hosio episcopo Varmiensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Stanislao Episcopo Varmiensi.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Literae fraternitatis tuae, quas nobis dilectus filius Franciscus Ecclesiae Calisiensis Archidiaconus reddidit, opinionem eam, quam de tua praestanti virtute et studio tuendae istic Catholicae religionis adversus perturbatores eius iam antea habemus, magnopere confirmarunt. Etsi autem gratae nobis hoc nomine fuerunt, acerbissimum tamen nobis de Religionis et Ecclesiarum illius nobilissimi Regni periculo nuntium attulerunt: de quo ex ipsius quoque Archidiaconi multo et accurato sermone cognovimus. Quid enim pro nostra pastorali solicitudine nobis accidere potest molestius, quam praeter tot alias Ecclesiarum calamitates, tot animarum in Germania iacturam, saeviente inimico, tantopere haereses in isto quoque Regno increbruisse, tantumque illi ab eis periculum imminere? Itaque fraternitas tua, sicut felicis mem. Marcellum praedecessorem nostrum iure laudat, ita vere illud quoque iudicat, ex hoc, quo nos quanquam indignos fungi Deo optimo placuit, sacerdotio nihil ad nos praeter labores et molestias et diurnas nocturnasque sollicitudines pervenisse. Etenim si hoc munus unum omnium semper gravissimum et difficillimum semper fuit, quanto id tandem hoc tempore gravius et laboriosius esse censendum est, quo Ecclesia Dei tot haeresum, tot schismatum, tot bellorum fluctibus et tempestatibus agitatur? Sed nos tamen non tam infirmitas virium nostrarum et periculi magnitudo deterreret, quam Dei omnipotentis misericordia, quae super omnia opera eius est, confirmat, et ut nostram pastoralem curam et vigilantiam gregis nobis commissi praestemus, hortatur: quam cum praestare parati sumus omnibus semper Ecclesiae partibus,

tum in primis isti nobis in Christo charissimae nationi. Itaque te et Venerabiles fratres et coepiscopos nostros minime ea, quam in nobis habetis, fallet spes ac fiducia: nullum enim vobis officium a nobis defuturum est, nullum quod a Sede Apostolica praestari possit, auxilium frustra unquam implorabitis. Perge modo, charissime frater, religionem Dei et Domini nostri Iesu Christi fortiter tueri ac defendere, et de patria tua, ut adhuc summa tua cum laude fecisti, quam optime mereri. Istuc iam Venerabilem fratrem Aloisium Episcopum Veronensem, cuius adventum a vobis tantopere expectatum fuisse significas, pervenisse non dubitamus. Aderit is tibi et reliquis istius Regni Episcopis, ac partem laboris solicitudinisque suscipiet, nostramque erga vos omnes fraternam charitatem praesens declarabit. Interea freti vestris orationibus ea nos consilia agitare non desinemus, quibus laboranti Ecclesiae, et fratribus nostris charissimis opem ferre, Deo iuvante, possimus. Datum Romae etc. die VIII. Octobris MDLV. Pontificatus nostri Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 255. fol. 139.

DCLXIX.

Pontifex episcopum Vladislaviensem graviter exhortatur, ut ab haereticis fovendis desistat.

Venerabili fratri Stanislao Episcopo Wladislaviensi.

Paulus PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Etsi non facile credere possumus ea, quae nimis indigna ad nos de tua fraternitate delata sunt, tamen non potuimus non his, quae audivimus, commoveri. Venit autem ad aures nostras te haereticorum, qui in istis partibus sunt, adeo esse fautorem, ut etiam eos alere ac defendere audeas, qui se tanquam eius sectae magistros profitentur, praedicant, scribunt, librisque summae impietatis refertis iam in publicum editis nihil intentatum relinquunt, quo et haereticos ipsos confirment, et catholicos corrumpant, atque utrosque in extremum exitium adducant. Itaque de tua simul et commissarum tibi animarum salute soliciti, admonendum te esse duximus, ut si (quod absit) haec vera sunt, tantum et tam grave scandalum quamprimum tollas. Quod enim maius esse scandalum potest, quam si cum istum in Ecclesia Dei locum teneas, et hoc tempus sit, quo maxime fidem, constantiam, gravitatem tuam Deo probare, et pastoralem ovibus vigilantiam praestare debeas: immemor officii tui, immemor dignitatis ac salutis, impiis et perniciosis eorum consiliis faveas, qui sathanae ministri ac satellites omnibus in locis Ecclesiae pacem turbare, unitatem eius scindere, fidem religionemque Catholicam convellere, Ecclesiasticam omnem disciplinam tollere, ac denique perditi ipsi alios omni ope perdere conantur. Quid boni et fidelis pastoris officio magis potest esse contrarium, quam si oves suae fidei custodiaeque commissas, pro quibus animam, si ita accidit, ponere debuerit, invadendi potestatem ipse lupis fecerit, atque adeo ad illarum perniciem eos nutrierit? Si Dominus tam graviter minatus est requisiturum se ovium sanguinem de negligentium pastorum manu, qui quod infirmum fuerit, non consolidaverint, quod aegrotum, non sanaverint, quod confractum, non alligaverint, quod aberravit, in viam non reduxerint, quid illi faciet, qui non modo haec illarum mala non sanaverit, verum etiam modis istiusmodi longe graviora reddiderit, tandemque lupos ipsos in ipsum ovile introduxerit? Quamobrem considera, frater, tanti criminis, quo argueris, si modo vero argueris, magnitudinem atque gravitatem, memineris in illo tremendo iudicio te apud summum illum et severissimum iudicem tot animarum, quas custodiendas recepisti, pro quibus pretiosissimum is suum sanguinem in cruce effudit, rationem esse redditurum. Et quoniam Dei bonitas et patientia peccatores ad poenitentiam adducit, cave, ne per duritiem et impoenitens cor thesaurizes tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei: cogita quantum malorum isti veterum et iampridem ab Ecclesia damnatarum haeresum magistri florentissimae antea Germanorum invexerint nationi, quantas dissensiones ac tumultus in civitatibus, in vicis, in singulis fere familiis et domibus excitarint: recordare tot indignissimos Episcoporum casus, nefarias tot Ecclesiarum ac Monasteriorum direptiones ac ruinas, quibus ex fructibus quivis facile, qualis eorum doctrina sit, intelligat et cognoscat. Tum tecum reputa, quantopere talibus exemplis isti nobilissimo Regno metuendum sit, tibique ac reliquis Episcopis, ne tantum malum istic augeatur et longius serpeat, providendum. Cupimus falso te insimulatum fuisse, cupimus nihil abs te indignum bono et gravi Episcopo esse commissum: sed si vera sunt, quae tibi obiiciuntur, hac te admonitione ad sanitatem revocare, et in viam veritatis ac salutis reducere studuimus, optantes, ut potius tui te ipsum poeniteat erroris, quam nobis, si in eo perstiteris, tecum agendi severius necessitas imponatur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v. Novembris MDLV. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 265. fol. 145.

DCLXX.

Rex Poloniae suum cum praeceptis ad negotia ecclesiastica in Urbe pertractanda oratorem pontifici commendat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo divina providentia Papae quarto SS. Rom. ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementmo.

Beatissime pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Magnificum Stanislaum Maczieiowski Castellanum Sandomiriensem Consiliarium meum et curiae meae Mareschalcum, Lubomliensem Zavichostensemque Praefectum, oratorem ad Sanctitatem vestram mitto cum certis mandatis. Peto igitur ab ipsa, ut eum benigne audiat, verbis eius fidem habeat, et ad postulata mea hominumque meorum usus ac desiderium clementer sese accommodet. Quam diu sospitem et felicem esse cupio. Datum Vilnae XVIII. die mensis Novembris anno domini MDLV. Regni vero mei et dominiorum meorum anno XXVI.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp.

Instructio prima Magnifico Stanislao Maczieiowski Castellano Sandomiriensi, Curiae Regiae Mareschalco et Lubomliensi Zavichostensique Capitaneo, ad Sanctissimum Patrem dñum Paulum IIII. S. R. E. Pontificem, a Sermo dño Sigismundo Augusto Poloniae Rege data.

Beatissime Pater, Agnoscit S. Rex meus, et quidem non sine magna animi sui voluptate, approbatione et gratitudine paternam Sanctitatis vestrae erga se benevolentiam, et boni ac de omnium salute soliciti Pastoris diligentiam, in eo quod ea ad summum istud honoris ac dignitatis terrenae fastigium divina providentia, horumque amplissimorum Patrum summo consensu laudatissimo iudicio evecta esset, virum praestanti doctrina et sapientia, summaque integritate et gravitate morum, ac singulari humanitate et pietate praeditum, Rmum dñum Aloisium Lipomannum Epum Veronensem, nuntium ad se misit, qui non tam officii causa salutaret Maiestatem suam, ac de evectione Santitatis vestrae certiorem faceret, quam Regno ditionibusque Maiestatis suae in recta religione nutantibus salutarem opem afferret.

Ac decuerat quidem officium istud sedulum Sanctitatis vestrae a Maiestate eius pro studio et observantia ipsius erga sanctam Sedem Apostolicam et magna spe rerum Ecclesiae Christi meliorum, quam de Sanctitate vestra concepit, maturiore gratulatione anteverti. Nec sane cessatum est a Maiestate eius in hac parte: sed cum me Maiestas eius una cum amplissimo consilio Regni sui ante septem vel octo menses ad obeundum id munus designasset, in mora mihi fuit primum pestis cum apud nos, tum vicinos nostros, et in ipsa fronte Italiae, qua iter mihi faciendum fuit, grassans, deinde vero illius ipsius nuncii Sanctitatis vestrae advenientis expectatio, si quid forte is afferret eiuscemodi, quo mandata Regia, quae mihi dabantur, mutari oporteret. Quamobrem quamvis serum, nihilo tamen minus gratum et iucundum esse debebit Sanctitati vestrae officium hoc S. Regis mei, utpote a propensissimo et addictissimo in sanctam Sedem hanc Apostolicam et Sanctitatem vestram animo et studio profectum.

Ac doluit quidem Maiestas eius non indiligentis Pontificis Iulii tertii morte; sperabat namque Maiestas eius conatus illius ad salutem atque tranquillitatem christiani orbis intentos fore: solata est tamen illum Maiestatis eius dolorem eximia successoris illius omni laude cumulati Marcelli secundi virtus, doctrina et pietas, qui ante actae vitae cursum optima spe in posterum bonos et pios omnes impleverat; sed is fulguris in modum cum emicuisset, repente extinctus evanuit, et quasi flos hybernus vix dum exortus emarcuit.

Invidisse videri potuit iratum numen nostris temporibus talem Praesulem atque moderatorem: cum ecce nova lux orbi terrarum divinitus affulsit, quae cogitationes hominum divinis longe dissimiles argueret, doloremque immaturo Marcelli obitu inustum, nec dum penitus in animis piorum radicatum, mirifica quadam laetitia commutaret, quando Patres hi amplissimi divina (ut credere par est) aura afflati Sanctitatem vestram Marcello successorem legerunt, qui doctrina, virtute, pietate et studio iuvandae Reipublicae christianae, repugnandaeque ecclesiae cum illo, ut quam modestissime dicam, certasset, aetate vero et eius comite rerum multarum experientia, quae ad res difficiles gerendas et explicandas permultum momenti affert, illum anteisset.

Ac hae quidem communes sunt piis omnibus laetitia bonaeque spei causae: illa vero pecularis S. Regi meo, quod Maiestas eius Sanctitatem vestram nexu quodam propinquitatis attingit, et iam

inde a multis annis singulari quadam erga se animi propensione fuisse, oratorum et aliorum fide dignorum hominum suorum hinc revertentium predicatione cognovit. Hoc igitur impensius Maiestas eius et Sanctitati vestrae summum in terris honorem decusque Dei Vicarium, et Ecclesiae Reique publicae christianae his tam praeclaris animi ingeniique dotibus praeditum, et vero sibi suisque tam propitium Pontificem atque religionis moderatorem gratulatur, optatque, ut Sanctitati vestrae faustus ac diuturnus iste sit honos et apex Pontificius, sibi vero et populis suis totique orbi christiano optabilis et salutaris.

Deinde vero, quod aliis item christianis Regibus atque Principibus antiquitus usitatum atque solemne est, Maiestas eius R. sese Regnumque ac caeteras ditiones hominesque suos Sanctitati vestrae veluti iusto et legitimo S. Sedis Apostolicae et Ecclesiae Catholicae Praesidi, Christique optimi maximi in terris Vicario reverenter et addictissimo studio per me subdit, atque subiicit in huius Petrae, cui sese iam inde a maioribus suis adglutinavit, firmitate perpetuo libenter acquietura, et Sanctitatis vestrae piis ac salutaribus praeceptis ac monitis, quoad poterit, obsecundatura.

Eo maiori autem studio et alacritate Maiestas eius R. Sanctitati vestrae obsequium et obedientiam suam una cum subiectis sibi populis defert, quo maiorem de ea spem concepit, quod omnes conatus suos ad propagandam et illustrandam Dei gloriam, Ecclesiaeque eius salutem atque tranquillitatem constituendam sit collatura, quo se verum Petri successorem, et Christi servatoris et legislatoris nostri Vicarium probet, dispersasque demonum fraude et in altis schismatum iugis atque aviis haereseon sylvis errantes oves eius omni cura, studio ac diligentia recolligat, et ad ovile Ecclesiae Catholicae et orthodoxae relligionis pascua reducat. Quod cum omnes qui ubique sunt pii ardentibus votis exoptant, tum in primis ille ipse S. Rex meus cum hominibus suis quicumque pietatem colunt, quo magis affinis esse videtur extremo summae perturbationis (ne quid acerbius dicam) periculo, eo maiore desiderio curaque expetit. Qua de re alias, cum videbitur Sanctitati vestrae, planius et copiosius Maiestatis eius mandata et postulata explicabo. Litt. ad Nuntios Tom. XXXIII. fol. 180 et 185.

DCLXXI.

Rex Poloniae pontifici, ut a se nominatum episcopum Vilnensem confirmare velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo, divina providentia Papae IV.
SS. Romanae et universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Beatissime pater, Post oscula pedum beatorum. Commendo me, Regnaque haec mea in gratiam Sanctitatis Vestrae, ei plurimam ac perpetuam salutem precatus. Sublato e vivis Paulo Episcopo Vilnensi, Valerianum Episcopum Luceoriensem dignum iudicavi, qui in illius locum sufficeretur. Est enim Vilnensis Episcopatus in Lituania eo loco ac dignitate, ut qui eum gerit, princeps senatus vocetur. Is porro, quem ei gerendo designavimus, vir est vitae, morum, eruditionis, doctrinae dotibus prae caeteris clarus, authoritateque in iis regionibus inter ecclesiasticos viros facile princeps, ac de nobis, deque hac patria nostra iam multis officiis bene meritus. Eapropter suplico Sanctitati Vestrae, ut eum a vinculo ecclesiae Luceoriensis absolvere, Episcopatuique Vilnensi authoritate sua praeficere, eiusque ecclesie curam et regimen bonorum illi committere dignetur: ita enim optime a Sanctitate Vestra huic Vilnensi provinciae fuerit consultum, quae et infidelibus Schytis et Schysmaticis vicina, talem, qualis hic est, virum requirit, qui et vitae dignitate et doctrinae authoritate a vicinorum contagione gregem sibi commissum evocare queat. Commendo iterum Sanctitati Vestrae me Regnaque mea, Quam ut Christus ecclesiae suae diutissime servet incolumem, precor. Datum Vilnae vii. Kalendas Decembris Anno Domini mdlv. Regni et dominiorum meorum vicesimo sexto.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 181.

DCLXXII.

Rex Poloniae pontifici, ut nominatum Mednicensem confirmare velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Paulo divina providentia Papae IV.
SS. Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Beatissime pater, Post oscula pedum beatorum salutem plurimam et perpetuam felicitatem, ut Sanctitati Vestrae Deus largiatur, praecamur. Sublato e vivis Venceslao Mednicensi Episcopo, Ioannem

a Domaniow Praepositum Vilnensem dignum iudicavi, quem Mednicensem Episcopum appellarem. Nam vir hic est inter nostros homines vita, moribus, doctrina, eruditione, multarumque rerum ex multis peregrinationibus legationibusque publicis comparatarum peritia clarus, et de nobis, deque hac republica nostra optime meritus, ut prorsus merito non alius nobis huic Episcopatui gerendo magis idoneus videretur. Quapropter suplico Sanctitati Vestrae, ut hoc iudicium meum authoritate sua confirmare, huncque Ioannem Episcopum Mednicensem creare, insigniaque tanti muneris sacra illi conferre benigne nostra causa, ac potius harum ecclesiarum gratia, quae talem Episcopum, qualis hic est, valde requirunt, dignetur, curamque animarum et regimen temporalium illi tute ac secure committat, a Deo Optimo Maximo praemium habitura sempiternum, a nobis vero gratitudinem. Quoniam autem hic Episcopatus non admodum amplis censetur proventibus, nec sane eiusmodi, ut dignitatem Senatorii ordinis, in quem omnes apud nos Episcopi iure optimo sunt relati, sustinere possit, peto a Sanct. Vestra, ut canonicatum cathedralis Vilnensis et Vilnensem ac Remigolensem parochiam illum retinere patiatur. Et quamvis duobus digitis dextram casu fortuito mutilatam habeat, dispensatum tamen id sublatumque vitium priorum Summorum Pontificum indulgentia tunc est, quando sacris ante annos plus minus triginta initiaretur. Si tamen nunc quoque ad dignitatem Episcopalem evectum iterum dispensatione propter eundem defectum opus habere illum Sanctitas Vestra iudicat, suplico hic quoque, ad clementiam Sanctitatis Vestrae iter illi ne claudatur, quo minus quam primum et ego et is voti simus compotes, hoc non obstante corporis vitio, quod ille multis animi dotibus compensavit. Commendo iterum atque iterum Sanctitati Vestrae me Regnaque mea, Quam ut Christus diu servet sospitem, opto. Datum Vilnae VII. Kalendas Decembris Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Regni et aliorum dominiorum meorum vigesimo sexto.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 182.

DCLXXIII.

Epo Veronensi nuntio apostolico, ut de episcopis Vladislaviensi et Cracoviensi occulte inquirat et referat.

Venerabili fratri Aloisio Epo Veronensi apud Regem Poloniae nostro et Apost. Sedis Nuntio.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Gravissime antea commoti iis, quae de Venerabili fratre Episcopo Wladislaviensi ad nos delata fuerant, haeretica eum labe pollutum esse, et haereticos homines apud se palam alere, per nostras litteras ad te missas eum ad sanitatem revocare studuimus, quarum exemplum una cum his ad te mittimus, ut si forte illas non acceperit, ipsum nunc ad eum mittas. Hoc autem tempore de Cracoviensi Episcopo nobis renunciatum fuit, ne ipsum recte de religione sentire, quae res solicitudinem nostram magnopere auxit. Quamobrem cupientes, si haec vera sint, tanto malo, antequam corroboretur, obviam ire ac mederi, fraternitati tuae mandamus, ut occulte inquiras et investiges, num haec, quae illis obiiciuntur, vera sint, et quae de utroque compereris, subtiliter ad nos quamprimum scribas, ut cognita veritate possimus ea, Deo auctore, remedia adhibere, quae Ecclesiasticae disciplinae ratio et culpae ipsorum modus postulabit. Qua in re tantam fraternitas tua diligentiam adhibeat, quantam et rei magnitudo poscit, et tuum Catholicae fidei atque animarum salutis studium flagitat. Reliqua ad te scribet dilectus filius noster Carolus Cardinalis Carafa. Deus omnipotens, cui in hoc munere deservis, fraternitatem tuam incolumem conservet, atque ab omnibus malis defendat, et laboris ac diligentiae tuae fructum, quem optamus, pro sua misericordia tribuat. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDLV. Pontificat. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. LXI. Brev. fol. 169.

DCLXXIV.

Regina Poloniae pontifici de litteris per eius nuntium transmissis grates reddit.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Paulo divina providentia
Papae eius nominis quarto, domino suo clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula beatorum pedum subiectionem et obsequium meum promptissimum Sanctitati Vestrae reverenter imprimis defero. Veniens huc ad Serenissimum Regem Poloniae, dominum et coniugem meum charissimum, Reverendissimus

dominus Aloisius Episcopus Veronensis, nuncius Sanctitatis Vestrae, reddidit mihi eiusdem Sanctitatis Vestrae litteras: quibus cognovi curam Sanctitatis Vestrae et solicitudinem paternam de nobilissimorum horum populorum salute susceptam. Quae uti dignissima est Christi Dei et servatoris nostri Vicario summoque ovilis ipsius pastore, ita Serenissimae huic Regiae Maiestati et subiectis ipsi hominibus piis, ac mihi etiam non grata esse non potest. Utinam quidem Deus optimus maximus immensa misericordia sua tam pios, et sanctos hosce conatus in summa hac rerum perturbatione prosperet atque ad optatum exitum perducat! In quo spero et ego una cum Sanctitate Vestra Serenissimi Regis huius pietatem et studium non esse defuturum. Quod ad me attinet, quam non modo cum lacte materno imbibi, sed etiam cum sanguine maiorum meorum hausi religionem ac ceremoniarum sanctitatem, eam perpetuo retinebo, et quantum in me erit, quantumque me decebit, omni ratione provehere studebo: daboque operam sedulo, ne in hac parte optimis ac religiosissimis parentibus ac maioribus meis indigna, neve in Deum largitorem Regnorum et bonorum omnium ingrata iudicer: atque in eo me Sanctitatis Vestrae favore et praecationibus adiutum et confirmatum iri confido. Vicissim autem ego Sanctitati Vestrae novum hunc annum et complures deinceps alios faustos et foelices, ac toti reipublicae Christianae salutares opto, eidemque Sanctitati Vestrae me etiam atque etiam suplex commendo. Vilna Calendis Ianuarii Anno Domini MDLVI.

obseguentissima figlia
CATHARINA REGINA POLONIE.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLXXV.

Regina vidua Poloniae pontifici nominatum episcopum Vilnensem commendat.

Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo IIII. SS. et Universalis Romanae Ecclesiae Summo Pontifici, domino Clementissimo.

Beatissime in Christo pater, domine clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestrae beatorum. Vacante Episcopatu Vilnensi per obitum Pauli Episcopi, Serenissimus Poloniae Rex filius meus charissimus Reverendum patrem Valerianum Luceoriensem Episcopum in demortui locum designavit. Qui qualis sit vir, et quibus ingenii ac morum dotibus praeditus, tametsi ex litteris eiusdem Serenissimi filii mei, quibus eum commendat, Sanctitas vestra abunde cognoscere potest, tamen quoniam is adolescens adhuc in Curia mea existens magnam spem de sua indole praebuit, cui postea in grandiori aetate multis et egregiis virtutibus ita satisfecit, ut et aliis antea honoribus, et nunc Episcopatu primario dignus existimaretur, ei tanquam alumno testimonio quoque meo deesse nolui. Itaque eum sicut virum probum et idoneum Sanctitati vestrae diligenter commendo, ac rogo, ut Serenissimi filii mei de eo iudicium et voluntatem ratam habere, et negocium eius clementer ac celeriter expediri mandare dignaretur, ne Episcopatus ille infidelibus et schysmaticis vicinus cum fidelium periculo diutius vacet. Commendo me ipsam Sanctitati vestrae. Datae Varsoviae XXIII. Ianuarii anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

Eiusdem Beatitudinis vestrae

filia obsequentissima
BONA REGINA etc.

Instrum. Miscell. Poloniae.

DCLXXVI.

Eadem pontifici Ioannem a Domaniow nominatum episcopum Mednicensem commendat.

Beatissimo in Christo patri et dño, dño Paulo IIII. SS. Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime in Christo pater, domine clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestrae beatorum. Inter alios Episcopatus in Magno Ducatu Lituaniae nunc vacantes Serenissimus Poloniae Rex, filius meus charissimus, Episcopatum Medinicensem contulit Ioanni a Domaniow Praeposito Ecclesiae Vilnensis: quem cum sciamus esse virum bonum, gravem et ad Episcopalem dignitatem idoneum, committere nolui, quin eum per litteras meas Sanctitati vestrae commendarem. Peto itaque a Sanctitate vestra diligenter, ut negocium eius de hoc ipso Episcopatu commendatum habere, ac Serenissimi filii mei voluntatem et declarationem approbare, idemque negocium istic et clementer et celeriter expediri man-

dare dignaretur. Commendo me ipsam in gratiam Sanctitatis vestrae. Datae Varsoviae XXIIII. Ianuarii Anno Millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

Eiusdem Beatitudinis vestrae

Filia obsequentissima
BONA REGINA etc.

Litt. diver. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 188.

DCLXXVII.

Episcopo Veronensi nuntio apostolico in Polonia pontifex scribit, ut reditum suum Romam acceleret.

Venerabili fratri Aloisio Episcopo Veronensi apud Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem nostro et Sedis Apostolicae Nuntio.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Diligenter nobiscum locutus est dilectus filius Iacobus Livrerius fraternitatis tuae auditor, sed quo nostri animi dolore plane tum providere potuisti, cum ea, quae nobis attulit, ei mandasti. Quia tamen nec tua fraternitas (ut pro certo habemus), neque nos quidquam huc usque praetermisimus, quod in nobis fuerit, ut malo huic tanto mederemur, consolari nos in Domino debemus, eoque illius clementiae constantius confidere, quo magis his in rebus culpam possumus praestare. De discessu istinc tuo cum eo temporis spatio, quo auditor ipse ad nos venit, quaenam sint consecuta, plane ignoremus, tibi vero praesenti nota esse debeant, tui erit consilii atque prudentiae, pro ipso rerum progressu deliberare, diutiusne remansurus, an statim rediturus sis; utrumque enim arbitrio tuo relinquimus, dummodo nec mora inutilis ac diuturnior nobis et Sanctae huic Sedi contemptum et indignitatem pariat, nec maturior discessus eam Regi et Catholicis spem adimat, quam in nostra et Sedis eiusdem ope non mediocrem ponere professi sunt, sicuti ex eodem auditore pluribus cognosces. Si autem omnino abeundum tibi visum fuerit, literas propterea ad te item seorsum et ad Regem nonnullosque alios scripsimus cum exemplo his coniunctas, quibus tunc uti poteris cum fuerit opportunum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDXLVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. LXI. ep. 320. pag. 185.

DCLXXVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi pontifex nuntium apostolicum Romam se accersire significat.

Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Gneznensi Regni Poloniae Primati.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cur ad nos revocaverimus Venerabilem fratrem Aloisium Episcopum Veronensem Nuncium nostrum, ex eodem ipso cognoscet fraternitas tua: cum enim is apud vos omnia praestiterit, quae hoc tempore a nobis praestari possunt, cumque opera nonnulla Divino cultui sanctaeque ei Catholicae Ecclesiae usui ac dignitati in primis necessaria, quae proximorum Pontificum praedecessorum nostrorum morte pendent interrupta, quantum in nobis fuerit, perficere omnino cupiamus, eum una cum aliis, quorum ad id praesentia indigemus, interim huc accersendum esse censuimus, dum quosnam fructus semen pariat, quod istic Dei nomine per nos seminatum est, expectamus. Eoque id securius nullaque vestra cum iactura fieri potuisse putamus, quo speramus certius, fraternitatem tuam et filium nostrum Charissimum Regem vestrum tamquam optimos patres familias nihil curae, diligentiae, operae, sicut assidue faciunt, praetermissuros, ut ne semen ipsum frustra dispersum sit. Id autem (ut in Domino confidimus) perfacile assequemur, si diligenter a vobis et ab eius imprimis Serenitate fuerit procuratum, ut a bonis operariis mali seiungantur, quorum potissimum culpa corrumpi, devastari et deseri omnia magno nostro cum dolore undique audimus. Et quoniam satis eos vobis notos esse arbitramur, atque in Regis potissimum potestate positum esse videtur (non enim vestri ordinis sunt), ut e vinea Domini, antequam eam radicitus evellant, eiiciantur, plura non scribemus; praesertim cum et his etiam scribendi officiis satis defuncti simus, Dei tantum clementiam implorare nullo unquam tempore sumus intermissuri, ut ipse, qui seminibus et plantis incrementum dat, eiusmodi e nostris apud vos fructus reddere nos dignetur, quibus invitemur, vel eundem ipsum Nuncium, vel alios ad vos remittere, qui ad eos conservandos et augendos nostram et Sanctae huius Sedis auctoritatem, ac quidquid in nobis fuerit, interponat. Quemadmodum procul dubio facturi sumus, quoties id necessarium fore noverimus: nostra interim paterna charitate et Regem ipsum et vos omnes, uti semper consuevimus, non modo amplexuri, sed quavis etiam

in re Deo grata et nobis digna ostensuri, ut idem Episcopus cum tua fraternitate loquetur copiosius. Et quoniam nihil in praesenti aliud habemus, quod ad alios in Regno isto scribamus, quam eadem haec ipsa, quae ad te, faciet nobis gratissimum fraternitas tua, si has nostras literas cum eis communicabit, cum quibus tibi oportunum visum fuerit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLVI. Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Tom. LXI. ep. 332. fol. 187.

DCLXXIX.

Regi Poloniae super eodem negotio.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

PAULUS PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Sicuti Venerabilis frater Aloisius Episcopus Veronensis Nuncius noster, posteaquam ad tuam Serenitatem pervenit, in dies certiores nos fecit, ea opera ab eo et officia praestita esse videntur, ut ad male se habentium salutem, tuaeque Serenitatis et Regni tui quietem procurandam nihil amplius hoc tempore a nobis deberi videatur, quam Deum optimum precari, ut quod nostra imbecillitas non potest, sua is virtute et gratia efficiat. Quamobrem cum in praesenti ad res nonnullas in Dei honorem peragendas inter alios, quos ad id accersiri iussimus, etiam ipsius Episcopi Veronensis opera nobis et consilio maxime opus sit, ad eius fraternitatem scripsimus, ut bona tua cum venia se quamprimum ad nos conferat. Verum ea id spe fecimus, ut si quid aliorum culpa ab eo imperfectum relinquitur, Serenitatis tuae religio et pietas, optimaque et perpetua non solum in tuum tuorumque privatum, sed in commune omnium bonum voluntas (cui voluntati optimae semper Deus praesto est) ad finem optatum omnino perductura sit, suumque nobilissimum et paulo ante sanctissimum et immaculatum Regnum in pristinum statum antea repositura, quam tanto tuo cum dedecore divinaeque Maiestatis offensione funditus labefactetur. Eaque conditione eum revocavimus, ut quoties id necessarium fore cognoverimus, vel ipsum eundem, vel alium non minus vobis acceptum remissuri simus. Interim vero apud tuam Serenitatem istoque in Regno universo eam benevolentiam et charitatem paternam relicturi, qua te ac tuos omnes, cum Sancta Romana et Catholica Ecclesia, nobiscumque recte sentientes perpetuo amplectimur, ac denique praestituri omnia, quae tot nos iam litteris nostris, nostrisque verbis idem Nuncius tuae Serenitati atque Deo in primis polliciti sumus, et quae tanto alacrius, Deo ipso adiuvante, a nobis fient, quanto inde a vobis fructus percipi videbimus salubriores, ut ex eodem Nuncio melius tua Serenitas cognoscet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLVI. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. LXI. ep. 331. fol. 186.

DCLXXX.

Nuntio apostolico, ut Romam redeat.

Venerabili fratri Aloisio Episcopo Veronensi etc.

PAULUS PP. IV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Videmus ex fraternitatis tuae atque aliorum litteris, quas posteaquam istuc pervenisti, deinceps accepimus, te apud Charissimum in Christo filium nostrum Regem, et alios eam operam et ea praestitisse officia, quae a nobis praestari potuerunt, ac si quid forte non ita fieri potuit, certo speramus id Serenitatem eius pro sua Religione ac pietate una cum reliquis suis vere Christi fidelibus perfecturam esse. Quapropter cum in praesenti ad nonnulla honoris Dei causa tractanda eos convocemus undique, qui opem nobis, vel consilium possint afferre, tuaque idcirco praesentia indigeamus, quanto citius poteris, Serenissimo in primis Rege ipso et caeteris, qui fraternitati tuae videbuntur, salutatis, bona cum eius venia te (quod tuae valetudinis commodo fiat) ad nos huc in Urbem conferes, quod nobis non minus erit gratum, quam necessarium. Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLVI. Pontificatus nostri Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Tom. LXI. ep. 330. fol. 186.

DCLXXXI.

Eidem nuntio apost. Rex Poloniae significat, se valde aegre ferre, quae in Seceminensi haereticorum conventiculo acta fuerint.

R̃mo in Christo patri, dño Aloisio Lipomano Ep̃o Veronensi et S. D. N. ad nos Legato, grate nobis dilecto.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et heres. Reverendissime in Christo pater, grate nobis dilecte. Per-

molestum nobis accidit id, quod litteris Reverendissimae Paternitatis Vestrae et Reverendissimi domini Archiepiscopi Gnesnensis nuper accepimus de conventiculo Seceminensi, atque id non verbis modo, sed re etiam ipsa testatum facturi sumus, iudicio persecuturi facinus illud et contemnentem leges publicas licentiam: sed huc evocare authores illius conventiculi per praerogativas nobilitatis et constitutiones Regni nostri nobis non licet, curabimus autem, ut ad futura eiusdem Regni nostri Comitia citentur. Et iam id faceremus, nisi expectandum adhuc nobis potius esse videretur, donec veniant ii, qui ab eo conventiculo ad nos mitti feruntur, quo exactius de re tota cognoscamus. Paternitas Vestra Rm̃a benevaleat. Datum Vilnae XIX. die mensis Marcii Anno domini MDLVI. Regni vero nostri anno XXVII.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX manu pp.

Litt. divers. ad Paul. IV. Tom. I. fol. 183.

DCLXXXII.

Episcopus Sutrianus nuntius apost. pontificem, quae cum rege et praelatis Poloniae in comitiis Petricoviensibus egerit, edocet.

A l'Illm̃o e Rm̃o mio Sig. Patrone ossm̃o Monsig. il Card. Caraffa etc. Roma.

Illm̃o e Rm̃o mio Sig. Patrone osserm̃o.

Con le mie de li xx. ho avvisato quanto ho giudicato essere spediente de dirle fin allhora, con queste intenderà come havendo havuto audienza dal Re martedì prossimo passato, che fumo a li XXIIII. di poi d'essermi congratulato con S. Maestà de la depositione de le vesti lugubri, mi dolsi grandemente, che non fusse stato provisto e prohibito a li Concionatori heretici di non continuare nel concionare, sicome me haveva quella così constantemente promesso di fare, l'ultima volta che io le havessi parlato, et inoltre gli esposi ancora, quanto haveva fatto il Palatino di Vilna in Cracovia, che essendo alloggiato contiguo al Castello, habitatione sua, de la Regina e de le Sorelle di S. M. haveva palesemente con le porti aperte fatto predicare da li suoi predicatori heresiarchi, con grandissimo scandalo e pericolo di contaminare tutto o la maggior parte del populo di quella Città Regia, supplicando quella si degnasse di provedere hormai e non tolerare tali disordini, che non passavono se non con scandalo grandissimo, e che quasi veniva S. M. notata che tutto seguitasse di consenso suo. Mi rispose quanto al primo capo, che si provederebbe ad ogni modo, ma che era necessitata considerata la mala conditione de tempi di procrastinare un poco tal provisione; e quanto al secondo, si escusò non l'haver saputo, e che il Palatino era di già partito di Cracovia. Risposi che io desiderava molto le succedesse che con tali procrastinationi potesse provedere, ma che io dubitavo assai del contrario, e che temevo, che non le causassero tanta difficultà, e non la riducesse a tal termine, che volendo poi non potesse; e quanto al Palatino, che a me era parso molto strano, come havesse presumuto in la metropoli del suo Regno, dov'è la sua regia habitatione, di fare un tal atto, al che non mi diede altra risposta. Et inoltre le diedi un memoriale continente in se l'usurpatione fatta dagli heretici, dapoi il decreto di S. M. fatto in Varsovia, d'una Chiesa, et anco della maggior parte de beni immobili di un Monasterio di Monache, e come in Elbinga quella Comunità haveva occupato un Monasterio dei Frati Dominicani, e convertito una parte di quello in uno stabulo de cavalli, e che li Gedani havevono eretta una schola heretica, pregando quella si degnasse provedere a tutti questi disordini, e non comportare tanta licenza. Mi rispose, che del primo e secondo capo n'era bene informata, e che procurerebbe a luogo suo di provedere; ma che in Elbinga fusse seguito tal disordine, non lo credeva, che potrebbe bene essere, che non essendo in quel Monasterio monaco alcuno, si fusse quella Comunità prevalsa di una parte del cortile, e che ivi havesse edificato lo stabulo. Al che risposi, che questo ancora non si conveniva essendo beni Ecclesiastici, e che se di presente non vi erano frati, disegnava il provincial loro di mandarvene. E circa la schola de Gedani, disse non haverne informatione alcuna, e che provedendosi al resto concernente la Religione, come pensava di provedere, si provederebbe anco a questo. Le supplicai ancora, si degnasse di precludere l'adito all'importunità de'Nunzi, che procurono di excludere li Prelati dal Consiglio e dal Elettione del Re, essendo richiesta indegna e maligna, che ragionevolmente non dovrebbe esser proposta ad un tanto Re, com'è S. M. e massimamente sotto pretesto, che habbino giurato ne la consegration loro al Papa, quel giuramento che giurono tutti li Prelati Ecclesiastici, con ciò sia che di già siano in quasi possessione e del Consiglio e del'Elettione del Rè dal principio, che ricevette la Polonia la Religion Christiana e la parola di N. S. Iddio, e che non se sia mai ritrovato alcuno dell'ordine loro haver disobedito nè cospirato in cosa alcuna per minima che sia contro del Re di Polonia, e che dovesse ben considerare S. M. come venisse fatta bona elettione, accadendo il caso che Iddio lo cessi ne moderni tempi, se la fa-

cultà restasse tutta in poter de secolari. Mi rispose che a ciò era stato provisto il giorno medesimo tacendo il modo delle provisione, intorno a che a me non parve anco espediente di procurar di saperla, e me ne passai a la eseguitione di quanto mi ha commesso V. S. Illma e Rma con le sue de li XII. del prossimo passato, dicendole che io non volevo mancare di far' un offitio con S. M. per precludere l'adito a maligni di darle qualche sinistra informatione, le narrai come havendo il Cardinal Paccecco ricevute lettere dal Re Filippo, ne le quali gl'avvisava la morte del Imperatore Carlo quinto, con commissione che la notificasse a N. S. supplicando anco a S. Santità che si degnasse d'honorare con l'ossequie solite la chiara memoria del Padre, e che inherendo S. B. a l'instituto pio et antico de' suoi predecessori, si contentò di farlo molto benignamente, come a li XII. del prossimo passato furon fatte ne la Cappella maggiore a la presenza sua e del Sacro Collegio de' Cardinali, ma che prima ch'andasse in Cappella, volse che si facesse una dichiarazione, ne la quale si conteneva quanto ho predetto, et inoltre che volendo S. Santità servare la laudabile consuetudine e pietà, nè per qualsivoglia romore o vaga fama che havesse ceduto a l'Imperio, de la quale non gli era mai costato legitimamente preterire tal' officio tanto pio e religioso, decerneva et ordinava le dette essequie doversi celebrare secondo il consueto, dichiarando però, che per quelle non fusse generato alcun pregiudizio a S. Santità nè a la Sede Apostolica, nè a la autorità, nè a la iuriditione di quella, et anco che per tal' atto non fusse acquistata ad alcun'altro ragione alcuna, come protestava, declarava, ordinava e comandava, soggiungendole poi che se forse ad alcuno sarà parso l'atto d'animo più libero che non comportono le forze humane, che nondimeno appresso di ogni Principe christiano doverà riportarne lode, havendo S. Santità posta tutta la speranza in N. S. Iddio benedetto, dal quale dependono gl' Imperii, i Regni et altri dominii temporali, e nel quale sperava non le dovesse mancare del aiuto suo mentre se contentava servirse dell'opera sua, e farebbe d'avantaggio per defensione e manutentione dell'honore di S. M. divina, e della Santa Sede Apostolica, per la quale bisognando non recusava morire. Mi rispose esser certa S. S. non essersi mossa se non a buon fine et indutta da ragionevoli cause. E con questo mi licentiai da S. M. Ho dapoi inteso che volendosi li Prelati liberare da tanta molestia di detti Nunzi, si offersero in quel giorno medesimo di giurar fedeltà al Rè, e come consiglieri giurorono il solito giuramento mettendosi la mano al petto secondo il costume che costumano di giurare i pari loro. Appresso resolvendosi tutto il Senato, che non si potesse altrimenti pacificare il Regno e liberarlo da tanto discrimine, nel quale se ritrova costituto, se non con un Synodo o vero Concilio nationale, nel quale si cognoscesse de la verità o falsità delle nuove oppinioni, è stato detto li Prelati haverlo promesso, et il giorno seguente fece Mons. l'Arcivescovo congregare in casa sua li Vescovi et altri de l'Ordine Ecclesiastico che si trovono in Petrocovia, a quali havendo S. S. proposta la conclusione del Senato, e le cause che lo movevono, richiese che ogn' uno dicesse il suo parere. Rispose l'Archidiacono di Cracovia, che non bisognava ricercarli del parer loro, havendo lor Signorie, voltando il parlar suo a li Vescovi, promesso al Re et al Consiglio di voler congregare il Synodo. Al che gli fu replicato per il detto Mons. Arcivescovo e Mons. di Cracovia, che il tutto haveveno promesso, possendosi ottenere licenza da N. Signore. Il nominato Cuiaviense disse liberamente che si dovesse congregare, perche haveva facultà Monsignore l'Arcivescovo di poterlo fare per se stesso, e che non doveva attribuire ad altri la iuridition sua. Il Plocense rispose ch' egli consentirebbe ad ogni cosa che potesse causare la pace del Regno, purche non si preiudicasse in cosa alcuna a l'honore e iuriditione di S. S. e de la Sede Apostolica.

Il Padre provinciale di san Domenico rispose e disse, che la facultà del Arcivescovo nel congregare del Sinodo non si estendeva piu avanti che circa la cognitione degli Articoli concernenti la fede Catholica, tal facultà era del Pontefice e degli Concilii Oecumenici, e non gli fu dato risposta da alcuno, cognoscendosi che diceva il vero, e nondimeno tutto il resto fu di parere, che volendolo il Re et il Consiglio fussero necessitati di farlo, e cognoscendo Monsig. il Vescovo di Cracovia la difficultà, propose a Monsig. l'Arcivescovo non si dovesse fare nè Concilio nè Sinodo, ma che si facesse una conventione in Cracovia de li capi principali del Clero, e che si mettessero in scritto li fondamenti e defensioni per la fede Catholica contro questi novatori, e che si dovessero dare in scritto a Sua Maesta e supplicarla di metterli perpetuo silentio et astringerli a vivere christianamente, e con questo fu posto fine a quel ragionamento, e per quanto s'intende, dicono doversi fare quanto ho predetto o in un modo o nell'altro alfine di Settembre prossimo in Cracovia. A me non è stato fatto motto veruno da detti Prelati, e con me non hanno participato niente di tal cosa, che mi ha fatto assai maravigliare e turbare, come essendo stato mandato ad istanza loro da N. S. in Polonia e per difesa loro, e trattandosi del pregiuditio de la fede Catholica e de la

iuriditione di S. Beatitudine e de la Sede Apostolica, me habbino taciuto un tal affare, e quasi sia stato da loro negletto. Io non ho per ancora possuto dolermi con loro, essendo continuamente occupati dal'alba del giorno fino a notte nel Consiglio. Dimani che saran vacui non mancarò di querelarmi e risentirmene come si conviene, ancora che mi sia stato detto Monsig. l'Arcivescovo volermi parlare. Ho anco inteso di buon luogo, il tutto esser stato fatto per guadagnar tempo e per sedare di presente tanto furore e rabbie, delle quali son concitati li Nunzi, e perche habbino da inclinare a sovvenire il Re, che li ricerca di sovventione per la difensione de confini. Si dice anchora, che fra quattro o cinque giorni si dissolveranno li Comizi senza essersi resoluto nè fatto alcuna cosa buona, e che prima farà il Re et il Consiglio un decreto sopra la detta materia di congregare il Sinodo, e penetrando che ciò s'habbia da fare, non mancarò di subbito partirmi di Petrocovia, et intanto anco procurarò un'altra audienza da S. Maesta ad effetto di querelarmi di tutte le predette cose. Dissolvendosi li Comizi vorria il Theologo che io ho meco adimandato il padre Canisio, uno di questi preti reformati, andar nel'Alemagna per provedere e soccorrere a Collegii de la Congregatione del'ordine suo, che mi dice patire persecuzioni grandi, e mi ha mostrato una lettera del superiore suo costi di Roma, che li dice haver di tal cosa parlato a V. S. Illm̃a e Rm̃a, e quella haverli fatto rispondere per il Sig. Ferrante de Sanguini, che dissolvendosi li Comizi, e contentandomi io della partenza sua, che potrà andare. Insino alla presente hora non è stato molto di bisogno de la opera sua, che alcuno non si è trovato che se sia curato d'essere imparato e sgannato, e manco credo bisognerà per l'avvenire. Imperò senza commissione di quella non li permetterò che parta, e perciò sarà supplicata con le prime avvisarmi, come mi ho da governare.

Mando alligata la lista di tutti li Consiglieri, de la quale conoscerà li Cattolici, Neutrali e Heretici: li Cattolici saranno senza segno alcuno, li Neutrali son segnati per n., li Heretici son virgulati, e tra questi il Palatino Posnaniense è assai stimato dal Rè. Che sarà il fine di quanto mi occorre di dirle, et in sua buona gratia con tutt'l cuore humilmente mi raccomando, e le bacio la mano. Di Petrocovia il dì XXVIII. di Gennaro del 1559.

Di V. S. Illma. e Rma.

Humil. et affettionato Servitore
EL VESCOVO DI SUTRIANO NUNTIO.

Lettere diverse de' Principi etc. Tom. VIII. p. 248.

EPISTOLAE PII PP. IV.

DCLXXXIII.

Pontifex regem Poloniae de sui electione ad pontificatum ac de episcopi Varmiensis arcessitu edocet.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Rege Illustri.

Pius PP. IV. Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Post maturam admodum et diligentem, sicut tantae rei magnitudo postulabat, consultationem Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium de eligendo successore felicis recordationis Pauli Quarti Pontificis Maximi, tandem ipsa nocte, quae secuta est sacratissimum diem Natalem Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, iis, quae eo die agi solent, religiosissime peractis, sicut omnipotenti Deo placuit, cuius spiritus ubi vult spirat, ad Apostolicae Sedis regimen ipsi, licet tanto muneri impares, electi sumus, tanto quidem fratrum consensu tantaque concordia, ut ex tanto numero ne unus quidem dissenserit. Quod nos onus non viribus nostris freti, quae quam infirmae sint, sentimus, sed divini auxilii misericordiaeque fiducia suscepimus, sperantes fore, ut quo illud auctore subiimus, eodem id adiutore ad divinae Maiestatis suae laudem et gloriam perferamus. De hoc autem, quod Deus operatus est in nobis, etsi non dubitabamus, quin dilecti filii, Nobilis vir Adam Orator et Montius secretarius tuus, atque etiam Venerabilis frater noster Hosius Episcopus Warmiensis Serenitatem tuam continuo certiorem fecerint: tamen id ipsi quoque nostris tibi, sicut decuit, litteris nunciare voluimus, et Celsitudinem tuam paterno animi affectu, sicut facimus, salutare, hortantes te in Domino, sicut commissi nobis officii ratio et paternus erga te amor noster postulat, ut Regii muneris tui memor, et clarae memoriae Regum parentum tuorum, qui piissimi et huius Sanctae Sedis observantissimi Principes fuerunt, vestigiis insistens, sicut te quidem facturum confidimus, eius, per quem regnas, honorem et religionem in Regno tuo tueare atque defendas, ecclesias ac praelatos, ceterasque ecclesiasticas et religiosas personas adversus haereticos protegas, ipsamque haereticae pravitatis pestem nimis late istic serpentem omni diligentia, cura et studio reprimere et coercere coneris, haud dubie, si ita feceris, quieti atque incolumitati Regni simul et tuae saluti animae consulturus. De nobis vero, qui etiam in minore loco positi, te semper dileximus, ita persuasum tibi esse volumus, Charissime fili, habiturum te hoc in loco amantissimum tui patrem, tuae laudi, gloriae et dignitati tamquam eximii filii faventem, omnibusque desideriis tuis, quantum Sanctae huius Sedis dignitas patietur, annuere paratum. Episcopi Warmiensis opera propter spectatam ipsius religionem, doctrinam atque prudentiam uti in animo habemus in obtinendo munere gravi, et magnopere ad universalis ecclesiae commodum pertinente: significandum id esse duximus Serenitati tuae, hortantes, ut si forte ipsa eius reditum expectarit, libenter patiatur, eum nobis ac Sedi Apostolicae potius inservire, ostendatque in eo etiam sibi gratum eum esse

facturum, sicut ab ipso quoque Oratore tuo petiimus, ut ad te scribat: cuius litteris Serenitas tua fidem ut habeat, rogamus. Omnipotens Deus Serenitatem tuam una cum Charissima in Christo filia nostra Regina, uxore tua, benedicat, vosque incolumes et diu ac feliciter regnantes custodiat. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Ianuarii Anno Millesimo quingentesimo sexagesimo. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. ep. 23. fol. 19.

DCLXXXIV.

Rex Poloniae card. Farnesio, insistere velit apud pontificem, ut nominatus archiepus Leopoliensis quam primum confirmetur.

Rmo in Christo patri domino Alexandro Farnesio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali et Vicecancellario, Amico nostro charissimo et honorando.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et haeres, Rmo in Christo Patri Dno Alexandro Farnesio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali et Vicecancellario, Amico nostro charissimo et honorando, Salutem prosperosque rerum omnium eventus. Revme in Christo Pater, Amice noster charissime et honorande, Cum hoc tempore in Regno nostro vacaret Archiepiscopatus Leopoliensis obitu Reverendi in Christo Patris dni Foelicis Ligesa, nominavimus ad eum Sanctissimo Domino nostro Venerabilem Paulum Tarlo Canonicum Cracoviensem, ex illustri familia in Regno nostro, atque fidei et virtutis nobis cognitae in primisque in Sacrosanctis Ecclesiae Sedisque Apostolicae institutis colendis magna fide ac observantia. Postulamus itaque a Rma Pat. vestra, ut autoritatem operamque suam apud Santitatem eius interponere velit, quo nostram de eo nominationem approbare atque illum Archiepiscopum sine difficultate, ac primo quoque tempore renunciare dignetur: quod quidem vel maxime Ecclesiae rationes flagitant, quae in ea temporis perturbatione non possunt diu sine periculo Pastoris praesidio ac vigilantia carere. Faciet in eo Rma Pat. vestra rem nobis gratissimam, et quam illi mutuis officiis nostris referre studebimus. Tandem Rmam Pat. vestram bene valere cupimus. Datum Vilnae xxix. Februarii Anno Domini M. D. LX. Regni nostri xxxi.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCLXXXV.

Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis ad Romanorum imperatorem electum nuntius mittitur.

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariae et Bohemiae Regi Illustri, Electo Romanorum Imperatori.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Convenire paterno nostro erga Maiestatem tuam amori, tuaeque erga Sedem Apostolicam observantiae atque devotioni putavimus mittere ad te, sicut huius Sanctae Sedis est mos, quempiam, qui nostri et ipsius Sedis apud te nuntii fungatur officio, et per quem omnia, quae tractanda erunt, negotia inter nos commode tractari possint. Itaque misimus Venerabilem fratrem Stanislaum Episcopum Warmiensem, in quo ea est vitae ac morum honestas, ea erga Deum religio, is et rerum usus et sacrarum litterarum scientia, ut eum ad hoc munus obeundum merito aptissimum esse duxerimus. Ad repraesentandam autem istic nostram et Sedis Apostolicae auctoritatem eas illi facultates concessimus, quas aliis nuntiis concedere solent Pontifices. Quamobrem hortamur Maiestatem tuam, ut eum pro sua erga hanc Sanctam Sedem reverentia eo, quo decet honore advenientem excipere velit, eandemque illi fidem habere omnibus de rebus, de quibus cum ipsa vel hoc tempore vel in posterum nomine nostro aget, quam nobis ipsis, si secum loqueremur, esset habitura: id nobis vehementer gratum erit. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die xvii. Martii MDLX. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. fol. 81.

DCLXXXVI.

Pontifex capitulum Varmiense monet, curet ut Stanislaus Varmiensis episcopus absens ecclesiae suae fructus etc. percipiat.

Dilectis filiis Capitulo Warmiensi.

Pius PP. IV. Dilecti filii, salutem etc. Visum est nobis Venerabilem fratrem Stanislaum Episcopum vestrum mittere nostrum, et Sedis Apostolicae nuncium ad Charissimum in Christo filium

nostrum Ferdinandum Romanorum Imperatorem Electum, quamquam is sane vehementer redire cupiebat ad ecclesiam suam: sed istic uni tantum civitati eius praesentia utilis fuisset, quo autem eum misimus, illic eius opera et excellens virtus atque doctrina universali ecclesiae proderit. Cum autem is, sicut debuit, nobis in hoc suscipiendo munere obtemperarit, obsequium nostrum et huius Sanctae Sedis optatae suae quieti anteponens, ne absenti universalis ecclesiae causa et laboranti quicquam obedientia et absentia sua damni afferre debeat, hortamur et monemus Discretionem vestram, ut curetis atque perficiatis, ut dum is abest tam iusta gravique de causa, ecclesiae suae fructus ac reditus suis temporibus integros percipiat. Quamquam non hoc tantum praestari illi a vobis aequum esse censemus, sed talis et tam benemeriti Praesulis de ista, immo de universali ecclesia onera aliqua ex parte sublevare minime gravari debetis, cum presertim ea illius sit modestia, ut modico a vobis subsidio contentum futurum esse sciamus. Quod si facietis, ut confidimus, eius studium inserviendi commodis vestris augebitis, et nos charitatem vestram erga vestrum Antistitem et patrem magnopere laudabimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Martii MDLX. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. fol. 104.

DCLXXXVII.

Regi Poloniae pontifex de obedientia sibi per eius oratorem praestita, responso in consistorio eidem oratori dato, gratulatur.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Dilectus filius Magister Ioannes Conarski Notarius noster, et idem Orator tuus in Consistorio publico, ut mos est, tuo nomine ac mandato nobis ac Sedi Apostolicae obedientiam ac reverentiam debitam diligenter admodum praestitit. Fecisti, Charissime fili, quod Catholicum Regem, quod devotum ecclesiae filium decuit. Quam gratum istud nobis officium fuerit, in responso, quod tum ei publice dedimus, declaratum quidem a nobis fuit: sed tamen re ipsa id sumus libentius declaraturi. Audientes enim non sine maximo dolore, quantopere regnum tuum perturbatum sit propter crescentes quotidie haereticorum sectas, statuimus iam ex propediem mittere nostrum et Sedis Apostolicae nuncium, quo auctoritate nostra et tua simul malo isti, antequam vehementius ingravescat, obvietur, universae ecclesiae paci ac tranquillitati postea oecumenico concilio, quod Deo iuvante indicere ac celebrare in animo habemus, consulturi. Iam quae de rebus tuis mandata dederimus Venerabili fratri Stanislao Episcopo Warmiensi, misso a nobis nostro, et Sedis Apostolicae nuncio ad Charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Electum Romanorum Imperatorem, Maiestas tua ab ipso Oratore et a Montio Secretario suo, quorum rogatu ea mandata dedimus, fiet certior. Nec vero aut tu, aut tui quicquam a nobis unquam requirent, quod vel ad honorem, vel ad commodum tuum regnive tui pertineat, quod non libenter, quoad nostra et huius Sanctae Sedis dignitas patietur, facere parati simus, sicut ex ipsius Oratoris tui litteris cognosces. Tu quoque, Charissime fili, parentum ac maiorum tuorum et regii officii memor, salutaribusque monitis nostris obtemperans, quantum potes (persuasum autem habemus posse te plurimum) haereticae pravitatis pestem in regno tuo, dum potes, reprime, haereticis haereticorumque fautoribus omnem aditum ad familiaritatem et ad obsequia tua interclude, immo eos e regno expelle atque eiice, si quos familiares tuos semel iterumve correptos sanare non potes, illos quamvis grati tibi, quamvis accepti sint, praecepti Domini nostri memor, qui non pedi, non oculo, non manui, si nos scandalizaverint, parci vult, sed ea abscindi ac proiici, eos ipse quoque, si gravius in illos statuere non sustines, saltem repelle abs te ac remove, ut vel sic confusi et debilitati animo resipiscant. Deus novit, quam paterno animo haec a nobis dicantur, et quantopere existimationem, honorem ac dignitatem tuam charam habeamus, regnique tui incolumitati ac stabilitati consulere cupiamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Martii MDLX. Pontificatus nostri Anno Primo.

Responsum a Sanctissimo Domino Nostro Papa Pio Quarto datum Oratori Regis Poloniae, quando obedientiam praestitit.

Laetitia et gratulatio Charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae Regis iucunda nobis fuit, non quod aliquid meritis nostris aut virtutibus tribuamus: nam ea omnia, quae nobis obtigerunt, divinae gratiae accepta referimus: sed quia ex ea re egregiam et propensam suae Maiestatis voluntatem erga nos atque Sanctam hanc Sedem agnovimus: sane graviter ac moleste ferimus, eius Regnum ac ditionem et populum haeresibus et erroribus adeo involutum et implicitum esse. Daturi

itaque sumus operam, quantum in nobis erit, ut sublatis haeresibus et dissidis, religio ad pristinum candorem et tranquillitatem reducatur, factis bonis reformationibus et etiam Concilio Oecumenico indicto, si opus videbitur, ut non modo provideatur Maiestatis suae Regnis et populis, sed etiam universo orbi Christiano. Interim mittemus Nuncium ad suam Maiestatem, virum probum et magnae virtutis, cum magna auctoritate et facultate, qui una cum Rege provideat imminentibus malis, et confidimus in Domino, si sua Maiestas se ipsam non deseret, et putrida et infecta membra ab Regno suo abscindet et expellet, perventuram esse rem ad optatum exitum. Agat sua Maiestas pro religione et audeat, et nos illi semper adiumento erimus, et eius honorem et dignitatem semper commendatam habebimus. Obedientiam vero eius laeto animo suscipimus, et simul pollicemur Maiestati suae et Regnis suis protectionem nostram, neque illi ulla re deerimus, sicuti et Maiestatem suam nobis et huic Sanctae Sedi non defuturam pollicemur.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. fol. 107. et 297.

DCLXXXVIII.

Berardus episcopus Camerinensis ad Poloniae regem nuntius mittitur.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum inter alias curas, quas pro commisso nobis apostolatus officio sustinemus, magna nos sollicitudine afficiat pestis haeretica, quam in isto Regno non sine Regni ipsius periculo serpere ac diffundi in dies latius audimus, cupientes tum tantae multitudinis animarum obviam ire periculo, tum Regni istius nobilissimi paci tranquillitatique consulere, praeter alia remedia, quae universalis ecclesiae malis, Deo iuvante, adhibere propediem in animo habemus, mittendum in praesentia istuc duximus Venerabilem fratrem Berardum Episcopum Camerini, Praelatum et vitae ac morum honestate, et Catholicae religionis studio ac doctrina nobis magnopere probatum, qui Serenitati tuae assistat, omniaque tibi officia praestet, quae ad reprimendum tantum istius Regni malum oportuna atque apta esse cognoverit, omnibus denique in rebus et pristinum nostrum studium et paternum iam susceptum erga te amorem diligentissime declaret. Sic enim ei mandavimus, ut nullum officii erga te genus, nullam occasionem inserviendi honori et dignitati tuae, tuisque rebus consulendi praetermittat, quod eum quidem summa cum cura et diligentia curaturum esse confidimus. Hortamur igitur Maiestatem tuam, ut eo illum amore excipiat, quo a nobis est missus, atque ita tractet, ut pro sua in Sedem Apostolicam devotione ceteros consuevit Sedis eiusdem Nuncios excipere atque tractare, omnibusque de rebus, de quibus nostro nomine secum aget, parem ei fidem semper habeat atque ita audiat, ac si nos ipsos audiret, quod nobis vehementer gratum erit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima tertia Aprilis Millesimo quingentesimo sexagesimo. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. fol. 163. fol. 126.

DCLXXXIX.

Archiepum Gnesnensem ad Poloniae regem Stanislaum Varmiensem epum nuntium mittere pontifex docet eumque commendat.

Venerabili fratri Ioanni Archiepiscopo Gnesnensi Regni Polonie Primati.

Pius PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Fraternitatis tuae litteras laetitiam declarantes, quam cepisti ex officio, quod omnipotenti Deo placuit humilitati nostrae committere, libenter legimus, a Venerabili fratre nostro Stanislao Episcopo Warmiensi nobis traditas, eoque illas gratiores habuimus, quo magis idoneum te adiutorem ad hoc ipsum, de quo nobis gratularis, officium exequendum propter insignem religionem, virtutem atque auctoritatem tuam habituros nos esse confidimus, in parte Dominici gregis tuae fidei et curae credita atque illo Poloniae regno: in quo quidem religionis statum tantopere perturbatum esse audientes, eamque ob causam maxima solicitudine affecti vehementer cupimus pro nostri muneris officio opportuna adhibere remedia, quibus ingravescens in dies malum, quantum divina misericordia facultatis dederit, reprimatur. Nec vero ullum, quod a nobis proficisci possit officium, abs te et reliquis fratribus requiri patiemur. De rebus quidem ad tuam et ecclesiae tuae iurisdictionem pertinentibus mandata, sicut desideras, et quidem diligenter dabimus ipsi Warmiensi Episcopo, quem, sicut audisse te scribis, statuimus propter nostrum de praestanti illius religione, providentia, doctrinaque iudicium istuc propediem mittere nostrum et Sedis Apostolicae Nuncium, a quo te tanto-

pere diligi tantique fieri intelleximus, ut res ecclesiae tuae aeque illi curae fore, ac si ipsius essent ecclesiae propriae, minime dubitemus. Caeteris de rebus, quae ad provinciam tuam pertinent, si quid erit eiusmodi, ad quod auctoritate nostra opus esse tibi intelligas, non frustra unquam auxilium nostrum implorabis, atque ut de eis nos quam diligentissime et omni cum fiducia facias certiores, fraternitatem hortamur tuam. Gratum quippe nobis erit, et tua pietate tuoque munere dignum officium, si cum ipso Warmiensi Episcopo vel coram, si isthic te repererit, vel si recesseris, per litteras de rebus ád regnum Poloniae pertinentibus consilia communicaris, et quibus rationibus fides illic Catholica adversus haereticos defendi possit, nos admonendos curaveris: quod ut facias, eamdem fraternitatem tuam hortamur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die III. Maii MDLX. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. X. ep. 108. pag. 83.

DCXC.

Stanislaus Hosius episcopus, deinde cardinalis Varmiensis et concilii Tridentini legatus, summum pontificem et Carolum card. Borromaeum edocet, quae cum imperatore in negotio fidei et pro absolvendo concilio Tridentino egerit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Pio Quarto divina providentia Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum. Perveni tandem, Deo sit gratia, Oenopontum, quamvis imbecilla valetudine, ubi sum functus munere, quod mihi mandavit Sanctitas vestra. Ac primum Illustrissimas filias collaudavi, quod praeter alias virtutes, quibus eas affatim Deus cumulavit, in ea fide, quam a maioribus suis sibi traditam acceperunt, constantes permanerent, et quamvis admonitionis hac in parte non egerent, quoniam tamen instant nunc periculosa tempora, nomine Sanctitatis Vestrae hortatus sum, ut quemadmodum coeperunt, ita deinceps etiam pergerent more maiorum suorum, qui semper et veteris Religionis et sanctae Sedis Apostolicae fuerunt studiosissimi, cum habeant etiam vivum eius rei exemplum paternam Imperatoriam Maiestatem, quae nullius unquam persuasionibus adduci potuit, ut in aliud Evangelium se transferret, sed in eo, quod accepit, et in debita erga sanctam Sedem Apostolicam observantia in hunc usque diem constanter perseverat. Huius igitur vestigiis incederent, ac ea qua coeperunt pietate religioneque, deinceps etiam Deum colerent, sanctamque Sedem Apostolicam revereri nunquam intermitterent, Vestram porro Sanctitatem paterno semper erga illas animo esse futuram, et quicquid vel ad animarum salutem, vel etiam ad commodum illarum temporale pertineret, in eo, si qua daretur occasio, nunquam illis esse defuturam. Responsum est mihi earum nomine, quod gratissimis animis acceperint paternam hanc benedictionem et admonitionem Vestrae Sanctitatis, semper se devotas fuisse sanctae Sedis Apostolicae filias, et ab omni doctrinae novitate plurimum abhorruisse. Itaque nihil est dubitandum Vestrae Sanctitati, quin maiorum suorum exemplo perpetuo sint in eadem erga sanctam Sedem Apostolicam devotione veterique Catholica et Ortodoxa religione permansurae: cui summa cum animorum suorum submissione diligenter commendari petiverunt. Porro apud Regentes pluribus verbis usus sum: admonui illos, quam sint periculosa nunc tempora, quamque diligenter laboret Sathanas, ut sub spetie verbi divini et Evangelii multorum animos illaqueet, et ab eo, quod sibi traditum acceperunt, in aliud quoddam Evangelium transferat. Ante triginta annos exortum fuisse quendam, qui quod ipse doceret, expressum Dei verbum et purum purum Evangelium haberi vellet: mox alios extitisse, qui cum diversum ab eo sentirent de praecipuo fidei Christianae dogmate, suam et non illius, sed nec Ecclesiae Catholicae doctrinam Dei verbum haberi voluerunt. Natos esse iterum alios atque alios, qui hoc ipsum de sua potius doctrina persuasum hominibus esse cupiebant, donec eo ventum est, ut authoritate scripturarum per quosdam scripturis authoritas omnis derogaretur: sic horum hominum audacia seductam miseram plebeculam nunc huius, nunc illius doctrinam pro Dei verbo amplexam esse, et tot propemodum Deos coluisse, quot fuerunt novarum opinionum, quibus Evangelii titulum singuli tribuebant, inventores. Vestram Sanctitatem ingentem ex eo dolorem animo capere, quod eo rem in Germania perductam esse videt, ut eius saluti et tranquillitati pro virili sua prospectum cuperet. Scire Sanctitatem V. quae sit religio, quae pietas Imperatoriae Maiestatis, itaque non dubiam spem ex eo concipere, quod sicut in aliis Maiestatis eius terris haereditariis, sic et in hoc Comitatu cura omnis adhibeatur, ne contagiosa pestis haec multorum animos inficiat. Neque dubitare Sanctitatem V., quod ipsi Domini Regentes ab ea sint immunes, quodque in veteri Catholica et Orthodoxa religione, et erga sanctam Sedem Apostolicam observantia constantes perseverent.

Verum hoc satis non esse, quandoquidem ipsorum fidei Maiestas Imperatoria terras has suas gubernandas promisit, omni cura, studio et diligentia provideri ab illis oportere, ne qua fiat in illis religionis novatio. Quod quamvis eos pro fide atque officio suo facere Sanctitas Vestra non dubitet, quia tamen est illius paterna de salute gentis huius sollicitudo, noluisse committere, quin per me currentibus etiam calcar adderet. Responsum est mihi eorum nomine, quod non possent non laudare plurimum vere paternam hanc sollicitudinem Vestrae Sanctitatis, quamque de illis opinionem Sanctitas Vestra concepit, eam ut ne fefellisse videantur, perpetuo sibi curae futurum. Quod ad ipsorum personas attinet, nunquam sibi novitates istas placuisse, sed se in maiorum suorum placitis libenter acquievisse, et in obedientia sanctae Sedis Romanae perseverasse, deinceps etiam, quoad viverent, perseverare velle: habere etiam ab Imperatoria Maiestate mandatum, ut ne quam in iis terris religionis novationem permitterent. Quae se tanto maiore studio exequi semper esse paratos, cum idem a Vestra quoque Sanctitate sibi praecipi videtur: cui pro eo ac debent, semper pro virili sua parere volunt, ac subiectissimam suam servitutem qua summa possunt animorum suorum submissione diligenter commendari petunt. Cum hoc responso ab illis fui dimissus. Caeterum domum rediens coepi tentari febricula quadam, quam ex vehementi corporis motu et continuo equitandi labore contraxi, ac periculum esse video, ne diutius, quam initio deliberatum habebam, hic subsistere cogar, ut interea affectam valetudinem meam reficere queam. Huc accedit, quod nondum sunt me consecutae sarcinae meae, sine quibus in viam dare me non possum. Supplex a Sanctitate Vestra peto, ut affectae valetudinis meae rationem habere, ac si fortasse praestare minus potero, ut Viennam ad praescriptum a Sanctitate Vestra tempus venire possim, excusationem meam clementer accipere dignetur. Spes bona tenet animum meum, etiam si post Pascha istuc pervenero, quod non erit absque fructu per Dei misericordiam adventus isthuc meus: nihil enim curae, diligentiae et laboris praetermittam, ut Sanctitatis Vestrae de me expectationi respondere queam. Interea Deum precor, ut Sanctitatem Vestram dominum meum clementissimum pro Ecclesiae suae consolatione et fidei Catholicae reparatione diu servet incolumem et foelicem: Cuius me gratiae clementiaeque qua summa possum animi mei submissione diligenter commendo. Datum ex Oenoponti VIII. die Aprilis Anno Domini MDLX.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Servus humillimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Revmo in Christo Patri Illmo domino, domino Carolo Boromeo S. R. E. Diacono Cardinali et Archiepiscopo Mediolanensi, domino dno colendissimo.

Reverendissime in Christo pater, Illustrissime domine, domine colendissime, salutem et servitutis meae commendationem. Perveni tandem huc, Deo sit gratia, utcunque tolerabili valetudine praeditus. Heri a prandio civitatem sum ingressus, et illico nomine Caesareae Maiestatis a Reverendissimo domino Episcopo Transylvaniae et Illustri domino Comite Scipione exceptus. Sum autem animo valde perturbato, quod neque pecuniam ullam, neque instructionem habeo, videorque esse nuntius absque mandatis. Fortasse iubebit me venire ad se Caesarea Maiestas citius voluntate mea, cui quod dicam nescio, quando hactenus nulla mandata ab Illustrissima Dominatione vestra accepi, quae Bononiam ad me mitti debebant. Quod illi paucis in praesentia significandum esse duxi, ut quid mihi desit, scire queat. Caeterum quo minus pluribus mihi cum Illustrissima Dominatione vestra agere liceat, facit et angustia temporis et animi mei perturbatio, et per quem has Illustrissimae Dominationi vestrae mitto, is discessurus illico esse dicitur. Quod superest, opto Illustrissimam Dominationem vestram diu esse incolumem et foelicem, meque illius gratiae diligenter commendo. Datum Viennae feria secunda post conductum paschae Anno domini MDLX.

Eiusdem Reverendissimae et Illustrissimae Dominationis Vestrae

Servitor addictissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Rme in Christo pater, Illme dne, dne colendissime, salutem etc.

Accepi literas Illustrissimae Dominationis vestrae, quibus me certiorem reddit, curae sibi fore, ut primo quoque tempore mittantur ad me facultates, quas ego nondum habeo. Vehementer autem cupivissem instructionem ad me mitti: nam neque memoria sum adeo tenaci, et scio quanti referat instructione non carere. Nunc hic sum nuntius absque mandatis, absque facultatibus, absque pecunia;

quod mihi quidem non potest non esse grave, sed feram tamen oportet. Scio, quid mihi dederit in mandatis Sanctitas eius, ac quod maxime fuit urgens mandatum, de eo iam egi et cum Caesarea Maiestate et cum Serenissimo Bohemiae Rege. De reliquis adhuc verbum non feci: nam de concilio, memoria teneo, quod mihi dixerat Sanctitas eius, cupere se quidem illud convocare, sed cum necdum venerint Galliarum et Hispaniarum Regum oratores, neque certi quicquam de voluntate eorum habeat, nihil se quoque certi de concilio statuere posse; posse me tamen significare Caesareae Maiestati, quod a convocando concilio Sanctitatis eius voluntas aliena non est, si recte memini, tum haec fuit sententia S. D. N. De nuptiis Illustrissimi Caroli Archiducis cum Angliae Regina dedit mihi quidem S. eius mandata, sed cum eae non succedant et iam sit in reditu Maiestatis illius orator, nihil hactenus de illis egi. Dicitur autem hic, immo ex Urbe scribitur, Serenissimam Angliae Reginam habere secretarium isthic suum, per quem petat, se redeuntem ad ecclesiae gremium recipi, ac ad obedientiam Sanct. Sedis Apostolicae praestandam se promptam offert. Quae si res ita habuerit, fortasse iam nihil impediet, quo minus recte nuptiae contrahi possint: de quibus tamen, sicut ipse mihi Caesar narravit, nulla iam spes est. Cuius ego Maiestati dixi, me habere de iis ipsis nuptiis mandata, sed expositurum alio tempore. De concilio vero, nullo unquam verbo meminit, itaque nec ego mentionem ullam adhuc feci. Tertium quod mihi dederat in mandatis S. eius, fuit hoc, ut peterem a Maiestate Caesarea, quandoquidem est compromissarius iudex sive arbiter in causa Barensi inter Serenissimos Hispaniarum et Poloniae Reges, daret operam, ne diu causa extraheretur, sed quod iuris esset, id primo quoque tempore Serenissimus Rex meus Poloniae consequi possit: qua et ipsa de re nondum egi, sed si admonitus fuero ab oratoribus Serenissimi Regis mei, qui praesentes hic adsunt, agam lubens. Haec fere sunt, quae mihi coram vivae vocis oraculo S. D. N. mandavit. Unum fere oblitus fueram: nam et de coronatione noluit, ut ego prius mentionem facerem, sed si peteret se coronari Caesarea Maiestas, non defuturam eius desiderio S. illius dicerem. Itaque nihil hic urgens habeo praeter unum illud, quod ad Serenissimum Maximilianum Regem pertinet, de quo maximopere sum solicitus. Quod si mihi succederet, Deo gratias agerem, et in magna id faelicitatis meae parte numerarem. Cuperem autem vehementer, ut mitteretur aliqua scheda ad me, qua vel de istis quatuor capitibus, quae nunc recensui, vel etiam si visum esset illius S. de pluribus aliis, qua ratione mihi sit agendum, significaretur: nihil est in mora periculi, possem adhuc tantisper differre, dum ab Illustrissima Dominatione vestra responsum accipiam. Misi nuper ad negociorum gestorem domini Antonii Fukeri, num haberet mandatum aliquod de numerandis mihi ducentis coronatis Calendis Maii, et deinceps singulis mensibus: negavit se mandatum ullum habere: itaque scripsi ad ipsum dominum Fukerum, ut me certiorem redderet, velit mihi numerare hanc pecuniam, nec ne. Ego iam de meo sexcentos ducatos consumpsi: unum adhuc mensem, unde me sustentem, habeo, si pecuniae numeratio diutius fuerit extracta, in arctum admodum redigentur copiae meae, neque quid consilii capiam scio, cum praesertim a venerabili capitulo Ecclesiae meae cathedralis bona pars meorum proventuum retenta mihi sit propter castri mei primarii, quod ante menses aliquot magna ex parte conflagravit, restaurationem. Quaeso providere velit Illustrissima Dominatio Vestra, quae providendi facultatem in manibus habet, ut ne sim hic Nuntius, et absque mandatis et absque pecuniis. Caesareae Maiestati literas Illustrissimae Dominationis vestrae reddidi, quodque mandavit in scheda, sum diligenter exequutus: officium hoc Illustrissimae Dominationis vestrae pergratum accidit illius Maiestati. Quaeso autem, ut per occasionem Sanctissimo Domino Nostro servitutem meam commendet, ac ipsa quoque me inter suos servitores numeret, habitura me semper sibi addictissimum. Deum precor, ut Reverendissimam Dominationem vestram diu servet incolumem et faelicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Datum Viennae 11. Maii MDLX.

Eiusdem Revmae. et Illmae. Dominationis Vestrae

Servitor addictissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri ac dño, dño Pio divina providentia Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Papae IV. dño dño Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post pedum oscula beatorum. Oenoponti scripsi Sanctitati Vestrae, quae ibi acta per me sunt. Et cogitabam quidem inde recta Pattaviam, sed quoniam in medio propemodum itineris erat Illustris Dominus Dux Bavariae, si quisquam alius in Germania Princeps vere catholicus, non mihi praetereun-

dus esse videbatur: cum praesertim propter adversos ventos negarent nautae se die Mercurii navigare posse, quod periculum esset, ne forte vix pervenirem ad civitatem illam pro festis Paschatis. Excepit autem me Ill. Dominus Dux perhumaniter, et singularem erga Sanctitatem Vestram devotionem ostendit. Utinam autem multos eius similes haberet Germania, minus nunc laboraremus. Quae mecum is egerit, quoniam ex illo cognoveram, quod ea nulli communicari magis cuperet, quam Revm̃o et Illm̃o Cardinali Augustano, scribenda ad illum putavi, neque dubito, quin is ea quae scripsi, Sanctitas Vestra legerit. Monaci per diem Paschatis commoratus, die lunae sum ulterius progressus, ac necesse habui Wasserburgo plus quam uno die commorari, priusquam pro navibus meis naucleros conquisivissem. Veni Pattaviam die Iovis: simul ut de aduentu meo factus est certior Dominus Episcopus, convenit me domi meae, ac magnam ex eo consolationem capere visus est, quod in has terras nuntium suum Sanctitas Vestra misisset. Iam tandem incipiemus, inquit, respirare, ac omnino fore confidimus, ut causa religionis meliore sit loco. Quaerebatur frustra seculare brachium implorari, exequutionem nullam fieri, quidvis impune licere. Postero die abeuntem prosequutus est me ad navim usque, et suppeditavit vinum, panes, pisces, ac humanitatem erga me maximam ostendit. Ad Dominum Salisburgensem Archiepiscopum non fui profectus, sed ei misi literas Vestrae Sanctitatis, quibus meas adiunxi, quarum exemplum Rm̃o Domino Cardinali Augustano miseram: non dubito, quin cum Vestra Sanctitate communicaverit. Ad tertium Nonas Maii Synodum is provincialem edixit, ex ea puto futurum, ut aliqui mittantur ad me, qui mihi vias et rationes indicent, quibus agendum sit cum Caesarea Maiestate: itaque nihil hactenus tractatum est a me praeter urgens illud negotium, de quo manu mea plura scribam. Significatum erat mihi Pattaviae, quod venerat quidam cum litteris Caesareae Maiestatis ad me, cumque me biduum expectasset, postea Lincium rediit. Ego vero die Veneris intra octavas Paschae praeternavigavi Lincium, sed eo tamen meos misi, qui mihi significarunt, quod is, qui litteras habebat Caesareae Maiestatis ad me, factus certior me Pattaviam venisse, reversus eo fuit cum litteris. Pernoctavi eo die in Mathhausen: in medio noctis venit ille cum litteris, signum tubae dedit. Ego iussi domum aperiri et eum intromitti: et quoniam responsum urgebat, ea ipsa hora respondi. Literarum autem Caesareae Maiestatis exemplum Sanctitati Vestrae mitto. Libenter autem postero die venissem Viennam, sed nulla ratione potui: itaque veni die dominico praeter spem et expectationem omnium. Misit ad me Caesarea Maiestas Revm̃um Dominum Transylvaniae Episcopum, et Illustrem Dominum Comitem Scipionem, qui me nomine Maiestatis illius humaniter exceperunt. Quaesiverunt etiam, num vellem die crastino Maiestatem illius convenire. Respondi, me facturum, quod vellet Maiestas eius, sed si bona cum illius venia fieri posset, malle me fessum de itinere per diem crastinum quiescere. Venit iterum postridie Dominus Comes Scipio interrogans, num vellem proximo insequenti die Maiestatem illius convenire. Cum ita viderem urgere Maiestatem eius, dixi me facturum, quod illa iusserit. Die Martis venerunt ad me Dñus Iauriensis Episcopus cum Comite Leostennio, et ad Maiestatem Caesaream deduxerunt. Quae certe videbatur singularem prae se ferre laetitiam de misso ad se nuntio per Sanctitatem Vestram. Cumque salutationem meam audivisset, respondit, se esse servitorem et assistentem Vestrae Sanctitatis, ac omnibus in rebus declaraturum semper esse studium suum, observantiam ac devotionem erga Sanctitatem Vestram et erga Sanctam Sedem Apostolicam, cuius advocatum ac defensorem se esse agnoscit. Audivit me maxima cum animi sui attentione, ut plane pendere videretur ex ore meo: cum absolvissem orationem, dixit: Gratia Spiritus Sancti vobiscum est, et verissima sunt omnia, quae dicitis; ac prorupit in lachrimas, neque verbum ullum facere potuit. Idem et mihi contigit, itaque flevimus uterque. Tandem ego, resumptis viribus, rogavi, ut esset animo fortiore, respondit mihi, sibi nunquam istud contigisse praeterquam semel uxore mortua. Fui cum illius Maiestate per duas horas: ita mecum rem egit, ut mihi nihil certius persuasum sit, quam esse Maiestatem illius vere Christianum, catholicum et orthodoxum imperatorem, nec quicquam magis cupere quam priscam religionem tueri, novationes istas prohibere, haereses propulsare, modo quam est ad eam rem voluntate promptus, tam esset facultate paratus. Postridie ipso die Mercurii iterum ad se me vocavit, et fuimus una per tres horas et amplius, etiam usque ad noctem. Magis etiam opinionem hanc de se meam confirmavit, et nihil a se studio diligentiaeque praetermissum esse demonstravit. Proximo superiore sabbato accessi ad Serenissimum Regem Maximilianum, qui et ipse mihi perbenigne respondit lingua Germanica: Nihil suis auribus gratum accedere potuisse, quam cum intellexisset Sanctitatem Vestram ad hoc summum honoris fastigium evectam esse, magnam ex eo se voluptatem accepisse, cum praesertim, etiam in minoribus cum

esset Sanctitas Vestra, eam vidisset, semperque domus Austriacae studiosam fuisse cognovisset; praecari illi fausta et foelicia omnia, ac ita se gerere in omnibus velle, ut Sanctitati Vestrae gratum id sit futurum. Porro quod meam operam sibi deferrem, id quoque se grato animo accipere, ac quibuscunque in rebus gratificari mihi posset, nullam eius rei occasionem esse praetermissurum. Haec fere fuit summa verborum eius. Ego vero Germanico respondi me significaturum Vestrae Sanctitati, quae audissem ab illius Serenitate, neque me dubitare, quin ea libenter sit auditura, quod erga Sanctitatem Vestram et Sanctam Sedem Apostolicam tantum studium et observantiam prae se ferat: atque iterum pluribus illi verbis operam meam detuli, simul rogavi, si non gravata est Serenitas illius impurum illum concionatorem audire, ut ne gravaretur audire me quoque se privatim instruentem: quamvis enim non me profitear excellenti doctrina praeditum, fidem tamen et studium recte consulendi Serenitati illius mihi nunquam esse defuturum. Postea donavi Serenitati eius libellum de expresso Dei verbo, quandoquidem ad thermas esset profectura, et in iis a negociis caeteris vacatura, ut eius libelli lectioni operam daret: me vero conventurum Serenitatem illius etiam in thermis, ac si quid fortasse dubii occurreret in eo libello, perlibenter explicaturum. Esse Vestram Sanctitatem communem orbis totius Christiani medicum, cupere pro officio suo, quod egrotum est, sanare: sed non posse tamen ubique locorum praesentem adesse: quam ob rem huc me suo loco misisse, ut ego officio illius fungerer, quod me facturum fideliter et diligenter promisi: verum esse necessarium ut mihi morbum suum detegat. Respondit, se libenter esse lecturum. Nunc hic opus erit mihi informatione a Sanctitate Vestra, si (quod nonnulli putant) nolit fortasse morbum suum detegere, nec indicare mihi, si quibus de rebus dubitet, num vehementius urgere debeam nec ne? nihil agere velim praecipitanter, sed quicquid mandaverit S. Vestra, ea fide, qua debeo, faciam intrepide, ac habeo deliberatum Serenitatem illius post aliquot dies in thermis convenire, communicato prius cum paterna Maiestate consilio. Dixi autem Serenitati eius, quod mirifice sit Sanctitas Vestra de salute illius sollicita, ac non minus illius quam Caesareae Maiestatis causa me miserit. Idem et paternae Maiestati dixeram tribus ante diebus: cui fuit hoc gratissimum. Caetera ex iis, quae manu mea scripsi, Sanctitas Vestra cognoscet. Perferuntur huc ad me multa, sed ego de iis nondum esse tempus existimavi cum Caesarea Maiestate agere: expecto enim quid sit ad me scripturus a Synodo Rm̃us Dñus Archiepiscopus Salisburgensis, expecto etiam adventum Rm̃i Domini Strigoniensis et aliorum Episcoporum ex Hungaria, neque mihi videtur statim quacunque de re cum Caesarea Maiestate agendum, non prius cum istis primoribus Episcopis consilio communicato. Fortassis autem vix expedierit vehementius urgere, nisi prius periculum fecero, si quid possim apud Serenissimum Dominum Bohemiae Regem proficere. Quem si firmiorem habere possemus, nihil dubitarem, quin omnia essent meliore loco brevi futura, neque puto ex re fore, ut illius animus offendatur, non prius omnibus aliis medicinis adhibitis: nam quae perferuntur, bona pars eorum est eiusmodi, ut ea tractari non possint absque Serenissimi Regis offensione, nullum in mora periculum esse puto, praecipue cum iam praeterierint haec, neque sit de praeteritis consilium, sed ne deinceps eadem designentur, providendum est, quod matura deliberatione habita, faciendum existimo. Passim in Germania et Hungaria nunc habentur Synodi, tractatur etiam de reformatione, cuius exemplum ad me misit Rm̃us Dominus Salisburgensis: nondum legi. Non dubito, quin ex omnibus Synodis nuntii sint ad me venturi: sed ego nulla de re statuam quicquam, nisi prius ad Sanctitatem Vestram retulero, et sententiam eius cognovero. Caetera per aliam occasionem scribam. Deum precor, ut Sanctitatem Vestram pro Ecclesiae suae consolatione et fidei Catholicae reparatione diu servet incolumen et foelicem, cuius me servitutemque meam perpetuam gratiae clementiae, quam possum maxima animi mei submissione, diligenter commendo. Datum Viennae 11. Maii Anno Domini MDLX.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Humillimus servus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et domine, domine Clementissime.

Post pedum oscula beatorum. Postridie eius diei, quo novissimas meas litteras ad Sanctitatem Vestram dedi, significavit mihi domini Antonii Fukeri negociorum hic gestor, habere se mandatum ab hero suo, ut mihi trecentos coronatos numeraret, quod praeter meam opinionem acciderat: nam et biduo ante negaverat sibi mandatum esse quicquam de numeranda mihi ulla pecunia, et cum essem Romae, ducentos mihi tantum, non autem trecentos esse promissos intellexeram. Ego vero non

possum, quin gratias ingentes agam Sanctitati Vestrae, quod factis est quam promissis liberalior et abunde necessitatibus meis providit. Fatebor enim verum Sanctitati Vestrae, non mediocriter me perturbatum fuisse, cum de meo plurima impendissem, quod prius quam navem conscendissem, iam ea me pecunia defecerat, quam Romae mihi dederat Sanctitas Vestra: posteaquam veniens huc cognovi nullum habere mandatum negociorum Fukeri gestorem de ulla pecunia mihi numeranda. Vehementer itaque sum recreatus, simul ut interiecto biduo gratiora quaedam ab eodem accepi: nam certe iam in arctum redactae fuerant copiae meae: nunc vero liberalitate Vestrae Sanctitatis abunde mihi prospectum est. Quo nomine iterum atque iterum Sanctitati Vestrae ago gratias: quae sibi certo de me persuadeat, nullos neque labores neque pericula me declinaturum, dum illius mandato satisfacerer et Ecclesiae Dei qua debeo fide servire queam. Est hic nunc dominus Episcopus Modrusensis, qui sequester et interpres inter me et Serenissimum Regem Bohemiae futurus existimatur: heri mecum coenavit, hodie se venturum et quaedam acturum dixit. Quicquid illud fuerit, faciam Sanctitatem Vestram postea vel iis etiam ipsis litteris certiorem: nam cum hic nulla sit certa ratio litteras isthuc mittendi, necesse est habere paratas, ut posteaquam obtulerit se tabellarius, dari illi recte possint. Ad sextum Idus mensis huius (x. Maii) facta mihi fuit potestas ad Maiestatem Caesaream adeundi, quae cum laboraret febre terciana, eo die fuit libera, cum tres iam paroxismos habuisset. Quamvis autem non ignorarem, ubi Fauserus esset, visum tamen mihi fuit dissimulare, cum praesertim decumbentem in lecto Maiestatem eius viderem, non putabam esse faciendum, ut maiorem illi animi afflictionem adderem. Itaque tribus tantum de rebus egi cum illius Maiestate. Primum de Concilio: quod haberet Sanctitas Vestra deliberatum illud convocare, nisi quod de tempore deque loco, quae sit sententia Maiestatis illius et aliorum regum Christianorum, prius certior fieri cuperet: itaque Sanctitatem Vestram expectare, quid allaturi sint Galliarum et Hispaniarum regum Oratores; posteaquam id certo cognoverit, et inter Maiestatem Caesaream caeterosque reges Christianos de loco deque tempore oportuno convenerit, nihil in eo congregando morae Sanctitatem Vestram interposituram. Laudavit consilium hoc Vestrae Sanctitatis Maiestas eius, nec aliud esse praesentius remedium dixit ad succurrendum calamitatibus istis Ecclesiae, quam ut concilium celebretur: caeterum quo loco quove tempore congregandum sit, rem hanc longioris deliberationis indigere. Egi postea iuxta mandatum Sanctitatis Vestrae de Serenissimo Rege meo Poloniae: quod cum orator illius hoc ab illa petivisset, dederit mihi Sanctitas Vestra negocium, ut ab illius Maiestate peterem, quandoquidem in illam ab utroque Rege compromissum esset factum, ut efficeret, ne mora longior interponeretur in eo, quod iuris est decernendo. Nihil enim aliud postulare Sanctitatem Vestram, quam ut quod Serenissimo Regi meo iure debetur, eo citra moram aliquam longiorem potiri queat: cum praesertim duo iam et amplius anni intercesserint, quibus ille se ad suum pervenire non potuisse queritur. Promisit mihi Maiestas eius liberaliter, omnino se facturam, ut primo quoque tempore negocium terminetur. Tertio loco dixi Maiestati eius: quandoquidem accepissem, bene iam valere Serenissimum Bohemiae Regem, velle me ad Serenitatem eius ad thermas proficisci: quod communicandum tamen prius cum illius Maiestate putavi. Simul petivi, ut me diligenter illi commendaret; vehementer enim cupere me in familiaritatem illius me insinuare: nam hoc esse mihi mandatum a Sanctitate Vestra, ut omnes rationes persequerer, quibus in viam reduci posset. Plurimum autem interfuturum, qualem ille de me concepturus esset opinionem: nam si ea esset in me voluntate, qua vellem, facilius persuasionibus meis locum Serenitatem eius esse daturam. Fecit (inquam) illa plurimi Fauserum, hominem, ut audio, et indoctum et vita contaminatissima, me fateri quidem, quod sim et ipse peccator, neque mihi doctrinam aliquam excellentem arrogare, sed existimare tamen, quod longe alia de me audiverit Maiestas eius, quam quae de Fausero palam dicuntur. Quamobrem etiamsi non essem nuntius apostolicus, non debere tamen Serenissimum Bohemiae Regem a familiaritate me repellere, neque minoris facere quam Fauserum: nunc vero multo maiorem habere mei rationem debere, cum personam istam sustineo. Iterum atque iterum petivi Maiestatem eius, ut me Serenissimo filio suo diligenter commendaret: quo sibi omnia de me persuaderet, quae de quovis alio servitore suo, sibi addictissimo, nihil aliud me quam salutem illius animae quaesiturum, neque michi meam ipsius salutem quam illius chariorem futuram. Obortae sunt lachrimae Caesareae Maiestati. Scio, inquit, qui sit Fauserus, scio etiam, qui sis tu. Multa deinde de illo mala, ita ut improbitas hominis meretur, multa postea de me dicere coepit cum laude mea coniuncta. Noli, inquit, existimare, quod ego pridem officium hoc non fecerim. Commendatus es per me filio meo diligenter, et novit ille te, neque male persuasus est

de te: sed faciam tamen adhuc quod petis, et est mihi gratum, quod ad illum proficisci statuisti. Ego vero gratias egi Maiestati illius, quod magis pro bonitate sua, quam pro meritis meis tam praeclare de me sentiret, vidisse me litteras, quas et ad Oratorem suum et ad Sanctitatem Vestram hac ipsa de re scripserat, et hoc nomine me Maiestati eius debere plurimum.

Ad quartum Idus venit huc Serenissimus Bohemiae Rex, quem ego putabam per diem sequentem commoraturum. Et quoniam illi nondum reddideram Sanctitatis Vestrae litteras, quibus annexa fuit absolutio Illm̃i Cardinalis Moroni, tum et eas, quas Rm̃us et Illm̃us Dñus Cardinalis Boromeus ad Serenitatem eius dederat, misi ad magistrum curiae Serenitatis illius, meque regem convenire cupere significavi, quod haberem Vestrae Sanctitatis ad eum litteras. Ille mox ingressus ad Regem responsum hoc dedit: Quandoquidem haberem litteras Vestrae Sanctitatis, significaturum se quo tempore mihi liceret ad Serenitatem illius accedere: nam proximo insequenti die bene mane Regem discessurum. Itaque renunciatum est mihi, ut venirem sub noctem: ego vero maluissem rem reiici ad reditum usque Serenitatis eius ad thermas, quod videbam parum temporis mihi datum iri ad conferendum cum Serenitate illius: sed veni nichilominus sub nocte. Litteras reddidi: fuerunt pergratae Serenitati eius, et visa est vehementer gaudere, quod Rm̃us Dominus Cardinalis Moronus innocens esset declaratus. Non solus, inquit, ille fuit, qui tanta hac est iniuria affectus. Quaesivit postea, quae spes esset concilii. Respondi, quod omnino deliberatum habeat Sanctitas Vestra primo quoque tempore concilium congregare, modo de tempore deque loco inter principes Christianos convenire queat. Tum ille: Hic vero magna erit, inquit, difficultas. Deinde cum aliis de rebus mentionem iniecisset, dixi illi, quod cupio Serenitatem illius in thermis visere, et ibi cum illa colloqui uberius. Respondit mihi, nullam ibi commoditatem esse diversoriorum, tum autem ita exundasse aquas, ut non parum difficultatis huc veniens in itinere senserit. Dixi, me incommoditatibus illis parum moveri, sed post unum aut alterum diem ad Serenitatem eius esse venturum. Deum supplex precor, ut Sanctitatem Vestram Dominum meum clementissimum quam diutissimo tempore servet incolumen et omni faelicitatis genere comulet. Datum Viennae III. Maii Anno Dñi MDLX.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

humillimus et addictissimus servus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Rm̃o in Christo patri, Illm̃o dño, dño Carolo Borromeo S. R. E. Cardinali Diacono, Archiep̃o Mediolanensi et Legato Bononiensi, domino observm̃o.

Rm̃e in Christo pater, Illm̃e dñe, dñe colendm̃e, salutem et servitutis meae commendationem.

Qui fuerit rerum status Paulo IV. Ecclesiae Dei praesidente, non ignorat Illm̃a Dominatio Vestra: multi qui fuerant Episcopi renunciati, confirmari, sicut iuris et moris est, petebant, sed ex Germania reliquisque regnis ac terris Caesareae Maiestati subiectis vix quisque, quod petierat, impetravit. Qua quidem ex re praedae videbantur datae lupis oves, nec defuere cum alibi, tum in Hungaria praesertim, qui sibi nomen et authoritatem Episcoporum usurpabant, et variis quibusdam et peregrinis doctrinis mentes mortalium imbuebant; ita ut ex quodam fide digno cognoverim, vix esse decem parachos in quibusdam diocesibus, qui non faeminas habeant sibi copulatas, scelerique suo coniugii nomen non praetexant; esseque Regnum Hungariae sic infectum impiis opinionibus, ut non facile possit medicina adhiberi. Nunc petunt electi sive nominati Episcopi, quorum catalogum recenset in suis litteris Caesarea Maiestas, quandoquidem pium Pontificem Dei beneficio sunt consequuti, ut ab eo possint Ecclesiarum, ad quas nominati sunt, confirmationem obtinere. Qua de re meas quoque commendatitias ad Illm̃am D. Vestram dari postularunt, quod aliquid eas ponderis apud illam habituras persuasum haberent: quas ego illis negare neque potui, neque debui. Caeterum author illis fui, ut statum Ecclesiae, ad quam nominatus est, diligenter quisque describeret sic, ut si res ita postularet, vere se descripsisse probare posset: quod factum a singulis esse non dubito. Quaerebantur, qui sunt in Hungaria electi, quod florente Regno, quo tempore fructus Ecclesiarum integros percipiebant, nihil annatae nomine in Urbe numerabant, nunc autem, posteaquam eorum aliqui nihil habent fere praeter titulum, cogi se ad magnam pecuniam persolvendam. Transilvanus numerasse se dicebat quinto abhinc anno, si recte memini, quatuor millia ducatorum, et quarto aut quinto post mense bonis suis omnibus eversum esse, ita ut vel unum teruncium ex Ecclesia sua non percipiat. Nunc exul ab Ecclesia sua commendam sive administrationem Ecclesiae Nitriensis, ad quam a Caesarea Maiestate praesentatur, concedi sibi petit, ut habeat

unde sustentare se possit. De Electo Quinqueecclesiensi testimonium hoc dare possum, virum esse pium, doctum, catholicum, et si quemquam alium sanctae Sedis Apostolicae cumprimis observantem: qui cum sit Maiestati Caesareae a confessionibus, et salubria illi subinde consilia suppeditet, dignus videtur, cuius ratio isthic prae caeteris habeatur. Electus quoque Varadiensis vir idoneus esse dicitur, neque vulgari doctrina praeditus. Itidem etiam Viennensis, qui et ipse mihi narravit, antecessores suos nihil annatarum nomine in Urbe solvisse, et benigne agi secum petit: quem et ipsum catholicum esse dubium non est. Modrusensem quoque virum esse doctum constat. Narrat is plurimum se laborasse, ut Fauserum a se Serenissimus Bohemiae Rex amandaret. Nunc ego ab Illm̃a Dominatione Vestra peto, velit operam suam interponere, quo sine mora aliqua longiore pastores Ecclesiis praefici quaeant: alioqui periculum esse video, ne si qui sunt adhuc in illo grege christiani, rapiantur et ipsi a lupis in perniciem eorum intentis. Novarum hic rerum nihil est, nisi quod expectantur proxime sequenti hebdomada Archidux Austriae Ferdinandus, Albertus Bavariae Dux et filiae Caesareae Maiestatis, ita quod liberos suos omnes visura nunc est praeter duas filias. Faxit Deus, ut faustus ac foelix sit eorum iste congressus. Quod superest, opto Illm̃am Dominationem Vestram diu esse incolumem et foelicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Datum Viennae penultima Maii MDLX.

Eiusdem Revmae. et Illmae. Dominationis Vestrae

Quaternas iam ex Vienna literas dedi ad Sanctm̃um Dñum Nostrum: an autem omnes redditae sint Sanctitati illius, vehementer nosse cupio, quod etiam, ut sciam, plurimum interesse mea videtur. Ab Illm̃a Dominatione Vestra maiorem in modum peto, ut de eo certiorem me facere non gravetur.

Servitor addictissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Reverendissime in Christo pater, Illustrissime domine, domine observandissime,
Salutem et servitutis commendationem.

Redditae mihi sunt literae Illustrissimae Dominationis Vestrae, quas ego pridem expectabam. Quod scribit, non diuturnum fuisse gaudium, quo Sanctissimus Dominus Noster fuerat affectus, quo tempore legerat illi Reverendissimus Dominus Cardinalis Augustanus, quae scripseram de Serenissimo Rege Bohemiae, ne quaeso existimet, in aliqua levitate mea factum esse: sed cum eo ipso die, quo Viennam appuleram, renunciatum hoc mihi fuisset a tribus magnis viris, quorum duo fuerunt Serenissimi Regis mei, tertius vero Venetorum Orator, videbar id mihi tuto scribere in Urbem posse, cum praesertim sub id ipsum tempus scribendi se facultas offerret, priusquam ad Maiestatem Caesaream accessissem, et certius aliquid ex ea cognovissem. Cui etiam non ita pridem errorem hunc meum aperui, et alium graviorem etiam, quod scripseram (quemadmodum ex ipsius Caesareae Maiestatis ore cognoveram), Fauserum illum impurum praedicatorem iam ex terris Maiestatis illius exterminatum esse; quorum tamen utrumque falsum esset: itaque dixi Maiestati eius, me iam non audere deinceps quicquam in Urbem scribere, quod metuerem, ne vanitatis arguerer: praecari me nihilominus Deum, ut quae falsa scripseram, non fallendi animo, sed quod ita rem habere putabam, ea vere quandoque scribere possem. Quantam autem animo meo solicitudinem adferat Serenissimus Bohemiae Rex, non facile quisquam crediderit, a cuius Serenitate nec in hunc usque diem sum auditus, posteaquam ex thermis rediit, neque statui amplius illi esse molestus, priusquam ab Illustrissima Dominatione Vestra cognovero, quid mihi porro sit faciendum, nisi forte me sponte sua interea temporis ad se vocaverit. Serenissimus Dominus Archidux Carolus donavit mihi sub haec festa Penthecostes unum vas vini boni, quem ego Nonis Iunii conveni, et ei gratias egi, simul quosdam libros a me conscriptos dono vicissim obtuli: declarat is erga Sanctam Sedem Apostolicam studium singulare. Praefectus Camerae ipsius est mihi pridem notus, quocum ego familiaritatem contrahere conabor, et si gratum id Principi fuerit, Celsitudinem eius visam crebrius. Serenissimus Archidux Ferdinandus propediem huc est venturus: simul ut venerit, Sanctissimi Domini Nostri literas eius Celsitudini offeram, et quae fuerint officii mei faciam. Commendatur et is plurimum, quod sit in catholica fide tuenda constantia singulari, ut Illustri Domino Duci Bavariae hac in parte minime cedere videatur. Qui cum et ipse sit brevi huc venturus, Illustritatis eius consilio libenter utar, quemadmodum gerere me debeam erga Serenissimum Regem Bohemiae. Facultates, de quibus Illustrissima Dominatio Vestra scribit, iam accepi: quas ut consequerer, me nunquam laborasse, credo, quod ipse Sanctissimus Dominus Noster non ignorat: nam hoc sibi certo de me persuadeat Illustrissima Dominatio Vestra, quod ex hoc munere, quo fungor, quaestum statui facere nullum.

Utinam autem non id maximo geram rei meae familiaris detrimento, cum id vere possim affirmare, quod iam septingentos et amplius coronatos de meo impendi: quod mihi tamen minime grave et molestum accideret, dummodo laboris huius et sumptuum meorum, quos facio, fructum aliquem ferre, et qui sunt fraudibus Satanae decepti, eas Christo lucrifacere possim. Nullum ergo teruntium ex istarum facultatum usu accepi, nec accipere deinceps etiam statui: Auditori meo promisi ducentos coronatos, quem alo praeterea cum duobus aliis. Hoc est lucrum, quod inde capio. De pecunia, cum cognovissem, quod negociorum gestor domini Antonii Fuker nullum habuerit ab hero suo mandatum, ut eam mihi numeraret, fateor, quod non mediocriter fui perturbatus: nam certe reditus Ecclesiae meae mihi non sufficiunt ad sumptus hos tantos pro dignitate personae, quam gero, sustinendos: sed qua de re iam scripsi, et gratias egi Illustrissimae Dominationi Vestrae, ac ipsi etiam Sanctissimo Domino Nostro, numerati mihi fuerunt paulo post, quam primas meas literas ad Suam Sanctitatem hinc miseram, non ducenti, sed trecenti coronati, hoc est, trecenti octoginta quinque Valenses sive Taleri. Quae pecunia similiter mihi numerata est Calendis mensis huius Iunii. Quamvis autem proximo superiori mense, centum coronatos de meis addiderim, tamen in eo, quod mihi numeratur, libenter acquiesco. Quod autem Illustrissima Dominatio Vestra instructionem quoque mihi miserit, et hoc nomine ago illi ingentes gratias: nam nescio quomodo, quamvis quae mihi vivae vocis oraculo dixerat Sanctissimus Dominus Noster, memoria tenebam, pudebat me tamen absque scriptis etiam mandatis esse nuntium: et interest certe uniuscuiusque nuncii, ut scriptam instructionem habeat: nam quid aliquando sit nonnullis exhibitum negocii, non ignoro. Quod attinet ad Serenissimum Regem Bohemiae, eum et nocte somnio et perdiu vigilo: utinam aliquid proficere possim! De Concilio iterum egi cum Caesarea Maiestate tertio Nonas mensis huius: laudabat ea consilium Sanctissimi Domini Nostri: caeterum de loco dicebat, rem indigere maturae deliberationis, etsi probare visa est Maiestas eius, quod revocare Sanctissimus cogitet suspensionem factam de Concilio Tridentino, se quoque iudicare dixit, locum esse aptum et idoneum, cum civitas illa sit in finibus Italiae, ex Italis et Germanis conflata. Posteaquam venerint isti Principes, qui expectantur, praecipue vero Dominus Dux Bavariae, iterum ea de re cum Illustritate eius tractabo. De matrimonio cum Serenissima Regina Angliae in primo, nisi fallor, congressu, quem habui cum Caesarea Maiestate, fecerat illa mentionem: dixit enim, fuisse Reges et magnos Principes, qui postulabant in matrimonium sibi dari Maiestatis illius filias, sed quod essent haeretici, se affinitatem illorum respuisse. Quin etiam, inquit, ipsam Serenissimam Angliae Reginam, si maxime illa voluisset, copulari filio meo passus non fuissem, nisi prius ad fidem catholicam et Sanctae Sedis Apostolicae obedientiam revertisset. Tum ego dixi, me habere eadem de re mandata ad Maiestatem illius; sed quoniam longo tempore me detinuerat, et iam nox aderat, alio tempore me prolaturum ea. Caeterum ad tertium Nonas vertentis huius mensis de hac ipsa Serenissima Regina egi cum illius Maiestate Sanctissimi Domini Nostri verbis, iuxta praescriptum Illustrissimae Dominationis Vestrae: quae mihi respondit, se iam pridem cogitationem omnem de matrimonio isto abiecisse, et quem habuerat apud illam nuntium, revocasse, quem in horas expectaret: itaque nec de caeteris rebus, de quibus egeram cum illius Maiestate, se posse dare mandata ad oratorem suum quem nullum ibi haberet.

De coronatione nunquam fecit mihi verbum Maiestas illius: ego vero memor, quae mihi vivae vocis oraculo Sanctissimus Dominus Noster dixerat, nec ipse memini quicquam, nec mentionem ullam facere volo, nisi prior Maiestas illius ea de re mecum agat.

De causa Barensi, quemadmodum egerim cum Caesarea Maiestate, scripsi Sanctissimo Domino Nostro tertio Idus Maii, nec aliter egi, quam ipsa mihi praescripserat Sanctitas eius: et videntur esse res bono loco, si modo verba ad rem conferantur.

Quae nova mihi misit Illustrissima Dominatio Vestra, quamvis ea scribat ex variis locis ad se pervenisse, tamen ego non dubitaverim, quod magna ex parte sit eorum architectus Petrus ille Paulus Vergerius, quo mihi videtur vix quisquam esse nunc sub caelo sceleratior, et ad eiusmodi mendacia comminiscenda instructior. Non credat Illustrissima Dominatio Vestra, tam esse Principes Lutheranos inter se coniunctos. Certum est, quod inter Augustum Principem Saxoniae Electorem et Duces Vinarienses non optime convenit: dolet iis ereptum sibi esse Electoratum, et de eo quandoque recuperando cogitant. Sed nec in causa religionis inter se consentiunt, habentque ii, qui subsunt ducibus Vinariensibus, eos, qui sunt Augusto subiecti, pro non obscuris haereticis. Quominus autem ita esse Illustrissima Dominatio Vestra dubitet, mitto illi Ducum Vinariensium libellum, ex eo quid sentiant de vicinis

suis cognoscet, sive quod ad istas adiaphoricas mutationes, sive quod ad articulum de libero arbitrio attinet. Marchio Brandeburgensis Elector videtur esse minus a catholica alienus, nec adduci se ad ullas eiusmodi practicas patietur, et eum non detrectaturum esse concilium arbitror. Palatinus Elector dicitur cum suis theologis, vel matheologis potius, plurimum habere negocii, nec eos vel in una sua civitate concordare posse, adeo ut non parvam ex ea re molestiam capiat. Solus prope Dux est Virtembergensis, qui caeteris est efferatior, et in quo plus quam in aliis fiduciae collocatur. Sed quin omnes metuant, dubium non est, praecipue si duraverit inter Reges istos Christianissimum et Catholicum constituta semel concordia. Illud interea negari non potest, quod est quaedam tamen inter Germaniae Principes nonnullos et Angliae Reginam conspiratio, a qua non fuisse dicuntur etiam quidam in Galliis et in Hispaniis: et si successissent res in Galliis, crevissent istis hic animi procul dubio, fortassis et ipsi tentassent armis aliquid: sed non destituet suos Deus auxilio suo, qui nunquam Ecclesiae suae deesse solet. Dicuntur haeretici principes quodam in loco suos doctores congregasse, si forte posset inter eos de doctrina, praesertim vero de Venerabili Eucharistiae Sacramento conveniri: sed cum in unum convenissent, magis quam antea discordes discessisse feruntur. Rem nuper legi ridiculam: Ioannes a Lasco contendit, Sacramentarios suos una cum Philippo Melanchtone, qui iam excessit ex hac vita, esse confessionis Augustanae, eos vero qui veri sunt Lutherani, ab ea excludit, neque vult in ea pacificatione contineri, quae facta est inter Principes catholicos et eos qui sunt confessionis Augustanae. Qua et ipsa de re conscriptum libellum Illustrissimae Dominationi Vestrae mitto, ut videat, quanta sit inter istos haereticos consensio. Interea vero quaeso Illustrissimam Dominationem Vestram, velit a Sanctissimo Domino Nostro Breve impetrare, quo liceat mihi libros haereticorum legere, et aliis, quos in fide catholica bene fundatos esse cognovero, potestatem eandem concedere: nam quamvis permiserit hoc mihi vivae vocis oraculo Sanctitas illius, tamen ut literis quoque testatam faciat voluntatem hanc suam, vehementer cupio.

Quod negatur ad Concilium celebrandum consensuros nonnullos Principes Lutheranos, quin verum sit de quibusdam, praecipue de Virtembergensi nihil ambigo: sed ego tamen posteaquam statum Germaniae melius cognovero, hac quoque de re certior fieri curabo, quod ad concilium attinet, quid nobis de uno quoque Principe Lutherano polliceri debeamus, num ex aequo omnes ab illo abhorreant, quod ego non credo: spero me intra unum mensem litteras ea de re habiturum. Minas istas de Turcis a Vergerio confictas arbitror, etsi spargi eiusmodi aliqua per quosdam homines praefractos, non est prorsus incredibile.

De Serenissimo Rege meo merum est Vergerii mendacium, qui fuit ante quadragesimam in aula Maiestatis eius, sed ut audio, parum gratus. Tractavit is quidem nonnulla de iis, quae scribuntur, sed ut mihi narratur, nullo cum fructu: discessit enim rebus infestis. Edidit libellum quendam de hac mea legatione plenum conviciis et in Sanctam Sedem Apostolicam et in me: quin etiam conscripsit capita quaedam, de quibus acturus essem cum Caesarea Maiestate; sed et responsum, quod mihi Maiestas illius esset datura, priusquam ego pedem Roma movissem: quae etiam obtulit Serenissimae Reginae meae. Quam cum e sacro fonte levaverit, quo tempore nuntium agebat Pauli III. Pontificis, conatus est illi persuadere, ut relicta fide Christiana Lutheranam amplecteretur: sed illa responsum illi dedit catholica regina dignum, et fortiter Satanam a se repulit. Mira est huius hominis improbitas, mirum odium in Sanctam Sedem Apostolicam, mirum studium in deterrendis et avertendis hominibus ab illius obedientia. Scribitur mihi, quod is aliam praeterea responsionem scripserit ad articulos, quos ipse finxit a Sanctissimo Domino Nostro Maiestati Caesarea propositos, tanto cum dolo et astutia, ut non ab homine, sed a Satana scripta videatur: sic enim omnium Principum, quin et plebis mentes êxacerbare conatur contra Caesarem et contra publicam pacem, ut nichil minus eos cogitare velit, quam ut concilium aliquando congregari cupiant. Haec ab amico quodam ad me scripta cum Illm̄a Dominatione Vestra communicanda putavi: spero autem futurum, ut ipse scriptum hoc Vergerii videam, quod Illustrissimae Dominationi Vestrae postea mittam. Reverendus dominus Camerinus Ep̄us nondum venit, sed simul ut venerit, Illustrissimae Dominationis Vestrae litteras ei reddam. Quod me hortatur, ut mihi bene conveniat cum Illustri Domino Bavariae Duce, hoc vero summum est meum studium futurum: nec est ullum dubium, quin sit optime conventurum inter nos, quandoquidem nullus est Principum Catholicorum in Germania, qui sit in veteri et orthodoxa religione tuenda zelo maiore. Simul ut huc venerit, conveniam Illustritatem eius, cum qua de Rege quoque Bohemiae consilia communicabo,

et de iis agam, de quibus ad me scripsit Illustrissima Dominatio Vestra, de quibus agendi cum Caesarea Maiestate non visum est mihi fuisse tempus oportunum, priusquam ipse Illustrissimus Dominus Dux veniret. Litterae meae, de quibus meminit manu mea scriptae, schedae loco fuerunt, et eodem tempore datae sunt, quo illae aliae, nihil ut necesse fuerit diem adscribere. Quod quae secretioribus votis significavi, lecta sunt et intellecta, gaudeo: nam ego dubitabam, utrum ea, quae manu mea scriberem, legi possent. Quod Camerario Sanctissimi Domini Nostri Domino Iacobo litteras non dederit, cessit hoc tanto foelicius: nam eo celerius mihi sunt redditae, accepi enim illas Calendis Iunii. Opto Illustrissimam Dominationem Vestram diu esse incolumem et foelicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Datum Viennae in Austria Nonis Iunii Anno Domini M. D. LX.

Post has scriptas ad sextum Idus Iunii vocavit me ad se Serenissimus Bohemiae Rex: cum eo pluribus egi, sicut e scheda manu mea scripta Illustrissima Dominatio Vestra cognoscet. Fecit is inter alia de reformatione quoque mentionem, quod eam cumprimis esse necessariam diceret: cui respondi, mihi quoque videri cumprimis necessariam; sed si usquam alibi, tum in iis terris difficilis est admodum reformatio. Nuper, inquam, a Synodo Salisburgensi litteras accepi, quibus Patres in illa congregati nichil se magis cupere quam reformationem ostendebant. Caeterum cum non haberent in potestate sua clerum omnem, praeterquam ubi iurisditionem exercent utramque, nulla se ratione reformare eum posse: nam si vellent eorum tantum flagitia punire, qui sunt in iis oppidis et villis, quorum etiam domini sunt Episcopi, futurum, ut ii statim ad finitimas terras se transferrent, ubi ex malis catholicis peiores efficerentur haeretici; cum praesertim in haereditariis etiam Caesareae Maiestatis terris complures videre liceat laicos munera sacerdotum obeuntes, qui vocari volunt Ecclesiae ministri, cum nichil sit eis cum Ecclesia commune: in quibus cum impietate doctrinae certat etiam vitae turpitudo, neutra ut alteri concedere velle videatur. In hos ut iurisdictionem aliquam exerceant Episcopi, non eis permitti; itaque difficilem esse reformandi rationem. Sed curaret Serenitas eius, ut in omnibus Maiestatis Caesareae terris haereditariis totus clerus Episcopis suis vere sit subiectus, et habeant liberam potestatem flagitiosos cohercendi, quique sunt locorum praefecti a Maiestate Caesarea instituti non impediant, quo minus in facinorosos animadvertere possint: quin Episcopos adiuvent potius, et sacerdotes sive ministros flagitiosos eorum potestati tradant: si postea non erit facta debita reformatio, tunc habituram Serenitatem eius iustam ea de re querendi causam. Vocavit autem me Serenissimus Rex eo ipso die, quo in hanc civitatem ingressurus erat Illustris Dominus Dux Bavariae, aliquot horis antequam esset ingressus: et quamvis nonnulli suaderent, ut obviam illi proficiscerer, tamen quoniam cum Serenissimo Rege fuerat obviam prodeundum, omnino deliberatum habebam non fungi hoc officio, quod parum esse decorum existimarem, ad eum Regem accedere, qui toties a me requisitus potestatem alloquendi se mihi non fecerit: sed postquam ea mihi concessa fuit, mutavi consilium, cum praesertim et Serenissimi Regis Catholici, et Serenissimi Regis mei Poloniae et aliorum Principum Oratores Illustri Domino Duci obviam prodire cognovissem, nolui videri singularis, hoc praesertim tempore, quo omnibus omnia fieri nuntium apostolicum oportet, ut omnes Christo lucrifaciat. Nondum autem cum ipso Dño Duce loqui mihi nisi obiter contigit ipso die, quo fuit a me exceptus, et postridie eius diei, cum Caesaream Maiestatem una cum illo praecessissem, incedebat enim medius inter me et Illustrissimum Dominum Archiducem Carolum. Vocavit autem huc Caesarea Maiestas concionatorem quendam ad se Dominicanum, qui videtur ardens et vehemens esse in suis concionibus, virum doctum et pium, quem aedificaturum aliquid spero. Heri venit huc Sanctissimi Domini Nostri Camerarius Dominus Iacobus, cum quo expostulavi, quod litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae non expectaverit. Dicebat autem is, biduo se integro expectasse, tertio vero die, cum potestatem illi Sanctissimus Dñus Noster discedendi fecisset, discessisse, neque se diutius expectare potuisse. Iterum Illustrissimae Dominationi Vestrae me servitutemque meam diligenter commendo, quam diu salvam esse cupio. Datum ubi supra (Viennae) pridie idus Iunii Anno MDLX.

Eiusdem Reverendissimae et Illustrissimae D. V.

servitor addictissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et dñe, dñe clementissime.

Post pedum oscula beatorum. Ad xv. Calendas Iulias accessi ad Illmum D. Ferdinandum Archiducem Austriae et S. vestrae verbis Cels. eius salutavi, ac literas obtuli: deinde quibus verbis

usus fuerim, e scheda praesentibus inclusa S. vestra cognoscet. Fuit Cels. illius valde grata et salutatio et paterna admonitio S. vestrae: semel et iterum illud repetivit, se velle semper esse non solum filium, verum et servum illius obsequentem, se sic esse a paterna M. educatum, nullam ut aliam praeter Catholicam fidem didicerit, neque discere voluerit unquam, prius animam suam a corpore separatam iri, quam ut ab Ecclesia Catholica et Apostolica, et ab illius fide separari se patiatur. Quamvis autem imbecille sit adhuc suum consilium, tamen omni ope atque opera sua se mihi praesto in omnibus semper futurum, tanquam filium et servum obedientem vestrae S. et quaecumque vel ad fidei Catholicae propugnationem, vel ad sanctae Sedis Apostolicae dignitatem tuendam pertinuerint, eorum se nihil esse praetermissurum. In summa talem se ostendit, nullum ut in eo Catholici Principis officium requiri posse videatur. Neque verbis id magis quam re praestat: nam cum paternae Maiestatis nomine Bohemiae Regnum gubernet, dicitur ex eo plures quam centum Lutheranos, qui se vocabant Ecclesiae ministros, eiecisse. Multum commendatur a plerisque zelus ardens huius Principis in Catholica fide tuenda. Dominus conservet eum et vivificet eum, et conatus illius omnes prosperet. Utinam eadem scribere possem de fratre natu maximo, qui me non parum reddit anxium et sollicitum. Quae vero mecum egerit eodem die Illmus Dñus Bavariae Dux, qui et ipse cum primis fortis est et constans in fide Catholica, e scheda mea manu scripta, quam adiunxi literis ad Ill. D. Card. Borromeum datis, Sanctitas Vestra cognoscet. Quod superest, Deum precor, ut S. vestram pro Ecclesiae suae consolatione et labantis fidei reparatione diu servet incolumem et foelicem: cuius me gratiae clementiaeque qua summa possum animi submissione etiam atque etiam diligenter commendo. Datum Viennae die XXI. Iunii Anno Dñi MDLX.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

servus humillimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Magis indies atque magis grati rumores ad S. D. N. perferuntur de studio vestrae Cels. erga sanctam Sedem Apostolicam, et in fide Catholica tuenda et conservanda constantia singulari: quod ita sit super petram fundata, nullae ut pluviae, nulla flumina, nulli venti de statu suae mentis Celsit. vestram dimovere queant. Qua ex re credi satis non potest, quantam S. eius capiat voluptatem: nam cum in hanc inclytam Austriae domum, qua sub coelo nulla est illustrior, egregia quadam suae voluntatis inclinatione propendeat, non sibi quam illi melius esse cupit. Quamobrem nihil est, quod auribus illius iucundius accidere queat, quam cum ea praedicari de illa audiat, quae sunt cum illius laude foelicitateque coniuncta. Quae potest autem esse laus et felicitas maior, in hac praesertim horum temporum difficultate, quibus in errorem induci videmus etiam ipsos propemodum Electos, quam si quis in ea, quam a sanctis suis maioribus sibi per manus traditam accepit, religione constans permaneat? Quod cum facere Cels. vestram orbi testatum sit universo, laudat eam hoc nomine Pontifex, et amat plurimum, ac animum hunc vere Christiano, Catholico et orthodoxo Principe dignum illi gratulatur: simul amanter ut filium suum charissimum admonet, quo memor illius quod scriptum est: Non qui coeperit, sed qui perseveraverit usque ad finem salvus erit; extrema cum primis contexat, et suae huius constantiae maiora det in dies documenta. Neque satis esse patet, si se ipsa ab omni haeretica labe puram et intaminatam conservet: verum qualis ipsa est, suos quoque tales praestare conetur, ac si quos aberrare contigerit, eos in viam revocandos curet. Qui nunc sit status, videt Celsitudo vestra: quae fuit olim terra unius labii et eorundem sermonum, in qua multitudinis credentium cor unum et animam unam videre licuit: eam nunc in tot sectas mirabiliter inter se dissectas ita miserandum in modum dissectam cernimus, nihil ut in ea iam integrum, nihil non convulsum sit et labefactatum. Inter manus immanium barbarorum, qui Christum in crucem egerunt, integrum nihilominus Christi corpus in cruce permansit, ut impleretur, quod scriptum est: Os non comminuetis ex eo; et nunc, proh dolor, inter manus Christianorum non est integrum corpus illud Christi mysticum Ecclesia, pro quo suum ille verum et vivum corpus in mortem tradidit. Quum sic illud comminutum, tot ex eo particulas factas videamus, maiorem, quam credi facile possit, ea res animi cruciatum et ingentem adfert Pontifici solicitudinem, dum vias et rationes omnes quaerit, quibus instantis Ecclesiae vulneribus mederi liceat.

Huc illius curae referuntur omnes, et in hac una cogitatione consumuntur: cupit pro virili sua, quod infirmum est, consolidare, quod egrotum, sanare, quod confractum, alligare, quod abiectum, reducere, quod perierat, querere, non cum austeritate et potentia imperando, sed in spiritu lenitatis instruendo et hortando: quotquot ad Ecclesiae matris gremium redire voluerint, eos obviis, quod

aiunt, ulnis exceptura, non minore gaudio, quam quo prodigum filium ad se reversum pater in Evangelio legitur excepisse, propriis etiam humeris errantes oves ad Ecclesiae caulas magna cum alacritate reportatura, nec eorum, quae putaverit ad salutem ac tranquillitatem Ecclesiae procurandam pertinere, quicquam praetermissura. Quam ad rem ex animi sententia conficiendam cum et consilium Regum ac Principum Christianorum et auxilium requiri videatur, alios quidem alio, me vero ad Maiestatem Caesaream Nuntium designavit, ut cum illa de ratione reintegrandi Christi corporis, et de modo quo pristina possit Ecclesiae traquillitas restitui, consilia communicem. Quoniam vero non ignorat Sanctitas eius, quam sit ardens Cels. vestrae zelus in Catholica et orthodoxa religione tuenda, ad illam quoque, ut refugium haberem, ac fidem illius, quoties usus foret, implorarem, praecepit: quod certo sibi persuadet, Cels. vestram mihi quamlibet indigno S. eius Nuntio neque consilio suo defuturam Quae quanto plus curae, diligentiae, laboris posuerit in motibus istis tranquillandis, ac tempestatibus et procellis, quibus misere iactatur atque agitatur Ecclesia, sedandis, hoc suis rationibus melius prospexerit, et sibi maiorem apud Deum gratiam demerebitur, tantoque sibi magis eum propitium experietur: qui quos Reges et Principes Ecclesiae suae presto semper adesse videt, nunquam eos favore auxilioque suo destituit, ac non in hac modo vita prospera et felicia cuncta largitur, verum et in futura bonorum eorum redit participes, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Porro, quod ad ipsum Pontificem attinet, Christi vicem in terris gerentem, ab eo Cels. vestra ea officia expectabit omnia, quaecumque a vere pio et amante sui patre sperare bonus filius et expectare potest: non fallet hanc de se vestrae Cels. expectationem.

Rm̃e et Illm̃e dñe, dñe obserm̃e, salutem et servitutis commendationem.

Pridie Idus mensis huius Ill. D. vestrae scripseram de iis omnibus, quae hic per me acta fuerunt: unum autem eram oblitus. Post ea, quae cum Caesarea Maiestate egeram pridie Calendas Iunii, dedit negocium Maiestas eius domino Electo Viennensi et domino doctori Ludovico Saradino, ut proficiscerentur ad abbatem quendam, qui sex milliaribus abest abhinc, et in eum diligenter inquirerent, cum de alienatione quorundam Ecclesiae bonorum, tum etiam de receptu, quem dedit Fausero, deque eo quod in monasterio suo missae Sacrificium abrogasse diceretur. Fecerunt illi quod mandatum erat a Caesare. Cum ad monasterium venissent, iam erat de rebus omnibus certior factus abbas: ac primum quidem exemptionem allegabat, nec volebat eorum inquisitioni se subiicere; deinde cum illi dicerent, adesse me hic nuntium Apostolicum, seque non magis Caesareae Maiestatis, quam etiam meo mandato id facere, acquievit ac produxit literas Serm̃i Regis Maximiliani, quibus ab eo maiorem in modum postulabat, ut receptum Fausero daret. Deinde, quae sibi fuerunt obiecta vel de abrogatione Sacrificii receptoque Lutheranismo, vel de bonis abalienatis, ea constanter negavit, ac se venturum ad me deque criminibus obiectis diligenter purgaturum promisit: quod tamen hactenus factum non est. Viderunt autem Commissarii Caesaris deambulantem in ambitu monasterii Fauserum, sed eum alloquuti non sunt. Retulerunt postea Caesareae Maiestati omnia: et miserat ad me Electus Viennensis, quod esset venturus ad me sub coenae tempus una cum Electo Quinqueecclesiensi, ut mecum Caesareae Maiestatis nomine quaedam agerent. Haec cum renunciari mihi fecisset ante prandium quarto Idus mensis huius, nihil postea mecum mandato Caesaris egerunt: quod is fortasse mutaverat sententiam: nec eo die venerunt ad me: sed audivi tamen ex Electo Viennensi, quod cum retulisset Caesareae M. Fauserum se incolumem in monasterio vidisse: Tamen, inquit, aegrotat: Vidimus, ait Electus, sanum et incolumem. Interea venit Serm̃us Bohemiae Rex, quem Caesarea Maiestas mox est adorta, quod ipse dixisset aegrotare Fauserum, cum tamen sit sanus: Rex vero torvis oculis aspexit Electum Viennensem. Haec mihi narrata sunt ab illo.

Cum haec scripsissem, redditae mihi literae Illm̃ae D. V. quibus me iterum admonet iisdem de rebus, de quibus antea de concilio, deque Regina Angliae: de quibus pridem Ill. D. V. respondi.

Quod ad Concilium attinet, petere M. Caesaream, ut sublatio suspensionis differatur aliquandiu, dum et ipsa, quid sibi videatur, ea de re perscribere possit: quod intra triduum se facturam promisit mihique scriptum hoc daturam, ut illud perferendum ad S. D. N. curarem. Intercesserunt autem iam hebdomadae tres et amplius fortasse. Acceptis autem Illm̃ae D. vestrae literis, iterum ad M. illius adii, ac eadem illa quae prius exposui. Respondit mihi M. eius, quod iam absolutum fuerat illud, quod scribi fecerat; interea autem ex Oratore suo se factam esse de quibusdam rebus certiorem, quarum causa necesse habuerit nonnulla mutare: sed cras aut perendie se omnino mihi scriptum illud esse daturam. Rogavi,

ne differret M. illius: nam urgere S. eius vehementer, ac velle primo quoque tempore ad se mitti; quando quidem cum alii nonnulli, tum praesertim Serm̃i Regis Galliae Orator, ut semota quavis cunctatione congregetur vel continuetur potius concilium, magnopere instat. Intellexisse me, quod in Germania non valde expectatur, sed num ideo negligendae sunt caeterae nationes, quae cupiunt sibi medicinam tamen aliquam adferri? Respondit Maiestas illius, se mihi antea quoque dixisse, quod laudet concilium hoc S. D. N. et cumprimis esse salubre putet; verum dilationem unius aut alterius diei ne moleste feram: non sanis, verum egris opus esse medico. Sed quid, inquam, si medicinam respuunt, nec se egros esse agnoscunt, num aliorum propterea saluti consulendum non est? Quantum est in quibusdam Germaniae populis, eos cupere esse absque omni concilio, absque Deo, absque Pontifice, etiam absque Caesare, dummodo credere liceat et facere quicquid libet, nec eos medicum ullum requirere. Respondit Maiestas eius, quod ipsa non sit in mora futura, sed cras aut perendie scriptam suam sententiam ad me mittet. XII. Cal. Iulii, quoniam pridie eius diei vespere renunciari mihi fecerat Maiestas eius, ut venirem ad se hora sexta, quod mihi responsum scriptum eo tempore dare vellet. Veni, protulit mihi scriptum, et brevibus, quae continerentur in eo, indicavit. Negabat esse nimis festinandum, sed lente potius maturandum concilium, ne fortasse tale quid eveniret, quale contigerat ante annos octo, cum Dux Mauritius congregato exercitu concilium perturbavit, et patres qui in eo erant, fuga sibi consulere coegit. Quo tempore, inquit, nisi ego de pacificatione fuissem sollicitus, absque dubio pulsi et eiecti fuissent ex Germania omnes quotquot se catholicos et orthodoxos profitebantur: et interea tamen male audiebam, quod pacem istam non satis aequis conditionibus conciliassem. Respondi, ne credat Maiestas vestra, quod suos Deus deserturus fuerit, si plena in eum fiducia collocata forti animo ire obviam hostibus voluissent. Ecce una foemina in Anglia, cuius multo fuit status deterior, omni propemodum humano praesidio destituta, quam claros triumphos reportavit ex iis, qui fidem Christianam extinctam cupiebant, maximis opibus instructi. Miraculose, inquit, hoc factum est, non est tentandus Deus. Non est hoc, inquam, tentare Deum, plena in illo fiducia collocata facere quod in se est, neque solet sperantes in se Deus deserere. Potuissem illi de Elvetiis et aliis exempla commemorare; sed quoniam seduxerat me ad fenestram, et aderant Principes et Principum Oratores, et iam erat eundum ad processionem, quae habita est illo die, non licuit cum illius Maiestate pluribus agere. Posteaquam sacra omnia rite sunt peracta, deducto de more ad suum palatium Imperatore, domum reversus statim legi scriptum, quod mihi dederat: reperi nonnulla quae me nimis offenderant, magis autem offensura fuerant, si Romae lecta essent. Et quamvis dies ille spectaculis totus attributus fuerat, misi tamen qui renunciaret curiae marscalco, me cupere prius Maiestatem illius convenire, quam suas in Urbem litteras misisset. Responsum est, ut venirem hora quinta. Veni, sed adhuc spectaculis erat intentus Imperator. Assignata mihi fuit postea hora septima diei proxime sequentis: nam et hoc renunciari feceram, quod non essem tribus verbis acturus, ad minimum semihora mihi opus fore, et sedato Caesaris animo. Cum hora septima venissem, precatus veniam et multo sermone praemisso de meo perpetuo studio et observantia erga Maiestatem eius, de nonnullis liberius admonui, atque ut secum diligenter expenderet, rogavi, ne si tale scriptum misissem in Urbem, secus de se existimandi occasionem praeberet. Fuit longus a me sermo habitus: accepit in optimam partem, quin et gratias egit pro fide hac et studio, quod erga Maiestatem eius declarassem: ac a me postulavit, ut quae dixeram, quaeque notaveram, scripto mandarem et illi mitterem, quod feci eo ipso die. Longum autem esset omnia scribere, et quia ultro se mihi celerrimus tabellarius offert, occasionem hanc praeterlabi mihi nolui. Fortassis Maiestatis Caesareae scriptum non perinde celeriter isthuc perveniet, itaque summam illius esse sciat hanc: Probari quidem illius Maiestati, ut semota quavis cunctatione concilium convocetur; sed annuum tempus ut minimum ad id requiri, neque sibi videri tollendam esse suspensionem concilii Tridentini certis ex causis, quas ibi enumerat, sed potius novum indicendum Coloniae vel Constantiae vel Ratisbonae. Urget reformationem, quam procedere cupit. Postulari dicit calicem a laicis, uxores a sacerdotibus. Haec est summa, caetera scribam alio tempore. Opto Illm̃am D. V. diu esse incolumem et felicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Datum Viennae XXI. Iunii Anno Dñi MDLX.

Domino Camerino litteras Illm̃ae D. V. quas habebam, reddidi: venit autem is in hanc civitatem vespere huius diei, qua haec ad Ill. D. V. scribo.

Eiusdem Rmae. et Illmae. Dominationis V.

servitor addictissimus

STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Rm̃e et Illm̃e dñe, dñe observm̃e, salutem et servitutis commendationem.

Accepi litteras Ill. D. Vestrae x. Augusti datas, quibus me certiorem reddit, quod ad eum diem post illas, quas dedi xv. Iulii, nullas meas acceperit: sed ego memini me scribere deinceps xxiv. Iulii et Augusti i. iv. xiii. xiv. xxii. xxiii. Quas omnes meas epistolas num habuerit, vehementer scire aveo. Sunt autem septem, et haec erit octava. Responsi quod affertur a Rñdo dño Zacharia Delphino magna hic est expectatio: sed interea tamen audio, moleste ferre Maiestatem Caesaream, quod scriptum illius de Concilio et in Gallias et in Hispanias et Venetias, et nescio quo missum esse dicitur: quod ita pervulgari Maiestas illius noluisset, quamquam ipsa mecum ea de re nihil est loquúta. Quod iterum Ill. D. Vestra sumptuum hic meorum rationem habitam iri scribit, ago gratias. Quod vero addit patri Cytardo scripturum esse S. D. Nostrum, non hoc ille postulat, quamquam et hoc expedire iudicarem: sed provideri supplicat quibusdam suis de beneficiis in Germania inferiori iuxta schedam, quam Ill. D. Vestrae misi. Quoniam vero facultatem hanc Rm̃o Tridentino concessam esse intellexi, ad quem etiam hac de re scripsi: quaeso Ill. D. Vestram, si forte iam isthic est, agere cum illo velit, quo non gravatim huic viro bene de Ecclesia merenti gratificetur. Certe praeclare fuerit collocatum quidquid in eum erit beneficii collocatum: est is non solum a sacris concionibus, verum etiam a confessionibus Maiestati Caesareae, et videtur egregiam operam navare. De Christianissimi regis oratore binis antea litteris Illm̃ae D. Vestrae scripsi, quae et cum Caesarea Maiestate et mecum de concilio egerit. Dicitur autem hic, quod qui est in Urbe eiusdem orator, diversum quiddam egerit apud S. D. N. Quod si ita est, res est admiratione digna. Allatum est huc praeterea, quod Christianissimus rex neminem velit ad fidem Catholicam retinendam cogere, nec deinceps in haereticos animadvertere. Quod si verum est, iam in iis quoque terris maior erit rerum omnium impunitas, et frustra saeculare brachium a me invocabitur. De Regina quoque Angliae iactatur, quod ea mirabiliter saevit in Catholicos, et Episcopos aliquot in carceres coniecerit. Quae res magnam haereticis adfert laetitiam, nobis Catholicis dolorem non mediocrem. Illud est, quod in iis malis consolationem nobis aliquam adferre potest, quod Germani principes, qui discesserant a fide Catholica, mutuis inter se dissidiis vehementer laborant, et indies magis atque magis in varias haereses scinduntur. Futurus est nunc quasi conventus quidam Spirae, quo mittent omnes fere principes nuntios suos: inde et ex nundinis Francofordiensibus plus aliquid novorum habebimus. Nullus est, qui Christianam fidem acrius persequatur quam Dux Wirtembergensis, qui ex duobus scurris pendet, Brentio et Vergerio: is est, qui mirabiles facit practicas et in Gallia et alibi: utinam autem non hic quoque Viennae. Nec alium habet magis fidum Achatem, quam Palatinum Rheni, qui se vocat principem electorem: cuius tamen patruelem Volfgangum aiunt, Sectarum istarum pertaesum, ad fidem Christianam inclinare: nam et missas restituisse iam dicitur, quamvis Norembergensi more, non Catholico, et magna parte ceremoniarum nostrarum uti, frendentibus reliquis haereticis. Expecto indies reditum eius, qui nuntium hic egit Illm̃i domini Marchionis Brandeburgensis principis electoris, ex quo me multa cogniturum confido, de quibus ad Ill. D. Vestram postea scribam. Dicuntur etiam venturi nuncii trium Archiepiscoporum, qui sunt idem principes electores, quos in horas expectamus. Quod superest, opto Ill. D. Vestram diu esse incolumem et foelicem, cuius me gratiae commendo. Datum Viennae iii. Sept. Anno Dñi MDLX.

Renunciatum est mihi, quod et Augustus Saxoniae et Ioachimus Brandeburgensis dux concilium detrectent: sed paulo post, ut spero, certiora scribam. Dicitur uterque conventurus in certum quendam locum, causa praetexitur haec, quod velint Magnopolenses duces, quorum alter hic nuper fuit, de bonis Episcopatus cuiusdam, quem alter occupavit, inter se dissidentes in gratiam reducere et amice inter eos transigere. Suspicantur etiam nonnulli, futurum, ut ibi quoque de concilio tractetur aliquid, et ut mittant eo suos nuncios Palatinus Rheni, dux Wirtembergensis, Landgravius, duces Vinarienses et alii nonnulli. Sunt etiam, qui dicant, Palatinum cum illis tribus ducibus certo quodam in loco conventuros. Caeterum de iis rebus certi adhuc nihil habeo.

Eiusdem Reverendissimae et Illustrissimae D. V.

servitor deditissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Dux Megapolensis dicessit hinc quarto Calendas Septembris. Deliberaveram eum ad prandium invitare, ad eum qui praecessit diem dominicum, sed quia ex Diaria laborabam, et aliquot me dies continere domi cogebar, differendum fuit necessario. Itaque misi meos, qui peterent, ut ipso

die divi Augustini conviva meus esse vellet: sed ille negavit, quod se diceret hoc ipso die recessurum, neque discessit tamen eo die, quin dixit mihi quidam, qui convenerat eum sub vespere eius diei, quod coram eo sit quasi gloriatus, quod invitatus a me fuit ad convivium, et honorificam mei mentionem fecerit. Quaesivi ex illo: Cur itaque non venit a me rogatus? respondit: Auderet, inquit, venire? statim insimularetur, quod esset factus papista. Vehementer colloqui cum eo cupiebam, sed valetudo mea parum commoda passa non est, neque dabatur tempus aut locus oportunus. Dicitur hic postulasse quaedam Ill. domini Alberti Marchionis Brandeburgensis in Prussia ducis soceri sui nomine: petivisse etiam pro fratre suo investituram ad Archiepiscopum Rigensem. Caesarem autem respondisse: Posteaquam obtinuerit confirmationem a Sancta Sede Apostolica, se non esse negaturum. Fertur et hoc, vehementer abhorrere Lutheranos a Concilio, et consilia capere, quemadmodum armis etiam impediant, quominus Tridenti continuare possit: sed ego non video, quod multi sint, qui tantopere ab illo abhorreant. De duce Virtembergensi, qui Vergerium alit apud se, nihil dubito, quin is et pedibus et manibus obnixe sit omnia facturus, quaecumque ad impediendum concilium pertinebunt: cui non intelligo quod quisquam adherere velit, praeter Palatinum fortassis Rheni, qui princeps vocatur elector. Nam et Saxoniae dux Augustus a concilio non dicitur valde abhorrere: qua tamen de re paulo post, si Deus volet, scribam certiora. Disputatio Heldebergensis (Heidelbergensis) magnum nobis fructum attulit: mirum enim in modum dissidere dicuntur inter se principes Lutherani, dum alter alterum haereseos non obscure damnat.

Conveni autem IIII. Nonas mensis huius Serm̃um Regem, et ei liberum exhibui ducum Vinariensium germanicum, quem vestrae quoque Illm̃ae D. ante unum et alterum mensem latinum miseram, et ostendi, quemadmodum illi eos, qui se eiusdem religionis esse profitentur, haereseos damnant. Rogavi, ut indicem legeret. Declaravi singulas haereses, Lutheranas presertim: ostendi, quod et Philippus et Osiander et Brentius, et quicumque cum illis faciunt, inter haereticos numerentur. Simul et illud addidi, quod glorientur duces Vinarienses, intra suae tantum terrae limites Confessionem Augustanam conteneri, quos satis angustos esse constat. Itaque iam, inquam, Lutheri Evangelium exiguis admodum terminis conclusum est. Mirabatur, et se quoque dicebat audisse, quod isti duces glorientur, se solos verum Evangelium profiteri. Quamobrem iudicio, inquam, eorum haeretici sunt Philippus, Brentius, Georgius Maior, et quotquot sunt vel sub duce Augusto vel sub Palatino Rheni, vel sub duce Virtembergensi Theologiae professores: contra vero horum iudicio haeretici sunt Flaccus, Gallus, Amsdorffius et quotquot cum ducibus Vinariensibus sentiunt. Quid itaque in iis tam variis iudiciis faciendum est? Ego censerem, utrosque eodem loco habendos a catholicis, quo habentur ab invicem. Tum Rex: Nihil esset, inquit, melius, quam ut primo quoque tempore concilium haberetur; sic enim remedium iis malis inveniri possit. Per quem autem stat, inquam, quominus id fiat? Quid est, quod ego magis urgeam Pontificis nomine? Quid est, quod ille cupiat ardentius? Rex vero: Si tantopere cupit Pontifex, rationes proponeret, quibus omnis difficultas congregandi concilii praecideretur. An autem tales, inquam, ille non proponit: nam quae potest esse ratio facilior congregandi concilii, quam si quod semel caeptum est Tridenti, sublata suspensione, continuetur? Qui vero novum edici concilium postulant, nihil aliud quam moras nectere videntur: priusquam enim de loco, deque ratione habendi concilii convenerit, triennium abibit, cum praesertim constet, eos qui discesserunt ab ecclesia Dei, concilium nolle, neque pati posse, ut ea doctrina, quam semel receperunt, in dubium revocetur. Ostendam, dixi, scriptum quoddam aliquando Brentii Serenitati vestrae, qui cum principio iudicium de causa religionis penes Principes esse voluisset, posteaquam vidit hanc suam sententiam tueri se non posse, eo progressus est, ut diceret, se nullum esse laturum doctrinae suae iudicem, praeter eum, quem venturum expectamus iudicem vivorum et mortuorum. Quid autem optarent magis omnes fures, paricidae, sicarii, latrones, quam ut nullus esset iudex in terris, qui de sceleribus illorum cognosceret, ac debitas de illis poenas prosequeretur, praeter iudicem illum vivorum et mortuorum. Videt Serenitas vestra, quorsum isti tendant, defugiunt omne iudicium, neque credat, quod Pontificiam tantum, sed ipsam etiam Imperatoriam et Regiam potestatem sublatam cupiunt: hoc agunt, ut sit anarchia quaedam. Visus est iis verbis meis Rex assentiri, nisi quod latebras animi solus Deus perspectas habet. Addidi autem et hoc, accepisse me, quod post illam disputationem Heildebergensem (Heidelberg.) proxime habitam misit Palatinus Rheni, qui se vocat principem electorem, ad ducem Virtembergensem quemdam cum literis, qui significaret, iterum ad se venturum generum cum quibusdam doctoribus, ut de eadem Sacramenti Eucharistiae materia cum suis theologis disputarent: quamobrem veniret ipse quoque Dux Virtembergensis, et suos theologos adduceret, ut

certi tandem aliquid constitueretur. Excanduisse ducem ac dixisse: Quid sibi vult, inquit, princeps iste? num est nobis doctrina nostra in dubium revocanda? ego de illa disceptari nolo, cum sim certus, quod apud me docetur purum Evangelium et purum esse Dei verbum. Si volet me ad venationem vocare, veniam, ad disputationem non veniam, neque meos mittam. Sic illi suam doctrinam heri et nudius tertius, quod aiunt, natam nolunt in dubium revocari: nos vero, ut nova fiat de fide catholica disputatio, patiemur? Hic itaque dux Virtembergensis prope solus renuere concilium, renuere iudicium omne de Brentii sui doctrina videtur: nam Palatinus Rheni minus abhorret. Frater autem eius Volfangus dicitur ceremonias et missam restituisse, quamvis Norimbergico ritu, non Catholico: sed utcumque sit, paulatim tamen inclinare videtur ad veterem nostram Catholicam religionem. De duce quoque Augusto fertur, quod eum vehementer sit iam istarum Sectarum pertaesum, quodque minime sit concilium recusaturus. Dux vero Brandeburgensis Elector propemodum noster est, neque dubitarim polliceri, quod is omnino concilium non refugiet: solus est propemodum Virtembergensis Dux, qui nolit. Num illius erit standum sententiae? Respondit Rex, se intellexisse, quod Norimbergensi ritu missam instituerit Volfangus. Caeterum de Augusto Saxoniae duce difficulter sibi persuaderi posse, quod is adduci queat, ut unde discessit eo redeat: de Brandeburgensi se scire, quod libenter cantet in templo, quodque ritus veteres non mutavit. Sed dummodo velit, Pontifex congregari concilium poterit. Tum ego: Mihi quoque fateor, propemodum fuit aliquando persuasum, quod per Pontifices steterit, quominus concilium coiret; sed nunc ipse video, quod cum Pontifex maxime velit, sunt nihilominus alii, qui cupiant, si minus impedire, morae saltem aliquid adferre. Respondit Rex: Difficulter hominibus persuaderi poterit, nunc quoque non aliquid a Pontifice impedimenti adferri, quominus concilium habeatur. An adfert impedimentum, inquam, aliquod ille, qui semotam vult esse cunctationem omnem? In concilium Tridentinum iam semel consenserunt omnes ordines Imperii, in aliud novum indicendum periculum est, ne minus facile consentiant. Visus est Rex de concilio bonam spem ostendere. Exhibui autem ille locum Vergerii ex eo libello, quam scripsit contra prohibitionem librorum Pauli IV. Pontificis, ubi dicit hoc aperte: Quod si permittatur a Pontifice non solum calix laicis et uxores sacerdotibus, verum etiam si condonarentur omnes articuli qui sunt in controversia, non se tamen acquieturos, si deberent ad obedientiam Papae redire. Videt, inquam, Serenitas vestra, quod isti non agunt de causa religionis, verum hoc agunt, ut ne sit vel Papa vel Caesar, neve sit potestas aliqua, cui eos dicto audientes esse oporteat. Haec ego fere cum Rege sum loquutus, qui cum legens indicem incidisset in Sacramentarios: Hic, inquit, quaeritur, qui sint Sacramentarii; tum ego: Non est, inquam, obscurum, qui sint Sacramentarii. Verum duces Vinarienses etiam Philippum Melanthonem et omnes illos, qui parent vel Augusto Principi, vel Palatino Rheni, vel duci Virtembergensi, pro Sacramentariis habent: nam hoc Philippo saepe fuit obiectum, quod esset sacramentarius, quodque cum Calvino faceret, neque se purgavit unquam. Legi autem non ita pridem libellum sacramentarii cuiusdam, qui contendit, eos qui sunt Confessionis Augustanae secum facere, quod ad Eucharistiae Sacramentum attinet: dicit enim illos docere, quod cum pane sit corpus Christi, idem et se sentire, cum datur panis, tum simul dari corpus Christi, sicut cum baptisatur infans aqua, praesto tum adest Spiritus Sanctus: itaque non in pane, neque sub pane esse corpus Christi, quod ex ipsorum Lutheranorum confessione probat, qui negant esse Christi corpus, nisi cum sumitur: atqui si esset in pane, aut sub pane, esset ibi procul dubio etiam extra sumptionem. Sic illi, inquam, ex ipsa Lutheri doctrina probant non esse ibi verum Christi corpus: ita fit, ubi disceditur ab una, sancta, catholica, Apostolica Ecclesia, nullus ut sit errandi finis. Audiebat me Serenitas illius benigne, et visa est verbis meis nonnihil moveri, neque magis quicquam expetere, quam ut primo quoque tempore concilium congregetur.

Illm̃o et Rm̃o Monsig. Sig. nostro Colm̃o.

Alli XXVIII. del passato arrivò il Vescovo Dolfino circa le XXIII. hore, et gionse improvisamente per evitare ogni offitio di cerimonie; fu però visitato la medesima sera dal Sig. Conte d'Arco a nome di S. M. Cesarea et dal Sig. Smecovich a nome del Serenissimo Re di Boemia. Mandò similmente il detto Vescovo a visitare per un suo secretario tutti li Ambasciatori de Principi, et alcuni degli Consiglieri di S. M. Cesarea suoi vecchi amici, il qual offitio parve esser grato ad ogn' uno di loro. La medesima sera comunicò con me Varmiense la causa in sustantia della sua venuta, et mi diede il breve di Sua Santità con le lettere di V. S. Illm̃a et la risposta che ha portato in scritto all' Imperatore. Accettate queste con la debita reverentia, et laudata come io doveva la santa mente di Sua Beatitudine, convenimmo insieme che per

non perder tempo io domandassi la mattina seguente audientia a Sua Maestà Cesarea, la quale per molto desiderio che haveva d'intendere quello che portava il detto Vescovo, mostrò allegrezza della sua venuta, et il medesimo giorno ci diede benignissima audientia. Abbracciato che hebbe Sua Maestà Cesarea il detto Vescovo alla presentia dell'Arciduca Carlo, e de li consiglieri primarii d'essa Maestà et dettoli che lo riceveva como vecchio amico, cominciò egli a parlare de la causa della sua venuta, et diede la risposta in scrittura fatta da Sua Santità alla proposta di Sua Maestà Cesarea, la quale gia io mandai a V. S. Illm̃a. Soggionse poi il detto Vescovo allegando molte honeste ragioni ch'inducevano Sua Santità a premere nella continuatione del concilio di Trento, disse che la continuatione non impedirebbe che questi novatori non fussero uditi sopra tutti li dubbii che loro havevano, essendo deliberata Sua Beatitudine che siano uditi dal concilio pienamente et a satietà, oltra che non si tratterebbe con detti novatori se non con mansuetudine et carità, et si darebbe loro salvo condutto in forma la piu ampla che mai sia stata data o si possa dare, promettendo appresso che si come Sua Santità haveva dato gagliardo principio alla refforma, cosi verrebbe affaticando in quella continuamente, fino a tanto che con l'aiuto de Dio l'havesse condutta al fine desiderato. Rispose la Maestà Sua Cesarea baciando il piede a Sua Santità de la benedictione, ringratiandola de l'haverle mandato una viva voce, et viva voce di persona da lei conosciuta et amata sommamente, dicendo anco alcune parole benignissime verso la persona mia aggiunse, che leggerebbe la scrittura che se gl'era data, laudò S. Santità de la refformatione, et quanto al resto rispose che pensarebbe et ci risponderebbe. Disse poi il Vescovo Dolfino, che non era parso a Sua Santità d'innovare in modo alcuno sopra li doi capi, cioè comunion sub utraque et coniugio de preti, proposti da Sua Maestà, perche havendo imparato lei da li predecessori suoi che se bene era loro stata data piena et somma potestà del nostro Signor Iesu Christo, havevano però usato di rimettere il trattar le cause della fede alli concilii generali, pareva a lei non si partir per adesso da questo instituto, et prese di qua nova occasione d'invitare et esshortare Sua Maestà che consentisse, per la parte che toccava a lei, a la predetta continuatione del concilio di Trento. Rispose Sua Maestà mostrando di pigliar in ottima parte la risposta di Sua Santità, ma dolendosi modestamente d'esser stata biasmata da qualch'uno in Roma per causa di tal proposta. Li fu risposto da noi per dissingannarla, in modo tale che la lasciassimo piena di satisfattione. Ci disse in discorso, ma sotto sigillo di confidentia secreta, come haveva inteso che di Francia si mandava a questa corte il Vescovo di Vienna, cosa che grandemente li doleva, perche era certa questo essere un prelato di mala sorte et Lutherano manifesto, et ne certificò che all'ultima dieta d'Augusta mangiò tutta la quadragesima la carne publicamente, et cosi licentiati si come il conte d'Arco n'era venuto a levar di casa, cortesemente fino a casa ne accompagnò tutta due. Alli xxx. essendo meco a desinare il Vescovo Dolfino, venne il Secretario di Sua Maestà Cesarea Sinchmoser, et lo ricercò da parte di Sua Maestà Cesarea che dopo desinare andasse da lei, egli ci andò et stette seco piu di doi hore, m'ha poi detto che Sua Maestà volse udirlo ragionare del stato delle cose d'Italia, parlando però sempre lontano dal negotio proposto da noi il dì antecedente. Mi disse poi il detto Vescovo che in certa sua digressione fece cader proposito de dire a Sua Maestà Cesarea questa sostantia, che li Francesi et ogn'altro che rimettendosi a lei circa al concilio, la persuadevano a voler un concilio novo, et a contradire la continuatione del Tridentino, non facevano altro che cercare d'abusar l'authorità sua Imperiale, per far haver effetto all'ambitione et altre voglie loro inconvenienti, con risigo di offendere la pia fama del Christiano et glorioso nome di Sua Cesarea Maestà, laqual cosa come dice il detto Vescovo fu presa in bonissima parte da essa Maestà. Il primo del presente domandata l'audientia al Serenissimo Re di Boemia, et havutasi cortesemente fu reso conto a Sua Altezza conforme a quello che da noi fu dato a Sua Maestà Cesarea, et essendo ricercata a favorire questa santa intentione di Sua Beatitudine s'offerse di farlo con ogni prontezza, si ben si doleva d'esser al torto diffamata per Roma d'haver disfavorito il concilio. Li rispondemmo in modo che restò satisfatta, et così licentiati fossimo accompagnati a casa dal Sig. Smecovich, il quale similmente di casa ne haveva levati.

Fin a quest'hora il detto Vescovo Dolfino è stato visitato dalli Ambasciatori de tutti li Principi, et havendo confidentemente ricercato in nome di Sua Santità ogn'uno di loro del suo favore per l'essecutione del santo desiderio di Sua Beatitudine sopra la continuatione del concilio di Trento, ha havuto dal Conte di Luna parole bonissime, et per la pietà sua et del suo Principe si ponno aspettare effetti migliori. Dall'Ambasciator di Francia fu risposto che li doleva di non poter satisfarlo, perche era mandato qui a posta dal suo Re per procurar solo la indictione di un novo concilio, soggionse bene che poiche haveva inteso la risposta data da Sua Santità a Monsignor di Manna, stava aspettando che Sua Maestà Christia-

nissima li desse ordine che si conformasse alla deliberatione fatta da Sua Santità, offerendosi a far in tal caso ogni più gagliardo offitio. L'Ambasciator di Polonia rispose che non puo far offitio, perche non ne ha commissione dal suo Re, et disse che non ha dubbio che se quella Maestà havesse saputo la mente di Sua Santità, non sarrebbe mancata come figliol della Chiesa obedientissimo di commettere che fosse favorita con ogni efficatia. Il Rev. Nuntio di Sua Beatitudine alla detta Maestà destinato si stà in Cracovia lontano sei cento miglia dal Re, alqual è mandato, se non piglia novo espediente, sa Dio quando lo vederà. L'Ambasciator di Francia ha mostrato con ogn'un di noi gran dolore d'esser caduto in sinistra opinione di Sua Santità et del sacro Collegio, et quando ciò nasca per causa delli uffitii da lui fatti qua, confessa come li pare, et non puo tacere, che se li fà torto inaudito, non havendo egli fatto altro qui ch' esseguire fedelmente quanto haveva in commissione dal Principe suo. Io Varmiense come scripsi puntualmente a V. S. Illm̃a quello che detto Ambasciator ragionò meco sopra il concilio, la qual parte egli escusa come è sopra scritto, così per ogn'altro conto faccio fede a V. S. Illm̃a che non posso far relatione se non bona et degna di questo Prelato, et per quanto il Vescovo Dolfino ha scoperto parlando con lui, et inteso per relatione d'altri ne resta egli ancora satisfatta. Noi attenderemo a procurare presta et votiva risposta da Sua Maestà et di tutto daremo pieno et distinto aviso a V. S. Illm̃a, nella cui bona gratia ci raccomandiamo con riverentia, basciando il piede humilmente a S. S. Rendo gratie a V. S. Illm̃a delli 100. scudi che per Monsignor Dolfino me ha mandati, liquali ha detto che mi darà ad ogni mio beneplacito. Da Vienna a li III. d'Ottobre 1560.

Di V. S. Illustrissima et Reverendissima

Humilissimi Servitori
ZACHARIAS Episcopus Pharensis.
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Illm̃e et Rm̃e dñe, dñe obserm̃e, salutem obsequiorumque commendationem.

VIII. Cal. Decembris Caesarea Maiestas alteri nostrum absoluto sacro, quod summum vocant, cum esset adhuc in oratorio suo, alteri vero post vespertinas preces peractas dixit, se litteras a Christianissimo Rege Galliarum accepisse, quibus illis respondet, quas Maiestas ipsius ad eum dederat, ne Concilium Nationale in Regno suo congregari pateretur, admonens et optatum ab eo responsum tulisse. Libenter enim Regem illum suae Maiestatis consilio pariturum, dummodo provideat Sm̃us Dominus Noster, ut Concilium Oecumenicum indicat, priusquam Comitia Regni Galliarum habeantur: quod nisi factum fuerit, se quod promisit suis Nationale Concilium negare non posse. Vehementer autem Regem illum a continuatione abhorrere, quominus vero Tridenti Concilium habeatur, non recusare. Haec sicut ab illius Maiestate nobis dicta sunt Illm̃ae D. Vestrae scribenda putavimus, etsi nihil dubitamus, quod ea pridem isthic habeat cognita. Addidit enim et hoc Caesarea Maiestas, quod idem Christianissimus Rex eadem haec Sm̃o Dño renuncianda curavit. Quod superest, opto Illm̃am D. Vestram diu esse incolumem et felicem, cuius me gratiae commendo. Datum Viennae XXII. Novembris Anno Domini MDLX.

Eiusdem Rmae. et Illmae. D. Vestrae

Servitores semper addictissimi
ZACHARIAS Episcopus Pharensis.
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

Rm̃e et Illm̃e dñe, dñe obserm̃e, salutem et servitutis commendationem.

Nihil habeo, quod scribam hoc tempore Ill. D. Vestrae, a qua totis iam fere tribus mensibus nullas litteras accepi. Mitto autem perscriptum sermonem, quem cum Serm̃o rege habui sexto Cal. Ianuarii. Mitto et exemplum litterarum ad me domini Episcopi Numburgensis in Saxonia, ex eo quid cogitent principes Lutherani, Ill. D. V. cognoscet, Rm̃um dominum Comendunum indies hic expectamus. Quod superest, opto Ill. D. Vestram diu esse incolumem et foelicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Datum Viennae die XXVIII. Decembris Anno domini MDLX.

Eiusdem Reverendissimae et Illustrissimae D. V.

Ab Ill. D. Vestra maiorem in modum peto, ut has litteras Rm̃o Cardinali Puteo per aliquem ex suis reddi iubeat, quo nomine plurimum Ill. D. Vestrae me debere fatebor.

Servitor deditissimus
STANISLAUS Episcopus Varmiensis.

VI. Cal. Ianuarii conveni Serm̃um regem, facta est mentio de Concilio, quam ipse prior iniecerat, dicebat protestantibus per bullam Concilii minime satisfactum iri: ego vero respondi, me bullam Concilii non habere, sed vidisse apud Gallicum oratorem, neque intelligere, quid in illa desiderari possit. Fuisse palam in hac civitate dictitatum, pontificem concilium nolle, et omnes vias quaerere, quibus illud impediri possit: nunc istos non verbis, sed factis refelli. Quamvis enim durum fuerit, quod a pontifice petebatur, ut indiceret potius concilium quam continuaret, et essent non pauci, quibus id minime concedendum esse videretur: pro eo tamen desiderio, quo tenetur pontifex mótus istos in Ecclesia concitatos tranquillandi, ne quid ad eam rem impedimenti foret, fecisse Sanctitatem illius, quod fuit ab illa postulatum, et indixisse concilium, nec ullum in bulla indictionis fecisse continuationis mentionem. Deinde vero, quod haud scio, an quisquam adhuc pontificum fecit, designasse nunc... suum ad ipsos protestantes virum non doctrina magis quam pietate insignem, quicum summa mihi fuit in Urbe familiaritas, si forte per eum adduci possent, quo vel ipsi ad Concilium venirent, vel suos oratores plena cum facultate mitterent. Respondit rex: In bulla quidem concilii non fit mentio continuationis, sed fit in bulla indulgentiae. Fit, inquam, sed non ita quod in ea continuatio sit decreta. Scriptum enim est, ad indicendum et continuandum: solent autem Iurisconsulti ET nonnumquam pro VEL usurpare: nihil itaque praeiudicat bulla indulgentiae bullae concilii. Metuo, inquit rex, quod non erit satisfactum principibus. Pertinacibus, dixi, nunquam erit satisfactum; sed si quid ratio valebit, facile acquiescent. Audio, quod sint Naumburgi conventum habituri. Rex autem: Convenient, inquit, sed alibi credo quam Naumburgi. Vellem, dixi, ut Nuncius Apostolicus mature veniret, quo possit in isto conventu praesto adesse. Ego vero dubito, inquit rex, utrum expediat, ut ad conventum veniat: indiget ea res deliberationis. Tum ego: Certum est, quod nihil faciet, nisi communicato prius cum Caesarea Maiestate consilio. Quaerebam autem, num essent omnes principes conventuri, an Saxoniae duces tantum. Credo, inquit, quod convenient etiam alii, nam agitur de re non parva. Tres, inquit, sunt viae cum illis agendi: aut missis ad ipsos nuntiis, aut ut ipsi mittant huc suos plena cum facultate, aut ut indicantur Imperii Comitia et ibi deliberatio hac de re suscipiatur. Quod postremum erit nimis longum, tribus mensibus vix conscribentur litterae comitiales: deinde duos menses illis concedi necesse est ad deliberandum, utrum sint habenda comitia nec ne: postea menses aliquot intercedent priusquam habeantur: terminus autem is, quem constituit pontifex, est valde brevis, vix litterae conscribi poterint interea. Memini, dixi, quod ante biennium venerat Maiestas Caesarea ad Comitia pridie Cal. Ianuarii, quatuor menses expectavit integros, neque venit quisquam ad comitia praeter Ducem Bavariae, qui gener est Maiestatis eius: qui vero postea venerunt, pauci admodum fuerunt. Metuendum est, ne nunc idem eveniat. Hic mos ante natum Lutheri Evangelium non fuit observatus. Mallem, quod huc suos mitterent cum plena facultate. Non credo, inquit rex, adductos iri, ut hoc faciant; sed est nimis brevis terminus a S. D. N. constitutus: deinde vero etiam a loco abhorrent protestantes. Tum ego: Non puto recusaturum pontificem, dummodo fiat initium Tridenti, quin transferatur in unum aliquem locum, de quo convenerit inter principes. Verum et diem longiorem fortasse concedet non gravatim, si petitum hoc fuerit: nam et illud scriptum huc est, quod bulla concilii nondum fuerit publicata praeterquam in Consistorio, quodque debebat ea mitti Caesareae Maiestati caeterisque regibus, ut prius viderent, quo cum ipsius Maiestatis et aliorum regum consilio publicaretur. Hoc mihi quoque scriptum, inquit, fuerat. Ego vero spero, inquam, inter unum et alterum diem rem omnem nos cognituros: nam habui litteras septimo Idus Decembris datas, quibus mihi scribitur, quod pridie eius diei cursor huc ad nos mitti debebat cum bulla Concilii. Hortatur, inquit rex, in bulla Maiestatem Caesaream Pontifex, ut praesens adesse velit: esset autem aequum, ut etiam ipse Pontifex adesset praesens: nam ubi oves, ibi praesens debet adesse pastor. Respondi, me legisse octo Concilia oecumenica, quae Gratianus enumerat, neque reperisse, quod in eorum ullo Pontifex Romanus interfuerit, sed Legatos tantum suos miserit. Marcianum imperatorem invitasse vere maximum illum pontificem Leonem primum, ut Calcedonensi concilio, quod erat quantum oecumenicum, interesset, verum illum se excusasse, quod diceret, quod nullum eius rei exemplum a praedecessoribus suis acceperit. Habeo, inquit rex, conscriptos pontifices aliquot, qui praesentes interfuerunt Conciliis. Respondi: Extra locum residentiae suae vix credo, quod adfuerit quisquam praesens in Concilio, praeter Eugenium, quem Florentiae fuisse constat: nam quod Constantiae pontifex adfuerit, non fuit is verus et indubitatus pontifex, neque pro tali est habitus in concilio. In Lateranensi Concilio interfuere pontifices Innocentius, Iulius, Leo decimus, for-

tassis etiam in Gallia, cum eo sedes fuisset translata, cuius tamen rei mihi nunc exemplum non succurrit. Non deberet, inquit rex, a suis ovibus abesse pastor. Cui ego: Qui nunc est rerum status, dico ingenue, si meum consilium pontifex requireret, me non facturum, ut illi suaderem, quo veniret ad Concilium, quandoquidem quod ad eos attinet, qui segregaverunt semetipsos, non posset in eo suam authoritatem dignitatemque retinere. Scimus, quid factum sit sub Iulio III. miserunt ex protestantibus aliqui suos ad Concilium, qui nunquam se coram legatis pontificis, sed coram oratore tantum Caesaris stituerunt: fortassis idem etiam esset nunc futurum, melius est, quod indignitatem hanc ferant legati, quam ipse pontifex: sed persuadeatur istis, ut velint esse oves et ut agnoscant pontificem pro pastore suo, et ei debitam reverentiam et obedientiam praestent, tum ego non dubitarem, quamvis et aetate et valetudine sit affecta pontifex, non gravatim tamen Sanctitatem eius facturam, ut ad Concilium ipse veniat. Videatur primum progressus Concilii, qui si talis fuerit, qualem optant pii omnes, tum id a pontifice peti recte poterit, et impetratum iri spero.

Cum fuisset aliquandiu silentium, protuli Confessionem Augustanam germanica lingua conscriptam et ostendi locum, ubi confitetur, sub speciebus panis et vini Christi corpus et sanguinem contineri, contrariamque doctrinam damnant: cum tamen in posterioribus confessionibus non solum sub speciebus, sed ne in pane quidem, aut sub pane, sed cum pane tantum dicant esse corpus Christi, quae sententia Calvini est et eorum qui vocantur Sacramentarii. Scio, inquit rex, quod saepe depravarunt suam hanc Confessionem. Ego vero: Scriptum esse mihi dixi, quod duces Vinarienses et ab Illirico et a Luthero iam desciverint, Calvinique doctrinam de Sacramento Eucharistiae sint amplexi. Nihil, inquit, accepi ea de re, scriptum esset mihi quoque, si quid eiusmodi factum foret. Non dubito, inquam, quin in isto conventu laboraturi sint, ut in doctrina fidei praecipue de Sacramento Eucharistiae concordes esse queant, ac metuo ne inclinent ad Calvinum. Est, inquit, periculum: nam certum est, quod multo maxima Germaniae pars iam Calvini doctrinam sequitur. Haec, inquam, inconstantia signum est amissae veritatis: nescio quomodo facta est mentio de persecutionibus. Neminem illi cogunt, inquit, ad fidem. Respondi, me scire, quod in quibusdam Lutheranorum civitatibus interdictum est aqua et igni Sacramentariis: duces quoque Vinariensis dicuntur quendam, nisi fallor, Isingerum in carceres coniecisse, propterea quod dicebat opera esse necessaria ad salutem. Sed, inquit, ferro et flamma non seviunt. Recens est, inquam, exemplum Calvini, qui Servetum articulis et fasciculis convicit, cum sicut gloriantur Serveti discipuli aeque ut Lutherani, eum scripturis convincere non potuisset: quin et liberum scripsit Calvinus de gladio persequendis hereticis. Servetus inquit, male, sensit de Trinitate. Et isti, inquam, non melius sentiunt de non levioribus doctrinae Christianae capitibus. Verum legi Roberti Episcopi Arboricensis librum ante annos quatuor scriptum, in quo commemorat cuiusdam cadaver post sepulturam cruci affixum, propterea quod praeteritae culpae sibi conscius ad cor redierit petiveritque, ut sibi ministrarentur Ecclesiae Catholicae Sacramenta. Hoc et ipsum a Calvino factum existimo, nam illum notare videretur. Quae fuit autem ista Calvini crudelitas, quod solam hominis catholici voluntatem accipiendi Sacramenta Ecclesiae sic esse plectendam putaverit, qui etiam lege quadam interdixerat, ne morituro Sacramentum Eucharistiae daretur. Tum rex: Fuit quaedam in hac civitate nobilis faemina, quae cum in extremo vitae discrimine versaretur, petebat sibi dari sub utraque sacramentum Eucharistiae, et est illi negatum, itaque decessit absque sacramento. Non sine magna ratione factum id est, inquam: nam ita memini me legere apud Augustinum, quod in hoc Venerabili Sacramento nos Dominus designavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis in hac mensa consecravit; qui vero accepit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non pro se mysterium, sed contra se testimonium accipit: noluerunt itaque, ut acciperet contra se testimonium, quod rupisset vinculum pacis et unitatis. Sed illa, inquit, prolatis verbis consecrationis, testata est Deum et homines, qui tum praesentes aderant, quod decederet in proposito communicandi corpus et sanguinem Christi. Maluissem, dixi, ut decessisset in vinculo pacis et unitatis: nam haec est, quam a nobis Deus exigit, utrumque speciem, ut sumamus, non exigit. Si concederetur, inquit, calix, multi resipiscerent et in hoc solo acquiescerent. Hoc saepe, dixi, iactari audivi, sed eventus docuit, rem secus cessisse. Permisit Carolus Imperator, nescio quo iure, non solum calicem laicis, verum etiam uxores sacerdotibus, num propterea discessum est ab istis variis et peregrinis doctrinis? num est unitas propterea consequuta? Qui sit status Germaniae, videt Serenitas vestra, nihil opus est me dicere. Idem scio factum in Polonia quoque. Non credat Serenitas vestra, quod statim ab eo sit Satanas incepturus, ut dicat: Chri-

stus non est Deus; est ingeniosior quam ut id faciat, scit quod hoc aures hominum initio non essent laturae, quamobrem paulatim irrepit in animos hominum, nec aliud illi curae est, quam ut Ecclesiae consensum oppugnet, et maxime conciliorum authoritatem elevet, quae quoad est tanta quanta esse debet, scit se proficere nihil posse: quamobrem, quicquid summo cum consensu omnium receptum est, illud contemnendum esse docet, et privatum potius quam publicam Ecclesiae iudicium amplectendum. Verbi gratia, receptum est, ut abstineatur a carnibus die Veneris: mox ille: Quid inquit? an in piscium esu salus est collocata? an regnum Dei est esca et potus? et efficit, prolatis aliquot scripturae locis, ut recepta Ecclesiae consuetudo contemnatur, quasi nunquum antea in Ecclesia scripturae fuerint intellectae. Postquam haec illi ratio successit, iniicit de calice contentionem, ut sic, cuius rei symbolum est hoc Sacramentum, charitatem ex animis hominum tollat, unitatemque scindat: paulo post negat sub specie panis aliud quam corpus, sub specie vini aliud quam sanguinem contineri, ut sic vivum esse corpus et sanguis non credatur: postea panem et vinum simul cum corpore Christi in Sacramento esse asserit, adorationem illius interdicit, Sacrificium et sacerdotium abrogat, denique negat ibi veritatem esse corporis et sanguinis Christi: ad extremum eo pervenit, quo iam perventum est proh dolor! in Moravia, ut Christum Deum esse neget. Quae haeresis si non primo quoque tempore fuerit reppressa, futura est paulo post non minus plausibilis, quam nunc est vel Lutherana vel Zuingliana: nam posteaquam assueverint aures audiendis eiusmodi blasphemiis, quod horrendum sua natura visum est initio, id consuetudine mitescet. Et credat Serenitas vestra, non adorare sacramentum, negare sacerdotium et sacrificium, quod a Luthero et eius sectatoribus factum scimus, visum est initio perquam horrendum et cumprimis abominandum, sed posteaquam receperunt hoc aures multorum, receperunt et hoc successu temporis, quod initio Lutherani vehementer execrabantur, Non esse in Eucharistia verum et vivum corpus et sanguinem Christi: recipient paulo post et hoc sine molestia, quod nunc docetur in Moravia, si non valuerit illud Poetae consilium: Principiis obsta. Tum rex: Certe cumprimis horrenda et execrabilis est haec haeresis, et iussit Caesarea Maiestas omnem adhiberi diligentiam, ut haereticus ille caperetur, nisi quod quid hactenus de illo factum sit, nescimus. Est, dixi ego, cumprimis execranda haeresis negare Christum; sed memini me legere apud Augustinum, quod ille docet ex Paulo, Christum et caput esse et corpus et utrumque unum esse Christum: itaque non solum is negat Christum, qui vel divinitatem vel humanitatem eius negat, verum etiam is, qui se ab illius corpore Ecclesia quacumque tandem in re separat. Et hoc est, quod maiores nostri modis omnibus cavendum esse putaverunt, ne cui liceret impune se a Christi corpore sancta Catholica Ecclesia separare, quod inde fere sumitur negandi Christi initium: nam qui vel divinitatem vel humanitatem Christi negant, non sunt scripturis destituti, quarum examina producunt, sed vero earum sensu, quem nos Concilia, quae repraesentant Ecclesiam, docent. Horum itaque conciliorum authoritatem qui contemnit, qui sibi decedere licitum esse vult ab eo, quod in illis est sancitum, is paulatim assuescit negare Christum et semper progreditur ulterius. Rideat Brentius quantum volet, mihi adhuc non alia probatur magis quam fides Carbonaria: credo sanctam Ecclesiam Catholicam, haec est mea fides, ab hac nunquam discedam. Ridebat rex, cum facerem Carbonariae fidei mentionem. Fatebatur autem hoc, quod etiam in Austria longe plurimi essent Sacramentarii. Ego vero: Sub uno, inquam, Confessionis Augustanae pretextu licet unicuique credere, quicquid vult, aut etiam nihil credere. Non inficiabat id rex. Fui cum illo per sesqui horam, multis de rebus loquebamur, de Gallia, de Anglia, de Scotia, de Polonia: visus est autem expetere Concilium et illi se favorem suum praestare velle promisit, cui hoc nomine egi gratias, meque nunquam aliam de Serenitate illius opinionem concepisse dixi. Scio, inquit, quod varia est quorundam de me opinio, sed res ipsa declarabit aliquando, quod qui secus de me sentiunt, opinione sua frustrabuntur. Quae verba mihi non parum consolationes attulerunt.

Rm̃o in Christo patri ac dñ̃o Stanislao Hosio Ep̃o Varmiensi, Nuntio Apostolico etc.

Rm̃e in Christo pater ac domine observantissime, Salutem etc.

Vellem equidem, principes nostri, qui a Catholica religione discesserunt, mitterent in aulam Caesaris plena cum potestate Legatos suos, quibuscum de Concilio tractari posset: sed ut nunc sunt tempora, id facilius optare quam sperare possumus. Aiunt se certiores esse factos, Pontificem Maximum cum Regibus Galliae atque Hispaniae pactum esse, ut hi schismaticos, si qui decretis concilii parere noluerint, vi et armis coerceant: est igitur periculum, ne a Concilio magis quam ante un-

quam abhorreant. XIII. Cal. Februarii conventuri sunt in Civitate mea Numburg, et metuo, ne consilia capturi sint non satis quieta: quare expediret, Caesarem primo quoque tempore mittere Legatos suos, qui eos officii ipsorum monerent, si quomodo ad aequitatem flecti possent. Videtur Pontifex noster temporis angustia exclusus suos Caesarianis adiungere haud posse: et si posset, id fortasse Sanctitati eius commodum non esset, ac mea quidem sententia satis esset, hoc tempore principibus illis spem de publica fide eaque tali, qualem a concilio Tridentino impetrarant, ostendi: et ut de iis etiam, quae iam decreta sunt, primo omnium quasi re integrata audiuntur, id quod eis etiam in Concilio Tridentino concessum fuit. Et quamquam hoc onerum eis tergiversandi causam atque materiam subtracturum esse videtur, tamen si nec ipsi venire ad Concilium, nec suos mittere velint, cogitet Rm̃a D. Vestra, num haec Concilii ratio probari posset, ut Caesar noster eo tempore, quo Concilium inchoabitur, vel potius redintegrabitur, indicat conventum principum illorum in locum aliquem a Concilio non longo semotum, eisque imperet, ut veniant ipsi, neque tantum negotium Consiliariis atque Legatis suis committant: se enim a Concilio impetraturum esse, ut e numero patrum Concilii mittantur, qui cum eis de capitibus Religionis controversis coram agant. Cuius quidem rei duplex esse potest fructus, alter ut si ipsi conventui interessent, non facile arma capere atque tumultuari possent: alter vero, ut si ipsi a patribus Concilii ratione Catholici dogmatis, ad quam alias domi suae clausas habent aures, cognoscerent, facilius in viam reduci valerent: quippe cum verisimile sit, multos horum non iudicio certo, sed quodam opinionis errore lapsos esse. Haec addenda putavi, non quod putarem R. D. V. ullo consilio meo egere, sed tamen ut nihil eorum, quae mihi de rebus illis in mentem venerant, dissimularem, cum praesertim has nugas meas Rm̃am D. V. aequi bonique facturam esse confiderem. Bene valeat eadem, cui me valde commendo. Datum Cuy Id. Decemb. Anno MDLX.

Eiusdem Reverendissimae D. V.

addictissimus

IULIUS Confirmatus Numburgensis.

Nuntiatura Germaniae Tom. XXX. fol. 113 — 224.

DCXCI.

Stanislai Hosii litterae de eodem negotio ad cardinales legatos et praesides concilii Tridentini, eorumque responsa.

Rm̃us D. Cardinalis Varmiensis Rm̃is DD. Legatis Concilii Tridentini.

Cum esset mihi facta certi hominis potestas, per quem ad Illustrissimas Domñes Vestras scribere possem, pro meo summo erga illas studio et observantia committere nolui, ut meis litteris vacuus illas videret, ad quas ego primo quoque tempore venire, illisque inservire vehementer cupio. Sed ex eo die, quo venit in hanc Civitatem R. D. Canobius, nullas ab Illm̃o D. Borromeo Cardinali litteras accepi, cum tamen tres tabellarii sive cursores publici interea temporis ex Italia venerint, nec quid mihi faciendum sit, mecum certo statuere possum. Video per festa proxima Penthecostes hic esse mihi necessario commorandum, quibus peractis deliberatum habeo statim in viam me dare, nisi quid intercesserit, quod nollem: nam credant mihi Illm̃ae Domñes Vestrae, quod meliore mei parte sum cum illis semper, omnesque rationes pervestigo, quibus me hinc quamprimum possim explicare. Caesarea Maiestas quid mihi et D. Canobio responsi dederit, cum de Concilio verba fecissemus, ex meis prioribas cognoverunt iam Rm̃ae DD. VV. procul dubio: nunc quod scribam, nihil habeo, quam quod Deum precor, ut Illm̃as DD. Vestras diu servet incolumes et omnis foelicitatis genere cumulet.

Post has scriptas redditae mihi sunt litterae Illm̃arum Dñum Vestrarum, ad quas nihil fuit quod responderem, cum praesertim iam isthuc misissem Caesareae Maiestatis responsum, et puto Illm̃is Dñibus Vestris ad hunc diem esse redditum. Nihil autem cum illius Maiestate egi postea de Concilio, quandoquidem semel et iterum mihi promisisset, quod non esset futura in mora suis ad Concilium mittendis. Ex Urbe praeterquam de adventu Oratoris Catholici Regis habui nihil: expecto ab Illm̃is DD. VV. de iis rebus certius aliquid, quas illis perscripturum se Illm̃us D. Borromeus pollicetur. Si quid erit novi, faciam, ut id non ignoretur Illm̃is DD. VV. quibus me diligenter commendo. Ex Vienna XIIII. Kalendas Iunii MDLXI.

Probari Illm̃is DD. Vestris meum istuc primo quoque tempore proficiscendi desiderium gaudeo, magis autem gauderem, si voti mei compos factus, eorum conspectu frui iam possem, operum videndorum tanta cupiditate ardeo: maiore enim cum fructu meo versarer inter eas, quarum consuetudine

reddi possem et doctior et ad res, quae nunc agendae instant, instructior, quibuscum etiam parte mei meliore totus iam esse videor. Sed quae mea sit haec infoelicitas nescio quod, cum quartus iam hoc mense tabellarius ex Urbe venerit, ab Illño Domino Cardinali Borromeo ne iota quidem adhuc accepi: itaque pendeo adhuc animi, nec aliud magis gesto, quam hinc evolare quam celerrime, nisi quod ante litteras acceptas, ut id faciam, integrum esse non puto, quas avide expecto. Ex Lusitania primitias exterarum nationum venisse gaudeo vehementer. Quantum autem illud amerem, ut ex Moscovia quoque venisse aliquem iam audirem, qui stimulos Christianis Regibus ad suos Oratores celerius mittendos adderet: quod fortassis accidisset, si maturius Moschorum Dux ad Concilium istud invitatus fuisset. Sic illud verum sit, quod est in Evangelio, et erunt novissimi primi: qui distant longius a Concilii loco quam Lusitani? et tamen hi primi venerunt ad Concilium, primi suam erga Sanctam Sedem Apostolicam observantiam, primi suum in Ecclesiae tranquillitate procuranda studium orbi testatum faciunt universo. Laudabam Hispanos antea, caeterisque nationibus omnibus praeferebam, quod prae illis tuendae conservandaeque religionis Catholicae essent studiosissimi; nunc video, quod superantur a Lusitanis. Cum id Caesareae Maiestati renunciassem, quod ex Lusitania primitiae iam venerint exterarum nationum, fuit hoc illi gratum auditu, seque suos etiam primo quoque tempore missarum promisit: simul et illud narravit habere se Roma litteras, quibus redditur certior expectare S. D. N. a Catholico Rege responsum. Significavi autem et illud, quod Pontifex Episcopis, qui Romae sunt, mandaverit, ut ad Concilium proficiscerentur, et eos iam esse in procinctu: visa est mihi Maiestas illius magis Concilium nunc optare quam antea, ac non nihil gaudere, quod per se non stet, quominus primo quoque tempore celebretur. Narravit autem mihi Gallicus Orator, quod audiverit ex illius Maiestate, quod maiore nunc sit spe quam antea, Protestantes quoque suos Oratores ad Concilium esse missuros: qua tamen de re ne verbo quidem Caesarea Maiestas coram me meminit. Vellem autem non quatuor, sed quadraginta ex Urbe mitti Episcopos ad Concilium: nunc cum quatuor mittuntur, vigesima pars mitti non videtur eorum, qui in Urbe commorantur. Quod de duobus Germanis Theologis Illm̃us Cardinalis Borromeus scripsit, acceperam idem ante menses aliquot ex litteris Illm̃i Cardinalis Tridentini, qui decrevisse Pontificem scripsit quatuor Germanos Theologos alere suo stipendio in Concilio, et dare singulis centum coronatos in sumpto itineris: nominaverat autem Staphylum et Vicelium, duos alios a me nominari cupiebat, simul de duobus iis, quod esset meum iudicium, quaerebat. Ego, quos praeterea duos nominarem, non habebam. De Vicellio cognoveram, quod esset is quidem acer admodum in Lutherana doctrina confutanda, sed haberet nihilominus opiniones quasdam suas proprias, in quibus ab Ecclesiae Catholicae consensu dissideret. Lindanus Catholicus est citra dubitationem ullam, verum tam obscurus in iis quae scribit, ut obscuritate hac me a legendis libris suis deteruerit. Ad Staphylum scripsi, cuius litteras Illm̃is Domñibus Vestris mitto, ut sententiam ipsius ex illis cognoscant. Videtur iam is operam suam Caesareae Maiestati addixisse: quod idem dicitur de Canisio quoque, cuius huc adventum in horas expecto, qui vir est et pius et doctus. Magna est in Germania virorum solide doctorum penuria, etsi Theologorum nusquam sit maior copia: omnes enim hic Theologi sunt, sed tanto plerique magis rudes in Theologia, quanto sibi doctiores videntur: neque vero soli Catholici, verum etiam haeretici magna doctorum virorum penuria laborant, stilo nonnulli valent aliquid, sed cum disserendum est de rebus sacris, non reperiuntur fere, qui multum in illis progressi videantur, quique ad disputandum sint apti: quam etiam ego causam inter alias esse puto, cur tantopere Concilium refugiant. Doctiores inter eos reperire licet, qui Zuinglii sive Calvini, quam qui Lutheri dogma profitentur. Fuit apud me superiori hebdomada D. Comes a Luna, quae cum illo egerim, intelligant ex particula literarum, quas ad Illm̃um D. Borromeum scripsi, quam Dominationibus Vestris Illm̃is descriptam mitto simul cum exemplo literarum, quas ad Nuntium, qui est in Hispania, dedi. Quod superest, opto DD. Vestras Illm̃as diu esse incolumes atque foelices, quarum me gratiae commendo. Viennae xxvii. Maii 1561.

Hoc ipso die redditae mihi sunt Illm̃arum DD. Vestrarum literae, quae mihi multo gratissimae acciderunt: illud autem permolestum, quod neque nunc sum certus de tempore discessus hinc mei atque fui antea, quintus iam tabellarius huc venit, neque vel apicem unum ab Illño D. Cardinali Borromeo attulit: itaque pendeo animi, quando mihi sit hinc exeundum, nescio. Palam autem iactatur hic Concilium prorogari, cuius rei non obscuram ex inde coniecturam faciant, quod cum pridem fuerit mihi scriptum, simul ut assensum Oratoribus mittendis praebuerit Caesarea Maiestas, Tridentum ut statim proficiscerer: adhuc tamen hic haereo, quod postea binis literis mihi diversum non nihil mandatum fuerat.

Quin et illud affirmatur a nonnullis, periculum esse non habitum iri Concilium, cuius rei culpam penes se non esse laetantur hic nonnulli. De novis communicatis ago gratias. Hic novarum rerum nihil est, nisi quod induciae annuae factae sunt inter Caesaream Maiestatem et Principem Transilvaniae.

Archiepiscopus Magdeburgensis, qui primas est Germaniae, se venturum ad Concilium, et quidem brevi promittit: Si videro, credam, dicit Caesarea Maiestas, nec ego in alia sum sententia. Quid responsi dederint Protestantes D. Commenduno, ex iis quae mitto Illmae DD. VV. cognoscent: est responsum Evangelio dignum, quod profitentur. D. Delphinus adhuc abest, nec ubi locorum sit scio: scripserat autem huc Secretarius eius, quod XII. Kalendas Iunii venturus erat Ulmam. Serenissimus Rex hesterno die rediit ex balneis, quem die crastino visere statui: nam habeo multos libros novos, quos cum Serenitate eius communicem, ex nundinis Fransfordiensibus ad me missos, ut iterum Confessionistarum absurditates videat, quorum etiam Confessiones tres per Oratorem Ferrariensem Illmis DD. VV. mittam prope diem. Magis autem cuperem me ipsum offerre, nam hic invitus dego, et mallem hinc discedere, priusquam aestus venirent graviores, ut ad omnia mandata Illmarum DD. Vestrarum praesto esse possem. Utinam autem aliquo me tandem responso Illmus D. Cardinalis Borromeus dignaretur.

Ab uno mense sum ad iter ineundum paratus: alo equos non paucos, nec in quem usum adhuc scio. Servet Christus Illmas DD. VV. diu incolumes et foelices, quarum gratiae me diligenter commendo. Ex Vienna III. Nonas Iunii 1561.

Post scriptas hac venit ad me D. Comes a Luna, inter alia narravit et hoc, quod spem ostendunt Protestantes ad Concilium hoc se quoque suos Oratores missuros, nisi quod nescio quas conditiones proponere prius volunt, quas cum ipsi iustas esse persuasum habeant, volunt ut a patribus quoque Concilii iustae esse credantur, et sicut quod ipsis placet, esse et vocari volunt verbum Dei, sic etiam quod ipsis videtur, iustum esse iudicetur.

Reddiderunt mihi fratres Dominicani literas Illmarum DD. Vestrarum una cum transumpto literarum Apostolicarum et aliarum, quibus substituitur R. D. Camerinensis Episcopus Nuntius Apostolicus. Cupivissent autem iidem, ut R. D. Archiepus Gesnensis, qui Regni primas est, vir in sacris literis foeliciter versatus, nec vulgari ingenio rerumque usu praeditus, substitutus potius fuisset, quam is, de quo certum non est, quamdiu sit in Regno commoraturus, ita ut cum ille discesserit, nemo iam sit futurus, qui potestatem hanc absolvendi habeat: sed cum ex literis Illmarum DD. VV. cognovissem, quod si esset ab Illmo D. Card. Borromeo nominatus, cuius ea de re sententiam Illmae DD. VV. sibi sequendam esse putaverunt, monui illos, ut cousque saltem quiescerent, dum convenire mihi Illmas DD. VV. liceret, quarum cum essem conspectu desideratissimo potitus, daturum me operam, ut alia ratione provinciae illi provideretur; sic illos a me dimisi.

Accepi autem et Illmi Borromei literas, quas suis coniunctas ad me miserunt Illmae DD. VV. quibus mihi mandatur, ne Tridentum proficiscar, priusquam Imperator illuc mittat Oratores suos itemque Praelatos, neve prius hinc me moveam, antequam se moverint Oratores et Praelati. Mihi vero non ab uno dictum est, non prius missurum suos Imperatorem, quam ego discessero: quare quid agatur non intelligo, neque scio quis hic mei sit usus, praecipue cum intra paucos dies venturus huc sit R. D. Delphinus. Mirantur multi, cur hic haeream ita diu; ego vero non miror tantum, sed et moleste fero, nisi quod parere necesse est. Scribit autem in iisdem literis se misisse ad me nonnulla Brevia, quae curarem in Poloniam perferrenda, quandoquidem ad me pertinere videntur, de quibus iam a quindecim diebus factus fui certior, nec ubi tandiu lateant scio: debebat illa D. Cenobius reddere Sermo Regi meo, sed ego metuo, ne prius in Aulam veniat, quam ad me fuerint allata. Maiorem in modum ab Illmis DD. VV. peto, si forte sunt apud eum, qui magister est publici cursus, iubeant huc ea primo quoque tempore mitti: periculum enim est in mora. Opto Illmas DD. VV. diu esse incolumes et foelices, quarum me gratiae commendo.

Hac ipsa hora redditae mihi sunt literae cum Brevibus Apostolicis, quas ego periisse iam putabam, cum non afferrentur tandiu. Viennae 17. Iunii 1561.

Quandoquidem coram cum Illmis DD. VV. colloqui potestas, quandiu mihi cupivissem, non permittitur, pro mea erga illas observantia tenere non possum, quin saltem per literas id absens faciam, quamvis nihil est magnopere, quod scribam, nisi quod quae mihi missa sunt nova et ab Episcopo Numburgensi et a Staphylo, ea cum Illmis DD. VV. esse communicanda duxi. Venit huc iam R. D. Delphinus, nulla ut sit causa, quamobrem hic me diutius commorari sit necesse.

Sed quando sic visum est his, penes quos potestas est, quid aliud me quam iussa capessere fas est? Mitto simul cum exemplo literarum, quae sunt ad me datae, etiam nova quaedam ex Hungaria, quae certe stupenda sunt. Opto Illm̃as DD. VV. diu esse incolumes et foelices, quarum me gratiae diligenter commendo. Viennae 23. Iunii 1561.

Caesarea Maiestas laboravit ex febri, a qua libera iam esse dicitur, sed nondum tamen in publicum prodiit. Kalendis Augusti Comitia Regni Hungariae Possonii habebuntur, unde coniecturam capere licet, antequam ea fuerint absoluta, neminem Episcoporum ex Hungaria ad Concilium missum iri. Mitto nunc Illm̃is DD. VV. sermonem germanicum, de quo superioribus meis scripseram. Iterum atque iterum, ne discedam hinc, mihi mandatur, nisi prius discedant Oratores, quos Imperator ad Concilium destinaverit, aut aliqua pars eorum, quod mihi facere minus esset molestum, si quem usum esse mei viderem. Nunc mihi captivus esse videor, nam nec domo fere prodeo, nec ad meditandum aliquid animum componere possum; verum obedientia melior est quam victima: cuperem vehementer ex istis vinculis liberari, cum praesertim advenerit R. D. Delphinus, qui rectius hoc munere fungi posset.

Quas ad me literas dederunt Illm̃ae DD. Vestrae XVIII. Kalendas, eae mihi redditae fuerunt VI. Iulii. Gratum fuit ex illis cognoscere numerum Episcoporum istic augeri: sed mihi parum videtur et lenta fieri accessio, utinam aliquando maiorem videamus! Quod mihi non permittitur isthuc proficiscendi potestas, maiorem ex eo molestiam animi capio, quam facile credi possit: nihil enim est, quod votis ardentioribus expetam, quam ut Illm̃arum DD. Vestrarum suavissimo conspectu quam celerrime frui mihi liceat. Quando vero Caesareae Mai. suos isthuc sit missura, certi nihil habeo: nam nec ego urgeo, cum ea de re mandatum nullum habeam, et est magnum nunc de mittendis Oratoribus silentium. Expectatur a Catholico Rege responsum, quod cum advenerit, certius aliquid cognoscamus. R. D. Delphinus ostendit mihi, spem futuram, ut hinc mihi brevi discedere liceat: confirmet hoc Deus. Caesarea Maiestas edixit comitia Possonii Kal. Augusti, ad quae ut proficiscar, non puto mihi mandatum iri, cum praesertim adsit hic Nuntius. Inde dicitur Maiestatem eius in Bohemiam cogitare, et peractis ibi comitiis, Imperii quoque comitia celebrare velle. Quid autem hic agam, absente Maiestate illius, equidem non video. Si vero, quod absit, comitanda mihi fuerit quocunque proficiscetur, futurum id est mihi multo difficillimum; neque tamen ullae me difficultates deterrerent, si quidem usum esse mei cognoscerem. Sunt qui dicant, quod non prius missura sit suos Oratores Maiestas Cesarea, quam Imperii comitia absolverit, quod ante festa Paschatis futurum non putant: sed ego tamen vanum id esse credo, quin hoc potius existimo, simul ut Regi Catholico persuasum fuerit, ut Bullae Concilii consentiat, quod suos Caesarea Maiestas e vestigio mittet, et in aliqua non longe a Concilii loco distante civitate comitia Imperii indicet, ut ibi congregatis omnibus Imperii Principibus iniri ratio possit, qua persuaderi illis queat, ut suos et ipsi ad Concilium Oratores mittant. Quod super est, opto Illm̃as DD. Vestras diu esse incolumes et foelices, quarum me gratiae diligenter commendo. Vienna prima Iulii Anno Dñi 1561.

Narravit mihi R. D. Delphinus, quod cum vocatus nuper fuisset a Caesarea Maiestate, cognoverit ex illa, convocari nescio quos a Rege Christianissimo ex universo Regno, quibuscum deliberet de mittendis Oratoribus ad Concilium, deque mandatis illis dandis: quae res nationalis Concilii speciem quandam habere videtur. Periculum est, ne cum decretis ad Concilium veniant, neve praescribere velint potius quam praescriptis parere: nam et alibi factitatum hoc esse vidi, quod in minoribus Comitiis, ex quibus Oratores ad maiora Comitia mittendi diligebantur, certae quaedam leges praescribebantur, ut ab his non discederent, sed eas mordicus tuerentur. Vehementer metuo, ne nunc idem eveniat, si minus in causa religionis, tamen in quibusdam ad eam pertinentibus. Audio queri Gallos, quod satis diu Concilium expectaverint, ferre se iam diutius moram hanc non posse: memini mecum quoque eadem de re egisse ante mensem unum Caesarem, sed nunc id serio magis urgeri audio. Qua de re non dubito, quin scribat pluribus ipse R. D. Delphinus.

Nec ego votis ardentioribus quicquam expecto, quam ut Rm̃as et Illm̃as DD. Vestras primo quoque tempore videre, illisque inservire, illarum me potestati totum tradere, illarum consuetudine melior et doctior et ad res, quae instant agendae, reddi queam instructior: sed quod ego in magna infoelicitatis meae parte pono, voti mei tam ardentis hactenus fieri compos non potui. Utinam vero celerius id eveniat, me nihil aestus isti retardabuntur, quominus posteaquam permissa mihi potestas fuerit, in viam e vestigio me dem, quo possim optatissimo illarum comspectu aliquandiu frui. Quibus etiam ingentes ago gratias, quod in Urbem ea de re scripserint, quamvis id me auctore factum esse

nollem. Admoneor enim ab amicis, ne nimis discessum hinc meum urgeam, ne quid ea res S. D. N. voluntatem offendat: itaque vix iam de ea re mutire audeo. De libris missis nihil est, quod agant gratias: ego vero Illm̃o ac Rm̃o Dñ̃o meo Cardinali Mantuano totam Moschoviam, quae patere dicitur ad ter millia milliaria, cum illam videre mihi contigerit, donabo, addam et Austriam et Styriam et Carinthiam, sed nolo nisi meis manibus haec et me ipsum illi offerre. Concilium distrahi sic iam per Orbem spargitur universum, nihil ut certius habeatur, Serenissimus Rex meus Poloniae iam Abbatibus quibusdam, ut essent in procinctu, mandaverat, et erant se in viam daturi: rumore autem hoc allato loco se non moverunt. Idem fortasse fecit Portugallensis quoque, sicut ex litteris Oratoris ipsius, qui nunc Romae est, coniecturam facere mihi licuit, praesertim cum de adventu Oratorum eius altum nunc sit silentium. Romae quoque nulla fieri iam Concilii mentio dicitur.

Scribit mihi Franciscus Torrensis, quod adeo Romae iam refriguerat Concilium, ut pene estincta esset omnis de eo expectatio, nisi eam ego aliquantum excitassem, cum esse me Tridentum profecturum scripsissem. Ex quo colligere licet, quod multi spem futuri Concilii abiiciunt, dum in hoc loco me tandiu commorari vident: sed mitto Illm̃is DD. VV. nova quaedam gratissima de Patriarcha Constantinopolitano, quae scripta sunt ad Nuntium Apostolicum, qui est in Polonia.

Quandoquidem nolunt Catholici, fortasse priores mittent Schismatici. Quanquam si vera sunt, quae scribuntur, Schismatici iam deinceps dici non poterint: sed hoc tamen mirum, si qui sub Turcae sunt imperio, prius ad Concilium venient, quam qui subsunt Christianis Principibus. Fortassis autem quandoquidem Christiani magna ex parte Turcae facti esse videntur, in his praesertim terris, dum Sanctorum imaginibus Christique Crucifixi simulachris deiiciendis, quin et sacratissimo Christi corpore, et sanguine conculcando, et Sacramentis omnibus contemnendis eorum impietatem superant: fortassis dum ex Christianis fiunt Turcae, vult ex Turcis Deus adhuc facere Christianos, ut eveniat illud, quod scriptum est: Auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur gentibus facientibus fructus eius. Ego pridem audire me vaticinium quoddam memini nescio quod de Turcarum Imperatore Romae baptizando. Magnam ex hoc consolationem accepi, et quamquam apud Principes iam sunt prorsus mutus, praecipue de Concilio, cum de urgendo illo mandatum nullum habeam, tamen quoties occasio datur cum aliis loquendi, Patriarcham Constantinopolitanum in coelum laudibus fero, ac futurum dico, ut prius mittant Turcae ad Concilium, quam Christiani. Quod superest, opto Illm̃as DD. VV. diu esse salvas et incolumes, quarum me gratiae diligenter commendo. Viennae VIII. Idus Iulii MDLXI.

Post haec scripta redditae mihi sunt Illustrissimarum DD. Vestrarum litterae, quae responsionis indigere non videntur: nam quod ad Deum confugiendum esse censent, quandoquidem humanis praesidiis propemodum esse destituti videmur, nihil magis pie scribi potuit, et institutae iam sunt a me supplicationes in tribus Ecclesiis: Catholici pridem usitat... diebus Veneris, apud illos vero, qui sunt Societatis Iesu die Lunae, apud Franciscanos autem de observantia die Mercurii, quae hac prima hebdomada coeptae sunt haberi: solus est ille, qui potest affictae Ecclesiae suae succurrere, quamobrem in illo solo recte spes omnis et fiducia collocatur. Quae vero miserunt ad me a Reverendo D. Commenduno ad se missa, nondum omnia mihi legere vacavit temporis angustiis excluso. Nichil dubito, quin cuncta diligenter ab illis expensa sint, neque video, quid scribi potuerit prudentius, quam quod ab illis ad Illustrissimum Cardinalem Borromeum scriptum est. Plura Tabellarii festinatio scribere prohibet.

Potestatem hinc abeundi brevi mihi datam iam iri spero, nec desiderium hoc meum ultra mensem hunc Iulii dilatum iri confido: nam gratissima nova sunt ex Hispaniis allata, quod Serenissimus Rex ille Bullam Concilii receperit, quodque suos Episcopos in ipso mense Septembris praesto adesse in Concilio iusserit, quae non mediocriter animum meum recrearunt, nisi quod cum R. D. Delphinus Caesareae Maistatis mentem exploraret, quando suos esset oratores Tridentum hinc missura, nullum tempus certum expiscari potuit. Videtur enim velle prior, ut mittat Hispaniarum Rex: qua de re cum factus certior fuerit, se curaturum, ut sui nichilominus priores veniant, quandoquidem a Concilii loco minus longe abest. Itaque ne nunc quidem de mei discessus tempore certi quicquam habeo; sed ex Urbe expecto aliquid per proximum tabellarium, ubi si mihi potestas haec data fuerit, plus dies octo post eam acceptam non commorabor, neque me vel minimum aestus isti retardabunt. Ista cunctatio peperit nobis Nationale Concilium in Galliis: faxit Deus, ut nichil perniciosum in eo statuatur. Miror autem, quod etiam in Hispaniis Epĩ se gesserint insolentius, sed idem hic, qui in Hispaniis

rumor spargebatur, nichil agi serio de Concilio, qui ad patriam etiam meam pervolavit, et eorum cursum, qui iam erant in procinctu ad Concilium profecturi, retardavit: quod si fuit alia res ulla, tum haec maximam animo meo molestiam afferebat. Quamobrem vel hanc solâm ob causam, ne cogerer haec audire, quam longissime ab hinc abesse cupiebam, nec ea tamen unquam scribere Romam intermisi: veritus etiam sum ad extremum, ne quid ea mihi res offensionis pareret, nisi quod hoc officium meum postulare videbatur.

Caesarea Maiestas, Deo sit gratia, nunc bene valet. De tribus illis, qui sibi mortem consciverunt, quae scripsi, magnis auctoribus scripsi: cum quaererem ex Episcopo Quinquecclesiensi, num essent vera, respondit omnino se credere, quod sint vera: cum autem certior fieri cupivissem, quid attulisset is, qui missus erat, ut rem diligentius exploraret, respondit haec facta esse ultra Tibiscum amnem, itaque tam cito redire Nuntium non potuisse. Discessit autem isthinc ante dies decem coeli mutandi causa Possonium, ad quem hesterno die meos quosdam misi, qui viserent illum; laborabat enim febre tertiana: si quid attulerint, faciam Illm̃as DD. Vestras certiores. De novis mihi missis ago gratias. Ex Hispaniis multo laetiora sunt huc allata quarto Idus mensis huius: Deus precandus est, ut in dies afferantur laetiora. Gallica tamen res, quominus haec nostra laetitia solida sit, impedire videtur: sed non deseret Ecclesiam suam Deus. Libellum, qui Christianissimo Regi fuit oblatus ab haereticis, legi, simul Sathanam in Angelum lucis transfiguratum animadverti. Non est hoc novum, quod subinde gloriantur de verbo Dei: nuper sum nactus libellum Boquini cuiusdam Calviniani scriptum contra Heshusium Lutheranum, qui verbi Dei lydio lapide adhibito diligenter suorum adversariorum sententiam se expediisse gloriatus est; cui respondens Boquinus iisdem, quibus nos Catholici, rationibus utitur. Negat enim KRINOMENON esse de veritate verbi Dei, sed potius de verborum Christi sensu atque interpretatione; quale etiam olim fere fuit veris Doctoribus cum falsis, qui Dei verbum a se quoque stare confidenter iactabant, et illis continenter opponebant. At paulo post, magnam, inquit, hodie sectarum varietatem esse, qui sunt aliquo praediti iudicio, norunt: inde impudentes quidam canes allatrandi doctrinae Evangelicae materiam, pii vero doloris atque gemitus argumentum sumunt. At ne una quidem est tam inepta, tam impia, tam prophana secta, quae verbum Dei non vindicet, iactet, sibique vindicet, immo veritati etiam opponat: sic ipsi mutuo se haeretici violati et corrupti verbi Dei reos peragunt, et suis ipsi telis confodiunt. Dixit autem medius tertius mihi Caesarea Maiestas sibi scriptum esse, quod ad hoc nationale Concilium, quod in Gallia celebratur vocati fuerunt Calvinus et Bulingerus: quod ea tamen non affirmabat, et ego falsum esse spero, opto quidem certe. Scribit autem ad hoc Boquinus, quod Calvini Cathechismus in linguas fere novem sit conversus: quod utinam ita non sit! sed proh dolor incredibilis haereticorum diligentia, nostra vero supina quaedam est negligentia. Quod superest, opto Illm̃as DD. Vestras diu esse incolumes et foelices, quarum me gratiae commendo. Viennae XV. Iulii Anno Dn̄i MDLXI.

Etsi iam antea cognoveram, et Illm̃is D. Vestris scripseram laetum hoc novum, quod ex Hispaniis allatum huc fuerat quarto Idus mensis huius, tamen cum idem ex illarum quoque literis cognovissem, ingenti fui gaudio cumulatus: cum praesertim Illm̃us Card. Borromeus in suis ad me literis mihi S. D. Nostri verbis mandaverit, ut instarem diligenter, quo Maiestas Caesarea Praelatos et oratores suos quamprimum mittat: quod si fecerit, aut saltem si brevi se facturum asseveranter pollicebitur, licitum fore mihi, non expectato illorum discessu, Tridentum proficisci. Haec me vero clausula vehementer exhilaravit: nam novum hoc Hispanicum iam antea cognoveram. Itaque sicut mihi mandatum fuit, egi cum Caesarea Maiestate, ut suos mitteret, quae quam posset celerrime se missuram asseveranter promisit, neque se tamen certum diem assignare posse dixit: mihi vero iam est abunde satisfactum, quandoquidem potestas hinc discedendi permissa videtur. Non dubito, quin Rev. domino Delphino caetera curae sint futura. Quamobrem ante Kal. Augusti in viam dare me statui, si Deus voluerit, ut peractis tribus hebdomadis pridem desiderato conspectu Vestrarum Illm̃arum Domn̄um frui mihi liceat. Quo minus nunc ero longus, nam in congressum meum caetera differam: neque vero dubito, quin et earum literarum exemplum iam acceperint, quae scriptae fuerunt ad Nuntium Apostolicum, qui est in Polonia, de Archiepiscopo Gallatiae, qui mittitur ad Concilium a Patriarcha Constantinopolitano. Quod si verum est, duplicabitur gaudium nostrum; erit enim certe, quod maiorem in modum laetemur etiam Constantinopolitanam Sedem Romanae Sedis primatum agnoscere, et ad Concilium a Romano Pontifice indictum venire non recusare: verum autem id esse confirmat alteris suis literis ad me scriptis idem

Nuntius; quin et eum ipsum Archiepum Gallatiae ad Serenissimum Regem et Dominum meum iam pervenisse scribit. Dicitur et hoc, quod et Protestantium animi magis in dies atque magis propensi fiunt ad suos ad Concilium mittendos: confirmet hoc Deus. Certum est, quod quorundam ex illis animi valdo fluctuant. Conventiculum istuc, quod nunc in Galliis fit, mihi nonnihil suspectum est: quod si recte res ibi habuerint, omnia nobis meliora sunt speranda, non deseret sponsam suam Ecclesiam Christus, nec adversus eam Inferi portae praevalebunt unquam. Quod superest, opto Illmas DD. VV. diu esse incolumes et foelices, quarum me gratiae diligenter commendo. Viennae 22. Iulii 1561.

Rmi DD. Legati concilii Tridentini Rmo D. Cardinali Varmiensi.

Quod Illma Dominatio vestra neminem patiatur istinc ad nos sine suis literis venire, humaniter facit nobisque pergratum: et epistolam igitur, quam nobis Leodiensis Decanus reddidit, libenter legimus, et ipsum hominem complexi sumus libentissime: neque enim dubitamus, quin quicunque a Rma Dne vestra ametur, idem dignissimus sit, qui non solum a nobis, sed etiam a cunctis bonis diligatur. Quod autem nihil dum queat certi de suo discessu statuere, non possumus non aegre ferre, nec minus sane nostra, quam tua causa, quandoquidem habere hic talem Collegam consiliorum, sententiarum ac voluntatum socium, esset nobis profecto non mediocri tum voluptati, tum etiam utilitati: quapropter omnem D. V. Illmae ad decedendum dubitationem ac moram auferri aeque atque ipsa optamus. Caeterum de rumore istis in locis dissipato, quod adscribit, nobis molestum fuit; quamvis enim inanem illum esse et falsum sciamus, tamen his temporibus alienissimum ducimus quicquid accidere, quod posse videatur hoc probatissimum atque optimum Concilii agendi propositum aut retardare, aut impedire. Sed huiuscemodi perversorum hominum voculas sperabamus vel ex ipsis, quae ipsi proximis superioribus literis scripsimus, reiectas iam concessisse. Cupimus quidem certe, et omnino nil ardentius expetimus, quam ut summi Rectoris numine et auxilio ad id, quod unicum esse videtur, tot tantarumque perturbationum ac turbarum remedium communi tandem consensu et convenientibus animis concurratur: id si quando praepotentis Dei bonitate consequuti fuerimus, erit nobis vita ipsa carius. Accepimus propositiones illas in Brunsvicensi conventu propositas, pro quibus ut aliquid D. V. Illmae rependamus, mittimus ad eam nonnulla, quae his diebus ex diversis locis ad nos scripta fuerunt, in iis quaedam ad res Gallicas attinentia, ex quibus facile coniicere poterit, quanta his fides habenda sit, quae istic circumferruntur. Postremum certe caput literarum Rmae D. V. scrupulum nobis coniecerat, et ansam dederat multa suspicandi, quae ne male augurari videamur, silentio praetereunda nunc statuimus, et in congressum nostrum reservanda, nisi Deus interim clarissima luce sua omnem dubitationem ita disiecerit, ut nobis praesentibus laetandum potius et gratulandum sit, quam dolendum aut conquerendum. Quae superioribus diebus Illmo Card. Borromeo de negotio quodam Polono scripsimus, ea Rma D. V. ex nostrarum ad eum literarum exemplo cognoscet, quod cum proximis tabellariis ad ipsam dare exciderit, visum est non ab re fore, si huic epistolae adiungeremus, ut ipsa quoque, si Smus D. N. hoc negotium ad nos reiecerit, spatium ad cogitandum de eo ac deliberandum habeat. Extremum illud erit, gratum nobis facturam Illmam D. V. si cum aliquid huc mittit ex his, quae nuper impressa sint, plura corpora non unum tantum miserit, praesertim si parva fuerint, cuiusmodi est libellus ille, quem paulo ante accepimus, pulcrum sane et doctum, aliter enim multorum hic desiderio, qui quidem quaecunque ab ipsa ad nos afferrantur, legere admodum cupiunt, commode satisfieri non potest. Valeat Rma Dnatio vestra nosque sibi maxime addictos esse persuasissimum habeat. Tridenti VII. Kalendas Iunii 1561.

Cum superioribus literis Illmam Dominationem vestram certiorem fecerimus de his, quae Romam de negotio illo Polono scripseramus, noluimus praetermittere, quin de eo quicquid ad nos afferretur, idem ad ipsam quamprimum perferendum curaremus. Habebit igitur una cum hac epistola caput literarum Illmi Cardinalis Borromei eisdem verbis descriptum. Nos vero simul ac Breve, quod pollicentur, acceperimus, homines, quos hic eam ob causam retinuimus, confestim ad Rmam D. V. venire iubebimus, ut ipsa pro sua prudentia et pro Catholicae fidei dignitate negotium recte conficiendum curet. Quod cum ipsam per se studiose ac diligenter facturam certo sciamus, finem scribendi faciemus, nosmetipsos Illmae D. V. humiliter etiam atque etiam commendando. Tridenti III. Kalendas Iunii 1561.

Differri adventum Illmae D. V. eo minus aegre ferimus, quod neque hic de rebus publicis quicquam agi adhuc potest, et operam isthic suam non parum interim sanctae Apostolicae Sedi conducere sentimus: hoc ita esse, tum antea non obscure videre nobis videbamur, tum etiam lectis his scriptis,

quae nunc ad nos misit, apertius cognovimus; nam et sermonem, quem pium sane, verum ac solidum habuit cum Comite a Luna, multum valuisse coniicimus ad excitandum inflammandumque animum Caesareae Maiestatis, quo velit aliquando suos huc Oratores legare, et vere literae, quas ad Apostolicum in Hispania Nuntium iam dederat, tanta solertia, ingenio, fide et caritate sunt conscriptae, ut magnum momentum ad Regis Catholici voluntatem impellendam allaturae videantur, atque effecturae, ut ipsius quoque Maiestas animum tandem inducat non modo Legatos Tridentum mittere, sed etiam huius Sacri Concilii causam quibuscunque in rebus adiuvare. Id duo hi praestantissimi Christiani nominis principes et germani Catholicae fidei propugnatores si praestiterint, suae ipsorum gloriae, famae atque honori optime consuluerint, et erit cur omnes boni ac religiosi viri Deo primum, a quo bona cuncta emanant, deinde ipsorum Maiestatibus atque etiam D. V. Illmae gratias immortales habeant, quamquam sibi quidem iam nunc maximas et habere et agere debemus, cum videamus ipsam, quantum in se est, nullum locum, nullam occasionem praetermittere Christianae Reipublicae sublevandae atque sustinendae: quod si forte non tales laborum suorum fructus constiterint, quales afflictae res expetunt, id certe gravissimis humani generis erratis atque criminibus attribuendum erit. Sed libet de Dei Optimi Maximi benignitate bene sperare, fore scilicet, ut is, quae sua est clementia, nostra oblitus delicta, mysticum hoc dilecti filii sui corpus multis ac foedissimis haeresibus distractum, ac prope discerptum misercordi tandem oculo respiciat, et in pristinam coniunctionem integritatemque restituat. Ex Bracarensis Archiepiscopi ad hanc urbem accessu eximiam voluptatem Rmam Dominationem vestram capturam esse, etiam ipsa tacente, sciebamus, coniecturam de nobis facientes, qui quidem non solum ex Lusitania, verum ex Moschovia, ut ipsa dicit, et ex ultimis terris magnam doctorum proborumque hominum copiam ad hoc Concilium celebrandum convenire maxime cuperemus, quo magis propinquiores et nobis coniunctiores puderet suae pigritiae, atque ita illorum exemplo stimulati ad operam, quam debent, Christi Ecclesiae navandam alacri animo concurrerent. Sed tantum abest, ut desiderio huic nostro ulla ex parte adhuc satisfiat, ut ne illi quidem quatuor Episcopi, quos ab Urbe nos expectare iubebant, Tridentum ad hanc diem pervenerint. De Staphylo ubi responsum ad nostras literas ab eo acceperimus, tum quid agendum sit deliberabimus, quamquam arbitramur hominem, quas excusationes ad ipsam attulit, easdem ad nos allaturum. De Lindano optabilius certe esset nihil omnino in eo desiderari, quod ad hanc publicam causam praeclare tuendam pertineret: sed quando adest doctrina, religio et catholicae fidei studium, toleranda videtur dicendi obscuritas, et tanquam naevus in pulchra facie quodamodo dissimulanda, praesertim cum ille, si huc venerit, futurus sit apud Illmam D. V. quae cum stili facilitate ac lenitate polleat, possit fortasse ferream illius scribendi rationem (quod de Tertulliano dicebat Hieronymus) aliquanto mitiorem reddere: quamobrem nihil esse videtur, cur nolle debeamus conditionem illam a nobis oblatam non recusare. De Vicellio autem eo minus est necesse scribere, quod nec de eo Roma quicquam prorsus mandatum habemus, nec ex his, quae ipsa de hominis doctrina pronunciat, commodus, aptusve huic nostro negotio iudicandus esset.

Quicquid novi Venetiis nuper allatum est mittimus. Roma accepimus S. D. N. Cardinalem Ferrariensem in Galliam ob conflatos religionis causa tumultus legare: quam quidem legationem scribunt Illmam Domnem suam, posthabito omni incomodo his praecipue temporibus molestissimo, alacriter obire et statutum habere hoc ipso mense iter ingredi: quod faxit Deus, felix sit ac fructuosum. Erat etiam opinio, fore, ut in Hispaniam quoque legatus mitteretur Card. Ferrerius, sed de eo nihil dum certi. Valeat Illma D. V. nosque amet, ut a nobis unice diligitur et perofficiose colitur. Tridenti Non. Iunii 1561.

Accepimus literas D. Vestrae Illmae, quibus nostris superioribus diebus scriptis respondet: ad has rescribere opus non est, cum praesertim a nobis saepius gratiae humanitati D. V. Illmae actae sint, atque eo ipsa iam creverit, ut non verbis, sed studio et obsequio compensanda sit. Quae hic habemus, haec sunt. Duo Episcopi venerunt nudius tertius, quorum alter Satrianus, alter vero Theanus vocatur, ambo Dominicani, quorum cum a nobis ratio inita est, ad sexdecim in Concilio futuros reperimus. Mittimus D. V. Illmae particulam literarum Illmi Cardinalis Borromei, quae ad nostrum negotium pertinet, nunc primum de eo aliquid intelleximus. Dolemus nos certiores factos D. V. Illmam isthinc non discessuram, nisi prius Oratores Caesaris iter ad nos arripuerint, vel legatus Sedis Apostolicae eo pervenerit, qui D. V. Illmae succedat, dubitamus hoc longius duci posse, quam nos vellemus, qui eam avidissime expectamus. Cum nondum legatus factus esset, inter competitores certior videatur Cardinalis Moronus. Valeat Illma D. V. Tridenti XVIII. Kal. Iulii 1561.

Nos vere Illmam Domnem Vestram tandiu suspensam de suo huc adventu tenere non minus quam ipsa angebamur, maxime quod timendum videbatur, ne si iter sibi tam longum gravissimis caloribus conficiendum esset, in aliquod incommodum incurreret: itaque non solum epistolam suam ad Rmum Cardinalem Borromeum diligenter perferrendam curavimus, verum etiam pro nostro singulari in ipsam amore et observantia ea nos adscripsimus, quae nostri muneri esse simul et ipsius desiderio accommodata fore iudicavimus. Sed percommode accidit, ut biduo post fasciculus nobis Roma redderetur, in quo erant eius litterae Illmae D. Vestrae inscriptae, ex quibus certo speramus, omnem sibi dubitationem et animi sollicitudinem ablatam iri: eas igitur una cum his habebit. De libris, quos Rma D. V. mihi Seripando promissos nunc misit, ut gratissimi utrique fuerunt, ita gratias uterque maximas agimus. Quod autem addit in extremo de me Mantuano isthic nescio quid iactari, id certe nos, quam in partem interpretemur, non habemus, nisi forte quod sint qui velint nos, quacunque possint ratione, levitatis inconstantiaeque arguere, atque eodem tempore Sanctissimum D. Nostrum minus bonae ad Concilium prosequendum voluntatis insimulare: at ni per alios steterit, confidimus fore, ut manus hae frigidae malevolorum hominum calumniae ipso rerum eventu refellantur. Nos quidem certe onere citius nobis imposito opprimemur, quam illud semel susceptum ulla nostra culpa deponamus. Valeat nosque mutuo diligat. Tridenti IX. Kal. Iulii MDLXI.

Binas ab Illma D. V. eodem tempore litteras accepimus satis quidem longas: sed cum eae binis item nostris respondeant, ac res praeterea contineant saepius agitatas, pauca rescribemus: quid enim suam istic invitam mansionem identidem condoleamus? quid communes calamitates diutius deploremus? quid postremo Christianorum Principum in Christiana Republica tam necessario tempore sublevanda tarditatem frustra amplius conqueramur?

Deum potius pura mente deprecemur, ut quod humana vis aut ratio nequit, id velit ipse sua omnium rerum moderatrice sapientia providere. Exemplum litterarum, quas ad Illmum Cardinalem Borromeum dedit, libenter legimus, atque in iis primum amavimus probitatem quandam et integritatem animi sui, quam praeseferebat: deinde consilium et voluntatem Sermi Poloniae Regis suos huc Abbates Concilii causa mittendi summopere probavimus et carum habuimus. Libellus vero, quem ad nos Illma D. V. misit, quo recentior ac minus expectatus venit, eo fuit gratior, neque tamen non gratissimus erit alter ille Germanicus, quem iubet nos a primis tabellariis expectare, nimirum omnia nobis ab ipsa semper optata accident, sive sperata. Erunt una cum his litterae et scripta quaedam Episcopi Commendonis, quae eo magis putavimus ad Illmam D. V. mittenda esse, quod scimus id ipsum facturum fuisse, nisi existimasset, eam ad nos iam accessisse. Valeat.

Ego Seripandus epistolae, quam ad me superioribus diebus separatim scripsit Illma D. V. tunc respondebo, cum ea, quae mihi consideranda proposuit, diligentius perpendero: id autem spero me ita mature perfecturum esse, ut possim per proximos tabellarios meam ipse opinionem commode significare. Interim eius me gratiae humiliter commendo. Tridenti pridie Kal. Quintilis MDLXI.

Potestatem Illmae D. Vestrae istinc abeundi ne per successoris quidem adventum dari, cum sua tum etiam nostra causa dolemus; sed tamen, ut ipsa scribit, parendum amico animo est atque omnia boni consulenda, nec desistendum propterea de Republica ubicunque terrarum, quoad liceat, bene mereri, eiusque salutem in tantis perturbationibus omni conatu promovere, id quoad ipsam profecto quibuscunque in locis ac temporibus non solum officii, verum etiam constantiae gratia facturam esse, nemo est qui dubitet.

De Caesareae Maiestatis incommoda valetudine fuerat hic plures ante dies (incerto tamen auctore) auditum: quare fuit nobis pergratum ex suis litteris cognoscere ei iam melius esse, atque rectissime sic et privatis et publica de causa maxime cupimus. Sermonem illum Germanicum statim vertendum, nobisque legendum curavimus: neque vero lubet de eo quicquam proferre, nisi ingemuisse nos Lutherum non solum, dum viveret, sua praedicatione, sed post obitum cumulasse sibi iram in die irae, dum tot millibus hominum suis scriptis ad aeternam damnationem aditum aperuit. Quod autem Illma D. V. quicquid novarum rerum istic habet, id nobis tam diligenter tamque amanter impertiat, non mediocres gratias agimus: et quidem caput illud ex Pannonia allatum de voluntaria eorum trium, qui essent haereticorum quidam quasi coryphei, morte cum voluptate, nec sine admiratione legimus; faxit Deus misericors, ut caeteri huius generis homines hoc prope miraculo permoti non mortem sibi consciscendo, sed poenitendo, et ad ipsius suaeque Ecclesiae clementiam confugiendo in portum salutis se

se recipiant. Populo certe Christiano expediet, atque his temporibus utillimum ac ferme necessarium esset huiusmodi perniciosorum hominum sentinam ex fidelium societate quovis modo exhauriri, ut Petri navicula prosperis ventis suum possit cursum tenere. Quod si quid eorum compertum fuerit, quae de illis Maiestas Caesarea conquiri iussit, hoc nobis Rm̃a D. V. significare non gravabitur, quemadmodum ipsa per se humanissime pollicetur. Nos vero, ut eam quocunque possumus, remuneremur munere, capita quaedam ex Illm̃i Cardinalis Borromei litteris exscripta mittimus, simulque exemplum epistolae, quam Rex Gallorum ad sui Regni Episcopos conscripsit. Habebit etiam Illm̃a D. V. nonnulla, quae mihi Mantuano ex Hispania allata fuerunt, ex quibus videtur aliquando meliora, quam antea, illinc sperari posse. Tridenti Nonis Iulii MDLXI.

Accepimus in hoc puncto temporis literas Roma ad nos per certum tabellarium missas, una cum fasciculis literarum Illm̃i Card. Borromei Illm̃ae D. Vestrae inscriptis, quos nobis mandat, ut statim per publicum cursum ad eam perferrendos curemus. Cum autem Illm̃us Card. Borromeus eadem ad nos de rebus Gallicis et Hispanicis scribat, quae ad ipsam scripsisse nobis significavit, nihil est, quod aliquid addamus, nisi maximam nos laetitiam ex Catholici Regis deliberatione cepisse tum aliis de causis publicis, tum hoc nomine, quod speramus propterea Ill. D. Vestram brevi ad nos esse venturam: qua de re quid nudius tertius Card. Borromeo scripserimus, ex exemplo literarum cognoscet. Interim valeat D. Vestra Illm̃a, ut suum et nostrum desiderium quamprimum incolumis explere possit. Habebit una cum his notam Praelatorum, qui huc accesserunt post alteras nostras literas. Tridenti IIII. Idus Quintilis 1561.

Ego Seripandus partem eorum, quae mihi de rebus ab Illm̃a D. Vestra propositis scribenda duxi, per superiores publicos tabellarios misi: reliquum quod est, proximis ferendum dabo.

Litt. legatorum concilii Tridentini Tom. DCCL. fol. 25 — 69.

DCXCII.

Eiusdem episcopi Varmiensis eadem de re litterae ad Io. Franciscum Commendonum nuntium apostolicum in Germania.

Reverendissimo in Christo patri dño Ioanni Francisco Commenduno Epõ Zacynthi S. D. N. per inferiorem Germaniam Nuntio, dño fratri et amico obserm̃o.

Reverendissime mi Domine.

Quinas tuas accepi literas, quarum binas III. et pridie Idus Aprilis datas, reddidit mihi Decanus Leodiensis VI. Calend. Maii, quas vero dederas V. Nonas Maii ternas, earum unas accepi XVIII. reliquas vero binas, quarum alterae fuerunt eodem quo priores exemplo, XIIII. Calen. Iunii. Ac primum quod mihi gratularis novam dignitatem hanc, qua me pientissimus Pontifex proximis superioribus mensibus ornandum esse duxit, facis pro amore in me tuo, quo me iam tertium annum semper es minime vulgari prosequutus: nisi quod gratulandi causa certe nulla est, neque enim aliud accessisse mihi video, praeter curas, sollicitudines, labores, vigilias, sumptus et pericula gravissima. Nam quae nunc sint tempora, facile pro tua prudentia perspicis: quo quis altiore in loco fuerit constitutus, hoc plures eum difficultates manent et pericula. Quae tamen ego prorsus esse contemnenda putarem, dummodo ex istis meis laboribus et difficultatibus, quarum agmen quoddam novus hic honos secum attulit, fructus aliquid ad Ecclesiam Dei redundare possit: sed quo magis imbecillitatis meae mihi sum conscius, hoc maiorem ex eo dolorem concipio, quod quae multorum est opinio de me, ei respondere me non posse video. Quod si quam rationem invenire potuissem, qua mihi recusare onus hoc potius quam honorem licuisset, nihil eram facturus libentius: sed maior erat praecipientis auctoritas, quam ut eam defugere mihi liceret. Quamobrem nihil est, quod mireris, si unas et alteras fortassis etiam a me literas accepisti, quibus me Epũm potius quam Cardinalem subscripsi. Feci idem Romam quoque scribens. Nam toto mense, quid mihi statuendum esset de hoc honore mihi delato, deliberavi, de quo cum ad me Nonis Martiis Nuntius pervenisset, non prius vestes mutavi, meque pro Cardinale gessi, quam VII. Idus Maii. Quodque tu prudenter coniicis, de Serm̃i Regis mei sententia certior antea fieri cupiebam, cui honorem hunc habendum esse duxi, ne quid mihi simile eveniret, atque Illm̃o Cardinali vestro Amulio accidisse cognoveram. Sed cum toto mense nullum a Serm̃o Rege meo responsum accepissem, vela tandem ventis permisi, Deum precatus, ut cursum nostrum dirigat: neque tamen literas, quibus meis ea de re ad se datis Serm̃us Rex meus respondit, prius accepi, quam pridie Calend. Maii. Quae tamen ita fuerunt ambigue scriptae, magis ut me deterrere ab honore hoc suscipiendo viderentur: sed

iacta iam erat alea. Quemadmodum factum hoc meum Serm̃us Rex meus acceperit, nondum satis perspectum habeo, in dies autem aliquid expecto.

Quod scribis alteris, plures te literarum fasciculos accepisse, sed de eorum vel numero vel pondere certi nihil habere, narrat mihi Valentinus meus, quod suis te literis certiorem reddiderit, quod fuerint fasciculi, et a quo: quas tu literas an acceperis, certi nihil habemus. De Magdeburgensi quot scribis, non parvum animo meo dolorem attulit: nunquam ille me responso dignatus es ullo. Pater, quin summa te humanitate prosequuturus esset, mihi dubium non fuit. Quod a matre literas ad me miseris, et alteras a Brunsvicensi coniuge, non nihil sum admiratus; promiserat enim doctor Lampertus, quod ipse eas esset ad me perlaturus: de quo quid factum sit vehementer scire cuperem; expectabam enim in horas illius hoc reditum. Utinam autem filius matris pietatem imitaretur. Venio nunc ad eas, quas v. Nonas Maii dedisti. Egi cum Caesare de Caspare tuo, summa cum alacritate concessit, quod petebas: itaque bono esto animo. Quamvis ego hac te legatione Danica levatum fuisse mallem, in Sveciam certe minime te profecturum esse puto, habiturus enim esses iter nimis longum. Caeterum de duplicibus literis, metuo ut satisfiat desiderio tuo: negat enim Zeldius, facile reperiri posse, quibus recte dari queant Lubecam perferendae. Clevensem Pacem nonnihil fuisse sciebam, sed causam iustam habuit nullam. Gaudeo, quod is Catholicum se tamen profitetur. Quod me de reliquis etiam Ecclesiastis principibus certiorem reddideris, ago gratias. A multis audivi Treverensem valde praedicari; et esse nostri quoque amans dicitur, habereque zelum non mediocrem tuendae religionis. Hinc quod scribam nihil est, nisi quod brevi Tridentum cogito, lampadem hanc Delfino cursu traditurus, quem in dies expecto. Videtur autem Concilium extrahi, nescio quomodo: nam indictionis nomen moleste ferunt Hispani. Canobius ad Moschum profectus est XIIII. Calen. Iunii, eum ad Concilium invitaturus: faxit Deus, ut ei profectio haec foeliciter cedat. Camerinus Cracoviae residet, quingentis millibus passuum ab eo rege, ad quem Nuncius est missus. Deus te servet diu incolumem et foelicem. Ex Vienna XX. Maii Anno Dñi 1561.

Rev. Dominationis Vestrae

Frater amantissimus
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis Legatus.

Rm̃e mi domine.

Pridie Cal. Iunii ternas accepi literas R. D. vestrae, priores duplicatas, quibus iam responderam, alias Antverpia, postremas Bruxellis datas. Quod autem diligenter ea perscripserit, quae cum principibus egerit in Germania, et eorum responsa ad me miserit, valde gratum id mihi accidit, habeoque R. D. vestrae hoc nomine gratias: nam interest mea plurimum, ut ne sim ignarus earum rerum, quae isthic acta sunt, quas ex ipsa R. D. vestra et literis illius, quam ex aliorum vel sermone vel scriptis cognoscere malo. Utinam autem Magdeburgensis Archiep̃us, qui primas est Germaniae, veniret ad Concilium, fortassis, Deo vires et gratiam suppeditante, non difficulter ad officium posset reduci. Sed cum narrassem Caesareae M. quod se venturum promisisset: Si videro, inquit, credam. Quae Maiestatis eius dubitatio me quoque Thomam facit. Dies quid futurum sit, ostendet.

De profectione Danica, nihil habeo, quod consilii dem R. D. vestrae: nam et ipsa abundat consilio, et si petendum id est aliunde, ab Illm̃o domino Artrebatensi Cardinali peti potest rectius, qui regiones illas, ut ego arbitror, et mores ingeniaque hominum habet cognita. Cuperem certe hac itineris molestia levatam esse R. D. vestram, sed ipsa ex literis Illm̃i Domini Borromei, ad quem se scripsisse hac ipsa de re mihi significaverat, quid sibi agendum sit, cognoverit iam proculdubio, et ea consilia sequetur, quae et ecclesiae Dei, cui nunc servit, salutaria et sibi gloriosa esse, ac deinceps etiam fore putaverit.

Novi nihil est, quod scribam: nam plus quam uno mense nullas ex Urbe literas accepi praeterquam ab agente meo. Dicitur S. D. N. post ferias D. Petri profecturus Viterbium, deinde Perusium, et postea Bononiam. Ego ita uti voluit R. D. vestra, scribo literas duplicatas, quarum alterae Lubecam in manus domini Casparis, alteras mitto Antverpiam Murariis mercatoribus. Heri dicitur ex thermis rediisse Serm̃us Rex, quem ut primum potero, adire cogito: nam ab uno mense visus mihi non est. Opto R. D. vestram diu esse incolumem et foelicem. Ex Vienna III. Non. Iunii Anno dñi MDLXI.

Rev. Dominationis Vestrae

Frater amantissimus
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis Legatus.

Reverendissime Domine.

Dominationem Vestram latere nolo, quod nudius quartus accepi literas ab Illmo Dño Borromeo simul cum duobus brevibus Apostolicis ad Regem Svetiae, una cum mandato, ut eorum alterum vel D. Vestrae mittam, vel Domino Canobio, qui legatus est ad Moschorum Ducem, quod alii per D. Vestram, alii vero per Dñum Canobium commodius iter id perfici posse putarunt. Ego vero maluissem, ut de Nuncio in Poloniam mittendo consilium a me potius quaesitum fuisset, quam in Svetiam, cuius ego regni neque situm, meque mores satis perspectos habeo, nisi quod perquam esse dicuntur homines barbari. Deliberavi aliquandiu, quid mihi faciendum esset, consilio etiam nonnullorum sum usus: visum est illis iter hoc magis commode per D. Vestram confici posse, cum praesertim ad Daniae Regem esset illi proficiscendum, quod regnum est Svetiae finitimum: nam quamvis et Moschi fines habent cum Svetis, nimis tamen longum et valde periculosum iter habiturus esset Dñus Canobius. Quem cum ego Sermo Regi meo literis meis commendassem sub id ipsum tempus, quo literas ab Illmo Domino Borromeo accepi, redditae mihi sunt Maiestatis illius literae, quibus commendationi meae respondens his ad extremum verbis utitur.

Quod legationis ipsius rationem attinet, perdifficiles illum sane his temporibus in Moschoviam transitus habiturum existimamus, ardente bello Livoniae et itineribus omnibus a Moschoviticis ac Svedicis etiam exercitibus obsessis. Ex quibus ego verbis colligo, quod in ipsam etiam Moschoviam D. Canobius vix sit perventurus: nam quinque sunt ibi iam exercitus, imo sex prope. Est Polonorum ac Lithuanorum, est Turcarum ac Tartarorum, nam in subsidium Tartaris Imperator Turcarum suos misit, est Svedorum, est Moschorum, ne quid dicam de Livoniensibus. His itaque difficultatibus impeditus, ut in Moschoviam Dominus Canobius venire possit, metuo: ac si maxime veniret, non tamen ei tutum foret ad Svedos quoque proficisci, habituri eum cum essent Moschi pro indubitato quoquam exploratore, fortassis autem in eandem suspitionem apud Svedos incideret.

Non dubito, quod grave sit et molestum D. Vestrae futurum in tam longinquas regiones non sine periculo proficisci: ac quod ad me attinet, libenter eam hoc labore levassem, libentius autem alterius iudicio rem hanc permissam fuisse vidissem; sed quando semel provinciam hanc D. Vestra suscepit, mihi vero mandatum est, ut ego breve Apostolicum ei mitterem, qui minore cum periculo et difficultate pervenire posset in Regnum Svetiae, non potui aliter facere propter eas causas, quas paulo ante enumeravi, nisi ut breve hoc D. Vestrae mitterem. Cui precor, ut rebus ex animi sententia confectis incolumis ad suos redeat: quo graviores autem labores et pericula sustinebit, hoc maiora praemia consequetur, et erit eorum aliquando meminisse iucundum. Ad literas D. Vestrae, quas ad me dederat, respondi, et ita ut a me postulaverat, duplicatas misi, unas Antverpiam ad Murarios, alteram ad Lubecam ad Dñum Casparum: non dubito, quin saltem alterae D. Vestrae sint redditae. Dominum Delfinum in horas expectamus, ego prohibitus sum pedem hinc efferre, nisi prius Caesarea Maiestas Tridentum oratores suos miserit: quod quando futurum sit, nescio. Sunt qui dicant, ante Octobrem non esse missuram. Quod superest, opto D. Vestram diu esse incolumem et felicem. Vienna XVII. Iunii Anno Dñi MDLXI.

Unis literis D. V. non videor adhuc respondisse, quibus nihil novi mihi scribit de regina Angliae, quae Vertuno est instabilior et Protheo mutabilior: Daniae Rex fortassis et ipse mittet suos in Livoniam, omnes enim nunc terram illam appetunt. Concilium armis turbatum iri metuendum non est. Die quo supra.

Rev. Dominationis Vestrae

Frater amantissimus
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis.

Rme mi Domine observandissime.

Non dubito, quin iam perlatum sit ad R. D. Vestram, quod Serenissimus Rex Catholicus Bullam Concilii receperit, et Epos suos Tridentum proficisci iusserit: itaque nihil iam in Concilio congregando difficultatis superesse videtur. Ego quoque hinc, si Deus volet, hoc ipso die discedo Tridentum. Has vero literas R. D. Vestrae mitto ab Illmo dño Card. Seripando ad ipsam scriptas. Plura in ipso discessu meo, ut sum vehementer distractus, scribere non possum; sed precor tamen R. D. Vestrae fausta, prospera et felicia omnia, cuius etiam benevolentiae me commendo. Datum Viennae die XXVIII. Iulii Anno Dñi MDLXI.

Rev. Dominationis Vestrae

Frater obsequentissimus
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis.

Litt. Principum Tom. XXIII. fol. 115 — 130.

DCXCIII.

Rex Poloniae pontifici, ut P. Maureo Hispano in aula sua commoranti aliquod beneficium ecclesiasticum in eius patria conferat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Pio Papae Quarto Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae summo Pontifici, domino colendissimo.

Beatissime pater, domine colendissime. Post oscula pedum beatorum meique Regni et dominiorum meorum commendationem. Petri Royzy Maurei Hispani, utriusque Iuris Doctoris, hominis eruditi, et in iure dicendo exercitatissimi, opera viginti iam fere et amplius annos utimur, valde utili et necessaria, quoniam autem maximam aetatis suae partem a suis absens apud nos in Polonia contrivit, atque adeo, uti nos interpretamur, totum ad nos suae doctrinae et eruditionis fructum attulit, priusquam enim huc ex Italia se contulisset, oneri magis quam emolumento suis fuit, quo tempore autem praesentibus ii eius ornamentis perfrui poterant, totum id nobis dedit, cuius facti ne eum poenitere, et apud suos pudere posset, patiatur quaesumus Sanctitas vestra se a nobis exorari, inque nostram gratiam aliquod in eum aliquave ex iis beneficiis conferat, quae in Archiepiscopatibus vel Caesaraugustano vel Valentino, vel Hoscensi Episcopatu in mensibus Sanctitatis Vestrae intra summam quingentorum ducatorum de camera annuorum vacaverint. Non solum enim id nos beneficium in illum nostra causa collatum, qui illi se fortunasque suas in patria negligendi occasio fuimus, summa gratitudine prosequi pollicemur, sed ille quoque homo dignus est, cui Sanctitas Vestra benigne faciat, vir et doctus et veteris avitae Religionis Sacraeque Ecclesiae Romanae acerrimus in iis regionibus, in quibus illius auctoritas valde oppugnatur, defensor. Non ignorat enim Sanctitas Vestra unius docti et diserti hominis orationem ad animos hominum errore aliquo incitatos compescendum plus posse propemodum, quam nostram interdum Principum vim et auctoritatem. Expectamus a Sanctitate Vestra benignum responsum, ac potius huius nostrae commendationis fructum. Tandem Sanctitatem Vestram bene valere cupio, eiusque gratiae me et ditiones meas commendo. Datum Vilnae die secunda mensis Ianuarii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 14.

DCXCIV.

Magistro hospitalis B. Mariae Theutonicorum in Livonia, ut haeresum progressui se opponat, et oratorem ad concilium Tridentinum mittat.

Dilecto filio Ordinis fratrum Sanctae Mariae Theutonicorum in Livonia Magistro.

Pius PP. IV. Dilecte fili, salutem etc. Auditis damnis et calamitatibus, quas finitimi hostes nationi isti graves admodum intulisse dicuntur, pro eo ac debuimus, sane dolemus. Nec possumus non angi et vehementer esse solliciti, metuentes, ne peccata nostra et animos et vires hostium augeant, qui dum Deum placare negligimus, eius in nos iracundiam vehementer incitamus. Scimus, quantopere Catholica fides in ista natione viguerit ex eo tempore, quo vestri ordinis egregia virtute, industria, pietate fuit insita et propagata. Nunc autem isthic auctas et multiplicatas fuisse haereses audimus, humani generis hoste longe lateque disseminante zizania, et adeo a paterna fide et orthodoxa religione recessum esse, ut quod sine gemitu dici non potest, non ita multi supersint, qui veram illam et antiquam religionem retineant. Itaque cuius religio et fides conculcatur, quis iram et ultionem eius dubitet provocari? His nos tantis istius et aliarum Provinciarum malis mederi pro iniuncto nobis Apostolicae servitutis officio et cupimus, et iam caepimus; sed tanti oneris magnitudinem soli sustinere non possumus: itaque Venerabilium fratrum nostrorum auxilium nobis esse duximus adiungendum, convocato oecumenico generalique Concilio, sicut Devotionem tuam audisse iam credimus, in Civitatem Tridentinam. Sed aliorum praeterea auxilio et ope indigemus, quo salutaria nostra consilia facilius ad optatum finem adducere possimus: atque alii quidem alibi, tu autem isthic, fili, operam tuam nobis, immo Deo ipsi navare et potes et debes. Quod ut facias, utque officii et salutis tuae memor, quantum consilio et authoritate potes, haereses isthic reprimas, Ecclesias, quas adhuc incolumes esse audimus, tueare, Clerum et caeteros Catholicam fidem adhuc tenentes ab haereticorum insidiis defendas, ipsosque haereticos ad Ecclesiam Catholicam revocare coneris, ut denique Oratorem et nuncium tuum ad Concilium,

Deo annuente, propediem aperiendum mittas, vehementer in Domino hortamur et monemus Devotionem tuam, cuius desideriis in eis rebus, quae vel ad honorem vel ad commodum tuum pertinebunt, quatenus quidem cum Domino poterimus, satisfacere parati sumus, sicut de te quoque nobis pollicemur, quae a Catholico viro et pio Sedis Apostolicae filio expectanda sunt. Reliqua cognosces ex litteris Venerabilis fratris Bernardi Episcopi Camerini, apud Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem Illustrem nostrum et Sedis Apostolicae nuncii, quibus fidem habebis. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Februarii MDLXI. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 23.

DCXCV.

Rex Poloniae pontifici, ut Adamo Konarski oratori suo plenam fidem habere dignetur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Pio Papae IV. Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino colendissimo.

Beatissime pater, domine colendissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Mitto iterum ad Sanctitatem Vestram nuncium meum Venerabilem Adamum Konarsky, Praepositum Posnaniensem, Scholasticum Lanciciensem, cui commisi, ut observantiam officiaque mea Sanctitati Vestrae deferat, atque nonnullis de rebus meo nomine apud Sanctitatem Vestram agat. Peto itaque a Sanctitate Vestra, ut illum clementer audire, atque in eis rebus, de quibus Sanctitati Vestrae referet, plenam fidem illi habere dignetur. Quam Sanctitatis Vestrae gratiam omnibus officiis meis sedulo promereri illi conabor, enitarque, ut omnis mea observantia perpetuo in Sanctitatem Vestram constet, tandem me ditionesque meas in gratiam Sanctitatis Vestrae commendo, atque illam diu foelicem valere praecor. Datum Vilnae die duodecima mensis Februarii, Anno dñi MDLXI.

Eiusdem Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 15.

DCXCVI.

Rex Poloniae cardinali Morono oratorem suum ad pontificem commendat.

Revm̃o in Christo patri domino Ioanni Morono Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Amico nostro charissimo et honorando.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et haeres, Rm̃o in Christo patri domino Ioanni Morono Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Amico nostro charissimo et honorando, salutem prosperosque rerum omnium eventus. Rm̃e in Christo pater, domine amice noster charissime et honorande. Cum iterum mitteremus ad Sanctissimum Dñum nostrum nuncium Venerabilem Adamum Conarski, Praepositum Posnaniensem, Scholasticum Lenciciensem, Canonicum Cracoviensem, commisimus ei una, ut nostro nomine nonnullis de rebus ad Rm̃am Paternitatem vestram referret, tum freti Rm̃ae Paternitatis vestrae erga nos studio et benevolentia iniunximus illi, ut in rebus nostris, quae illi apud Sanctissimum Dominum nostrum agendae erunt, opera auctoritateque Rm̃ae Paternitatis vestrae uteretur. Postulamus itaque a Rm̃a Paternitate vestra, ut illi plenam fidem omnibus de rebus habere, atque in negotiis nostris studium auctoritatemque suam adiungere velit. Daturi vicissim operam sumus, ut Rm̃a Paternitas vestra omnia mutua officia nostra prompta sibi ex nobis parataque esse intelligat. Tandem Rm̃am Paternitatem vestram bene valere cupimus. Datum Vilnae die XX. mensis Februarii, Anno dñi MDLXI. Regni vero nostri anno XXXII.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX manu pp. ss.

Litt. divers. Poloniae Tom. I. fol. 49.

DCXCVII.

Rex Poloniae pontifici, ut Nicolaum Locka nominatum abbatem Olivensem confirmet.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Pio eius nominis quarto S. Rom. ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum Regnique et Dominiorum meorum commendationem. Libenter pro officio meo facio, ut viros, quos susti-

nendis cum dignitate ecclesiasticis muneribus idoneos comperio, commendem per litteras Sanctitati vestrae: nam et illorum virtus dignissima est, quae a Sanctitate vestra omnibus ornamentis afficiatur, et status atque conditio Ecclesiarum, quae nunc est, sine talium virorum praesidio administrari recte non potest. Itaque cum Venerabilis Nicolaus Locka, vir et sua maiorumque suorum laude in primis praestans, et in ecclesiasticis obeundis negociis magnopere exercitatus, ex Varmiensis Ecclesiae Canonico Abbas monasterii Olivensis (quod Cisterciensem ordinem profitetur) sit factus, non dubitavi illum Sanctitati vestrae commendare, ab eaque petere, ut quandoquidem is studium prope singulare adferat ad Ecclesiae commoda atque ornamenta, singulare etiam sentiat a Sanctitate vestra commodorum atque ornamentorum incrementum: in quo nihil novi petam a Sanctitate vestra, quod cum alicuius incommodo coniunctum aliqua ex parte videatur, Canonicatum tantum Varmiensem, quem ante Abbatiam obtinuit, ut cum Abbatia liber a litibus possit retinere, id petam. Equidem utrumque sacerdotium neque ita multitudine officiorum ac munerum implicatum est, ut ab uno omnia sustineri non possint, neque ita fructibus atque redditibus abundat, ut unum hominem valde locupletem faciat. Eius autem hominis virtus, quem commendo Sanctitati vestrae, tanta est, ut illi quidvis oneris imponi recte possit, est talis, ut maioribus multo fortunis dignissima videatur. Cupio Sanctitatem vestram diu valentem et florentem esse, cui me regnumque meum studiosissime iterum atque iterum commendo. Datis Vilnae in vigilia divi Mathiae Apostoli Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 16.

DCXCVIII.

Alexandro Moldaviae principi, ut oratores ad concilium Tridentinum mittat.

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Terrae Moldaviae Domino.

PIUS PP. IV. Dilecte fili Nobilis vir, Salutem et Apostolicam benedictionem. Ab ipso Pontificatus initio, ad quem omnipotenti Deo placuit sine nostris meritis nos vocare, non sine summa cordis amaritudine videntes Dominicum gregem fidei nostrae commissum miserabiliter esse dispersum propter haereses et schismata alia aliis in locis exorta, et iam inveterata, pro pastoralis officii munere saluti eius consulere volentes, consilia inire coepimus de iis, quae errarent, ovibus ad Sanctae Ecclesiae Catholicae ovilia reducendis. Cuius rei causa post maturam deliberationem praedecessorum nostrorum salubria exempla sequentes, invocato prius rite Sancti Spiritus auxilio oecumenicum et generale Concilium indiximus in Urbe Tridento, quae in Italiae Germaniaeque confinio posita est, celebrandum. Quia vero mos hic a Romanis Pontificibus servari solet, ut invitent Reges et Principes omnes Christianos, hortenturque, ut si ipsi Conciliis interesse non possint, saltem mittere velint solemnes Oratores suos, qui eorum nomine intersint. Idcirco Nobilitatem quoque tuam, cui ut Principi Christiano minime dubitamus causam fidei ac Religionis curae perinde ac debet fore, certiorem de indicto a nobis Concilio faciendam duximus, eam sicut alios magnos Principes in Domino hortantes, requirentes et rogantes, ut mittere velit Oratores suos viros idoneos cum mandatis, sicut mos est, Tridentum ipsius nomine Concilio interfuturos, ut Dei auxilio, et tuo et caeterorum Principum favore tam sanctum ac salutare negocium ad optatum, sicut speramus, exitum adduci possit. Quod si feceris, ut de tuo in Catholicam Religionem studio praestantique prudentia confidimus, laudabili, pio et Deo admodum grato officio fungeris, teque vero Christianum Principem esse declarabis. Litterarum autem exemplum, per quas Concilium a nobis indictum fuit, una cum his misimus ad Nobilitatem tuam, quam omnipotens Deus incolumem conservet atque custodiat. Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis MDLXI. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 55.

DCXCIX.

Pontifex per epum Pharensem nuntium suum magnum Moscorum ducem invitat, ut oratores ad concilium Tridentinum mittat.

Charissimo in Christo filio nostro Ioanni Basilii Magno Moschoviae Duci.

PIUS PP. IV. Charissime in Christo fili noster, Salutem et Apostolicam benedictionem. Ad regendam beatissimi Apostolorum Principis Petri Sedem, licet sine meritis nostris, sola Dei misera-

tione vocati, statim pro suscepti muneris officio et Dominici gregis amore in eam curam et cogitationem incumbere caepimus, quemadmodum tot et tantas haereses alias ex aliis exortas extinguere, et tam perniciosa schismata tollere, atque ita populos ab antiqua et orthodoxa religione et fide miserabiliter abductos ad Ecclesiae Catholicae unitatem reducere possemus. Cuius rei causa praedecessorum nostrorum laudabilem et salubrem consuetudinem sequentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et assensu oecumenicum et generale Concilium in Urbe Tridento, in Germaniae Italiaeque confinio posita, post maturam deliberationem celebrandum duximus, sicut Celsitudo tua intelliget ex litterarum exemplo, per quas illud indiximus. Mos autem hic fuit eorundem praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, ut quotiescumque huiusmodi Concilia congregarent, toto ex orbe terrarum Principes christianos per litteras et nuncios invitarent, ut communis fidei et Religionis causa, si ipsi ad ea accedere non possent, saltem Oratores mitterent, qui ipsis Conciliis eorum nomine interessent atque assisterent. Quapropter nos quoque, sicut caeteros Reges et Principes Christianos ad fungendum officium tam pium ac necessarium hortati sumus, ita Celsitudinem tuam, quam licet maximo terrarum intervallo a nobis remotam, propter christianae fidei cultum insignemque ipsius virtutem paterna charitate complectimur, cuique negotium hoc ad Dei honorem et animarum salutem pertinens ut christiano Principi curae perinde ac debet fore confidimus, hortandam in Dño et rogandam duximus, ut ipsa quoque mittere primo quoque tempore oratores suos velit cum mandatis viros prudentes et Deum timentes, qui ipsi Concilio una cum caeterorum Principum Christianorum oratoribus assistant: quorum erit adventus et praesentia sacrae ipsi synodo gratissima. Tu vero, Charissime fili, pro isto studio et officio in Deum et Ecclesiam collato a nobis quidem, et universis Christianis laudem maximam consequeris, a Deo autem omnium bonorum operum remuneratore et in hoc et in altero saeculo praemium accipies. Misimus autem huius rei agendae causa ad Serenitatem tuam cum his litteris, et ipsius bullae exemplo Venerabilem fratrem Zachariam Episcopum Pharensem, Praelatum genere, nobilitate et ob egregias virtutes suas nobis valde acceptum et probatum, cuius in aliis nostris et Sedis Apostolicae negotiis fidei synceritatem et catholicae religionis zelum experti sumus. Eum ut pro Sedis Apostolicae reverentia benigne excipias atque audias, fidemque ei plenam habeas, et ut quam celerrime ex sententia expeditum ad nos remittas, a Celsitudine tua petimus et rogamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimatertia Aprilis MDLXI. Pontificatus nostri Anno II.

Simili modo aliae eidem Magno Duci per Io. Franciscum Cannobium tradendae litterae datae die VIII. Aprilis MDLXI. fuerunt.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 43.

DCC.

Regi Poloniae pontifex Zachariam epum Pharensem nuntium apostolicum commendat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Pro iniuncto nobis officio omnibus nos debitores esse agnoscentes, certiore prius facto consilii nostri charissimo in Christo filio nostro Romanorum Imperatore socero tuo, invitandum et hortandum per litteras et Nuncium nostrum duximus nobilem virum Ducem Moscoviae, ut mittat oratores suos ad Concilium a nobis indictum: id enim oecumenicum et generale cum sit, par est, ut omnium, qui Christianam Religionem profitentur, Principum studio celebretur, suis cuiusque eorum Oratoribus praesentibus. Itaque mittimus ad eum cum litteris et mandatis Nuncium, hunc Praelatum nobis valde acceptum et probatum, venerabilem fratrem Zachariam Episcopum Pharensem. Dedimus autem ei in mandatis, ut istac iter faciat et Maiestatem tuam prius conveniat, et totum ei consilium nostrum, sicut pro nostra in eam paterna charitate decet, exponat. Proinde rogamus Maiestatem tuam, ut ei fidem plenam habere et pro suo Catholicae fidei studio ac Sedis Apostolicae reverentia benigne eum exceptum, atque auditum omni favore atque opportuno auxilio adiuvare velit, quo possis tuto per ipsius fines iter tam in redeundo, quam in eundo facere, et quam celerrime fieri poterit, mandata nostra exequi, qui quicquid favoris et studii Maiestas tua in eum contulerit, gratissimo animo accipiemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimatertia Aprilis Millesimo quingentesimo sexagesimo primo. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 46.

DCCI.

Cancellarius regni Poloniae Ioanni cardinali Morono gaudium Polonorum de electione Pii PP. IV. et epi Camerinensis eius nuntii, et de praeclaro eius consilio concilium Tridentinum perficiendi significat.

Rmo et Illmo dno, dno Ioanni Morono S. R. E. Cardinali etc.
Rme et Illme D. Dne colendissime.

Posteaquam tot tantisque perturbationibus et angustiis mater sancta Ecclesia una cum veris obsequentibusque sibi filiis afflicta est, nunquam nobis maior spes futurae concordiae et optimae reformationis consolatio refulsit, quam cum Deus omnipotens per Spiritum Sanctum deligere hunc verum pastorem et Pium Pontificem eius nominis quartum dignatus est. Nam de illius vera constantique probitate, pietate vitae, sancta integritate et ad pascendum gregem Domini, ovesque aberrantes in unum Ovile Christi reducendas praeclara dexteritate, antequam hoc munus summi Pontificatus illi esset demandatum, tanta per universum orbem christianum sparsa erat fama, ut omnes non modo optima quaeque sibi de illo pollicerentur, sed non visum etiam ex ingenii pietatisque eius excellentia haud aliter agnoscebant, ac si vultum ipsius intuerentur. Ac non deerant quidem apud alios quoque sue Sanctitatis antecessores primi conatus, qui spem nobis bonam de se preberent: sed qui altius in hoc genere bene gerendarum rerum radices fixisset, praeter hunc sanctum Pontificem nostra memoria nemo repertus est. Illi enim fortassis deinceps, que sua essent, querebant, hic autem pergit querere, que sunt Christi. Illi non satis prudenter cauteriis acrioribus, hic autem remediis lenissimis vulnera salutemque nostram curat. Cuius rei maximum est inter cetera argumentum, quod ad nos miserit Reverendissimum Dominum Camerinum Episcopum prudentissimum, qui in obeundo munere sibi commisso longe aliter maiorique cum dexteritate se se gerit, quam alii sanctae Sedis legati, qui memoria hominum huc veniebant. Sic enim Pii S. Pontificis pietatem nobis demonstrat, veramque charitatem et osculum pacis omnibus exhibet, ut multos iam lenitate eiusmodi humanitateque sua eo adduxerit, quo superiores legati non modo nullum pertrahere potuerunt, verum etiam severitate sua complures errantes ab hac S. Sede multo magis abalienarunt. In hoc autem Sanctissimus Dominus noster expectationem nostram superavit, quod perfertur ad nos, Sanctitatem illius minime repugnaturam, quin potius curaturam, ut de nonnullis adiaphoris, quae nunc magnam contentionem pariunt inter Christianos, et robur tamen synceritasque fidei catholicae in illis non consistit, sic in concilio statuatur, quemadmodum ad unitatem concordiamque religionis sacrosanctae commodissimum fuerit. Quo consilio quid inveniri potuit ad obstruenda iniquorum ora rectius? quid ad pertinaciam malevorum condemnandam accomodatius? quid pro gloria et perpetua illius Sedis erga oviculas suas amoris vere paterni memoria potuit cogitari preclarius? Sed mirum non est Sanctitatem illius tantam habere curam et sollicitudinem de salute universi gregis Christi, si mei quoque nempe scabelli pedum suorum, quemadmodum ex literis Rmae et Illmae Paternitatis vestrae ad Rmum Dnum legatum apostolicum datis videre licuit, singularem curam habeat, michique clementissime benedicat. Pro qua Sedis illius tanta clementia cum dignas agere gratias non possim, procidens sacros pedes exosculor, Dominumque Deum oro, ut Sanctitatem suam in hoc supremo sanctissimoque orbis terrarum throno salvam et incolumem servet, beatamque faciat in terris quam diutissime. Vestrae autem Rmae et Illmae Paternitati qua summa possum animi mei submissione ago habeoque gratias, quod apud Sanctitatem suam tam honorificam mei fecerit mentionem, tantamque michi gratiam conciliaverit. Quis enim ego sum, et quae patris mei domus, ut Dei summus in terris Vicarius me hominem externum et nunquam visum non modo non postponat, verum etiam michi paterne benedicat, si Pii Pontificis pius et optimus nepos in meam commendationem non incubuisset? quo nomine agnosco me plurimum Rmae et Illmae Paternitati vestrae debere, sed qua ratione id referam, non invenio. Hoc tamen, quod possum omne ius illi in me tribuo, ut non modo quae velit semper imperet michi, verum etiam quidquid illi visum fuerit, de me statuat. Et ut immortalis sit Rmae et Illmae Paternitatis vestrae gloria, opto illi, ut ita Sanctissimus Dominus noster in hoc sancto proposito corroboret, quo non rigidum, sed quemadmodum cepit Patris nostri celestis exemplo piissimum sese orbis christiani patrem perpetuo demonstret. Vix certe iam retinetur patria mea (retinetur autem optimi Regis mei et paucorum Catholicorum prudentia et pietate), quod non subito in praeceps ruat, quamvis, ut verum fatear, hactenus a Sancta Sede clementer fuerit tractata. Quid faceret, si abscindi et non consolidari membra sua sentiret? lacte certe nunc illi opus est, ut aliquando solido perfrui cibo et refici possit. Commendo me tan-

dem diligenter in gratiam Rm̃ae et Illm̃ae Paternitatis vestrae, quam Deus optimus perpetuo servet felicem et incolumem. Datum ex Praefectura mea Sandecensi 22. mensis Aprilis 1561. Anno.

Iohannes Ocieski Cancellarius Regni, Cracoviensis, Osweciniensis, Zatoriensis, Sandecensis Capitaneus, Cardinali Borromeo salutem.

Litt. divers. Poloniae Tom. II. fol. 9.

DCCII.

Rex Poloniae nuntio apostolico se quam primum oratores ad concilium Tridentinum missurum significat.

Copia litterarum Serenissimi Regis Poloniae Rm̃o in Christo patri dño Berardo Ep̃o Camerini et S. D. N. Nuntio, sincere dilecto.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Dominus et Haeres. Rm̃e in Christo Pater, sincere dilecte. Accepimus binas litteras Sinceritatis tuae, primas de data xxv. Martii, alteras vero secunda Aprilis. Primum quod querit de Brevi Sanctissimi Domini nostri ad nos misso, est id nobis redditum, ex eoque magnam voluptatem cepimus, quod nos Sanctissimus Dominus noster certiores facit de rationibus Generalis Concilii, quod ut foelix, prosperum ac salutare Deus esse velit universo orbi Christiano, ex animo precamur. Quod attinet profectionem Praelatorum Regni nostri ad Concilium, facile intelligit pro sua prudentia Sinceritas tua, eam fore hoc tempore perdifficilem et rationibus Regni nostri vehementer incommodam. Quamobrem consultius nobis videtur, id quod etiam Sinceritas tua existimat, ut ii Abbates, qui in Synodo Varsoviensi sunt ad rem designati, Tridentum primo quoque tempore se se conferant, quod ut quam primum fieri possit, dabimus operam. De Rñdo D. Varmiensi quod ad nos Sinceritas tua scribit nomine Sanctissimi Domini nostri, scripsit etiam nobis ipse Rñdus D. Varmiensis. Qua de re et Sinceritati tuae et ipsi iam aliis litteris respondimus, gratam scilicet nobis esse hanc Sanctissimi Domini nostri erga ipsum voluntatem, nosque illius honori et dignitati vehementer favere, id quod etiam nunc profitemur. Sed quoniam ea res videtur esse aliena a moribus et constitutionibus Regni nostri, veremur, ne qui motus propterea in conventu existant, qui non ita facile cohiberi possint. Petrum Volski Internuntium nostrum ad Serenissimum Regem Catholicum esse commendatum litteris Illm̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Borromei Oratori Sanctissimi Domini nostri ad Serenissimum Regem Catholicum, pergratum nobis et periucundum est. Petrus Barzi, quem nobis Sinceritas tua nomine Sanctissimi Domini nostri commendat, est nobis satis commendatus, nostraeque in illum beneficentiae iam extant non obscura testimonia: faciemus tamen libenter in gratiam Sanctissimi Domini nostri, ubi se aliqua dederit occasio, ut etiam atque etiam maiora testimonia eius rei appareant. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnae vi. die Maii Anno Domini mdlxi. Regni vero nostri xxxii.

Sigismundus Augustus Rex etc.

Litt. divers. Poloniae Tom. II. fol. 10.

DCCIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut cardinalem Varmiensem in proximo regni conventu commendatum habeat.

Venerabili fratri Ioanni Archiepiscopo Gneznensi Poloniae Primati.

Pius PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Ad aures nostras pervenit multos istic esse, qui provectionem dilecti filii nostri Stanislai in Sacrum Ecclesiae Romanae Cardinalium ordinem moleste tulerint, eique malevolentia impulsi negotium facessere parati sint in proximo Regni Procerum Conventu: qui quidem non huius modo Sacrosanctae Sedis auctoritatem despicere, sed et patriae suae et Regni istius honorem parvi pendere se ostendunt, nec maiorem in nos et Sedem Apostolicam, quam in nationem suam malevolentiam declarant. Nos eum (qua modestia est) talem honorem minime ambientem, atque etiam absentem et inscientem in id Collegium summo Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium studio cooptavimus, non modo propter praeterita ipsius in Ecclesiam et Religionem Catholicam merita, sed quia talis viri consilium et operam illa virtute, illo Religionis studio, tam excellenti doctrina et magno praeterea rerum usu praediti maximo nobis, et universali Ecclesiae usui tam gravi Ecclesiae tempore futurum esse prospeximus. Qua in re honorem quoque, quoniam habuimus maximum Regno et nationi isti, cum illum inter paucos exterarum nationum Cardinalem creavimus, solum vero ex omnibus transalpinis Praelatis ad sacram oecumenicam synodum nostrum, et

Sedis Apostolicae de latere legatum constituimus, parum grato animo agnosci dolemus. Quid vero commodius? quid utilius esse Regno isti potest, quam habere Serenissimum Regem et nationem istam talem virum, tam Regiae Maiestati devotum, tam patriae suae amantem in sacro Cardinalium Collegio? et in sacro generali Concilio legatum, qui optime norit Ecclesiarum omnium nationis suae mala, quique, ut opportuna eis remedia adhibeantur, diligenter operam daturus sit? Dilectionem autem tuam, quae, ut scimus, ipsum Varmiensem fraterne diligit, et laetatam eius honore esse, et pium nostrum consilium perspexisse certum habemus, eius causam adversus obtrectatores ipsius et huius Sanctae Sedis constanter defensuram esse minime dubitamus. Quod cum faciet non eius modo et huius Sanctae Sedis, sed istius etiam nationis honori inserviet: nobis vero, qui in Varmiensi causa nostram ipsorum et huius Sanctae Sedis dignitatem et auctoritatem attentari intelligimus, gratissimum faciet. Itaque ut summo studio hanc causam, si opus fuerit, pro tua in Sedem Apostolicam devotione fideque defendas, fraternitatem tuam hortamur, idque ita petimus, ut studiosius nihil a te petere possimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Maii MDLXI. Pont. nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 83.

DCCIV.

Regi Poloniae super eodem argumento.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Certiores facti sumus provectionem dilecti filii nostri Stanislai in sacrum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ordinem multis in isto Regno displicuisse, nec defuturos in proximo Regni Procerum Conventu, qui illi obtrectent et negotium facessent. Quod sane si accideret, ut talis Praelatus absens insciensque propter suas praestantissimas virtutes, summamque doctrinam et maxima in Religionem Catholicam merita a nobis ingenti studio totius Cardinalium Collegii, et omnium bonorum approbatione ad eum honorem vocatus de Ecclesiae suae fructibus et redditibus, et tuendae dignitatis suae praesidiis in dubium vocaretur, non possemus non et vehementer mirari, et ferre admodum graviter et moleste. Qua in re maiorem etiam nobis, et huic Sanctae Sedi iniuriam, quam ipsi fieri arbitraremur, quasi aut non licuerit nobis communis utilitatis totius Ecclesiae causa tam gravi eius, ac tam turbulento tempore illum in partem sollicitudinis nostrae vocare, aut ipse, qui tam eximia erga beati Petri Apostolorum Principis Sedem devotione semper fuit, caeterosque omnes in eiusdem obedientia et fide studuit continere, nobis in hoc loco a Domino constitutis non parere debuerit. Quamobrem his rumoribus et nunciis commoti Maiestatem tuam, quam eius dignitatis amplificatione ipsam, ut decuit, ex animo gavisam esse scimus, et honorem in eo provehendo sibi ac Regno suo habitum grato animo agnovisse intelleximus, vehementer hortandam duximus et rogandam, ut pro tua erga Sedem Apostolicam reverentia ac pietate causam ipsius Varmiensis, Celsitudini tuae tantopere devoti et tuae gloriae studiosi, quam tamen potius nostram ipsorum causam esse existimavimus, adversus obtrectatores eius, ac potius nostros et Sedis Apostolicae acriter tuearis atque defendas. Cum si quid ob eam causam detrimenti (quod absit) pateretur, non id modo in nos et sacrum Cardinalium Collegium, sed in sacrosanctam etiam Oecumenicam Synodum, ad quam eum unum ex transalpinis nationibus nostrum et Sedis Apostolicae legatum elegimus et constituimus, contumeliosum, ac ne tibi quidem honestum futurum sit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maii MDLXI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 81.

DCCV.

Ferdinando Romanorum imperatori electo, ut cardinalem Varmiensem apud regem Poloniae contra molitiones haereticorum defendat.

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariae et Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Allatum est ad nos, non paucos esse in Poloniae Regno, quos dilecti filii nostri Stanislai in amplissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Ordinem cooptatio valde offendit, quos etiam suspicio est in proximo Regni Poloniae Procerum conventu id molituros, ut eum fructibus et redditibus Ecclesiae Varmiensis, cuius perpetuam administrationem illi commisimus, spolient, quibus ablatis dignitatem suam tueri minime posset. Non

possumus satis mirari adeo illos iniquos esse, ut talis viri virtutum ac meritorum rationem a nobis habitam fuisse moleste ferant, nec honorem, quem haec Sancta Sedes ipsorum nationi habuit, agnoscant. Unde gratiarum actiones expectavissemus, ab eis dignitati tam benemeriti Praelati obtrectari, et huius Sanctae Sedis auctoritatem attentari videmus. Sed satis intelligimus, quinam isti obtrectatores sint. Si enim Catholici essent, et Sanctam hanc Sedem ea, qua debent, devotione prosequerentur, honoratum ab ea fuisse Praelatum de Religione Catholica ita meritum laetarentur, et paternum nostrum erga nationem suam amorem agnoscerent. Omnino confidimus, Charissimum in Christo filium nostrum Poloniae Regem Illustrem, generum tuum, causam Cardinalis Varmiensis tum pro suo erga Cardinalem adeo Maiestati suae devotum amore, cum pro Sedis Apostolicae reverentia acriter esse defensurum, nec quicquam illi iniuriae fieri permissurum. Sed tamen quia haec res cum ipsius Cardinalis causa, tum etiam quod de nostro et huius Sedis honore et auctoritate agitur, maximae nobis curae est, hortandam in Domino duximus et rogandam Maiestatem tuam, ut ad ipsum Regem Poloniae quam diligentissime de hac re scribat, eum hortans, ut malevolorum hominum consiliis sive per conventum Regni, sive per Capitulum quidpiam tentarint, Regia auctoritate resistat, honoremque eiusdem Cardinalis et nostrum tueatur. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxii. Maii mdlxi. Pont. nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 77.

DCCVI.

Canonicis Varmiensibus, ut honorem eorum episcopi commendatum habeant.

Dilectis filiis Capitulo et Canonicis Ecclesiae Varmiensis.

Pius PP. IV. Dilecti filii, salutem etc. Etsi audimus esse nonnullos in isto Regno, qui Episcopum vestrum a nobis in Cardinalium sanctae Romanae Ecclesiae ordinem cooptatum fuisse moleste ferant, illiusque honori et dignitati obtrectent; tamen vos non dubitamus patris et antistitis vestri dignitatis amplificatione pro vestra pietate, ut decuit, esse laetos. Honor enim Episcopo vestro propter praestantes illius virtutes, et magna in Religionem Catholicam merita ab hac Sede delatus ad Ecclesiae Varmiensis laudem et ornamentum redundat: atque ille quidem in hanc almam Urbem non sua sponte se contulit, sed a foelicis recordationis praedecessore nostro accersitus et vocatus, nec libenter hic diutius moratus est, sed vere ab ipso praedecessore, deinde a nobis non sine magno etiam incommodo suo retentus fuit. In sacrum vero Cardinalium Ordinem pervenit, non praesens, neque ambiens, sed absens insciensque tamquam Aaron vocatus. Dedimus hoc libenter eius virtuti, dedimus et pristinis eius in Ecclesiam Dei meritis, et recentibus in nos et Sedem Apostolicam officiis. Et hoc egimus nos, qui pro auctoritate nobis a Domino concessa, possumus undecunque, quos universali Ecclesiae nobiscum una in hoc loco utiles fore censemus, in partem solicitudinis nostrae vocare. Quamobrem si qui eius obtrectatores et malevoli homines per vos quidpiam adversus eum agere molirive conabuntur, videte quid agatis: cavete ne quoquam progrediamini, nolite pravis eorum consiliis acquiescere. Nos enim perpetuam illi administrationem Varmiensis Ecclesiae pro data nobis a Deo potestate commisimus. Quod si quid a quoquam attentatum fuerit, id iam nunc, privilegiis statutisque quibuscumque non obstantibus, irritum et inane esse decernimus, acrioribus remediis dignitatem honoremque ipsius Cardinalis simul et nostrum atque huius Sanctae Sedis, si opus fuerit, defensuri. Quod ad Ecclesiae istius regimen attinet, nec ulla in re boni et diligentis administratoris et tutoris officium praetermittet, et nos ipsam Ecclesiam non solum pro communi nostra omnium Ecclesiarum cura, sed praecipua quadam etiam propter ipsum Cardinalem commendatam nobis habebimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxii. Maii mdlxi. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XI. ep. 76.

DCCVII.

Rex Poloniae Carolo card. Borromaeo, efficiat apud pontificem, ut abbas Olivensis confirmetur.

Sigismundus Augustus Dei gratiae Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae etc. Dominus et haeres, Reverendissimo in Christo patri, domino Carolo Boromeo sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Amico charissimo et honorando, salutem plurimam prosperosque rerum omnium successus. Reverendissime in Christo pater, domine Amice noster charissime et honorande. Intelliget Reverendissima Paternitas vestra ex Venerabili Adamo Conarski Oratore nostro,

qua cura simus, quod ad negotium Venerabilis Nicolai Lock Abbatis Olivensis, Varmiensis Canonici, attinet. Et quo acutius acriusque Olivensis Abbatiae statum intuemur, hoc magis ex re Ecclesiae existimamus, Venerabilem Nicolaum Lock praefatum, virum catholicae religioni addictissimum, refutatis adversariis, quiete ac tranquille Abbatiam cum Canonicatu obtinere: sunt enim eiusdem Monasterii facultates ita attritae atque in angustiam redactae, ut diutius iure experiri non nisi perpetuum exitium sit Monasterio allaturum. Quae cum ita sint, visum est nobis ea de re Reverendissimam Paternitatem vestram certiorem facere, ab eaque postulare sedulo, ut apud Sanctissimum Dominum nostrum operam dare velit, quo non plus adversariorum iniqua causa, quam nostra aequa, scilicet Abbatis, cuius causam omni ope adiuvandam nobis esse ducimus, valere possit: sigillatim autem in hoc maxime incumbere non gravetur Reverendissima Paternitas vestra, ut Canonicatus Varmiensis, quem iure optimo obtinet, illi cum Abbatia reservetur. Eo nobis gratius Reverendissima Paternitas vestra faciet nihil, quae bene valeat. Datum Vilnae octava die mensis Iunii Anno Domini MDLXI. Regni vero nostri Anno XXXII.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX m. pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 34.

DCCVIII.

Nuntius apostolicus card. Morono se iter suum ad magnum Moschorum ducem haud perficere potuisse significat.

All'Illmo et Rmo Monsig. il Cardinal Morono Sig. et Prone mio ossermo.

Illmo et Rmo Mons. et Prone mio Colendissimo.

Se alla S. V. Illma et Rma scrivendo non ho fatto riverentia alcuna giorni sono, è proceduto dal non haver havuto materia a proposito alle mani, et non haver voluto farle strepito con lettere vane di complimenti. Mi occorre hora et riverirla, et farle sapere, come havendo questa Maestà risoluta finalmente, doppo havermi tenuto qui un mese et mezzo, di non darmi il passo in Moscovia, scusandosi che li suoi Senatori hanno deliberato et consegliano così, et che non è solito in tempo di guerra concedersi il passo ad alcun Ministro di Principe, et come non havendo potuto rimovere sua Maestà da cotal determinatione, con quante raggioni et esempi ho potuto addurre, son sforzato ritornarmene. Il che veramente, tutto ch'io d'ogni cosa rendi gratie al Signore, mi è molestissimo non potendo prestare quell'opera a nostro Signore et a Santa Chiesa, ch'io desideravo, et ch'io ero obbligato. Gli heretici, i quali sono fatti gagliardi assai et di numero et di forze, hanno oppugnato grandemente, et finalmente vinto per non esser stata fede in quelli, in quibus summa esse debebat. Io mi consolo che non ho lasciato cosa a fare per essecutione dell'officio mio, non tanto per la reputatione di Sua Santità, quanto per la conservatione della buona fama di questo Principe, intorno a che multa coram. Partirò di quà fra tre o quattro giorni, et farò il camino per Prussia, dovendo invitare quel Principe al Concilio, de la qual provincia procurarò d'ispedirmi in breve, per potere quanto prima esser costì a servire la Signoria Vostra Illma, la quale supplico a conservarmi fra tanto, et accrescermi nella gratia sua, et a credere che io non desideri cosa alcuna più della salute et intera felicità sua.

Qui non si ha altro di nuovo, eccetto che l'essercito di questa Maestà in Livonia, il qual comincia a essere interamente formato, ha conseguito vittoria di due scaramuzze non molto grosse fatte con li Moscoviti, facendo prigione un capo et alcuni altri oltre li morti con poca perdita de' suoi, et si è inteso ancora che il Magistrato di Riga, città maritima et principale in quella provincia, ha ricevuto alli 4. di questo doppo haver alquanto adversato in presidio il Palatino di Vilna, Archisinagogo et peste di tutte l'heresie di queste parti, con 700. Cavalli et 2000. fanti con quali serve al Re a sue spese. Altro non occorre, onde faccio fine, et bascio humilissimamente alla Sig. V. Illma le mani. Di Vilna alli 13. di Agosto 1561.

Di V. S. Illma. et Rma.

Humilissimo et devotissimo Servitore
GIO. FRANCESCO CANOBIO.

Nuntiatura Poloniae Tom. II. fol. 22.

DCCIX.

Regina Poloniae pontifici F. Nascimbene medicum suum commendat, ut canonicatum in Utinensi vel Aquileiensi ecclesiis obtineat.

Beatissime in Christo pater, domine colendissime. Post oscula pedum beatorum filialisque observantiae debitam commendationem. Etsi Serenissimus Poloniae Rex, dominus et Coniux meus cha-

rissimus, superioribus diebus ad Sanctitatem vestram nomine egregii Francisci Nascimbene Utinensis, Medicinae Doctoris, eiusdemque Regalis Maiestatis Phisici scripserit, eiusque personam atque negotium in obtinendo scilicet Canonicatu in Ecclesia Cathedrali sive Utinensi, quae illi patria est, sive Aquileiensi, quae Civitas patriae illius vicina est atque finitima, primum vacaturo diligenter Sanctitati vestrae commendaverit: ob singularem tamen nihilominus et erga meam personam illius observantiam inserviendique mihi studium atque industriam hac occasione oblata, hisce meis quoque literis Sanctitati vestrae eum commendare volui, diligenter ab illa eaque qua decet reverentia efflagitando, ut si ad eas literas, quas a Serenissimo Coniuge meo scriptas memini, momenti quidquam accedere potest, huic id petitioni meae Sanctitatem vestram haud gravatim tribuere, illique aditum ad eam honoris dignitatem prae aliis concedere benigne dignetur. Qua in re Sanctitas vestra mirum in modum et mihi gratificabit, et ipsum dominum Franciscum ob singulare in artem Medicam studium, in quo prae multis aliis haud mediocriter excellit, debito praemio adficiet. Quod superest, me debita submissione Sanctitati vestrae commendo, eamque ad longa tempora foeliciter valere ex animo cupio. Datae Vilnae die Ascension. Mariae An. Dñi 1561.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

obsequentissima filia
CATHARINA REGINA POLONIAE.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 37.

DCCX.

Rex Poloniae pontifici Nicolaum Locka abbatem Olivensem commendat.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri, dño dño Pio Papae Quarto, Sancte Romane ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Colmo.

Beatissime in Christo pater, domine colendissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Quod Sanctitas vestra petitioni meae pro Venerabili Nicolao Loca Abbate Olivensi tantum tribuerit, quantum cupiebam, ago Sanctitati vestrae et habeo gratias. Equidem quo magis illius Monasterii rationes, superiori tempore quorundam perversorum hominum ingeniis perturbatae, me etiam ipsum, aliis reipublicae meae negociis occupatum, conquiescere non sinebant, hoc magis gaudeo, cum Sanctitati vestrae eam rem curae esse cepisse intelligo. Cum enim is, qui nunc se Abbatia Olivensi amotum esse conqueritur, Gaspar Iesck Abbatiam illam paulo ante invasisset, depulso inde per quaedam Abbatis Cisterciensis mandata legitimo possessore, viro nobili et catholico, tum sane ita omnem terrarum Prussiae nobilitatem commoverat, ut omnes propemodum ex illa provincia libertatem suam in eo agi existimarent, si is ea Abbatia fungeretur. Quamobrem saepe a me per summam contentionem flagitarunt, ne quemquam adversus leges libertatesque eorum, qui ex Prussiae nobilitate non esset, Abbatiis in Prussia praeesse paterer, neve permitterem, veteribus possessoribus deturbatis, nova quadam ratione bona Monasteriorum invadi atque occupari: quorum ego petitioni cunctantius providendum esse existimans, rem omnem differebam. Cum interea percrebescit, hunc istum Gasparem Iesck bona Monasterii per summam largitionem dissipare, argento etiam et auro sacrato non abstinere, significationes praeterea non obscuras dare hominis a catholica religione alieni: quibus rumoribus Abbas Cisterciensis permotus cum esset, decretis in eam rem Commissariis, ipsum Abbatia privat ac deponit, eumque, quem ego tunc praesentavi, Venerabilem Nicolaum Locam instituit, hominem et nobili ortum genere et catholicae religionis inprimis studiosum, cui nunc ob eam rem lites intenduntur. Quod cum ita sit, ego qui plane cognitum habeo, ut si is ab ea Abbatia amoveretur, Gaspar autem per aliquam causam restitueretur, permagnos in Prussia motus consecuturos esse, Sanctitatem vestram maiorem in modum oro, ut praesentatum nunc meum tuendum sibi esse in animum inducat, neque permittat aliquid istinc eiusmodi proficisci, quod ad ipsius possessionem perturbandam pertinere videatur. Intelligit enim proculdubio S. V. nec me praesentato ipsi meo ratione ulla deesse posse, si ego maxime unus quiescerem, Prussiae provinciam ius et libertatem suam non esse defensuram, adversus eum praesertim, qui iampridem in summa illorum hominum invidia versari coepit. Cupio Sanctitatem vestram optime valere, eique me ac regnum meum quam officiosissime commendo. Datum Vilnae XXVI. die mensis Septembris Anno Domini M.D.LXI.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX mpp. sst.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXI.

Cardinalis Varmiensis cardinali Farnesio epum Theodosianum commendat.

Rmo et Illmo Dno, Dno Alexandro Farnesio S. R. E. Cardinali Diacono et Vicecancellario etc.

Rme et Illme Dne, Dne obserme.

Qui has reddet Illmae D. vestrae, Episcopus est Theodosianus, ex patria mea ad sacrosanctum Concilium hoc ab Archiepo, qui nuper obdormivit in Dno, et ab Abbatibus illius Regni missus. Cum autem Romam excurrere statuisset hoc tempore certis de causis, petivit se meis litteris Illmae D. Vestrae commendari. A qua peto, ut eum gratia sua complecti, simul adiumento illi esse velit authoritate sua, quo rebus isthic ex animi sententia confectis ad nos primo quoque tempore reverti queat. Rem sua humanitate dignam et mihi cumprimis gratam fecerit Illma D. V. quam diu salvam esse cupio, meque illius gratiae diligenter commendo. Datum Tridenti die XXII. Martii Anno Dni MDLXII.

Rmae. et Illmae D. Vestrae

humillimus servitor
STANISLAUS Card. Varmiensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXII.

Rex Poloniae cardinali Farnesio, efficiat apud S. pontificem, ut A. Pilchowski scolastriam Varsoviensem quiete obtineat.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et heres, Rmo in Christo patri domino Alexandro Farnesio, miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri protectori, amico nostro charissimo et honorando, Salutem et omnis faelicitatis continuum incrementum. Rme in Christo pater, amice noster charissime et honorande. Etsi non multo ante litteras ad Rmam Pat. V. scriptas dedimus, quibus ab ea postulavimus, ut Venerabilem Adamum Pilchowski Scholasticum Warszoviensem, Secretarium nostrum, cuius nos opera ac in rebus agendis dexteritate, quam summa cum fide ac diligentia in aula nostra obsequiis suis nobis probat, utimur, tuendum susciperet, daretque operam apud Sanctissimum Dnum nostrum, ut eum Martinus Galczinski missum faceret, neque ei de Scholastia Warschoviensi istic in curia Romana negocium facesseret, quod sacerdotium, iurispatronatus nostri cum sit, iure illud optimo a Serma olim parente nostra, cum adhuc in vivis esset, concessum habet, ac etiam ex vi praesentacionis existens per loci ordinarium legittime institutus in possessione eiusdem est a septem annis. Quo in negocio nihil hactenus ab ea effectum esse accepimus, quod quidem in eam partem nos interpretamur, non quod postulacionis nostrae a Rma Pat. V. non habita sit ratio, sed quod his fortasse, cui hoc negocium solicitandum commissum est, curandum remiserit. Nunc autem posteaquam intellexissemus eundem Martinum Galczinski contra leges et statuta Regni nostri in re aperta et notoria nullum finem litibus movendis facere velle, praecavendum, ne hoc ipso exemplo alii abutantur, propter quod sacerdotia iurispatronatus nostri saepe praeter voluntatem nostram interverti solebant, quandoquidem uterque illorum nititur iure nostro regio, salvum et integrum ius declarandum nobis relictum partibus ad id legittime vocatis censuimus: itaque servatis de iure servandis, partibus ipsis iurisdictioni nostrae sese subiicientibus declaravimus, sententia nostra mediante ipsum Martinum Galczinski niti iure, legibus et statutis Regni nostri abrogato, dictum vero Secretarium nostrum iure legittimo statutis Regni non contravenientibus sacerdotium hoc obtinere. Quo quidem decreto nostro iam omnem controversiam partium sustulimus: quod quidem Rmae Pat. V. significandum putavimus, significamusque, ut intelligat finem huic controversiae impositam per nos esse. Quamobrem maiorem in modum a Rma Pat. V. postulamus, ut pro ea gratia et authoritate, qua est, apud Sanctissimum D. N. perficiat, nomineque nostro diligenter cum Sanctissimo D. N. agat, ut ipse Galczinski quicquam occasione beneficii iurispatronatus nostri per amplius contradicendum sententiae nostrae in iudicio coram auditoribus rothae Apostolicae contra eiusdem parentis nostrae praesentatum non agat, litibusque eundem non implicet, ut is Secretarius noster vacuus curis et molestiis eo beneficio, quod ipse iure optimo consequutus est, quiete per absolutoriam sententiam frui possit. Quod quidem Rmam Pat. V. facturam esse nobis persuademus, nos vicissim nullam occasionem praetermissuri sumus, per quam prompta voluntas nostra ac gratificandi studium Rmae Pat. V.

declarari possit. Cum his Rm̃am Pat. vestram diu ac faeliciter bene valere optamus. Dalum Vilnae die IIII. mensis Aprilis Anno domini MDLXII. Regni vero nostri XXXIII.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXIII.

Idem card. Farnesio, efficiat apud pontificem, ut Iac. Uchanski nominatum archiep̃um Gnesnensem confirmet.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres, Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesiis, miseratione divina tituli S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Rom. Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri protectori, amico nostro charissimo ac honorando, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, amice noster charissime et honorande. In locum nuper defuncti Rm̃i in Christo patris dñi Ioannis Archiepiscopi Gneznensis et Primatis regni mei (nostri) nominavimus Reverendum in Christo patrem Iacobum Uchansky Episcopum Wladislaviensem, virum gravem et multis nominibus nobis acceptum. Qua de re scripsimus fusius Sanctissimo Dño nostro. Rm̃am autem Pat. vestram rogamus, velit authoritate sua efficere, ut eius Sanctitas hanc nostram nominationem ratam habere et authoritate sua confirmare velit citra omnem cunctationem. Id enim et nobis pergratum erit, et non modo Metropolitanae Gneznensis, sed omnium in regno nostro Ecclesiarum quieti et tranquillitati vehementer accomodatum, neque dubitamus, quin id Rm̃a Pat. vestra nostra causa libenter sit factura, quam diu ac feliciter valere cupimus. Datum Vilnae decimoctava die mensis Aprilis Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero nostri trigesimo tercio.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXIV.

Rex Poloniae eidem cardinali, ut pontifex Nic. Volski nominatum episcopum Vladislaviensem confirmet.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae Samogitiaeque etc. dominus et heres, Rm̃o in Christo patri dño Alexandro de Farnesiis, miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et regni nostri protectori, amico nostro charissimo et honorando, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, amice noster charissime et honorande. In locum Reverendi in Christo patris Iacobi Uchansky Episcopi Wladislaviensis, quem in locum nuper vita functi Archiep̃i Gneznensis nominavimus, renunciavimus Episcopum Wladislaviensem Reverendum in Christo patrem dñum Nicolaum Wolsky Episcopum Chelmensem, de quo diligenter ad Sm̃um Dñum nostrum scripsimus. Rogamus autem Rm̃am Pat. vestram, velit adhibere diligentiam, ut Sanctitas eius has nostras nominationes authoritate sua quamprimum confirmare velit, ne Ecclesiae hoc turbulento tempore diucius pastoribus suis legittimis careant. Quod autem attinet ea sacerdotia, quae Rev. dñus nominatus Wladislaviensis antea una cum Episcopatu Chelmensi obtinebat, ea iam aliis secretariis nostris concessimus: sunt enim omnia iurispatronatus nostri regii, ea neque ipsi dño nominato Wladislaviensi reservari, neque de iis cuipiam alteri praeter eos, quibus a nobis concessa sunt, provideri volumus. Qua in re ut Rm̃a P. V. nobis prospiciat, illam eciam atque eciam rogamus, quam bene ac prospere valere cupimus. Datum Vilnae decima octava die mensis Aprilis Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero nostri trigesimo tercio.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXV.

Idem card. Farnesio, ut pontifex Adam Conarski nominatum episcopum Chelmensem confirmet.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae Samogitiaeque etc. dominus et heres, Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesiis, miseratione divina tit. Sancti Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et regni nostro protectori, amico nostro charissimo et honorando, salutem et omnis feli-

citatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, amice noster charissime et honorande. Posteaquam in locum defuncti Archiep̃i Gneznensis Reverendum dñum Iacobum Uchansky Ep̃um Wladislaviensem nominavimus, in huius vero locum Reverendum dñum Nicolaum Volsky Ep̃um Chelmensem, quod reliquum erat huius negocii, nominavimus Episcopum Chelmensem Venerabilem Adam Conarsky Praepositum Poznaniensem, apud Sanctissimum D. N. oratorem nostrum. Qui cum sit et moribus probatissimis, et familia splendida et modestia singulari, ut plane ordini Ecclesiastico aptissimus esse videatur, Rm̃am Pat. vestram rogamus, velit has nostras nominationes Sanctissimo D. N. commendare efficereque, ut eas ratas et authoritate sua confirmatas quamprimum esse velit: id enim nobis erit gratissimum et Ecclesiis ipsis vehementer gratum et accomodatum. Et quoniam huius Episcopatus Chelmensem parvi sunt redditus, volumus, ut una cum hoc Episcopatu Venerabilis Adam Conarsky omnia ea sacerdotia obtineat, quae hactenus possedit, excepta Coadiutoria Praepositurae S. Michaelis in arce Cracoviensi: de hoc enim Sacerdotio, cum sit iurispatronatus nostri, alteri iam gratificari promisimus. Cum his Rm̃am Pat. vestram bene valere cupimus. Datum Vilnae die decima octava mensis Aprilis Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero nostri trigesimo tercio.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXVI.

Idem pontifici, ut Stanislaum Zelislawski nominatum episcopum Culmensem confirmare velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Pio Divina providentia Papae quarto, SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño clementissimo.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, regni et dominiorum meorum commendationem. Mortuus est nuper in Domino Reverendus olim in Christo pater Ioannes Lubodziesky Episcopus Culmensis in terris Prussiae dicionis meae. Cupiens itaque pro officio meo regio prospicere, ne ecclesia Culmensis diucius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti pro more et consuetudine ac legibus iam pridem in Regno meo observatis Venerabilem Stanislaum Zelislawski Abbatem Pelplinensem, virum religiosum vitaeque integritate et in Deum pietate singulari praeditum, ac in dicionibus illis nostris nobili atque clara familia natum. Quamobrem supplico Sanctitati vestrae, ut hanc meam nominationem ratam et gratam habere, illamque authoritate sua, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, confirmare velit. Qua in re ut nulla interponatur mora, Sanctitatem vestram maiorem in modum rogo: permultum enim et dicionibus illis meis interest et illius Ecclesiae tranquillitati, quamprimum negocium perfici. Supplico autem Sanctitati vestrae, ut dicto Abbati Pelplinensi et nominato Culmensi non permittat Sanctitas vestra eam Abbatiam cum Episcopatu simul obtinere: habet enim Episcopatus iste tam uberos redditus, ut Episcopum bene sustentare possit: tum autem ea re vehementer permoverentur omnes ordines terrarum Prussiae, neque ego id aequo animo ferre possem. Quod quidem Sanctitatem vestram pro officio suo non gravatim facturam omnino confido, cuius paterno amori me ac regnum dominiaque mea commendo, illamque bene ac prospere valere cupio. Datum in Civitate nostra Vilnensi magni Ducatus Lithwaniae decima octava die mensis Aprilis Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero mei trigesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 18.

DCCXVII.

Rex Poloniae pontifici, ne episcopatum Vratislaviensem a iurisdictione archiepiscopi Gnesnensis eximere velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, dño Pio Divina providentia Papae Quarto, Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino clementissimo.

Beatissime in Christo pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, regni et dominiorum meorum commendationem. Perlatum est ad me, agitari Romae consilia de avertendo Episcopatu Wratislaviensi a provincia et ecclesia Gnesnensi, cui iampridem ex beneficio et dotacione maiorum nostrorum tanquam Metropolitanae suae ecclesiae subiectus fuerat: et quoniam id

esset coniunctum cum magna iniuria nostra et indignitate ac detrimento Metropolitanae ecclesiae Gnesnensis, supplico Sanctitati vestrae, ut pro officio suo pastorali et pro ea auctoritate, quam secundum Deum in terris summam obtinet, ne id fieri paciatur, quod Sanctitatem vestram pro sua et ipsius rei aequitate facturam esse sedulo spero omuinoque mihi persuadebo: cuius paternae benevolentiae et protectioni me et diciones meas commendo, illamque bene ac prospere valere cupio. Datum Vilnae Civitate nostrà magni Ducatus nostri Lituaniae die vigesima prima mensis Maii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Regni vero mei trigesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 19.

DCCXVIII.

Idem cardinali Farnesio super eodem argumento.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dñus et haeres, Rm̃o in Christo patri domino Alexandro de Farnesiis miseracione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Rom. Eccl. Vicecancellario et regni nostri protectori, amico nostro charissimo et honorando, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, amice noster charissime et honorande. Scribimus ad S. D. N. in negocio Archiepiscopatus Gnesnensis, a cuius provincia accepimus cupere Maiestatem Caesaream Episcopatum Wratislaviensem avellere: cuius quidem Episcopatus redditus ex maiorum nostrum beneficentia constituti et dotati magna ex parte sunt, atque ob eam causam iam inde ab inicio est provinciae et ecclesiae Gnesnensi tanquam suae Metropoli subiectus. Quamobrem supplicamus S. D. N. ne id fieri paciatur, quod est coniunctum et cum iniuria nostra et cum indignitate ac detrimento ecclesiae Gnesnensis. Rogamus etiam Rm̃am Pat. vestram, adhibeat omnem operam et diligentiam, ne quid inde detrimenti ad nos perveniat, quam bene ac prospere valere cupimus. Datum Vilnae die xxi. mensis Maii Anno Dñi mdlxii. Regni vero nostri xxxiii.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXIX.

Cardinalis Varmiensis commendat cardinali Farnesio Iacobum Uchanski electum Gnesnensem.

Rm̃o et Illm̃o Dño meo Obserm̃o Alexandro Farnesio S. R. E. Cardinali diacono, Vicecancellario et Legato Avinionensi.

Rm̃e et Illm̃e Domine, Dñe obserm̃e.

In demortui Archiepiscopi Gnesnensis locum postulatum esse Rm̃um D. Iacobum Uchanium Wladislaviensem Episcopum, nihil dubito, quin iam antea cognoverit Illm̃a D. V. Quae nec illud nescit, qualis olim fuerit, et qualis nunc sit, in alium virum esse mutatus dicitur, et est multorum ea de re gravium virorum testimonium. Petivit is a me, meis ut literis causam ipsius Illm̃ae D. V. commendarem, quo possit quam minimo sumptu literas istas expedire. Causas quamobrem hanc sibi gratiam fieri postulet, non dubito, quin ipse quoque perscripserit Illm̃ae D. V. nihil ut necesse sit me repetere. Inter alias autem et hanc enumerat, quod priusquam annus elaberetur, expedivit literas Ecclesiae Wladislaviensis magno sumptu suo: cuius rei rationem isthic habitam iri nihil ambigo. Quoniam autem et hoc mihi dubium non est, Serm̃um Regem meum diligenter pro eo intercessurum, nihil est quod agam pluribus: illud tantum ab Illm̃a D. V. peto, petitionis ut eius rationem habere velit. Simul etiam excusationem accipiat, quamobrem is ad sacrum Concilium hoc proficisci non possit: nam revera si unquam, hoc tempore Archiepiscopi, qui primas Regni est, praesentia cumprimis est in Regno necessaria, absente praesertim ab eo Rege et Regni comitiis instantibus: venturus tamen orator a Serm̃o Rege meo designatus in eius locum secularis dicitur frater Wladislaviensis Episcopi. Petivit autem et postulatus Wladislaviensis, ut suam quoque causam Illm̃ae Dominationi vestrae commendarem: quem ut adiutum velit, quo citra difficultatem aliquam expeditionem Ecclesiae suae consequi possit, maiorem in modum peto. Quod superest, opto Rm̃am atque Illm̃am Dominationem vestram diu esse salvam atque incolu-

mem, cuius me gratiae diligenter commendo. Tridenti xv. die Iunii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.

Eiusdem Rmae. atque Illmae. D. V.

humillimus servitor
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXX.

Archiepiscopus Gnesnensis patribus Tridentinis significat, cur ad concilium venire non possit et oratores suos mittat.

In nomine Domini Amen. Universis et singulis praesentes litteras seu praesens publicum instrumentum inspecturis, Iacobus Uchanski Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, ac electus et postulatus Archiepiscopus Gnesnensis, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quum Sacrosanctum universalis et Catholicae Ecclesiae Concilium apud Civitatem Tridentinam in Spiritu Sancto, ad extinctionem haeresum praesentium in ipsa Ecclesia Dei plurimum grassantium, reformacionemque morum collapsorum, et aliis multis legittimis ex causis sit congregatum: Nos itaque ad illum personaliter, ut tenemur, propter varia et innumerabilia ipsius Ecclesiae nostrae et Regni Poloniae (cuius Senatorem agimus) impedimenta, et praesertim bella, quibus hoc idem Regnum vexatur, venire non valentes, propterea per procuratorem nostrum legitimum uti filius obedientiae eidem Sacro Concilio interesse volentes, ex certa nostra scientia et spontanea voluntate, omnibus melioribus modo, via, iure, stillo, caussa et forma, quibus melius et efficatius possumus et debemus, facimus, constituimus, creamus et nominamus nostros veros et fideles procuratores et nuncios speciales et generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec e contra, videlicet Reverendos et Venerabiles dominos Stanislaum Sodzinski iuris utriusque Doctorem, Plebanum Proschovicensem Diocesis Cracoviensis, et Valentinum Kuczborski Coadiutorem Archidiaconatus Pomeraniae in Ecclesia Cathedrali Wladislaviensi, ambos et quemlibet eorum in solidum, ita tamen quod non sit melior conditio primitus occupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus eorum inceperit, alter ipsorum id prosequi, mediare, terminare valeat et finire, ac ad effectum perducere, specialiter et expresse dantes et concedentes illis et eorum cuilibet in solidum plenariam et omnimodam facultatem et authoritatem atque potestatem, in eodem Sacro Concilio pro et nostro Ecclesiaeque nostrae Wladislaviensis nominibus comparendi, inreressendi et assistendi, absentiamque nostram excusandi, ac ea quae ad laudem Dei optimi maximi utilitatemque Ecclesiae et illius incolumitatem ac pacem, nec non heresum extirpationem ac morum reformationem pertinere videbuntur, tractandi et allegandi, et generaliter omnia et singula, quae in praemissis et circa ea fuerint quomodolibet necessaria et opportuna, agendi et disponendi, et quae nos ipsi facere possemus, si praemissis omnibus et singulis personaliter interessemus, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Promittimus nihilominus nostro ac omnium et singulorum, quorum interest et interesse poterit quomodolibet in futurum, nominibus omnia et singula praemissa ratha, grata atque firma perpetuo habituros, quae per dictos procuratores nostros vel eorum alterum actum, dictum, factum, gestum vel procuratum fuerit (sic) in praemissis seu quomodolibet praemissorum. Super quibus omnibus et singulis praemissis praesentes nostras litteras scribi, et per Notarium publicum infrascriptum subscribi et publicari, sigillique nostri iussimus et fecimus appensione communiri. Actum et datum Volborii sub Anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Inditione quinta, die penultima mensis Iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dñi Pii divina providentia Papae quarti anno ipsius tertio, praesentibus ibidem Reverendis et Venerabilibus dñis Iacobo Varonieczki Wladislaviensi et Plocensi, Ioanne Pyotrowski Wladislaviensi Chelmensique, Gregorio Raiski, Andrea a Mogilnicza Concionatore et Canonicis Ecclesiae collegiatae Volboriensis, Ioanne Czirwiowski Praeposito hospitalis et Petro Vicepraeposito Volboriensis testibus ad praemissa vocatis et rogatis. Et quia ego Ioannes olim Martini Pukoszowski clericus Dioec. Cracov. sacra auctoritate Apost. Notarius publicus, praeffatorum procuratorum constitutioni, potestatis dationi, ratificationi et aliisque omnibus et singulis praemissis, dum sic, ut praemittitur, agerentur et fierent, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi: ideo hoc praesens publicum instrumentum manu mea fideliter scriptum subscripsi, et in hanc formam publicam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis communivi in fidem praemissorum omnium vocatus et requisitus.

Act. Concil. Trid. Tom. LXXXIX. Nro. 29.

DCCXXI.

Card. Varmiensis card. Farnesio designatum custodem ecclesiae Cracoviensis commendat.

Rm̄o et Illm̄o dn̄o meo obserm̄o dn̄o Alexandro Farnesio S. R. E. Cardinali Diacono, Vicecancellario et Legato Avinionensi.

Rm̄e et Illm̄e dn̄e, dn̄e obserm̄e.

Providit nuper de Custodia Cracoviensi Rm̄us dn̄us Episcopus Cracoviensis Venerabili dn̄o Andreae Oraievio Iurium doctori, viro nobili, docto, pio et magna vitae integritate praedito, qui etiam Cancellarius illius est. Ac vix potuit iudicio meo sacerdotium hoc collocari melius, nisi quod non nihil vereor, ne parum sit firma provisio, quandoquidem ante vacationem factam esse constat. Tunc enim primum vacabit sacerdotium, cum Rev. dn̄us Chelmensis Episcopus, qui nunc est illius possessor, ad ecclesiam Wladislaviensem translatus fuerit. Quod cum erit factum, quaeso Illm̄am D. V. ut domino Andreae de hoc sacerdotio isthic provideri curet, quo ita demum viri huius excellenter docti et catholici ratio habeatur: est enim dignus, cui Sancta Sedes Apost. benigne faciat, et illum et Ep̄um illius reddet sibi Illm̄a D. V. longe devinctissimum. Quod superest, opto Illm̄am D. V. diu esse incolumem et foelicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Ex Tridento die xx. Iulii An. Dn̄i MDLXII.

Rmae. et Illmae. D. V.

humillimus servitor
STANISLAUS Card. Varmiensis.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXXII.

Rex Poloniae pontifici, ut Adam Konarski nominatum ep̄um Posnaniensem confirmare velit.

Sanctissimo ac Beatm̄o in Christo patri et dn̄o, dn̄o Pio Papae Quarto etc.

Sanctissime et beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Mortuus est nuper in Domino Reverendus olim in Christo pater Andreas Czarnkowsky Episcopus Poznaniensis in Regno meo. Cupiens itaque pro officio meo regio prospicere, ne ecclesia Poznaniensis diucius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti Reverendum Adamum Konarski, nominatum Episcopum Chelmensem, et meum apud Sanctitatem vestram Oratorem, virum nobili et clara in Regno meo familia natum, ac singulari probitate et morum mansuetudine praeditum, quem ego Sanctitati vestrae propterea non commendo, quod illi mores et ingenium eius satis interea perspectum et exploratum esse puto, cum isthic iam ab aliquot annis in conspectu prope Sanctitatis vestrae continue versetur. Nunc tantum Sanctitati vestrae supplico, velit hanc nostram nominationem ratam habere illamque authoritate sua, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, confirmare. Nolo autem, ut dicto Reverendo nominato Poznaniensi aliquod Sacerdotium ex iis, quae antea illi cum Episcopatu Chelmensi retinere permiseramus, et de quibus ad Sanctitatem vestram pro eo scripseramus, obtinere deinceps cum Episcopatu Poznaniensi liceat: sunt enim haec sacerdotia iurispatronatus mei, de quibus iam aliis providere constitui, idque Sanctitatem vestram latere nolui: Cuius paternae benevolentiae me et Regnum ac dominia mea commendo, illamque benevalere ac omni prosperitatis genere cumulatam esse cupio. Datum in Civitate nostra Vilnensi Magni Ducatus Lithuaniae die prima mensis Augusti Anno domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.

Eiusdem Santitatis vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 21.

DCCXXIII.

Idem cardinali Farnesio electum Posnaniensem commendat.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres, Rm̄o in Christo patri domino Alexandro de Farnesiis miseracione divina tit. Sancti Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae

Vicecancellario et regni nostri protectori, amico nostro charissimo ac honorando, Salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum. R̃me in Christo pater, domine amice charissime et honorande. Cum nuper defunctus sit in Domino Rev. olim in Christo pater Andreas Czarnkowski Episcopus Poznaniensis in regno nostro, nos pro debito nostro regio prospicere volentes, ne Ecclesia Poznaniensis diucius suo pastore careat, nominavimus in locum defuncti pro more et consuetudine, ac legibus iam pridem in regno nostro observatis Reverendum Adam Conarski nominatum Episcopum Chelmensem et nostrum apud S. D. N. oratorem. Qui cum sit et moribus probatissimis, et nobili ac splendida claraque in regno nostro familia natus, itaque R̃mam Pat. vestram rogamus, velit hanc nostram nominationem S̃mo Domino nostro commendare, efficereque, ut eam ratam et authoritate sua confirmatam quamprimum esse velit: id enim et nobis erit gratissimum et ecclesiae ipsi vehementer accommodatum. Quod autem attinet ea sacerdotia, quaecunque (sic) Rev. dominus nominatus Poznaniensis hactenus obtinebat, et quaecunque illum antehac cum Episcopatu Chelmensi obtinere permiseramus, ea iam aliis secretariis nostris concessimus: sunt enim omnia Iurispatronatus nostri regii, ea neque ipsi domino nominato Poznaniensi reservari, neque de iis cuipiam alteri praeter eos, qui illis a nobis provisi fuerint, provideri volumus. Qua in re ut R̃ma Dom. vestra nobis prospiciat, illam etiam atque etiam rogamus: Quam bene ac prospere valere cupimus. Datum a Civitate nostra Vilnensi magni Ducatus nostri Lithuaniae die prima mensis Augusti Anno domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero nostri trigesimo tertio.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXXIV.

Idem pontifici, ut Alb. Starozrzewski nominatum episcopum Chelmensem confirmare velit.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et domine, d̃ne clementissime. Post oscula pednm beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Quandoquidem paulo antehac in locum nuper defuncti Episcopi Posnaniensis nominavi Reverendum in Christo patrem dominum Adamum Conarski, nominatum Episcopum Chelmensem et meum apud Sanctitatem vestram Oratorem, visum est mihi deinceps in huius locum Chelmensem Episcopum nominare Venerabilem Albertum Starozrzebsky Archidiaconum Cracoviensem, Custodem Sandomiriensem, secretarium meum, virum syncerum et candidum, vitaeque integritate et in religionem catholicam constantia singulari praeditum, ac in Regno meo nobili et antiqua familia natum. Quamobrem supplico Sanctitati vestrae, ut hanc meam nominationem ratam et gratam habere, illamque authoritate sua, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, confirmare velit. Qua in re ut nulla interponatur mora, Sanctitatem vestram maiorem in modum rogo: permultum enim et dicionibus meis interest, et illius ecclesiae tranquillitati quamprimum negocium perfici. Et quoniam exigui sunt Episcopatus Chelmensis proventus, non recusamus, quominus omnia sacerdotia, quae hactenus pauca etiam et exigui proventus obtinet, una cum Episcopatu Chelmensi per gratiam Sanctitatis vestrae obtinere possit, excepta Custodia ecclesiae collegiatae Sandomiriensis; eam enim, cum sit iurispatronatus mei, iam alteri Secretario meo contuli, idque Sanctitatem vestram latere nolui: Cuius paternae benevolentiae me et Regnum ac dominia mea commendo, illamque bene ac prospere valere cupio. Datum in Civitate mea Vilnensi magni Ducatus Lituaniae die prima mensis Augusti Anno domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni vero mei trigesimo tertio.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie mpp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 20.

DCCXXV.

Regi Poloniae pontifex, se nominationes ad sedes Gnesnensem et Vladislaviensem ratas habuisse, scribit.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. IV. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quod Maiestas tua post obitum bonae memoriae Ioannis Archiepiscopi Gnesnensis continuo in eius locum nominavit Venerabilem fratrem Iacobum Episcopum Wladislaviensem, ne tam insignis Ecclesia diutius Antistite careret, et ad

Vladislaviensem Ecclesiam nominavit Venerabilem fratrem Nicolaum Episcopum Chelmensem, rogavitque, ut eas nominationes admitteremus, eos illis Ecclesiis praeficiendo: Nos de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et assensu desiderio tuo satisfecimus, et cum ex tuo, tum etiam aliorum testimonio in Domino confidimus bene eis Ecclesiis provisum fuisse. Qua in re laudantes iudicium et piam voluntatem Maiestatis tuae, hortamur eam, ut ad eas Ecclesias regendas ac iura ipsarum tuenda, et si opus fuerit, etiam recuperanda suum eis Regium favorem et auxilium semper impertiat, ut commissum sibi, te favente et curante, ministerium ad Dei honorem et gloriam, et ovium sibi creditorum salutem implere quam commodissime possint: largiti praeterea libenter sumus Maiestati tuae quicquid largiri potuimus, sicut intelliges ex litteris dilecti filii Georgii tui, hominis diligentissimi. Hortamur autem, ut quoniam id nimis exiguum munus et Regia tua magnitudine indignum, eius gratiam ipse eis Episcopis facere velis. De Canobio, quod te de integro excusas, gratum nobis fuisset, ut fateamur, si eum Maiestas tua in Moscoviam pervenire passa fuisset, quo eum mittebamus, ut Concilii indictionem Duci Moscoviae notam efficeret, quo si pervenisset, potuisset id universae Reipublicae Christianae prodesse, ac praecipue Regno tuo, de quo benemereri cupivimus et semper cupiemus. Datum Romae etc. die x. Septembris MDLXII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XI. ep. 291.

DCCXXVI.

Archiepiscopo Gnesnensi pontifex se eius ab ecclesia Vladislaviensi ad sedem primatialem translationem approbasse nuntiat.

Venerabili fratri Iacobo Archiepo Gnesnensi Regni Poloniae Primati.

Pius PP. IV. Venerabilis frater, salutem etc. Charissimi in Christo filii nostri Regis desiderio de te ad Ecclesiam Gnesnensem transferendo nominationem admittentes, de Venerabilium fratrum nostrorum consilio et assensu libenter satisfecimus. Speramus propter dona fraternitati tuae concessa, tam insigni praestantique Ecclesiae bene consultum fuisse, et damnum, quod obitu decessoris tui Ecclesia Gnesnensis et Catholica Religio in isto Regno fecit, te ipsi Ecclesiae praefecto Domino adiuvante sartum iri. Ad quod hortatione nostra non eges, cum sciamus te sentire, quantum munus sustineas, et scire, quantam Pastorum curam ac solicitudinem dominicae oves his temporibus pro periculi sui magnitudine poscant atque efflagitent, et quam subtiliter de eis reddenda erit ratio aeterno illi pastori, qui pro earum salute sanguinem suum in ara Crucis effudit. Hoc autem maius tu, dilectissime frater, sustines onus, quam caeteri Poloniae Epi, quod primas es ipsius Regni, et quantum honore, auctoritate et dignitate caeteris antecellis, tantum etiam charitate, sollicitudine ac diligentia pastorali eis praestare debeas, et cum exemplo administrationis tuae, tum etiam hortationibus et admonitionibus opportunis eos ad officium suum Deo et ovibus suis praestandum excitare atque impellere, et te tanquam murum pro Religione Catholica hostibus Ecclesiae in Conventis publicis, et omnibus aliis in locis opponere, sicut te facturum esse confidimus. Quod curasti, ut Serenissimus Rex ad Concilium oratores suos mitteret, officium istud dignum te, et nobis perinde ac debuit, gratum fuit. Quod vero proponis sumptuum varietatem et magnitudinem, quos pro loco tuo et pro Regni temporibus fieri abs te necesse est, vellemus potuisse multo liberalius agere, sed benignitate usi sumus, qua potuimus, sicut ex litteris, quas Regi scripsimus, te cogniturum esse credimus. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Septembris MDLXII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XI. ep. 292.

DCCXXVII.

Cardinales praesides et legati concilii Tridentini significant regi Poloniae adventum episcopi Premisliensis, suadentque, ut quam primum oratorem suum ad concilium mittat.

Rmum Patrem Dnum Valentinum Epum Premisliensem, virum gravem, doctum, prudentem, quem Regia Maiestas vestra ad Sacram Synodum legandum duxit, libentissime videmus, atque omni benevolentia complexi sumus. Nam cum maxime laetari debeamus talium virorum adventu et praesentia, qui non minus possint, quam velint hoc difficillimo tempore communem Ecclesiae causam iuvare; tum vero Regia commendatione ornatus dignissimus visus est, in quem omnia humanitatis officia a nobis, praesertim Maiestatis vestrae studiosissimis, conferrentur. Vehementer autem, prout debuimus, gavisi sumus, quod Regia Maiestas vestra de mittendo ad Sanctum hoc universale Concilium oratore

aliquando deliberavit. Quamvis enim nobis, quibus plane perspecta et explorata esset rectissima eius mens, atque egregia in Sm̃um D. nostrum ac Sedem Apostolicam voluntas et observantia, satis etiam perspectae essent (quod ad hoc pertinet) Regni Polonici leges et instituta, mirum videri non potuit, si haec deliberatio aliquandiu differretur: verendum erat tamen, ne forte alii, qui minus aequi iudices solent esse, atque omnia in peiorem partem libenter accipiunt, id quod necessario aliquanto serius fieret, voluntariam officii praetermissionem perverse interpretarentur. Hoc autem quoniam ab eius Regis dignitate alienissimum fuisset, cuius pietas in tuenda Catholica Religione maiorum suorum, ac praesertim Sigismundi Patris optimi Principis summae laudi se aequasset, nobis profecto iucundissimum accidit, quod intelleximus Maiestatem vestram, non expectato amplius comitiorum die, oratorem suum mittendum decrevisse. Verum ut ob illud praeterea ex ista honorificentissima legatione summam laetitiam percipiamus, necesse est, quod semper iudicavimus ad publicae causae utilitatem magnopere pertinere, Sacram Synodum Regiae quoque Maiestatis vestrae nomine et auctoritate, quae amplissima inter caeteros Christianos Reges haberetur, honestari. Nam cum in ista Aquilonari plaga Regia Maiestas vestra una sit, quae Christianam et Catholicam veritatem defensam, conservatam atque auctam maxime velit, vehementer optandum nobis fuit, ne tam firmo praesidio Sancta Dei Ecclesia destituta videretur. Cum itaque divina benignitate omnia, ut volebamus, ceciderunt, primum quidem Deo immortali, deinde Regiae Maiestati vestrae de eo maximas gratias agimus et habemus, precamurque, ut pro ea pietate, quam praeclare hactenus praestitit, communis Matris Catholicae Ecclesiae propugnationem semel susceptam nunquam deserat, sed in ea defendenda eo se acriorem praebeat, quo fortasse maiori studio omnes machinas ad eam in Regno suo oppugnandam, atque adeo, si fieri posset, evertendam undique comparari senserit. Haec autem eius humanitate et mansuetudine freti idcirco maxime scribenda esse duximus, quod nuntiatum est Maiestatem V. Regni Comitia proximo Novembris mense habituram esse, in quibus etsi more maiorum nihil aliud agendum sit, quam de communibus Regni negotiis, quae vel ad civilium rerum statum, vel ad belli administrationem attinent: tamen quoniam nunquam fere desunt pernisiosi homines rerum novarum cupidi, qui correpta quavis occasione in eiusmodi conventibus de constituenda etiam, ut ipsi appellant, sed re vera funditus tollenda religione agi postulant, oramus per Dei misericordiam atque obtestamur Maiestatem V. ne quid ea de re non solum decerni, sed ne referri quidem patiatur. Notum nobis est atque omnibus testatum, quanta prudentia, virtute et animi pietate, quoties superioribus annis de hac causa mentio incidisset, Regia Maiestas V. quorumdam audaciam hominum, consilia et conatus compresserit: scimus eius sapientia et religione factum esse, ne permulti conceptum animo virus impietatis effundere in aliorum pestem ac perniciem auderent. Quare eadem nunc prudentia fidei et pietatis documenta, quando iam sui similis nunquam esse non poterit, Maiestatem V. daturam esse non dubitamus, vel potius confidimus, certoque nobis pollicemur. Sed tamen vel quia tanta res est, vel quia eius saluti et Regii nominis existimationi mirabiliter favemus, praetermittere non possumus, quin Maiestatem V. etiam atque etiam in Domino hortemur, ut quod fecit, semper faciat et in omnibus sumat scutum fidei, in quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere. Cogitet Maiestas V. ac memoria repetat, quantos usque ad hanc diem labores Dei zelo incensa pertulerit, quam nullum fere temporis spatium a gravissimis curis vacuum habere voluerit, ob eam potissimum causam, ne Catholicam religionem semel in Polonia receptam ex antiquis sedibus deturbari atque deiici permitteret. Tum vero cum haec attentius cogitarit, simul etiam facile perspiciet, quam indignum futurum sit tanto Rege, si Maiestas V. patiatur tam verae et solidae gloriae fructum, quem sibi virtus sua peperit, a saevissimis hominibus per insidias et fraudem, vel per seditiosas et importunas voces sibi e manibus eripi. Habet autem Regia Maiestas V. paratam et facilem rationem, qua se ex huiusmodi turbulentis postulationibus hoc tempore explicet. Nam cum Dei clementia ac Sm̃i Dñi nostri auctoritate et opera universale Concilium summo Ferdinandi Caesaris, omniumque Christianorum Regum et Principum consensu ac studio coactum fuerit, nefas est in iis rebus, quae ad fidei disceptationem pertinent, legitimum Sacrae Synodi iudicium vel superbe recusare, vel patienter non expectare. Quare si qui erunt, qui fidei doctrinam a maioribus traditam in dubium revocent, sibique ipsius persuadeant se lucem aliquam veritati afferre posse, in promptu erit Maiestati V. eis praecipere, vel benigne consilium dare, ut ad Sanctam Synodum veniant, apud quam et libere, quae sentiunt, exponere, et facile eam, quam tantopere expetunt, veritatem doceri queant. Sed non opus est, ut pluribus de hac re cum Maiestate V. vel monendi vel cohortandi causa agamus, cum alterum singularis eius sapientia, alterum summa in Deum et Apostolicam

et Catholicam Ecclesiam pietas non desideret: quin potius Regiam Maiestatem V. oramus, ut in bonam partem accipiat, ignoscatque nobis, si praecipua quadam in eam observantia et religionis studio longius provecti sumus, quam caetera omnia praeter causam ipsam, quae omnium gravissima extimanda est, postulare viderentur. Dñus noster Iesus Christus Maiestatem V. ad Regni sui tranquillitatem et pacem tuendam, et Sanctae Dei Ecclesiae dignitatem propagandam diu incolumem servet.

Tridenti 3. Novembris 1562.

Act. Concilii Trident. Tom. DCCLV. pag. 94.

DCCXXVIII.

Episcopo Premisliensi de eius ad concilium Tridentinum adventu pontifex gratulatur.

Venerabili fratri Valentino Episcopo Praemisliensi Serenissimo Poloniae Regis in Sacro Tridentino Concilio Oratori.

Pius PP. IV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem Illustrem Catholici Regis officio functum esse gaudemus, te ad sacrum Tridentinum Concilium misso, ut illi eius nomine una cum caeterorum Catholicorum Regum oratoribus intersis. Moleste sane ferimus et dolemus bello eum implicitum esse, quem ipsum et populos eius ditionis tranquillissima pace frui vehementer cuperemus: sed confidere plane debet, quo studiosius ipse sanctam matrem Ecclesiam tam gravi et turbulento tempore iuverit, et ad extirpandas haereses incubuerit, eo magis adversus hostes suos divinum sibi auxilium affuturum. Te vero pervenisse Tridentum ex tuis litteris libenter cognovimus, tuaeque erga nos et Sedem Apostolicam fidei et devotionis indicia grato, ut debuimus, animo accepimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Decembris MDLXII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XI. ep. 307.

DCCXXIX.

Rex Poloniae spondet pontifici, Gnesnensi et Vladislaviensi praesulibus in tuendis ecclesiae iuribus praesto se futurum.

Sanctissime et Beatissime pater et domine clementissime. Post oscula beatorum pedum et meam ac Regni dominiorumque meorum commendationem. Sanctitatis vestrae pietatem, ut in aliis rebus, ita commendandis Archiepiscopo Gnesnensi et Episcopo Wladislaviensi a nobis nominatis et a Sanctitate vestra confirmatis abunde perspexi. Hortatur enim, ut illis in regendis ecclesiis ac eorum statu recuperando favorem et adiumentum praebeam: quod ego cum meo perpetuo instituto, tum Sanctitatis vestrae paterna admonitione libenter sum facturus. Et bona spes me tenet, cum iam eam viam non infoeliciter, Deo sit gratia, ingressus sim, ut Regni mei rationes fato quodam (quod in aliis itidem hac aetate accidit) involutas et implicatas explicem, facilius quoque ad Religionem restituendam, si modo conatibus meis eventus responderit, esse perventurum. In eo quod largita est mihi Sanctitas vestra, quale est, voluntatem Sanctitatis vestrae spectandam existimavi. Idipsum vero Episcopis in istis sumptibus, quos nunc etiam Reipublicae causa facere coguntur, lubens gratum feci. Porro in voluntate Sanctitatis vestrae erga me sic acquiesco, ut de illa mihi omnia prolixe pollicear, quam ego vicissim omni studiorum et observantiae genere demerebor, et nunc eandem illi diligenter commendo. Datum Petricoviae v. die Ianuarii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regni vero nostri trigesimo tertio.

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 22.

DCCXXX.

Archiepiscopus Gnesnensis episcopo Camerinensi nuntio apostolico res abbatis Olivensis commendat.

Illm̃e et Rm̃e domine, domine clementissime.

Illm̃ae et Rm̃ae Dominationi vestrae officiosi et grati animi studia reverenter offero. Vertitur in sacro Rotae auditorio causa Domini Casparis Abbatis Olivensis, viri pii, docti atque catholici, et miserorum ipsius fratrum, qui crudeliter ad unum omnes Monasterio suo pulsi miseram in exilio vitam degunt. Sunt autem cum Abbate presbyteri numero, ni fallor, quindecim. Qui tantam vim intulit, Clericus secularis est, is non modo disciplinae vitae regularis sanctimonium in eo Monasterio extinxit, sed et

omni cultu divino abolito, vastitatem in nobilem et antiquissimam aedem introduxit, exemplo in hoc Regno novo et maxime Reipublicae Ecclesiasticae pernicioso. Postquam enim homines perditi elapso fere biennio in synodo Warsaviensi per Apostolicae Sedis commissionem causam amisissent, in Galliam ad generale capitulum miserum Abbatem traxerunt. Sed cum isthic quoque gravissima sententia ab Abbatibus eius ordinis atque illustris parlamenti Divinionensis Assessoribus damnarentur, ad impias calumnias et virulentas fraudes conversi, confictis criminibus ad Sanctae Inquisitionis officium Abbatem detulerunt, ut exutum fortunis omnibus in eas difficultates coniicerent, unde per egestatem non facile emergere posset, et ut simul immanis atque atrox vis et iniuria invidia odiosi criminis tegeretur. Ego vero eidem Abbati testimonium innocentiae apud quosvis libenter praebeo, quando iudicium et censuram universi ordinis ecclesiastici de se habet honorificentissimum: nam et a synodo proximo ad S. Oecumenicum Concilium Tridentinum cum aliis deputatus est, et ab omnibus Abbatibus ordinis sui iam dudum in Commissarium electus. Quare ex animo doleo virum doctum, religiosum et Catholicae fidei fidelem assertorem, cuius opera contra haereticos pie defunctus Archiepiscopus et ego publice et privatim cum Ecclesiarum fructu antea usi sumus, et nunc etiam utor; in tantis turbis convulsi in hoc Regno Ecclesiastici status, in optima causa sic inhumaniter et impune affici, vexari, eludi atque pessundari, et haereticis, qui capti Monasterii authores et consultores fuere, cur serio triumphos hodie canant, causam praeberi non de Abbate solum et miseris fratribus victis, sed de prostrata quasi universi ordinis nostri existimatione atque omni iusticia atque aequitate oppressa. Nemo enim fere inter viros Ecclesiasticos est, qui afflictissimorum hominum causam non iuverit, promoverit, et pro sua virili parte sublevaverit. Quantum autem furorem haereticorum idem exemplum eiusque successus armaverit, expertae sunt iam aliae ecclesiae in eadem Prussia. Quibus causis maxime motus sum, ut haec ad Illm̃am et Rm̃am Dominationem vestram perscriberem, a qua reverenter et maximo studio peto, ut apud Sanctissimum Dominum nostrum miseri Abbatis defensionem suscipiat, atque a Sanctitate sua impetret, ut a sacro Collegio Dominorum Inquisitorum absolvatur, et usque ad sententiam Monasterium, ne bona eiusdem funditus prodigantur, viris Ecclesiasticis, qui cum potestate sunt, maxime propter fratres reducendos in sequestrum committatur, aut si de absolutione Sanctissimo Domino nostro aliter videbitur, hic in partibus Rm̃o Domino Nuncio absolutio mandetur: id quod pro sua singulari pietate Illm̃am Dominationem vestram non gravate facturam confido, quando in pari fere causa clementem et facilem se se mihi praebuit suo quondam innocentissimo exemplo ad facilitatem tuendae alienae innocentiae edocta. Erit hoc officium non mihi modo, sed et universo ordini Ecclesiastico perquam gratum et maxime utile. Ego quoque, qui alias beneficio Illm̃ae Dominationis vestrae debitor eidem sum perpetuus, devinctior tamen mihi longe futurus videbor hac petitione impetrata, neque ullum verae gratitudinis officiorum genus ad beneficia accepta liberaliter referendum unquam me praetermissurum esse polliceor. Illm̃am et Rm̃am Dominationem vestram perpetuo in Domino salvam et faelicem esse cupio, cui me subiecte commendo. Petricovii xx. mensis Ianuarii Anno Christi MDLXIII.

Eiusdem Illustrissime et Reverendissime D. V.

Servitor obsequentissimus
IACOBUS UCHANSKI Archiep̃us Gnesnensis mpp.

Litt. divers. Poloniae Tom. II. fol. 69.

DCCXXXI.

Rex Poloniae cardinali Farnesio agentem suum Neapolim missum commendat.

Rm̃o in Christo patri dñ̃o Alexandro Farnesio Archiep̃o Montis Regalis tit. S. Laurentii in Damaso S. R. E. Vicecancellario, Avenionis Legato, et Regni nostri Protectori, Diacono Cardinali, Amico nostro charissimo.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. Dominus et haeres, Rm̃o in Christo patri dñ̃o Alexandro Farnesio Archiep̃o Montis Regalis etc. sancti Laurentii in Damaso, S. R. E. Vicecancellario, Avenionis Legato et Regni nostri Protectori, Diacono Cardinali, amico nostro charissimo. Rm̃e in Christo pater, amice charissime et honorande. Cum mitteremus Neapolim Nobilem Paulum Stempowski, Secretarium et Agentem nostrum, ad negocia nostra, quae illic nobis intercedunt, curanda, non dubitavimus facere pro ea Rm̃ae Pat. vestrae voluntate et studio, quod multis in officiis illius erga nos experti sumus, quin eum Rm̃ae

Pat. vestrae commendaremus, postulantes ab ea, ut illi de rebus, de quibus ad eam nostro nomine referet, plenam fidem habeat, tum ad omnia, in quibus auctoritate Rmae Pat. vestrae eguerit, studio auxilioque suo adesse illi velit. De nobis porro Rma Pat. vestra vicissim statuat, quicquid studii ac officii ex nobis proficisci ad Rmam Pat. vestram possit, in eo parem nostram voluntatem lubenter illi tributuros semper esse. Tandem Rmam Pat. vestram bene valere cupimus. Datum Petricoviae die xx. Marcii Anno Dñi M.D.LXIII. Regni vero nostri XXXIIII.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXXXII.

Idem pontifici, ut Dionysium Sicigniowski nominatum epum Camenecensem confirmare velit.

Beatissime pater, domine colendissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Post obitum Reverendi in Christo patris domini Leonardi Sloncewski Episcopi Camenecensis, qui ut ex hac vita emigravit, annus est iam praeterlapsus, renunciaveram Camenecensem Episcopum Venerabilem Petrum Arciechowski, Decanum Vilnensem et curiae meae referendarium. Cum autem is quoque statim post renunciationem ipsam meam, antequam videlicet confirmationem ipsius a Sanctitate vestra non solum obtinere, sed etiam petere potuisset, a nobis ad superos sublatus esset, renunciavi rursus hoc tempore Episcopum Camenecensem Venerabilem Dionysium Secigniowski, Canonicum Cracoviensem et Kielcensem ac Secretarium meum, qui nobilissimis et bellica laude praestantissimis ortus maioribus, cum primam aetatem suam in iis studiis tum domi tum foris posuisset, quibus studiis aluntur animi hominum ad haec eiusmodi munera ecclesiarum in republica sustinenda, ita deinde virtutem probitatemque suam cum Reverendo in Christo patri domino Samueli Maceiovio Episcopo Cracoviensi et Regni mei Cancellario, tum mihi quoque ipsi post Maceiovii excessum comprobavit, ut non solum maiorum suorum, sed suis etiam ipsius meritis erga nos dignus imprimis esse videretur, cui eam dignitatem tribuerem, quemque inter Senatores Regni mei cooptarem. Eum igitur Sanctitati vestrae magnopere commendo, ab eaque peto, ut hanc renunciationem meam ratam habeat, eamque auctoritate sua confirmet, atque in ea re hoc maiorem celeritatem adhibeat, quod intelligit anno hoc toto ecclesiam illam Episcopo suo orbatam extitisse. Et quoniam fructus eius Episcopatus admodum alioqui tenues, cum semper finitimorum hostium latrociniis infesti, tum nunc hac tam longa vacatione magnopere exinaniti sint et exhausti: supplico Sanctitati vestrae, ut ei caetera sacerdotia, quae ante renunciationem ipsam obtinuit, ad Episcopatum ipsum adiiciat ac reservet, in earumque rerum expeditione eam gratiam exhibeat, quam cum virtus quidem ipsius singularis meretur, tum etiam requirunt pertenues ipsi fructus Episcopatus eius, ad quem renunciatione mea hoc tempore est designatus. Quem sane Episcopatum cum dignitate in republica mea gerere ac sustinere nulla ratione posset, nisi hoc subsidio retentionis priorum sacerdotiorum suorum a Sanctitate vestra adiutus ac sublevatus fuerit, quamquam ea quoque ipsius sacerdotia ita et numero pauca et fructu exigua sint, ut eum quoque praeterea de fructibus patrimonii sui ad tuendam eam dignitatem impendere oporteat. Fecerit mihi sane Sanctitas vestra rem gratissimam. Quod superest, Sanctitatem vestram bene valere cupio, eique me ac dominia mea studiosissime commendo. Datum Petricoviae die XXVII. mensis Martii Anno domini MDLXIII.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 23.

DCCXXXIII.

Rex Poloniae card. Farnesio Dionysium Secigniowski nominatum epum Camenecensem commendat.

Reverendissimo in Christo patri domino Alexandro Farnesio etc.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres, Rmo in Christo patri domino Alexandro de Farnesiis, miseratione divina tit. S. Laurentii in Damaso Cardinali Diacono, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario et Regni nostri protectori, amico nostro charissimo ac honorando, Salutem et omnis feli-

citatis continuum incrementum. Rm̃e in Christo pater, amice noster charissime. Excessit non ita pridem e vivis Venerabilis Petrus Arciechowski, quem proximo mense Augusto in locum demortui anno superiore Reverendi in Christo patris dñi Leonardi Ep̃i Camenecensis renunciaveramus. Cum igitur ipsius excessu Episcopatus iterum vacuus esset factus, nominavimus hoc tempore Episcopum Camenecensem Venerabilem Dionysium Secigniowski Canonicum Cracoviensis, Camenecensis et Kielcensis ecclesiarum, Secretariumque nostrum, de cuius nos virtute et probitate cum maiores ipsius versati in omni honestarum rerum, in ipsius autem potissimum bellicae gloriae studio bona spe esse iuberent, tum praécipue in hoc genere animatum nobis faciunt propriae ipsius et peculiares actiones, quibus nobis in compluribus obsequiis nostris probavit fidem ac industriam suam. Rogamus igitur Pat. vestram, ut eam renuntiationem nostram curet auctoritate Sanctae istius Sedis Apostolicae primo quoque tempore confirmari, detque operam, ut quandoquidem Episcopatus istius fructus admodum sunt tenues, et cum semper alias finitimorum hostium ac latronum insidiis ac populationibus oportuni, tum hoc praecipue tempore ob diuturniorem vacationem in maximam angustiam redacti, retentione eorum sacerdotiorum, quae obtinet, aliqua ex parte sarciri eorum tenuitas et damna illata reparari possint: fieri enim profecto non potest, ut ex solis eius Episcopatus fructibus dignitatem Episcopi et Senatoris in Regno nostro vel mediocriter saltem sustinere possit. Fecerit nobis Pat. vestra in eo rem valde gratam, quam optime valere cupimus. Datum Petricoviae die xxviii. mensis Martii Anno Domini mdlxiii. Regni vero nostri xxxiiii.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXXXIV.

Rex Poloniae pontifici, ut I. B. Pucino Lucensi secretario suo italico beneficium aliquod ecclesiasticum in eius patria conferat.

Beatissime Pater, Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Ioanne Baptista Pucino, qui est ex nobilitate Lucensi, ab aliquot annis utor pro Secretario Italicarum mearum expeditionum: quo in munere obeundo probavit mihi magnopere studium et diligentiam suam. Etsi autem opera ipsius honestis apud me stipendiis non careat, tamen cum sibi persuasisset, tantam esse meam gratiam apud Sanctitatem vestram, ut ad augendas quoque in natali eius solo fortunas ipsius momentum aliquod apud Sanctitatem vestram adferre possit, supplicavit mihi, a Sanctitate vestra ut peterem, ut in diocesi Lucensi ad aliquod sacerdotium eiusmodi, quod proxime esset vacaturum, et quod in fructu quingentos aut sexcentos annuos promitteret, aditus illi patere possit per gratiam Sanctitatis vestrae. Peto igitur a Sanctitate vestra, ut eum mea causa ita complectatur favore et gratia sua, ut et voti sui compos fieri, et quam de mea apud vestram Sanctitatem gratia opinionem concepit, in ea confirmari possit. Erit id mihi a Sanctitate vestra gratissimum. Quam bene valere, cuique me et dominia mea etiam atque etiam in patrocinium commendo. Datum Petricoviae die xiiii. mensis Aprilis Anno Domini mdlxiii.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 24.

DCCXXXV.

Rex Poloniae pontifici, ut nuntium apostolicum Romam revertentem commendatum habeat.

Beatissime in Christo pater et domine, domine amice clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Cum ex comitiis Regni mei in Lithuaniam discessurus essem propter bellum instruendum, quod mihi necessario suscipiendum esse videtur, adiit me Sanctitatis vestrae nuncius, exposuitque mihi se stationem eam, in qua a Sanctitate vestra positus est, cum huc ad me mitteretur, nolle deserere, si quid ego praesentiam illius utilem esse aut necessariam in his regionibus hoc tempore iudicarem. Ego autem cum et abfuturum me esse a Regno intelligerem, praeterea autem occupationes meas longe alias per id tempus fore providerem, quam ut nuncio Sanctitatis vestrae mecum negocia ea tractare liceat, quae sunt legationis ipsius propria, et quod summum est, finis eius belli et exitus quando futurus sit, divinare non possem, non videbam,

qua in re hoc tempore Sanctitatis vestrae opera nuncii ipsius usui apud me esse possit: itaque facile conventum inter nos est, ut is interea ad Sanctitatem vestram reverteretur. Qui quoniam mihi per totum hoc tempus probavit fidem erga Sanctitatem vestram, et diligentiam atque adeo prudentiam in tractandis iis rebus omnibus, quae ad legationem ipsius pertinere videbantur, facere non potui, quin eum Sanctitati vestrae commendarem, ab eaque peterem, ut fortunarum ornamentorumque eius Sanctitas vestra per occasionem eam rationem habeat, ut intelligat et suorum quidem meritorum et commendationis etiam meae habitam esse a Sanctitate vestra rationem. Quoniam autem Paternitas eius inter caetera fecit mihi spem, non esse Sanctitatem vestram commissuram, quin ad me, ad comitia Regni mei insequentia, nuncium aliquem ex Episcoporum item vel Cardinalium ordine missura sit, quemadmodum quidem mihi magis expedire videretur, de eo sane voluntatem meam Paternitati eius iam dixi, ut inde cum voluerit Sanctitas vestra, quid consilii mei sit, perspiciat et cognoscat. Benevalere Sanctitatem vestram, eique me et dominia mea commendata esse cupio. Datum Petricoviae die vigesima secunda mensis Aprilis Anno Domini MDLXIII.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 25.

DCCXXXVI.

Cardinalis Varmiensis cardinali Morono quaedam de episcopo Quinqueecclesiensi in concilio Tridentino refert.

Illm̃o ac Rm̃o dño, dño Ioanni Morono Mediolan. Ep̃o, Card. Prenestino, dño obserm̃o.

Rm̃e et Illm̃e Dñe, Dñe obserm̃e.

Magna contentione mecum egit Rm̃us dñus Quinqueecclesiensis Episcopus, ut saltem canon ille de Curatis sive Curionibus ab Illm̃o Dño Cardinali Lotaringo scriptus, adderetur ad alios canones de abusibus. Quod cum facere nobis integrum non esse respondissem, quandoquidem a deputatis nec examinatus, neque conscriptus esset, voluit, ut mandaremus illis, quo adscriberent. Ego vero: Deputati sunt, inquam, ab universo Concilio, si quid illis a nobis praescriberetur, statim daremus ansam vociferandi, quod non est liberum Concilium, quodque praescripto Legatorum fieret omnino. Velle quosdam cum illis commodum videretur, ut nihil aliud essemus quam tenaces, moveremur tantum, nec nos ipsi moveremus, nec ullum de rebus iudicium nostrum interponeremus: prorsus quando secus illi iudicarent, ut omnia non tam nostro, quam illorum praescripto fieri curaremus. Et multa cum eo alia egi, quemadmodum ex litterarum exemplo, quas ad Illm̃um Dñum Borromeum dedi, D. Vestra Illm̃a cognoscet: nihil enim est necesse eadem in his litteris repetere. Unde autem haec proficiscantur, facile pro sua singulari prudentia coniicere potest Illm̃a D. Vestra: minantur nescio quas turbas, quas quominus excitentur nos prohibere non possumus, praecipue si Caesareae Maiestati sic visum fuerit: quam ego tamen pro sua pietate religioneque provisuram existimo, ut eiusmodi perturbationes Concilii fieri ne permittat. Nulla res alia Germaniam in hunc, quem non sine magno dolore cernimus, statum adduxit, praeterquam quod Papas multos habuit, de quibus ipsi etiam inter se queruntur: et rem eo tandem emersisse dicunt, ut anarchiam quandam videre liceat. Quod si in hoc quoque sacro Concilio omnes Papae vel Papae Legati esse volent, non video, quomodo possit optatum habere progressum et exitum.

Cum itaque praesens isthic adsit Illm̃a D. Vestra, facere non potui, quin eam hortarer, orarem etiam literis hisce meis, quod eam sua sponte facturam non dubito, ut instet et urgeat apud Maiestatem Caesaream, ut eius authoritatem conservatam velit, cui nisi exors quaedam et prae caeteris eminens detur potestas, tot erunt schismata, quot Episcopi, si munere Legatorum fungi, si proponendi partes cuilibet sibi sumere licebit, frustra sumus hic Legati Apostolici, et erit tanta Babylon tantaque rerum omnium confusio, ut maior esse non possit. Mihi videor aequissimum responsum Rm̃o Dño Quinqueecclesiensi dedisse, in quo tamen ille non videtur acquievisse. An autem salus totius Christianae reipublicae in eo posita est, si canon de Curatis hodie proponatur patribus, et non cras? nihil aliud hac in re video, nisi meram pertinaciam. Quamquam est et aliud quiddam, quod in opinione Illm̃ae D. Vestrae relinquere, quam in epistola mea ponere malo: sed quid impedit, quominus proferam? Volunt nec deputatos deputatos, nec legatos esse legatos: sibi nescio quod imperium vendicant, quod ferri non potest.

Haec ego confidenter ad Illmam D. Vestram scribo, et sibi soli . . . . . ut esse putet, maiorem in modum peto: Quam diu salvam esse cupio meque illius gratiae commendo. Ex Tridento die III. Maii MDLXIII.

Rmae. et Illmae. D. Vestrae

Humillimus servitor
STANISLAUS Cardinalis Varmiensis.
Litt. ad Cardinalem Moronum Nro. 62.

DCCXXXVII.

Rex Poloniae pontifici, ut Gasparum Geszkau nominatum administratorem dioecesis Pomesaniensis confirmet.

Beatissime pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni ac dominiorum meorum commendationem. Vacat multo iam tempore in Ducatu Prussiae ditionis meae pars Diocesis Episcopatus Pomezaniensis, cuius sedes seu Catedra propter multa et diuturna bella iam pridem a maioribus meis cum Cruciferis gesta magna ex parte sunt desolata, et in privatos usus bellorum iniuria et calamitate distracta. Quamvis autem pars eius Diocesis michi subiecta catholicae fidei instituta hactenus semper servaverit, factum tamen est inquitate temporum, ut nonnulli subditi mei in Diocesi illa novas et erroneas opiniones imbiberint, idque malum altius radices agere ac vires suas proferre posse videtur, nisi mature obviam malo eatur: ab eo namque tempore, quo Catedra collapsa ac prophanata est, et homines sine pastoribus vivere coacti sunt. Quibus causis ego adductus, accedente etiam consilio senatorum meorum ordinis Ecclesiastici, pro mea erga catholicam Ecclesiam fide et reverentia venerabilem et religiosum Casparum Geszkau actu presbyterum, ei ipsi parti diocesis Pomezaniensis praeficiendum duxi, quem Sanctitati vestrae, quod tamen citra iniuriam et praeiudicium cuiusquam fieri velim, praesenti nomino ac reverenter oro, ut in eiusmodi parte diocesis Pomezaniensis ipsi Casparo de administratione eius clementer provideat, uti id ad officium Sanctitatis vestrae summum pastorale spectat et pertinet. Et cum iis Sanctitatem vestram bene ac foeliciter valere cupio. Datum Lomzae decima Maii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo tercio, Regni vero mei trigesimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.
Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 26.

DCCXXXVIII.

Rex Poloniae iterum a pontifice petit, ut Stan. Gabr. Narkuski nominatum episcopum Mednicensem confirmet.

Sanctissime et Beatissime in Christo pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, regni et dominiorum meorum commendationem. Mortuus est nuper in domino Reverendus olim Ioannes a Domaniow Episcopus Mednicensis in magno Ducatu meo Lithuaniae. Cupiens itaque pro officio meo prospicere, ne ecclesia Mednicensis diucius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti ad dictam ecclesiam Mednicensem Venerabilem Stanislaum Gabrielowicz Narkuski, Archidiaconum Vilnensem, Secretarium meum, virum in magno Ducatu meo Lithuaniae nobili familia natum, ac singulari probitate, sinceritate morum et vitae mansuetudine, ac rara hisce seculis in Deum et ecclesiam catholicam pietate, studio et religione ita praeditum, ut ordini ecclesiastico maxime idoneus et aptissimus esse videatur. Itaque diligenter supplico Sanctitati vestrae, ut hanc nominationem meam ratam et gratam habere, illamque auctoritate sua pontificali, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, approbare et confirmare velit: id enim et mihi erit gratissimum et ecclesiae ipsi vehementer accomodatum. Cum his paternae benevolentiae Sanctitatis vestrae me et regnum ac dominia mea diligenter commendo, illamque bene ac prospere valere cupio. Datum Lomzae die quinta mensis Novembris Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regni vero mei trigesimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius
SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.
Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 27.

DCCXXXIX.

Idem card. Farnesio, ut res electi Camenecensis commendatas habeat.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque dominus et haeres, Rmo in Christo patri dno Alexandro Farnesio miseratione divina Sanctae Romanae Ecclesiae tituli sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali et Vicecancellario, ac regni nostri protectori, amico nostro charissimo, salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum. Rme in Christo pater, domine amice noster charissime. Petieramus non ita pridem a Smo Dno nostro, ut cum Episcopatu Camenecensi, ad quem proximo Martio Rev. in Christo patrem dnum Dionysium Seczigniewski praesentaveramus, retentionem aliorum minorum sacerdotiorum, quae ante Episcopatum possidebat, et reliquorum commodorum omnium, quae iis sacerdotiis annexa sunt, ipsi admitteret propter tenues admodum et indies decrescentes Scytarum irruptionibus fructus Episcopatus illius. Nunc istic praeter annuam tantum retentionem nihil impetratum esse audimus. Quamobrem iterum Sanctitati eius scribimus, rogantes Sanctitatem eius, ut retentionem hanc eousque produci iubeat, dum per nos ei de ampliori aliquo Episcopatu provisum fuerit. Eam petitionem nostram, ut Rma Paternitas vestra curae habeat, magnopere petimus. Cum enim eius Episcopatus reditus tam tenues sint, nollemus sane videri, eum quem augere et ornare voluimus, ad inopiam redegisse: quae res etiam ad infamiam dignitatis Episcopalis vehementer redundaret. Erit id nobis a Rma Pat. vestra gratissimum, quam bene valere cupimus. Datum Vilnae die vi. Septembris Anno Domini mdlxiii. Regni vero nostri xxxiiii.

Sigismundus Augustus Rex.

Ex archivio Farnesiano Neapolitano.

DCCXL.

Excerpta ex epistolis episcopi Camerinensis ad cardinalem Moronum de rebus Polonicis durante sua legatione in Polonia scriptis ab 20. April. 1561. usque ad 19. Iunii 1563.

All'Illmo et Rmo Monsignore il Cardinale Morono, Sig. et Prone mio osser̃mo.

Illmo et Rmo Monsig. et patrone mio osser̃mo.

Rendendomi certo che con questa occasione le lettere haveranno buonissimo recapito, ho deliberato dar particolare ragguaglio a V. S. Illma non solo del stato presente delle cose di qua, ma anco del giuditio, che se ne puol fare per l'avvenire, perciò si degnarà di havermi per iscuso se con questa mia sarò longo.

La seconda settimana di Quadragesima fu dato principio al Sinodo, quale durò xi. giorni. El primo Prelato che venisse fu il nominato de Vladislavia accompagnato da due Senatori et havea 140. Cavalli, et immediate venne l'Arcivescovo per la causa del detto Nominato, et per tor via ogni lite, che potea nascere per cagione della precedenza, haveva seco 500. Cavalli, due Senatori et un figlio del Palatino morto di Posnania, il quale havea 50. Cavalli tutti ad una livrea, il medesimo quando l'Arcivescovo fu mandato dal Re a Vienna, senza ch'egli havesse a fare seco alcuna cosa spese per honorarlo 8. mila Talleri.

El Nominato di Chelma venne con 200. Cavalli et accompagnato da un Senatore. El Vescovo di Premislia havea similmente un Senatore et assai honorata compagnia de Cavalli. El Vescovo di Plosca più ricco de'denari che alcun altro et de bonissime entrate havea manco gente. El Vescovo di Cracovia alla partita di Lituania havea 200. Cavalli, ma quando gionse in Varsovia ne havea da 700. però a spese loro, tra i quali erano Senatori et altri Signori per cagione di negotiare seco, et tra gli altri il Grancancelliere, quale era venuto per trattare accordo tra S. S. Rma et Monsig. l'Arcivescovo. E veramente in questi atti publici questi Signori sono molto sontuosi, et ai forestieri ancora conviene vestire honoratamente, altrimenti non sono stimati, et tra noi Vescovi particolarmente quando eramo insieme non si mangiava mai senza Rocchetto.

Nella prima congregatione comparve il fratello del Nominato de Vlasdislavia de l'Ordine Senatorio, et come Ambasciatore di S. Maestà pregò il Sinodo a nome della medesima, che provedesse alla Chiesa periclitante, et non mancassero all'uffitio loro, che dalla parte sua non si mancaria d'ogni opportuno remedio, conoscendo già che il fine degli Heretici tende più alla seditione che alla Religione, esprimendo ciò molto eloquentemente, et questo uffitio fu fatto in pubblico, finalmente pregò che per le molte spese, quali havea S. Maestà nella Livonia fossero contenti per cortesia aiutarla. Al che fu risposto da l'Arcivescovo,

che a tempo se gli daria risposta, et ringratiò S. Maestà del buon'animo che mostrava verso la Religione. Fu poi seguito il Sinodo, nel quale sempre si sono trattate cose pie et catholiche, come saria a dire, che li Vescovi prima che provegghino al gregge, reformino le case loro, che se tenga buona cura de' Predicatori, che si riformino le scole et se ne istituischino delle nuove, perchè in queste tutti li Nobili vi mandano li figli, et essi habitano alle Ville loro. Onde nelle Città e Terre non habitano se non Mercanti, Artegiani, Preti et turba de Secolari, et a questo effetto hanno ordinati che si supplichi a Nostro Signore che ad ogni Collegiata vogli applicare per li dotti, che resedino, alcune prebende et per li scolari li frutti de molte Chiese che nominaranno, reservando quello che basti per l'uffitiare. E certo sarà buon'opera a placare l'animo dei Nobili, maxime dei Poveri, et io ho promesso che S. Santità non negarà cosa alcuna, che torni in utilità della Religione. Si è ordinato che li Vescovi con carezze et conviti cerchino de ritrarre gli Heretici, et così bisogna fare con questi popoli liberissimi, poi si proceda secondo li Canoni, ma nell'esseguitione di questo et delle Chiese spogliate, et restitutione ai Vescovi della giurisditione loro a nessuno è parso, che prima ch'il Re torni in Polonia se innovi alcuna cosa per non mettere troppa carne al fuoco. Si è scritto a S. Maestà che faccia elettione dei Senatori, Capitani et altri Ufficiali Catholici, che non lasci più stampare opere d'Heretici, che bandisca gli Heretici forastieri, et dei paesani ne mandi al Concilio, acciò con li voti de tutta Christianità si chiarischino del vero. Che si levino gli abusi particolari delle Chiese loro, ma la dottrina e consuetudine generale della Chiesa, se ad alcuno non par buona, se remetta la dechiaratione al Concilio universale.

Delli Preti di Iesu se bene si è operato assai l'Arcivescovo, non si è potuto ottenere che venghino, con dire che se gli huomini da bene saranno remunerati, non mancaranno in questo Regno huomini che pigliaranno tal cura de istituire la gioventù dandosi loro li suddetti benifitii, et in questo io non gli ho voluto irritare, sendo questa natione altiera et gloriosa, et perciò vorrei che quando l'Arcivescovo o altro Vescovo scrive a V. S. Illma gli rispondesse sempre gratamente, sì perchè l'Arcivescovo è potente Signore e tale, che nel Stato suo fa mille Cavalli, et i servitori gli giurano fedeltà come al Re, et il Maiordomo, quale loro chiamano Marescial, è Senatore, et appresso d'ognuno è di grandissima autorità, si anche perchè ricerca così la libertà et alterezza di questa natione. Supplicano ultimamente che l'Arcivescovo non lasci in questi tumulti il Regno, et il Vescovo di Cracovia non si strenga per l'uffitio. Onde sendo Plosca homai decrepito, et Posnania già due anni in letto, hanno deputati per l'andata al Concilio il Nominato di Vladislavia et il Vescovo di Premislia, con dire che meno al Concilio di Costanza furono più di tre, et per il terzo Nostro Signore si serve del Varmiense, che non è tanto necessario quì per non potere tanto giovare, sendo quel Vescovato in Prussia, et lui nato forastiero. L'altro Vescovato di Prussia che è Culmense per l'assentia del Varmiense non puol lassare, anzi si lamentano ch'egli ne stia tanto tempo fuora, non si potendo per legge loro essercitare gli giudici senza l'assistenza d'un Vescovo, a che Culmense con difficoltà supplisce: et già in Vilna il Vescovo di Cracovia me ne parlò, dicendo che quei popoli si doleano, che mancasse loro un Consigliero. Però vedendo io che di quà non possono andare se non li due sopradetti, ho resoluto che vadino due Abbati ancora con Mitra, se bene essi storcevano un poco, con dire che non andorno a Costanza. Tre dì di poi che questi Vescovi furono eletti dal Sinodo, vennero lettere dal Re, che eleggeva per Ambasciatore Ecclesiastico al Concilio il Nominato di Vladislavia, come già l'altra volta era stato decretato, et per il Palatino di Cracovia, che hora è morto et era eletto per il secolare, nei Comitii deliberaria chi havesse ad essere. Resta dunque che V. S. Illma mi consigli o commandi se vuole, che facendosi in breve i Comitii intervenga in essi questi due Vescovi, quali sono due Senatori de importanza, o pur li mandi adesso confirmato che sia Vladislavia, perchè il parere mio saria, acciò si vedesse che di Polonia va alcuno al Concilio, mandare hora questi due Abbati, et i Vescovi et Ambasciatori andassero di poi la Conventione di consenso del Re et Senato insieme, perchè quì gli Abbati non hanno voto nella conventione, et i Vescovi giovariano, essendo che sono di grande autorità, parentado et amicitie, et nei consigli sempre sono seguitati li primi voti quando sono x. o xii. conformi, maxime in questo Regno ove nelle cose ordinarie tutta l'autorità è nel Re, Vescovi, Palatini et Castellani, quali tutti si chiamano Senatori. Li Capitani che sono li Governatori et li Segretarii entrano in Consiglio, ma non hanno voto, per il che mai si potria mutare un Stato senza il consiglio de'Senatori, ma non potriano questi deliberare una guerra o innovare cosa, che legasse tutti senza il consenso di quelli, quali ho detto non haver voto, et dei Nobili chiamati altrimenti Ordine equestre; però vorrei che li Vescovi et Ambasciatori partissero di poi li Comitii mandati da tutti, quali presto si saperà se si haveranno da fare, dove et quando.

Io mandai, come già le scrissi il mio Notario et un Commissario ad esaminare nella Diocesi di Chelma et fuori le persone Illustri et altri, i quali erano informati della vita et costumi del Nominato di Vladislavia, perchè esso voleva esser giudicato per via di giustitia quanto alla vita et dottrina sua, rimettendosegli questa inconsiderata protesta, che fece sendo citato dall'Uffitiale dell'Inquisitione a comparire a Roma a dar conto di sè, et in essa citatione dichiarato heretico simpliciter, il che fu cagione ancora che gli sia di rarissimo esempio, che scappasse in quella protesta, intorno a che se bene si puol credere, che quelli Padri della Inquisitione si muovessero con buon zelo a fare quella citatione, certamente quel zelo non fu con prudenza dechiarandolo prima ch'egli si potesse giustificare; nè quel giuramento di servare gli articoli di Lovania, ch'esso negò al Vescovo di Verona, dal qual hebbe origine la persecutione, era necessario. Però veduti i detti dei Testimonii et molti oretenus oditi, ho giudicato essere irritamente molestato, et essere Vescovo Catholico, et le mando la copia de l'essamine, la sententia et la richiesta fattami dal suo Capitolo e Prelati, et non so di qual altro Vescovo hoggi si potesse provare tanto, così del celebrare, come dell'intervenire agl'uffitii, del resistere a gli Heretici, del dare elemosine, istituire Collegii di Scolari, predicare et altre opere pie, et quello che è degno di meraviglia, è che siano in favor suo la famiglia de Conti di Tenczin, cioè il Palatino di Cracovia morto, el Palatino di Lublino, e l'altra parte cioè il Conte di Tornow Grancapitano, el Palatino di Sandomirio et el Grancancelliere. Ma questo è il premio della virtù, che ognuno è forzato a lodarla. Ho voluto mandare tutte queste scritture, acciò si chiarisca ognuno della verità et acciò Sua Santità più presto spedisca le Chiese, sì perchè il predetto Vescovo et Ambasciatore possi satisfatto andar al Concilio, et sì ancora perchè il Nominato di Chelma huomo nobilissimo non stia più lungamente speso, il quale non ha errato, nè si è intruso nell'amministratione, di che io in principio non ero informato, et tutti li frutti sono ancora in mano del Capitano della città, cioè del Governatore, et in oltre, perchè uno de questi è vecchio et l'altro in via de hidropico, et acciò non si mettesse tempo nella speditione, per ogni buon rispetto io ho ordinato, non havendo Vladislavia li denari in contanti, che il mio agente faccia la speditione coi miei denari che sono in Roma, li quali se per sorte non bastassero, M. Francesco Formenti prometta le mie provisioni, e se non vorrà fare questo, si piglino a compagnia di Uffitio in mio nome, acciò non si ritardi, et il Vescovo se obbliga in cinque mesi per rata restituirmegli, e di questo me ne ha assigurato.

Ho dato anco presto la sententia, acciò nel Sinodo non nascesse controversia per le precedentie, che qui molto vi guardano, et perchè vi potesse intervenire il Nominato di Chelma, che così si usa nella Conventione, et si è sempre osservato nel Sinodo, et me ne faceano grande instantia l'Arcivescovo et il Grancancelliere, et perciò la detti avanti si cominciasse il Sinodo. Però mi resta a supplicarla quanto posso, che veda si spedischino presto queste Chiese, et non si facciano stare questi servitori mandati perciò longo tempo in spesa.

Nell'ultima Sessione del Sinodo l'Oricovio molto nobile, è reputato il primo letterato di questo Regno, fece una bellissima oratione, della quale mando copia, perchè servirà per istruttione della sua opinione, alla presentia del Clero, dei Senatori e molti Gentil'huomini del Regno, et forastieri che vi erano concorsi, et se bene l'oratione che io prima havevo veduta mi era parsa notabile, nondimeno quando fu recitata con quelle attioni, con quelli affetti lacrimosi e con bella pronuntia, ricordando l'impeto che sollevò nei Comitii contro gli Ecclesiastici, riuscì mirabile con satisfattione universale. El caso suo è che sendo mandato da suo padre sotto la disciplina di Martino Luthero per burla prese gli ordini sagri, et de lì a poco prese moglie nobilissima di padre e madre, della quale ha molti figli, nè saria per lassarla per il gran scandalo che ne seguiria per l'honore di quelle famiglie, sendo grandissimi travagli nei Comitii per questo caso. Per il che il Vescovo di Premislia morto l'havea non solo scommunicato, ma dichiarato heretico con molte altre pene, le quali non pretende la Nobiltà che li Vescovi le possino errogare. Me dice l'Arcivescovo che il Re supplicò a Papa Giulio che lo dispensasse, non essendo più ingerito nelle cose sagre, et havendo spontaneamente resignato li benefitii, oltre che era persona, che nel'Ordine Ecclesiastico et nella Religione poteva fare utile assai. El Papa promesse compiacere Sua Maestà, ma voleva che prima scrivesse, et si vedesse in pubblico qualche opera sua contro gli Heretici. Morse intanto Giulio, talchè e per questo e per la malignità dei tempi la cosa è scorsa sin quì, ma dalla parte sua non ha mancato, perchè oltre allo scrivere continuamente contro la dottrina degli Heretici, è di continuo con loro alle mani, nè è in questo Regno altro che li travagli più di lui, e con sua authorità ritrahe da loro molti Nobili. Però sendo venuto di lontano 400. miglia et istando, che io vedessi il caso suo, mi so risoluto rimettendo sempre

l'opinione mia a Sua Santità et ad ogni persona che senta meglio di me, che in quel caso il Vescovo lo potea scommunicare, ma non dichiarare heretico simpliciter, perchè all'heresia si ricerca error in intellectu in his, quae sunt fidei, cum pertinacia, le quali cose non concorrono tutte in questo, però ho cancellata la dannatione dell'heresia, et havendone fatto un'instrumento pubblico che sottomette questa sua opinione di poter difendere, che gli sia lecito vivere con la moglie non se intromettendo nelle cose sagre, alla dechiaratione di Nostro Signore over del Concilio generale fin tanto ho sospeso la scommunica. Per questo il Sinodo et tutti li Catholici supplicano a Sua Beatitudine che si contenta dispensarlo, et totalmente guadagnare quest'huomo che combatte per la Religione.

Quando mi pareva che l'animo del Re et di molti Grandi fosse ben stabilito, posto in gran dubio il Palatino di Vilna, et fatto un Sinodo dal quale se ne potesse sperare qualche frutto, ecco il Diavolo, che non manca mai di fare l'uffitio suo, et Dio lo permette per i peccati dei popoli. El dì che li Prelati et Senatori voleano partire, ecco un staffetta del Re, con la quale dava avviso, che gli Ambasciatori suoi mandati in Moscovia haveano dai confini spedito in fretta, et fatto intendere a Sua Maestà qualmente il Moscovita s'era sdegnato, che la medesima sotto pretesto d'essere di diversa Religione non li volesse dar la sorella, sendo che altre volte havevano parentato insieme. Et quanto alla restitutione della Livonia non solamente non si volea consentire, ma la voleva tutta, pretendendo che fosse antica colonia della sua natione, et havea detto, che facesse il Re quanto volea, che se bene havesse in suo favore l'Imperatore dei Turchi et quel dei Christiani, voleva recuperare il suo, et quello che era peggio, in Riga principal città di quella provincia non ostante il commandamento del Gran Maestro et de l'Arcivescovo non haveano voluto ricevere le genti et munitioni del Re. Per il che si facea coniettura che in Livonia fosse qualche intendimento, che per le mercantie praticano assai coi Moscoviti. Per questo Sua Maestà domandava consiglio. Li Senatori si fermarono et stettero due giorni insieme, conclusero che sendo questa cosa nuova, se Sua Maestà non torna et faccia i Comitii, non haverà aiuto, et la Lituania con 60. mila cavalli, che puol fare, et 30. over 40. mila che se obbligò a dare un'Imperatore de'Tartari, quando io era in Vilna, non è sufficiente a mantenere questa guerra, perchè se altre volte soleva venire il Moscovita con 80. ovver 100. mila cavalli, hora quei popoli Aquilonari son cresciuti, di più hanno sottomessi tre Imperatori de'Tartari, ai quali altre volte lor davano tributo, talchè viene sempre con 200. mila huomini. Però hanno scritto a Sua Maestà che pareria loro, che dovesse venire in un luoco confine al Regno di Polonia, ove si potria trattare del soccorso, e non se allontanaria molto dalla Lituania, et vagliono più 20. mila cavalli armati polacchi, che 100. mila de quelli, oltre che la Polonia ne faccia 100. mila, de'quali ne caverà sempre 60. mila Nobili et bonissimi. Si crede che il Re verrà, se ben lo fa mal volentieri, et il Vescovo di Cracovia per non correre rischio di lassare l'uffitio, ch'è incompatibile con quel Vescovato, ne lo retrahe, et per questo sono differiti i Comitii questo inverno passato, benchè sia tanto il suo favore, che per ogni modo si stima che restarà ne l'uffitio, ma il dolore mio è che havendo a star fuora il Re per la guerra, e volendosi servire dei Nobili nei Comitii non gli sia forza concedergli libertà, che vivono a voglia loro, o almeno quel buon principio che s'era fatto, e l'animo che mostrava il Re, non habbia essecutione, succedea questo che per mettere d'accordo l'Arcivescovo et il Vescovo di Cracovia, et così nella conventione senza difficoltà gli restava l'uffitio, haveva Sua Maestà fatto venire in Varsavia il Grancancelliere, et dato il suo Palazzo ad ambidue, acciò conversassero insieme, sendosi più volte visitati et convitatisi amorevolmente, et havendo il Vescovo di Cracovia dopo molti uffitii che io ne havevo fatti, promesso che l'Arcivescovo havria la parte sua in questi Consigli, son venuti a parole per bagattelle, quali saria cosa lunga il descrivere, talmente che la mattina seguente erano per partirsi senza parlarsi, se non che il Nominato di Vladislavia vi fu la notte, et fece tanto che il Vescovo di Cracovia andò la mattina a trovare l'Arcivescovo, et l'accompagnò a messa, et così hanno detto volere essere amici, ma non so quello succederà, temo bene che da questo non piglino animo gli Heretici, et forse i quali sicome mostra il Conte di Tornow savio vecchio nelle lettere che scrive ad ambidue questi Prelati, essortandogli a tenersi insieme, sendo gli Heretici molto sbattuti, sì perchè vedono l'animo del Re inclinato alla parte Catholica, come per essere il Palatino di Vilna spogliato d'ogni autorità nel Regno, et inoltre per l'autorità del Vescovo di Cracovia il quale ha potuto fare solo quello, a che l'Arcivescovo quando havea l'uffitio, et il Grancancelliere insieme non erano stati sufficienti, cioè di levare il Grancameriere et alcuni segretarietti heretici, quali havea S. Maestà che tutti son iti a spasso. Onde non resta loro altra speranza, che la discordia et l'odio che è tra loro. Però noi havemo a fare il debito nostro et lassare la cura a Dio che è causa sua. La cagione di questo

sdegno è che sendo l'Arcivescovo persona di grandissimo seguito et desideroso di giovare altrui, si vede chiusa la strada dal favore del Vescovo di Cracovia di potere gratificare gli amici et suoi parenti, sendo che tutti li honori et utili soliti a destribuirsi tra i Nobili, il Vescovo di Cracovia distribuisce ad amici suoi escludendone del tutto gli aderenti et seguaci de l'Arcivescovo.

Io son voluto tornare in Cracovia, se bene ai Comitii fossi certo che mi convenisse ritornare in Varsavia, giudicando che ivi non sarei potuto stare con honore della Sede Apostolica, non vi essendo persona di conditione, nè occasione di giovare alla Religione come in Cracovia, che per essere Capo del Regno vi viene di continuo qualche Senatore, come fanno li Baroni a Napoli, et penso sia bene che N. Sig. tenga in questo Regno il suo Nuntio fin che sia spedita la conventione, acciò in questi bisogni che haverà il Re per cagione della guerra, sia S. Maestà più riservata per la presentia del Nuntio a fare qualche Decreto in favore dei Nobili contro li Statuti del Regno in pregiudizio della Religione, come saria il concedere, che quanto all'anima a ciascuno fosse licito a vivere a voglia et arbitrio suo, per il che altre volte si sono offerti pagare 300. mila fiorini per non correre risigo di perdere facoltade et gradi. Et de li poi il Nuntio con amorevolezza e desiderio di lui sendosi reso grato si licentii. Ma in evento che per qualche sinistro accidente, o per essere consigliata così S. Maestà si ritrahesse dal far i comitii, giudico che sempre che siano mandati i Prelati et Ambasciatori al Concilio questa spesa de tenere qui Nuntio saria superflua, et V. S. Illma sia certa, che io le parlo con sincero cuore, che quanto ai pericoli, fastidii et disagi della persona mia quì, ho rimesso il tutto in man di Dio, questo dico, perchè non stando el Re in Polonia, overo stando il Nuntio in Lituania poco frutto si potria fare in questo Regno, et bastaria haver dato il complimento a quelli Uffitii che si son fatti con Sua Maestà, confirmati li Senatori Catholici e spedite le cose del Concilio, si haveria poi d'havere questa cura, ogni due o tre anni che si faranno i Comitii fare una rivista per quelli due mesi, al che potria supplire un Prelato honorato che è solita S. S. tenere in Vienna, il quale oltre il venirsene honoratamente havesse amplissima facoltade per gratificare i grandi et i buoni, che stimano la coscientia, perchè gli Heretici non la prezzano, e gli altri fanno mille contratti illiciti, gli abusi de quali bisogna per hora tolerare per non incorrere in maggior disturbo. Et questo che verrà con tale autorità non perderà della spesa, perchè quà costumano il denaro, et è loro grato non havere a mandare a Roma, dove danno poco commertio, et ce vanno con gran spesa et pericolo per la natura loro, et pure a questi mesi passati l'Arcivescovo di Leopoli che non è molto ricco mandava un servitore coi denari per la speditione, il quale fu ammazzato nel Frioli, et questi simili casi li adducano poi in essempio. La Signoria di Venetia ha poi fatto giustitiare i malfattori et recuperati parte dei denari, ma non ancora non li ha potuto rehavere, ha remandato li altri per un Corriere, e non ne ha ancora nuova. Però se saranno comparsi, supplico V. S. Illma che aiuti questa speditione, acciò non habbia intertenimento, perchè sebene non è molto letterato, è di buona vita et di nobilissimo sangue, et il fratello ha per moglie una cugina de l'Arcivescovo, è ben voluto, et è buon Catholico.

Ho dato il breve di Livonia al Vescovo di Cracovia, e la copia con una lettera al Re, nella quale gli do avviso, che Nostro Signore ha fatto quanto S. Maestà ha ricordato, et una al Gran Maestro di Livonia, che consideri quanti mali assaltono quelle provincie che lassano l'obedientia della Chiesa Catholica, et quanto più le persone devono confidare di remettere le conscientie loro alla determinatione del Concilio, al quale S. S. Illma dovea mandare per la salute di quel Stato, ch'ai particolari, l'opinione de' quali per lo più sono rette dal proprio interesse. E perchè qui confermo assai li Catholici, et convenco alcuno Heretico, dimostrandoglie quanto sieno diverse ne l'opinione le sette loro, et a l'incontro l'unione di tanti letterati de diverse provincie che vanno al Concilio, quali tutti concorgano in una sententia. Vorria che non intervenisse a questo Concilio com'al passato, dove se non fossero stati li Theologi Spagnuoli, Tedeschi, et Fiaminghi mandati dall'Imperatore et Prelati, sariano stati pochissimi li nostri, perchè li Mendicanti Generali per non far spesa, et per non far danno alli valenthuomini levandogli dai studii et reggenze loro, ne haveano pochissimi, et noi havemo bisogno, che per reputatione adesso vi sia gran numero de Dotti. Vorria anco una altra cosa, quando paresse buona, che si come in Trento all'hora tutti li Theologi poco disputando l'opinione heretiche diceano le loro sententie Catholiche, hora si tenesse un altra via, cioè che se li Tedeschi et altri verranno, si deputino alcuni, che dieno loro risposta et faccino costare la verità, ma quando non venissero Tedeschi per satisfare alle altre nationi che hanno di bisogno, si deputassero alcuni, quali con ogni diligenza argomentassero quanto da gli Heretici si dice, et per la parte catholica si convincessero, come fu fatto nel Concilio Fiorentino tra Greci et Latini, et così si togliesse loro

questa cavillatione, che mai siano state odite le ragioni loro, perchè non mancano huomini di questo Regno et altri senza li Tedeschi che verranno ad odire, et qui hanno già deliberato a mandare degli Heretici, et così haveranno almeno questa contentezza che si bene nou disputaranno, vederanno addotte le ragioni loro disputate et in tutto convinte.

Ho havuto piacere che V. S. Illma me habbia scritta la cagione della cattura di Pisa, perchè qui s'intende ogni cosa, e piace che si faccia la giustitia, et è buono che io ne possa dar conto.

È vero che alcuna volta ho scritto strettameute, come fu per l'Unione del Vescovo di Plosca, perchè quaudo mi vien domandato da un Signore una cosa insolita, io ne fo una parola per intendere l'animo di N. S. riservando poi di scrivere il tutto a lungo, quando le cose sono mature.

Quaudo me occorrerà scrivere a V. S. Illma per qualche speditione, se degnarà dare l'ordine che le piacerà, et del resto lassarà la cura al mio Agente, quale tengo in Roma per simili effetti, et egli farà sempre le spese che occorreranno da farsi, che so molto bene che le persone di Palazzo han pur troppo fare senza attendere a questi negotii; ben la supplico che si degni dargli adito, e vederlo volentieri. In Lituania sono quattro Vescovati Vilnense, Samogitiense, Luceorieuse e Chioviense. Li Vescovi de' tre primi sono vecchissimi, et il quarto sono cinque anni che fu nominato dal Re, e mai ha domandata confirmatioue. Questo Vescovato è presso la Palude Meotide, e per dir meglio nella Taurica Chersonesso, ha 200. fiorini d'entrata, ma egli è stimato assai, se bene vale sì poco per essere Senatore di questo Stato. Di questo mi dolsi col Re, pregandolo che sendo lui sospetto d'heresia, nè volendo far quanto se gli conveniva, nominasse un altro. Al che mi rispose, che nou havendo questo Vescovato gregge, per essere la maggior parte sotto la legge Greca, che così è gran parte di Lituania, et il restante quasi tutti Gentili, et quelli pochi Christiani che vi sono per il più Heretici, non vi havea posta più cura, che tanto et doppo molte parole havuto sopra questo mi pregò, che avanti egli nominasse altri, io li scrivessi una lettera ammonendolo, il che se bene per molte ragioni a me non piaceva, per satisfarlo gli la scrissi, della quale mando copia, et me dicono questi che sono venuti di Lituania, che mi rispondeva da Heretico par suo, ma havendo prima mandato la lettera al Palatino di Vilna, che la vedesse per essere suo parente, non ha voluto che la mandi. Mi sarà hora caro d'intendere s'io ho da sollecitare Sua Maestà che nomini un'altro, et in questo desidero il parere di V. S. Illma, perchè penso che seguendo questa guerra il Re non ne farà altro, perchè haverà gran bisogno del Palatino, così per il consiglio come per le forze sue, sendo che nella guerra, dove interviene la persona del Re, come Palatino di Vilua, Marescial et Governatore di Lituania, et inoltre per esser Duca ha da pagare del suo 1800. Cavalli, nè potrà altrimenti andare al Concilio come ei desidera e S. Maestà n'era risoluta.

Io sarei andato al Conte di Tarnow, ma trovandosi 80. miglia lontano darei troppo che dire alla gente, ma per mostrare di haverlo in consideratione conforme a quanto mi scrive V. S. Illma mandarò mio Nipote a visitarlo, et ragguagliarlo delle cose fatte con una buona lettera mia. Questo vecchio al tempo che il Re era mal disposto, teneva gran pratiche d'essere Re, et forse per le qualità sue gli saria riuscito, ma è decrepito, nè penso sia per haver vita a bastanza, perchè Dio gratia il Re è sano, et de età de quarantuno anno, et in caso che venisse a morte, questo Regno saria per travagliare, perchè la Russia, dove molti sono de fede Greca, desiderono il Moscovita; la Polonia maggiore, il figlio del Re Giovanni d'Ongaria, quale è nipote di S. Maestà et saria aiutato da' Turchi et Valacchi; ma la maggior parte accettaria un figlio del'Imperatore, se bene l'hanno in odio per le gravezze che pone alli sudditi, et a questo li potria indurre il riunire la Slesia a questo Regno, quale per dote fu data da questi Re a quelli di Boemia. Però desiderano da Dio che S. Maestà habbia un figlio maschio.

Mando una lettera della Regina a Nostro Signore, la quale si è guasta uu poco in un mio forziero che per viaggio è cascato nell'acqua, però mi havrà per iscuso già che con essa si son guaste anco le mie vesti. Mando anco un ragguaglio de l'ordine di questa Republica, et dei Mobili che io ho veduti di S. Maestà per non lassare cosa addietro con questa occasione. Nel Sinodo si è deliberato un donativo al Re de 60. mila Talleri. Che essendo il fine di questa con basciargli humilmente la mano resto pregandoglie ogni felicità. Di Cracovia il xx. di Aprile del 1561.

La supplico che mi scusi con N. S. de quanto scrivo del tenere el Nuntio qui, perchè non vorria che pensassero che a me non piacesse la sententia o forsi per altro me tenesse mal satisfatto, sendo che quanto io scrivo non lo faccia per altro se non per dire quanto mi pare vero et bono per chi servo et io son per stare quanto li piace, se li pare altrimente, si degnarà veder quanto io scrivo del stato

di questo Regno, et così del Re, et poi mandarla all' Illm̃o Boromeo, degnisi anco pensando dar' a me tre hore audienza benignamente legger questa longa lettera, et per mia satisfattione veder questi verissimi testimonii per il Nominato di Vladislavia.

Cracovia, 10 Maggio 1561.

Havendo io scritto a longo per la posta delli 19. del passato et duplicato el medesimo per quelli servitori delli nominati Vescovi che vengono a far la espeditione, et dopoi alli 26. mandai una lettera del Grancancelliero all' Illm̃o Borromeo, hora non ho altro che scrivere se non mandarli quanto me rescrive la Maestà del Re, si in el breve de Livonia, come anco in el Cardinalato del Varmiense, circa el quale attenderò a quietare l' animo de questi signori Senatori Catholici, che per el respetto de loro statuti non lo senteno, maximamente el Grancancelliero, et anco allegano che ha dato gran campo alli heretici de dir contro li sui scritti; per questo con mio despiacere intendo dalla Corte che la guerra con el Moschovita andarà avanti, et gia la Maestà del Re ha sborsato el denaro per otto millia cavalli pollacchi, talmente che con doi millia che ne ha della corte sua, et venti millia ne capa de quelli de Lituania, Sua Maestà harrà 30. millia cavalli, et dicono che andarà in persona, se crede in Livonia, perche li è la guerra adesso, et tra Sua Maestà et el Moscovita dura la tregua per li stati loro fino al giorno de Santa Maria de Marzo che viene. Se dice che mandarà qui la Regina et le Serenissime infanti cioè le sorelle.

Sento fastidio che l' Arcivescovo de Leopoli, el quale dopo che fu ammazzato el suo mandato et toltoli li denari, ha remandati l' altri, et li Soderini mostrano li avisi che sono piu de tre mesi che l' hanno fatti pagare in mano de Monsig. Giorgio Tencin Pollacco ch' è Cameriere de Nostro Signore. Et questo gentilhomo non ha aviso alcuno della sua espeditione, però io desideraria che Vostra Signoria Illm̃a facesse trovar questa faccenda, et se provedesse che questa chiesa non stesse tanto tempo così. Quando io sarrò chiaro che la Maestà del Re al tempo suo non sia per venir alle comitie, io procurarò la electione dell' Ambasciatore secolare, et che li prelati con esso vadino al Concilio, el che fatto che sarrà, Sua Santità deliberarà de me quanto li piacera. È ben vero che questo penso non se possa sapere prima de Agosto che questo è il solito, et a tutti Santi se comenciano le comitie. Questa matina ho havuta una lettera del Signor Cannobio de Vienna, in la quale me scrive che tra dieci giorni sarrà qui con me per passare poi al Moscovita per intimarli el Concilio, in questo mezzo ch' io li faccia ponnere in ordine le cose necessarie per el viaggio alla Corte, et a bocca me dirrà molte particolarità, pero aspetto questo gentilhomo con gran desiderio, ma in questa faccenda se li piacerà de seguire el conseglio mio, sarria questo, che se ne stesse a presso de me senza sua spesa, et qui spettasse la resposta dalla Corte, dove io scriveria che la Santità de Nostro Signor come ha chiamato li heretici al Concilio, cosi anco non vole lassar li scismatici per far tutto quello che conviene al suo offitio, et per questo manda questo gentilhomo al Moscovita, el quale ha commissione da Sua Beatitudine che in tutto quello che poterà far servitio a Sua Maestà, in nome suo el faccia, et in tutto poi se vaglia et del favor et del conseglio, et questo offitio secondo el costume de questo paese et del Re è necessario, et cosi volsero li Palatini et Grancancelliero che facessi io avanti la mia andata, et dicessi la causa et aspettassi la resposta, tanto piu se deve fare hoggi che sono questi romori de guerra, et me recordo che al tempo della felice memoria de Giulio sendo qualche maneggio de far Re el Moscovita, el Re de Pollonia mandò un Ambasciatore in Roma per impedir, onde conseglíando Giulio con Marcello li disse questo, che era meglio mantener Pollonia fermo che metterlo in dubbio per el Greco, che dodeci volte havea mancato alla Chiesa Romana, si che li dirò la mia opinione, et poi se deliberarà come li piace, et non mancarò d' aiutarlo in la corte et qui de quello che potrò, et con questo li baso le mani ecc.

Cracovia, 24 Maggio 1561.

Mando la copia de una lettera che me scrive la Maestà del Re tanto circa el Cardinalato del Varmiense, come circa el mandare delli Abbati adesso al Concilio et intertenere qualche tempo li Vescovi, per il che me pare da considerare che S. M. habbia qualche animo al tempo suo far le comitie e servirsene.

Hoggi sono quindeci giorni che scrissi quanto me occorreva, et particolarmente mandai doi lettere della Maestà del Re a Nostro Signor et doi a Puteo, et doi altre a Farnese per la espeditione delli doi nominati Vescovi de Wladislavia et Chelma, pero io supplico Vostra Signoria Illm̃a sia contenta aiutare queste espeditioni.

El Signor Cannobbio me ha scritto che parteria da Vienna alli 18. de questo, talchè l'aspetto de giorno in giorno, et se bene io ho scritto che l'animo mio saria che non partessi da me fintanto che non harremo la resposta dalla Corte, dove io ho avisato la sua speditione. Hora io ho animo come sarrà un poco reposato qui, et fatta la provisione delle cose necessarie per quel viaggio, che subito vada via, benche in questo mezzo potria venir la resposta dalla corte, sendo tardata tanto la sua venuta quì, la causa è che sendo tornato qui el Grancancelliero, io l' ho dimandato el suo parere, et me ha detto che lo mandi subito senza spettar la resposta, et guardar a quello che è consueto de farsene, perche hora è qualche occasione ch' el se potria servir della sua andata. De piu me deliberò così, perchè el Re, come se dice, deve partir con l' essercito el primo dì de Luglio, et me pare necessario che arrivi qualche dì prima che sia la furia delle genti et delli negotii per la partita, et ce potremo scusare con el Vescovo de Cracovia per quello ne ha detto el Grancancelliero, se va senza spettar resposta. Mandai mio nepote, come già scrissi, al Conte de Tarnow, et fu bonissimo offitio, come potrà veder Vostra Signoria Illma in le copie delle lettere che me scriveno el padre et el figliolo, et de piu a bocca me mandò a dire, come accenna in la lettera che volea venir a trovarmi per metter un mezzo avanti, con el quale pensava che dovesse pacificare questo Regno, et certamente se io havesse creduto la sua morte dovere esser cosi subita, per conto alcuno sarria restato che non fosse andato in persona a trovarlo, ma per bene fu fatto el tutto. Quanto rengratio Dio si è che sendo stato questo Signor l'anni passati infesto alla chiesa si per la molestia data al Nominato de Wladislavia, come ancora per certi despiaceri recevuti dal Vescovo de Cracovia passato; hora aiutava assai la religione, et in questo ultimo era molto vessato dalli Heretici et quelli de casa ce l'aiutavano; ma el Signor Dio che non abbandona chi ha bona mente, fece in quel ponto comparere lì el Vescovo Camenacense, el quale andava per far la oratione in l'essequie del Palatino de Podolia et Granmarescial, nepote de questo Conte, per la morte del quale esso anco è morto, et questo bon Vescovo in presentia de gran gente che stava discosto del letto, el confessò et poi lo communicò et fece tutti li ordini della Santa Chiesa, el che è stato de gran importantia, come sarrebbe stato per la parte contraria, quando fosse mancato altrimente, sendo chiamato pater patrie de l' una et l'altra parte. Adesso io ho scritto una lettera al figliolo, de quel tenore che potrà vedere in la copia, et faccio opera con el Palatino de Sandomirio che è zio carnale della moglie, acciò resti con li Catholici, perchè se ben non è de molto valore per esser figliolo de tanto patre et ricco de 50 overo 60 millia fiorini de entrata, darrebbe gran favore alla parte contraria. Sendo mancati in otto mesi questo Conte, el Palatino de Cracovia, et el Palatino de Podolia gran Marescial, resta el governo in mano del Palatino de Sandomirio et Grancancellieri et le persone ecclesiastiche, et se bene la perdita de questi tre è stata grande, non se vede però che li adversarii possino farce stando il Re in questi termini che mostra gran danno, perchè hanno per capo el Palatino de Posnania, el quale se ben è ricco, non ha tanto seguito nel Senato che possa far mutar el stato. El Palatino de Vilna se ben non posso dir de haverlo convertito, è assai che non fa quelli cattivi offitii che faceva prima, et el Palatino de Sandomirio me ha rengraziato che dapoi io son stato a Vilna, quando li scrive, dice che non li dà più fastidio in le cose della Religione come faceva; de più ho visto che non volse, quell' heretico del nominato de Chiovia me scrivesse, come facea, et ha detto voler star alla determinatione del Concilio. Non voglio mancare de dire, che'l Re questo anno se è communicato in publico a l'altare per mano del Vescovo de Cracovia, et non in una cappella secreta come faceva prima, et molte volte con la protestatione, perchè non se li dava la communione in utraque specie. Uno che è venuto questa mattina da Vilna me dice, come è la fama publica ancora che 'l Re andarà in persona alla guerra el primo dì de Luglio, ma molti pensano che Sua Maestà dia questo nome acciò vadino assai nobili come fece l' altra volta che andò in Livonia, dove erano 4. millia cavalli senza pagamento, quali valeano per li 15 millia pagati, anzi credeno che quando harrà inviato l'essercito sia per tornar in Pollonia per far le comitie al suo tempo, et non desprezzare totalmente el Regno, mancando hora el Castellano et Palatino de Cracovia doi prime persone del Regno, el Palatino de Podolia el Grancapitano et Granmarescial.

Cracovia, 30 Maggio 1561.

Venne Monsig. Cannobio hoggi sonno otto giorni, in li quali ho fatto provederlo de quello che è necessario per el suo viaggio speditamente, sì perche la Maestà del Re dice de partire coll' essercito el primo de Luglio, et sarebbe bene che fosse lì qualche giorno prima, sì anco per le parole che ho scritte haverme ditte el Grancancelliero avanti la sua venuta, che l' inviasse subito che era qui, per-

che potria esser a tempo de fare qualche servitio, el che io credo per quello che posso considerare dalla lettera che mando qui inclusa del Vescovo de Cracovia, sendo che dove io dubitava che a questo tempo della guerra non lo lassassero passare, vedo che l'andata piace, et se bene dice male de costumi de quella gente, non è senza arte, perche non possa mai venir a notitia de quelli che essi habbino desiderato questo maneggio, al che molto guarda questa natione, ma io molto piu considero, che in la lettera dice, che farrà carrezze al Sig. Cannobio, de piu finita la lettera aggionge, che quando sarrà lì, consultarà con esso del bisogno del suo viaggio, ma molto piu considero, che subito recevuta la lettera mia per una posta che è venuta in cinque giorni, me hanno rescritto, dove in le cose che non stimano, come de Livonia, del Cardinalato de Varmiense et simili, et stanno un mese et piu a respondere, per questo ho sollicitato Monsignor Cannobio, che vadi presto, ma S. S. me dice ch'el Cardinal Varmiense ha scritto a Nostro Signor che sarrebbe bono che lo mandasse al Duca de Prussia, et non havendo resposta per queste lettere passate, penso vorrà spettar un altra posta, se ben io dico non esser necessario, perche sendo questo Duca dependente del mio Re, quando Sua Santità mandarà el Breve, bastaria un gentilhomo de miei a portarlo, et se a Sua Beatitudine piu piacesse, che ce andasse io in persona, non mancaria de farlo, perche non saria disconveniente sendo el Re fuori del Regno et per andar alla guerra, onde potendo io in un modo o l'altro supplire a questo, esso potria attendere a quello che piu importa, però sendo deliberato spettar quest'altra posta, io vado destramente che non vorria credesse che me dispiacesse questo tempo farli le spese.

Quanto pertiene alla instruttione che io li posso dare, in primis l'ho detto, che non dica al Re che l'Imperatore habbia laudata questa andata, perche non ce essendo tra loro amorevole intelligenza, la interpretaria male, ma li bastarà solamente dirli, che si come Sua Santità ha mandato alli Principi de Germania che dissenteno dalla religione antiqua, et particolarmente hora alla Regina de Inghilterra, et alli Regi de Dania et Svetia, per compire perfettamente a quello che tocca a un padre commune, non ha anco voluto lassar indietro de chiamare questo che è scismatico a essempio del Concilio Basiliense, quale mi tengo che legitimamente fu finito in Fiorenza, nel quale fu mandato per la chiesa Greca. De piu l'ho avertito, che per tirar el Moscovita alla chiesa nostra latina li offerisca tutte le gratie che honestamente potrà farli Nostro Signore, ma non entri in certi guadagni che potria far della Livonia et simili paesi de Germania, quali Sua Santità per l'heresia poteria concederli, perche se tal cosa venisse all'orecchie de questo Re, che sarria facil cosa, sendome detto che usa per interprete de Italiani un Pollacco figliolo de una vedova de qui, che per intrare in gratia facesse de quel che hanno altre volte in quella corte fatti Pollacchi forusciti. Onde Sua Maestà senza colpa de Nostro Signore se sdegnasse et se resolvesse a quello che è stato tentato da tanti parenti Todeschi che ha et finora non ha fatto, come sono li Duchi de Sassonia, li figlioli del Langravio, quelli de Pomerania, Conti Palatini del Rheno et suo cognato Brandeburgo insiemi con el nepote che se chiama Re de Ongaria, per il quale ultimamente, cioè questo Marzo, io ho veduto lettere del Re alli Senatori, in le quali domandava conseglio se dovea prestar aiuto al nepote per el resto de Ongaria, et si dovea mandare in la Slesia alle comitie per l'aggravii che receve questo Regno per le gran gabelle che ha poste l'Imperatore in li sui stati, perche li drappi et altre robbe che de lì passano, pagano quaranta per cento, onde qui sono carissimi; in ultimo domandava dove et quando li pareva se facessero le comitie: alle quali cose è stato resposto, che sendo Sua Maestà parente del'uno e l'altro non se deve intrometter se non per la pace, et quanto alle gravezze, che mandasse Ambassiatori, et per le comitie che se facessero in Petracovia et Varsovia per commodità della guerra a San Michele. Questo ho detto che bisogna che vadi cauto per non irritar el Re, quale se intendesse offerirli cosa che li despiacesse, senza dubio farria una lega Sua Maestà col quel Re Stefano nepote aiutato da Turchi et Todeschi et potriano far gran disturbo alla Christianità.

Ho recevuto el Breve de l'Indulto per el Vescovo de Cracovia, et perche è passato per mano de M. Giorgio Pollacco, el quale a questa hora l'harrà avisato et per la gratia et per la spesa, me resolvo a mandarlo. Alla lettera de Monsig. Rmo Boromeo de 9 de Aprile non ho altro che dire, che partendome per el sinodo da Vilna S. M. me disse che l'aspettasse in Pollonia, et se bene si crede che in Varsovia se farranno le comitie, come gia ho scritto, non sarria stato lì con honor della Sede Apostolica.

Cracovia, 17 Giugno 1561.

Hieri partì Monsig. Cannobio per el suo viaggio, al quale ho dato quella instruttione che scrissi la settimana passata, et non ho mancato in la corte farli quelli favori ch'io posso, et particolarmente ho

scritto una bona lettera al Palatino de Vilna, del quale ho bona speranza non facendo quelli offitii contra la Religione che faceva prima, se bene non ha lassata la sua setta, perche non farria una mutatione per non mostrare leggierezza senza la determinatione del Concilio o cosa simile; per questo oltra la lettera l'ho detto molte cose che li dice in mio nome per la sua salute, et ha con se Monsig. Cannobio un frate de San Domenico, che era Commissario in Vienna, el quale me par assai letterato et dabene per quattordeci dì che l'ho tenuti meco. Se si faranno le comitie come molto secretamente me ha fatto sapere el Grancancelliero, spero de potere fare qualche profitto, se è vero quello che dicono, che 'l Re se levarà devanti con mandarli a l'essercito quelli che li possono dar fastidio, et che farrà bone resolutioni con el Senato, el che piaccia a Dio che sia per salute del Regno. Non voglio mancare de dire a V. Sig. Illm̃a, che 'l giorno avanti el Corpo de Christo hebbe a farse un fatto d'arme qui tra Catholici et Heretici, perche se procede contra molti che non vogliono pagare le decime al Capitolo de Cracovia, et hanno sostenuta la scommunica oltra l'anno, hora havendose a pronuntiare dal Grancancelliero vennero armati tutti l'Heretici che sono nel Palatinato de Cracovia, et me dicono li miei che li veddero che passavano mille, da l'altra parte anco non se dormiva, perche il Studio se tiene con el Capitolo che è potente. El giorno sequente in la processione me ha detto el Grancancelliero che se è corso gran pericolo, et che lui se trovava abbandonato da parenti et servitori, nondimeno se era resoluto de bandire el Lassoscki nobile heretico et capo de questi; al quale non senza proposito io dissi che in le cose de Dio non bisogna tenere el piede in doi scarpe, et non portare mascare, et li recordava che se loro fino che possono non fanno le essecutione per la giustitia, quando le vorranno fare, Dio iustamente li toglierà la potestà de farla, se ben le parole furono umpoco brusche et dette con vehementia, piacquero al Cancelliero, perche se voltò a doi Castellani che venivano dietro, et li disse quanto io havea detto; el che fu saputo dalli Heretici, et hanno minacciato de fare gran cose contra me, ma io spero in Dio che li levarà le forze. El medesimo dì me disse el Cancelliero, che 'l Granthesauriero in le essequie che hanno fatte hora al Palatino de Podolia, è stato alla Messa et tutte cerimonie, et che ha detto in tutto et per tutto voler esser Catholico et è persona de conto, ricco de 18 milia ducati de intrata, con un figliolo solo de dodici anni che ha hora mandato in Padova et io per esserli grato l'ho raccommendato a certi miei parenti lì, et rengratio Dio che tutti me dicono la religione star assai meglio adesso che doi anni fà.

Me resta dire che sendo Monsignor Cannobio nel suo viaggio, se verrà el breve per el Duca de Prussia, se li parerà ch'io lo mandi per un mio gentilhomo, io lo mandarò, et se più li piacerà che io vadi in persona ve andarò, perchè l'animo mio è de servir et non guardare nè a spesa nè a fatiga purchè satisfaccia; quello che è da considerare è questo, che se io vado in persona, non è dubio che potria far più frutto che un particolare ò con lettere, da l'altra parte lei ha da giudicare, sendo questo Duca feudatario del Re, se conviene che 'l Nuntio suo ce vada a un suo vasallo. Non essendo spedita la reserva per el mio abbreviator che Vostra Sig. Illm̃a impetrò da Nostro Signore, la supplico sia contenta fare gratia de un benefitio che vale poco più o meno de 100 ducati, la mita a l'abbreviatore, et l'altra mita a un gentilhomo che me ha dato el Grancancelliero che meni a Roma per imparar li costumi, et el mio agente ne pigliarà le cure.

Cracovia, 20 Giugno 1561.

Non hanno mancato li heretici de far quanto hanno potuto, che il figliolo del Conte de Tarnow se dichiarasse dalla parte loro et non celebrasse li divini offitii, che usano li Catholici grandi tre mesi che li corpi stanno sopra la terra, et io (oltra quello che li scrissi) ce ho operato el Palatino de Sandomirio zio della moglie, talmente che me ha rescritto quanto vederà, et poi che seguita finhora el rito Catholico, penso che sarrà resoluto, havendo fatto el medesimo el gran Thesoriero suo cugino, el che non è de poca importanza, se ben el giovine non è de gran valore, per essere figliolo de tanto padre et ricco de 50 a 60 milia fiorini de entrata, et certamente Dio me inspirò subito che tornai a Cracovia, dieci dì avanti che mancasse el Conte, de mandar lì, mio nepote et confirmare quel vecchio che alquanto havea titubato, onde è passato tanto catholicamente che è de gran essempio, come anco sarria stato el contrario. Questa mattina da l'Oricovio, cioè da quel letterato del quale ho scritto el caso del matrimonio, ho hauto la presente lettera, che ne mando la copia, perchè me pare cosa notabile, io spettarò questo prelato, et quando sarrà quì lo terrò qualche dì a reposare meco, et forse non sarrebbe male andando al Concilio aiutarlo de qualche cosa, che così fu fatto a tempo de Eugenio quando vennero al Concilio Fierentino, se degnarà Vostra Signoria Illm̃a darmene resposta.

La ottava del Corpus Domini quando andavamo alla processione me disse el Grancancelliero haver scritto al Palatino de Vilna che molto se allegrava che me havesse honorato et ben visto, dal che nasceva che Sua Santità vedendo esser honorati li sui nuntii, hora mandava al Moscovita, et però accarezzasse anco questo, perchè tornava a grande honore del paese; al che responde el Palatino, che esso me havea ben veduto, perchè io havea ben trattato lui, et che se li altri se fossero portati similmente con lui, che non sarria differenza hora nel credere tra me et esso. Dopò M. Luca Podoschi Canonico de Cracovia et Secretario Regio me ha detto, ch' el Palatino in Vilna ha congregati li capi della setta et dettoli che ha pigliato quella Religione, in la quale alcune cose sono secondo l' antiquo stilo, alcune secondo li protestanti, et l' altre al stilo greco, et havea pensato per questo haver la sua salute; ma perchè nascono molte difficoltà, de quali altre volte non se poteva resolvere, che hora nel Concilio se potrà chiarire, per questo esso havea deliberato non solamente mandar al Concilio, ma anco como se disarmava nella guerra Moscovitica era resoluto andarve in persona, et così li essortava facessero essi per la salute de l' anima. Da questi fu molto sconsegliato, et pregato che stessi forte, con dirli che era conciliabolo fatto da papisti et ministri de l' Antichisto, ma lui restò in questo proposito. Onde io vedendo che tutte queste cose confrontano con quello me ha detto et poi scritto, che prega Dio che fossi qui alle comitie del Regno, che potria anco tra noi esser maggior coniunctione, ne spero bon fine, el che Dio faccia per sua bontà et misericordia; perchè sendo già accommodata la cosa de Wladislavia che dava gran travaglio se si rompeva, confirmati tanti Signori et altri tornati, se tornasse questo Palatino, el Signor Dio restitueria a Pio quarto el Regno de Pollonia et Lituania quasi perdute integre alla Religione Catholica, che saria poco più da temer per l' avenire, perchè se vede già che la Maestà del Re fa bona elettione del Senatore, et non resta de grandi heretici scoperti, se non el Palatino de Posnania et el gran Procurator che sono molto vecchi, et se puole credere che presto mancaranno; sono anco alcuni Senatori, che vogliono la communione in utraque, quale è cosa che facilmente el Concilio et Sua Santità potria accommodare per levar el disturbo che pate hoggidì la Chiesa Catholica.

Et el medesimo giorno me domandò el Cancelliero se io havea resposta che il Cardinal Boromeo havesse dato la lettera sua et se l' havea mostrata a Nostro Signore, et che havea resposto Sua Santità circa le cose adiafore ch' esso scriveva. Però desidero che Sua Signoria Illma li responda qualche cosa, perchè altrimente l'hanno a male, et lui pensò certo sarrà auriga de questo Regno hora che è mancato el Conte de Tarnow.

Desidero anco resposta nel caso dell' Oricovio, et che tra l' altre fatighe che ha, me scriva qualche volta, perchè rengratio Dio che adesso che se tratta la causa de Bari ogni settimana se puole scrivere, dove altre volte in un anno dicono che non se havea una volta lettere, et da tre mesi in quà è stata molto bene accommodata questa posta. La guerra con el Moscovita va avanti et già l' essercito è quasi in ordine, li cavalli Pollacchi sono da sei millia, li gentilhomini et signori con quelli che menano seco senza paga per acquistare la gratia del Re et honori, per quanto me dicono, passaranno tre millia, quelli che manda el Duca de Prussia quattro millia, et cinquecento ne manda el Duca de Brunswich cognato de Sua Maestà, ne sarranno li Livoni et de Lituania, trà tutta la quantità ne ha capiti venti millia. La persona di Sua Maestà partirà alli 25 de Luglio, et alla tornata come se desarma per certo verrà alle comitie per trattare per l' avenire.

Non voglio mancare de dire quando fui in Lituania venne la podagra al Re in un piede, et se trovò lì un Capitano Spagnolo che havea del grasso de Elefante et dicea che giovava a queste doglie, li medici furono in contradittione, finalmente el Re tre volte se ongette, ma leggiermente et Sua Maestà disse che li mitigava el dolore et lo guarì. L'ho voluto scrivere, perchè da Portogallo se ne potria fare venire, et se lì in Roma facesse quella operatione che ha fatto quì sarria da rengratiarne Dio, et per non metterse a pericolo se potria prima provare in altra persona.

Cracovia, 23 Agosto 1561.

El Card. Borromeo me scrive che da questo avanti io debbia scrivere separatamente quello che non se deve mostrar a ognuno, acciò la lettera sua circa le cose del Concilio et altri generali possa andare a certi Cardinali deputati, et così farrò per l'avenire et le copie delle lettere che mando saranno incluse nel suo plico per suo ordine.

In quattro giorni sono venuti doi corrieri straordinariamente dalla Corte, et per l'uno et l'altro ho lettere dal Sig. Cannobio, la prima non la mando perche non ve altro se non che tra quattro giorni

pensava metterse in viaggio per Moscovia, mando la seconda, perche ve scrive piu cose, ma dove dice che comenza a suspicare della sua passata, io ho per certo che non lo lassaranno andare, et questo credo per la lettera che me scrive el Vescovo de Cracovia per el primo corriero, che ne mando la copia, dove dice che li Senatori de Lituania dissuadeno questa andata, et il Re non è solito fare contra el conseglio del Senato, tanto piu in questo tempo che se serve de essi alla guerra, nè me meraveglio che lo dissuadano, sì per esser gente sospettissima, sì anco perche el Moscovita non habbia questo favore overo trattato de honori con Sua Santità, sì anco perche in quella provintia, come gia ho scritto, altri sonno gentili, altri heretici, altri Cattolici, et molti sotto el rito Greco, onde in conseglio la faccenda sarrà disfavorita, et el Re non farrà altrimente. In la medesima lettera vederà che li primi avisi de Francia sonno piaciuti a Sua Maestà; però hora li mando questi doi ultimi bonissimi della descrittione de Parigini et del conseglio fatto, con certi altri che me hanno scritti li Sigg. Legati del Concilio, et certo me sono venuti a proposito, perche questi ribaldi heretici hanno stampato un carrico de contumelie contra el Cardinal Varmiense, contra l'Oricovio, et finalmente essaltano la Francia che fa un convento per eliger un Patriarca et togliere l'obedienza, io oltra che mando questi avisi al Re l'ho fatti leggere in questo honorato Capitolo, et hora me do da far a scriverli a molti Signori con bona occasione che non accade a scriverli.

Per el secondo corriero ho havuta la lettera del Re che mando, dove me dice de mandare adesso el Vescovo de Coavia cioè Wladislavia al Concilio, onde viene a mutarse de quanto me havea scritto prima de volersene valere al convento et poi mandare, il che era conforme alla opinione dell'Arcivescovo et molti altri Catholici, et per ancora non posso sapere, se questo è tratto de Cracovia, perche Coavia se tiene con l'Arcivescovo, acciò non sia alle comitie, o pure el Re se sia mosso da se, considero che per adesso ve sia uno a nome suo nominato gia alle comitie, et poi al sinodo per Ambassatore, el quale andarà a spese sue, perche el Secolare quale dice poi de mandare, bisognarà aiutarlo non ostante le spese della guerra. Me rincresce un poco che questui parta, perche tra li Ecclesiastici non è alcuno che sappia tanto delle leggi Pollacche, che sono molto favorevoli al Clero, et in le comitie l'heretici vorriano impedire come fecero in le comitie passate, che li Vescovi non potessero procedere contra de loro; però partendo S. S. ho pensato in queste leggi valerme del Palatino de Cracovia fatto novamente, del quale mando la lettera acciò el Cardinal Borromeo veda quanto me ama singolarmente.

El Grancancelliero me ha mandato a dire che'il Re alla fine de Ottobre sarrà in Pollonia, perche in questo mezzo voleva far una scorsa fin a l'essercito per vedere et dare ordine, ma che Sua Maestà non volea venir in Petracovia, dove li Signori lo recercano, che per essere el loco consueto tutti ve hanno commodità, ma verrebbe in Lompsa loco in confine de Pollonia, Lituania et Prussia, dove dice che pateremo assai non solamente delle stufe, ma anco delle vittoaglie, et li se starrà fino a tre mesi. De piu me ha fatto pregare ch'io volesse far gratia a un suo nepote, che un Canonico de Vinciza lo chiama per coadiutore, et perche io so che in la bolla non è questa facoltà, per questo dissi al suo Auditore che ce venne, che la farria spedire in Roma; ma esso subito respose, che era venuto da me per non spendere quatrini. Onde io per non lo escludere affatto dissi che pensava non havere questa facoltà, ma come verrebbe el mio Abbreviatore sarrebbe con lui a consultare quanto se puole fare. Questo ho fatto per mettere tempo in mezzo che potria venir qualche altra occasione de farli piacere, et sonno cosi questi Signori che bisogna intertenerli et haver patienza, et piglio piacere che queste lettere che mando de Cracovia, el quale a questi dì a requisitione de Plosca senza saper altro dava el torto a me, adesso mostra de smaniare per farne servitio, et el Cannobio scrive in la sua che la mando che li ha detto Cracovia, che non ha mai dato fede al Vescovo de Plosca. El Cannobio, al quale ho scritto per sapere tutto l'intrinseco de quello Arcivescovo Greco che havea fatto in quella Corte, et che dal Vescovo de Vilna per essere Senatore et amico mio, harria inteso el tutto, me dice che per non essere lì el detto Vescovo non ha potuto servirme, ma presto ve sarrà, però non sendove quello potrà cercare con altri de intendere, et io già ne ho scritto al Vescovo de Cracovia che m'avisi. L'Auditore del Grancancelliero me ha detto haver inteso che è passato in Moscovia a fare el medesimo officio che ha fatto qui contra l'heretici, ma non sa niente circa el venir al Concilio et l'autorità che ha. Io me informarò bene del tutto et secondo che trovarò, me governarò, perchè non bisogna a' Greci sì facilmente credere. La guerra tutta via va innanzi, a questi giorni andavano 800 cavalli Moscoviti per entrare et guardar certi lochi loro in Livonia, se sonno a caso incontrati con 300 cavalli Pollacchi, li quali hanno rotti li Moscoviti et pigliati 40 persone notabile con el capo che era un Palatino notabile; questi 40 hanno menati prigioni, l'altri hanno ammazzati, per il che hanno pigliato grande animo contra de loro.

CRACOVIA, 13 Ottobre 1561.

Monsignor Arcivescovo de questo Regno desidera per suo Suffraganeo in loco de quello che hora è mancato, l'Abbate Slucoviense che hora se mette in viaggio per el Concilio, et perchè è cosa ordinaria a questi Vescovi de far loro Suffraganei questi Abbati, et anco me pare cosa honorevole non potendo venir a Trento per li bisogni del Regno la persona dell'Arcivescovo Legato nato et Primate de Pollonia, Lituania et de tutta la Silesia, almeno ce sia el suo Suffraganeo, per questo supplico Vostra Signoria Illm̃a se degni aiutar questa speditione che se faccia presto, et con quella gratia che sia possibile, et come sarrà fatta sia contenta avisarla alli Sigg. Legati del Concilio che la dicano al predetto Abbate, acciò l'informino che l'habito che harrà a portar et el loco che harrà a havere, perchè se ben de questo ultimo io non so stato recercato, nondimeno so che con questi tali bisogna fare così, et certamente el detto Abbate è Theologo et persona honorata quì. Per l'altre mie ho già mandato l'ordine che havea dato el Re circa la venuta del Vescovo de Wladislavia al Concilio, ma sempre ne so stato con l'animo fastidioso de questa partita, adesso che semo vicini a fuggir qualche pericolo o far qualche bene in questa venuta de Sua Maestà et convento, che senza dubio se farrà o più presto o più tardi secondo se resolveranno; et pur a questi giorni scrivendo io una lettera a l'Arcivescovo in favor delli frati de San Francesco, ce posi una polisa de mia mano che è quella che dice in la sua resposta, nella quale io aggravo la sua conscienza, sendo liberata Sua Signoria Rm̃a nel sinodo de l'andare, che sollicitava li deputati, et almeno partessero adesso li Abbati. Potrà Vostra Signoria Illm̃a vedere quanto me scrive, che le mando la lettera istessa, per la quale me son deliberato, se ben havesse ordine contrario, non fare altro fine che non me darrà resposta a questa, perchè penso che Vostra Signoria Illm̃a segua la opinione de l'Arcivescovo, el quale non solamente è stimato per esser la prima persona del Regno, ma anco perchè vale in le cose de conseglio et in la Religione, et tre anni sonno facendose le comitie, sendo creato Arcivescovo, dove prima havea havuto sette anni el loco che hora ha el Vescovo de Cracovia, sponte lassò el sigillo, non ostante che 'l Re et el Senato lo pregassero che tenesse a vita, alli quali respose non volere, perchè con quello non harria potuto attendere alla sua chiesa, et a loro in le comitie dava troppo fastidio, perchè el Cancelliero bisogna che spesso se mova per scrivere, legere et trovare li decreti, et quando l'Arcivescovo se leva in piede, se levano ancora tutti li Senatori, el che era gran fatiga alli vecchi et podagrosi.

Non me tenga Vostra Signoria Illm̃a presentuoso, se per l'altra mia cercava escusare el Re che non havesse lassato passare el Signor Cannobbio in Moscovia, perchè io viddi quanto me scriveva infiammatamente, et se uno incitava a collera, me parse bene che a questi tempi l'altro procurasse quiete, tutto fu a bono effetto. Se partì da Vilna el 19. de Agosto ben visto et accarezzato nel resto, et fa la strada de Prussia che a venire poi qui se allonga circa doi giornate, sì che presto sarrà con me.

Aspetto con desiderio lettere de Monsignor Illm̃o Borromeo, le quali penso che sarranno con questo ordinario, dal quale harrò doi spacci, sendo ammalato il precedente per la via.

Da Vilna havemo che dopo fu condotto quel palatino prigione et rotti li settecento cavalli Moscoviti, li Pollacchi una altra volta ne l'hanno dato in un altra scaramuccia, et fattove priggione un gran Signor parente stretto del Duca de Moscovia, el quale pure conducevano priggione in Vilna, et per la strada è morto per le gran ferite che havea. Me scrive el Sig. Prospero Nauclerio Cavallerizzo del Re, che el Palatino de Troch avisava come havea pigliata per forza una città in Livonia chiamata Tanarus, et dopo ne havea assediata un altra, la quale anco sperava de pigliare, et pregava Sua Maestà che li mandasse più gente, acciò potesse attendere a più lochi, perchè sperava questo anno recuperar tutta la Livonia; me dice poi che non era in essere più gente da potere mandare, però non restava Sua Maestà de mandarli artegliarie et monitioni, et che per allegrezza delli successi boni della guerra stava allegrissimo, et era per andare Sua Maestà a Ruderich otto giorni alla caccia, et poi verria per Ottobre a Lompsa loco tra Pollonia et Lituania, et con questo baso humilmente le mani de Vostra Signoria Illm̃a, che Dio la conservi.

Hieri io scrissi questa lettera per esser a ordine con el spaccio, la sera hebbi questa del Vescovo de Wladislavia che mando conforme al parer mio; a hora de pranzo è venuta la posta, ho hauto lettere dell'Illm̃o Card. Borromeo, el breve de Prussia non accade a operarlo, perchè a questa hora il Cannobio ce sarrà lì. El Delfino me scrive che li dia li avisi de questi paesi, come faccio, et me manda le lettere et certi avisi delli Legati del Concilio; ma de Transilvania et Valacchia non dice parola, però li mando quanto el Cardinal me scrive et starrò spettando el suo ordine.

Cracovia, 25. Ottobre 1561.

La Maestà del Re ha fatta la capitulatione con li Livoni, et per questo ha intimato a tutti li Senatori, cioè li Vescovi, Palatini et Castellani, che se trovino in Lompza il dì de Santo Andrea, dove sarrà anco Sua Maestà, la quale dice non voler venire piu oltra, perche la guerra non permette che se discoste molto oltra, et quando harranno spedito questo negotio importante insieme giudicaranno se sarrà commodità attendere alle necessità del Regno, quale asserisce non desprezzare come potranno vedere.

El Grancancelliero è tornato questa settimana dal suo Capitaneato novo per provedere alcune cose qui, et poi andare al Convento, subito me venne a visitare, ma per incommodità non l'ho potuto havere alle strette a modo mio, però d'hogi dopo pranso son stato piu de tre hore con lui in casa sua, che bisogna fare cosi per intrinsecare et a poco a poco trattare le cose; destramente me ha data la copia della lettera del Palatino di Vilna al Re del maneggio de Livonia et capitulatione de essa, la quale ho copiata in prescia et barbara come sta de verbo ad verbum, Vostra Signoria Illma notarà meglio de me questa materia et questo trattato, et se degnarà commandare a me circa esso quanto li pare. Io penso non possa tardare quattro o cinque dì che Sua Maestà me dia resposta della lettera de Monsignor Illmo Borromeo circa el favor fatto dal Nuntio in le cose sue, dove anco li dicea che se Sua Maestà tardava a venire in Pollonia che volea andare a servirla presentialmente, sendo passato el tempo che me disse, ce revederiamo qui; ma responda quanto li pare, me son risoluto partire de qui el dì dopo San Martino per esser a tempo in Lompsa, la quale è discosta 310. miglie da Cracovia, et non voglio mancare d'essere in questo convento, perche potria essere che non facessero altre Comitie. In questo loco trovarò li Vescovi tutti insiemi, trattarò la partita loro et dell'altre Ambassade seculari, potriano esserce li Livoni, con li quali farria qualche offitio, et molte cose possono occorrere in le quali sarrà bono ch'io ce sia; et non posso credere che in questo mezzo non habbia lettera de Vostra Signoria Illma, et sappia in che termini se trovano le cose del Concilio et delle cose de Francia et altri avisi, li quali me giovano assai et io me ne vaglia secondo che fanno a proposito et che possino essere utili, et vorria che in questo tempo se degnasse scriverme ogni sabbato, et mandasse sempre le lettere al mio agente, perche le mie sono chiuse nel plico delli Bandini et poi delli Attavanti et ultimamente delli Soderini, tanto che me vengono in mano senza che se veda essere indrizzate a me, el che non avviene a quelle che vengono per via de Trento o Vienna, et durante questo convento ho caro che venghino così coperte et piu secure, et li Soderini me dicono de volere mettere la posta per questo tempo da Cracovia a Lompsa, el che tornarà molto commodo.

Apresso el Grancancelliero me ha detto che scriva a Vostra Signoria Illma con permissione che non lo sappia se non Nostro Signore la mala satisfattione che ha havuta el Re della andata del Cannobio, Dio sa quanto mal volentieri faccio questo offitio, sendome bon amico et havendolo tenuto venti dì meco con tutti li suoi, ma dove importa el servitio delli patroni non voglio mancare. La causa è stata, che avanti lui havesse audienza dal Re, secretamente doi volte andò dall'Imbassatore de l'Imperatore, che se affrontò in quel tempo essere in Vilna, et le spie che li teneva el Palatino de Vilna lo seguitorno, et veddero quando se serravano insiemi, onde el Palatino comenzò a mettere suspetto a Sua Maestà de questa faccenda aggravando el fatto et pericoli, per il che el Re stava sopra de se, et così el Palatino che ha gran maneggio in la Corte dell'Imperatore, sendo stato lì un tempo quando fece el parentado, mandò un Corriero per intendere de questa faccenda, et li fu rescritto, che tutta questa prattica era stata trattata con l'Imperatore, et de lì era stata fatta la instruttione, sì che portato questo aviso el Re con gran collera chiamò el Vescovo de Cracovia dicendo che vedesse che tratti li venivano fatti dal Papa. El Vescovo volse sapere per che via venivano questi avvisi, et come vedde dal Palatino, disse che non se maravigliava con molte raggioni, talchè sendo tutti doi in controversia fu resoluto de mandare una staffetta a Cromero che è Ambassatore alla Maestà Catholica, che destramente scoprisse questa faccenda. Cromero scrisse che non havea trovata alcuna malignità, per il che el Vescovo se fece cavalliero contro el Palatino et mesero in gran confusione el Re, perche da una parte el Palatino diceva che se recordava a tempo de suo padre, quando sotto specie de Religione el Papa et l'Imperatore mandorono al Moscovia, furono fatti trattati, onde fu sparso tanto sangue et predate terre, et che li Lituani sono quelli che sempre armano, spendeno et come vicini primi alle botte, et essi Pollacchi stanno a casa loro. Da l'altra parte el Vescovo persuase che se rompeva con Nostro Signore andariano male le cose de Bari, et qui la Religione starria peggio che mai, come se vedesse rottura con

molte altre cose, sì che poi se resolvette el Re come ha fatto. Io ho pigliato despiacere de questa suspettione de Sua Maestà, et me son valuto delle lettere del 13 et 20 Settembre, per le quale el Re puole cognoscere l'animo del Papa verso le cose sue, che era candidissimo in questa mandata, et che sia el vero per questa ultima lettera del 20 poteva vederlo, dove mi scrive lo facesse tornare non piacendo al Re che vada, et se per interesse dell'Imperatore havesse havuto alcuno desegno, non harria mandato de qua, ma harria fatto passar quel Nuntio de Dania o Svevia, ma non bisogna che suspichi dell'animo de Nostro Signore con Sua Maestà che è bonissimo et lo vederà sempre. Finalmente me pregò che io non scoprisse al Re o Cracovia de saper questo, ma a bon proposito quello che ho detto a lui, et mostrò, dicesse a essi. Io lì dissi al Cannobio che non nominasse mai l'Imperatore in queste faccende, et li dette una lettera al Palatino quale non ha data, et bisogna fare conto de'grandi. È venuto a Padova un francese orefice che se chiamava Pietro, el quale è grandissimo heretico et quello che ha infettato un terzo de Lituania, sarria forsi bono farlo capitare alla inquisitione; è venuto dice per li bagni, ma a me non pare tempo de bagni. Sto in fantasia un dì de scrivere tutti li Italiani che sonno in questi paesi suspetti. Questa settimana io non ho havuto lettere che le desidero piu che mai, et la causa è stata ch'el nostro Ordinario ha portato qui quelle che dovea lassare a Vienna, et le nostre ha lassate lì.

Cracovia, 15 Novembre 1561.

Questa sarà per fare sapere a V. S. Illma la mia partita, che sarà lunedì piacendo a Dio. Però se passarà qualche tempo che non harrà mie lettere, non si maravigli, perchè metterò quindeci giorni nel viaggio; et stando più lontano correrà più tempo nel mandare et recevere lettere, massimamente non essendo ordinario da Cracovia a Lomza, ove vado. Ho parlato della mia andata col Cancelliero del Regno, perchè bisogna far così con gente sospetta, et dove non è solito stare ordinariamente Ambasciatori de Principi, ma finito il negotio, per il qual son mandati, si partano. Di più gli ho detto che l'animo è di stare presso Sua Maestà dovunque sia, finchè Nostro Signore mi revoca, sendomi parso strano stare dopo il Sinodo tanto fuori della Corte. Mi rispose ch'el Re pensava venire più presto, quando disse che l'aspettassi qui; ma impedito dàlla guerra et dal maneggio di Livonia ha tardato tanto. In oltra mi disse, che non potea dirmi una facenda, che si havea da fare poco dopo Pasca, havendola lui in secreto da Sua Maestà. Et usò queste parole: Absit, quod in ea presentia Dominatio Vestra Rma non requiratur, ut honestet negotium; imo si illa non adesset tamquam antiquior huius Regni Senator, et intimus servus Clementissimi Domini mei Regis, consulerem, ut Romam scriberet, et huc veniret. Io son andato indagando destramente con gli amici, et non posso pensar altro se non il maritaggio delle Signore Infanti, cioè una al fratello del Re di Svetia, quale dicono, che ha un Ducato quasi equivale al Regno, et alla Corte (molti dì sono) è venuto un Ambasciatore di quel Re; l'altra molti se imaginano che la dia al Granmaistro di Livonia, et che de una parte lo faccia Duca, per havere in quella Provincia persona, della quale si possa fidare et servirsene contra l'inimici.

Questa settemana è partito il Sig. Proslaski Thesauriero per incontrare il Re, me venne a visitare et mi conse gliava, ch'io dovessi aspettare qui il Vescovo di Cracovia Vicecancelliero, col quale harria potuto consultare tutti li negotii et poi risoluto andarmene da Sua Maestà.

Deve sapere Vostra Signoria Illma che lamentandosi il Cancelliero del Vescovo di Cracovia che fomentava l'animo del Re in star fuori di Polonia, per fare lui tutte le speditioni et impatronirsi de tutte le facende, sendo questa l'usanza quando il Re non sta nel Regno, ch'el Cancelliero resta in esso, et il Vicecancelliero va con S. M. Però dicono che Cracovia per non mostrare di essere ingrato al Cancelliero che l'ha messo avanti, subito ch'el Re sarà in Lomza, verrà qui et starà tanto che Sua Maestà vadi via, et lassarà tutta l'amministratione in mano del Cancelliero, il quale partirà de qui giovedì per la Corte. Hora il sodetto Proslaski che depende tutto da Cracovia volea fargli questa grandezza, ch'io l'aspettassi qui. Et certamente se questo Regno fosse come gli altri, ne quali basta havere l'animo del Re et del primo che ministra, conoscendo l'alterezza che ha, io l'harrei fatto, ma qui non bisogna far tanto con uno, che s'acquisti poi biasmo con gli altri, tanto più adesso che la parte dell'Arcivescovo ha la maggior parte del Senato da lui. Per questo al Vescovo di Cracovia quanti servigii ho potuto fargli per le mie facoltà non gli so mancato, et di più procuratogli l'Indulto del Vescovato; ma questo restar qui sarebbe stato con mia indignità et disprezzo de gli altri, a quali ancora cerco servire quanto posso, se bene altri vorrebero solo essere stimati. Laonde ho detto al Sig. Pro-

slaski, che dopo la venuta del Re in Polonia non potrei con honor mio tanto tempo star qui, havendomi detto Sua Maestà al partir mio di Vilna, che presto ce revederiamo nel Regno, et son stato tanto fuori della Corte, che non andando subito parrebbe ch' io non stimassi Sua Maestà ne l'uffitio suo.

Giovedì il Palatino di Cracovia invitò a pranzo il Cancelliero, due altri Senatori et Miscoski primo segretario che hora è venuto, et me, et il Cancelliero mi disse che s' era molto allegrato della speditione favorevole, che scrivea Vostra Signoria Illma delle cose del Re; ma che hora havea una lettera da l'Ambasciatore, ove dicea il contrario, perchè voleano lassare al Re li Burgensatichi et altri mobili, con questo che non parlasse delle cose di Bari, al che loro non acconsenterebbero. Et io risposi, che Vostra Signoria Illma scrivea quanto le veniva avvisato dal Nuntio di Spagna, et Sua Santità non mancarà favorire le cose di Sua Maestà, et con questo intrando nelle cose di Livonia, perchè di già il Granmaistro et Arcivescovo di Riga son venuti a giurargli fideltà, protestandomi, che quanto dicea era da me, perchè Sua Beatitudine anco non potea sapere de questa facenda, ma me parea bene che in questo caso si dovesse far conto di essa, perchè questo non è il medesimo di quel di Prussia, la quale dai Re di Polonia era stata data, da quali come a' rebelli et ingrati potea esser tolta et applicata come gli parea senza altra autorità, ma in Livonia essi non hanno che fare. Mi rispose ch' el diretto dominio è dell'Arcivescovo, et utilis dominus overo Amministratore el Granmaistro, onde con consenso de l'uno et l'altro, et ordine equestre et civile della provincia poteva il Re pigliare il dominio. Al che io replicai, che quanto più quella provincia era dell'Arcivescovo, tanto manco se ne puol disponere senza l'autorità del Papa, perche gli Arcivescovi sono Amministratori, e non patroni; et soggiongendo lui, che quelli gia come Heretici haveano desprezzata l'autorità del Papa, et ch' el Re sendo Catholico non deve essere di peggior conditione per essere propugnacolo de' Christiani contra Tartari, Moscoviti et Turchi. Io gli risposi che son certissimo, Nostro Signor in tutto quel che potrà satisfare Sua Maestà, non mancarà, ma mi pare che colla possessione si debbia cerchar havere ancora la giustitia, et restava che quel non era fatto si potea fare. Però supplico Vostra Signoria Illma mi scriva quanto harrò da fare in questo negotio, perchè quel che ho detto, è stato da me, et io non vorrei se non far bene et non errare. Io havea errato quando ho scritto che l'Arcivescovo di Livonia era della casa di Sassonia, perchè è fratello del Marchese di Bandeburg et del Duca di Prussia, et esso è che ha il Coadiutore, il quale è fratello de un Duca Thodesco, che ha pigliata per moglie la figlia del Duca di Prussia, el Granmaistro non è Principe. L'accordo de Prussia fu fatto nel 1525. a tempo di Clemente et non di Leone, quali pontefici pregavano, che si facesse, ma non c'e loro confirmatione, che ho visto tutto el Registro. Mando la copia de una lettera che mi scrive l'Arcivescovo di Leopoli per havere il Pallio, ne ho data la cura al mio Agente che spenda et solleciti. Supplico Vostra Signoria Illma che lo favorischi, et si faccia presto, acciò questo Signore conosca ch' el mio favore gli sia giovato.

Dal dì 20. de Settembre in qua non ho havuto lettere de Vostra Signoria Illma, et la supplico se degni scriverme spesso durante questo convento. Ho havuto da un secretario del Re el registro de tutte le cose de Prussia, che è lunghissimo, però ho copiato la lettera del Re a papa Clemente, et un altra lettera, in la quale se contiene tutto el negotio tutte le dispute del Senato, la creatione del Gran Maistro in Duca et patti fatti, el mando acciò possa meglio deliberare in el negotio de Livonia.

Cracovia, 16 Novembre 1561.

Hoggi che semo alli 16. de Novembre ho ricevuto una de V. S. Illma dell' ultimo de Settembre, in la quale io quella amorevolezza che me ha mostrata sempre, fa quello officio meco che conviene alla servitù mia con lei, pero li renderò le gratie che posso, et li dirrò in questa materia poche parole, perche me rido de queste calunnie che alcuni forse per suo interesse vanno spargendo, o pur per recompensare alcune truffarie che ho scoperte, me bastarà de far piacendo a Dio che torni a casa mia quel che forse sarrà esempio a tutti li Nuntii, de metter alli piedi de N. Sig. el libro dove se vederanno le speditioni, et quanto è guadagnato; ma in questo mezzo voglio che sappia V. S. Illma, che io metto la cera et la carta et provisione del Abbreviatore per tutti li familiari del Re, delli Vescovi, Palatini, Senatori et amici, et da questi impoi sonno tante poche le speditioni che se li dicessi se maravegliaria, et Conarski sa qualche cosa. De piu come sia amato dal Re, le copie delle lettere che mando al Cardinal Borromeo, parlino, dalli Ecclesiastici, le lettere del Sinodo sottoscritte da tutti li Vescovi, dalli Secolari, quelle del Grancancelliero, del Palatino de Cracovia et Sandomirio et altri, che tutto potrà intendere da S. S. Illma. Non posso entrare a renderli conto piu particolarmente, stan-

do questa sera tutti sotto sopra per la partita che faccio domatina alla Corte, per questo non sarrò piu longo. Sua Maestà sarrà alli doi de Decembre in Loviza confine de Pollonia, Lituania, Prussia et Masovia, per fare el convento de Senatori et accettare la Livonia che l'ha chiamato per herede et Signore perpetuo, a mezza quadragesima tornarà in Lituania per maritare la sorella al fratello del Re de Svetia, che è Duca di Finlandia, et preparare la guerra contra al Moscovita. Da quel loco io procurarò che vadino li Prelati et Ambassatori de S. M. al Concilio.

Lonza, 22 Decembre 1561.

Ho parlato con la Maestà del Re, et in primis l'ho detto, che quando domandai licenza per andar al Sinodo de Varsovia, Sua Maestà me disse che la vederei presto in Pollonia, dove sendome fermato per qualche mesi, et la venuta sua differirse, scrissi prima al Vescovo de Cracovia, et poi a Sua Maestà che me era troppo molesto star tanto tempo fuori della Corte, però la supplicava se havea a tardar la venuta, che me lassasse andar a servirlo presentialiter, onde havendome scritto Sua Maestà che presto sarrebbe in Lompza, subito me posi in viaggio et rengratiava Dio ch'el vedeva sano et li imprecava ogni felicità. Sua Maestà me respose che havea fatto benissimo a stare in Cracovia, dove se poteva fare qualche frutto, et in Vilna non se potea far niente, maximamente sendo stato occupato sempre per la guerra, et soggionse molte dolci parole de me, quali havea fatto doi dì prima con el Cancelliero et Cracovia, le quali el Cancelliero me l'havea mandate a referire, ma non importa a scriverle; fatte queste cerimonie li dissi, che in questa prima audienza non volea trattare, se non delle cose più generali, et in primis lo supplicai ch'eligesse l'Ambassatore per el concilio, che se degnasse parlare a bocca alli Vescovi che ce deveno andare, acciò non manchino de andare finiti li negotii del Regno, perchè molto più se fa presentialiter che per lettere, et in questo mezzo non mancasse de mandare un altro Abbate, sendo spogliato el secondo che deve andare, perchè questi Abbati io havea fatti aggiongere per honor del Regno, sendo pochi li Vescovi. L'Ambassatore me ha promesso eleggere posdomane in la prima congregatione, et alhora parlar alli Vescovi, dell'Abbate me disse che erano andati tutti doi; al che io resposi, che era male informato, perchè era andato uno solo, et così promise de provedere che un altro andarà subito. Ultimamente supplicai a Sua Maestà che sendo fatto un sinodo generale del Regno, et hora un convento de'Senatori con la persona sua, che fosse contenta far qualche provisione in le cose della Religione, altrimente li Heretici sonno tanto presentuosi, che ogni dì cresceranno in licenza, quanto più vederanno che li remedii quali doveano fare frutto contra de loro, non fanno effetto alcuno, con altre più ragioni. A questo respose molto dolendose delli Vescovi, perchè quì non sonno venuti se non Wladislavia, Premislia et Chelma, et che Sua Maestà era venuta in Pollonia principalmente per la Religione, dove non doveano mancare, et da questo mal essempio l'altri Senatori meno erano venuti, che certamente trà Ecclesiastici et Secolari non sonno venti, dove doveriano esser più de ottanta, del che stà molto exaggerato, parendoli che li sia carrico che è stato trè anni fuori del Regno, et quando è venuto, et chiamati li Senatori quasi tutti se scusano, ma la causa è perchè vogliono le Comitie, et se vada in li lochi ordinarii, et voleno conservarse la loro libertà. Onde io lo supplicai che l'assenza de l'altri non deve pregiudicare né alla Religione nè a quelli che sonno venuti, per il che ha detto de concedere le citationi contra quelli che hanno spogliato le chiese et fatte altre dishonestà.

Se bene le propositioni et consegli se tengono secreti sino alla publicatione che se ha da fare, nondimeno parte da un amico et parte da un altro sonno queste, che vedendo Sua Maestà quanti travagli poteva portare alla Lituania et alla Pollonia per la parte de Prussia, se si perdeva la Livonia et andava in mano de sì potente inimico, come è il Moscovita, per questo havea tenuto prattica con loro che se applicassero alli sui dominii, per la quale unione mancaria il predetto timore et crescerebbero le forze, et se bene in questo sarrebbe qualche spesa et fastidio, non se doveano però retirare, perchè in l'uno et l'altro sarrebbeno incorsi quando el Moscovita l'havesse debellati, si che non sendoci tempo da spettar la resolutione del Regno, Sua Maestà l'havea applicati alli sui dominii con li privilegii de Prussia, et per non li irritare l'havea promesso non li sforzare in la Religione, et haveano giurato in mano sua la obedienza et fedeltà, la quale verrebbero a giurare al Senato ogni volta che sarrà fatta la deliberatione da applicarli a esso, et defendendo la capitulatione della Prussia quando partii de Cracovia la mandai. L'altra proposta è stata per defensione del Regno in questa assenza de Sua Maestà che sarrà per la guerra, la quale se deveva deliberare tanto più quanto sonno successi questi novi tumulti in Valacchia, dove tuttavia se raddunavano genti da l'una et l'altra parte, ma in favor de quello che dominava prima,

quel Bassà vicino mandava 5 millia Turchi et venti millia Tartari, li quali sogliono scorrere nella Podolia Russa con grandissimo danno de abbrugiamenti et rubarie de animo, nè mancaria scusa al Turco per la tregua che ha con Sua Maestà.

Circa la prima proposta Wladislavia che era il primo Senatore dopo el Vescovo de Cracovia, che havea proposto in nome del Re, disse che havendosi a fare la unione della Livonia ce trovava molte difficoltà ancora che fosse utile per le raggione sopradette, nè da altri Principi se dovesse pigliare a male non li havendo mai soccorsi, et questa deliberatione era in publico benefizio et defensione, nondimeno sendo in li loro statuti che non se faccia cosa nova senza le Comitie generali, in le quali oltra li Senatori devono intervenir li nuntii terrestri, cioè l'ambassatori de tutte le provintie per l'ordine equestre, non vedeva senza questo come se potessero resolvere. Et che havea anco loco in la seconda proposta, et de più non sapeva come essi Catholici pôteano promettere de defendere quelli che erano de altra Religione, et che sarria bene Sua Maestà in questo capitolo per honor et coscienza soprasedessi, al che fu resposto da Cracovia, che non era più a tempo, et che bisognava prima dar questo conseglio, et lui respose che l'harria fatto, se l'havesse scritto et consultato come era solito et debito de fare con li primi Senatori, et replicando Cracovia che non ce era stato tempo de farlo, disse el Vescovo de Wladislavia che almeno in questo capitolo non se devea far mentione, ma passarlo, et l'altro disse che non se poteva, in summa quasi tutti li Senatori hanno seguitato el parere de Wladislavia, talchè se è deliberato che se faccino le Comitie generali, le quali hanno da intimare la Domenica dopo l'ottava de Pasqua in Petricovia loro ordinario, nè si puole fare de manco, perchè avanti che se facciano le Comitie generali se congregano in ciascuna Provintia el Palatino, quelli Castellani che ce sonno, et l'ordine equestre, cioè li nobili, et deliberano quello che hanno a fare eleggendo li nuntii terrestri, dopo questo se congregano da se quelli della Pollonia minore et quelli della maggiore, et poi se va alle Comitie generali, talchè sarrà Maggio avanti che hano finiti questi loro Conventi, nè bisogna pensare de levare fino a qual tempo li Vescovi de quì, ancora che l'Arcivescovo sia guarito et intervenghi a quel tempo, perchè sarriano poi quattro et de questi levarne doi potria fare gran preiuditio, nè penso che loro parteriano, in el Vescovo de Plosca non bisogna fare desegno che non attende se non a quanto li pare, et non è venuto quì che non è se non doi giornate lontano, et Posnania sta sempre in lette; vederò se posso mandar prima l'Ambassatore laico, ma sarrà anco difficile, perchè el Re vorrà che se trovi a questi conventi. Acciò se possa spedir più presto, et non se perda tempo fino se fanno queste intimationi l'hanno resoluto ch'el Re pregiudichi quì, et hanno intimato per el dì dopo l'Epifania da comenzarse, et se crede che Sua Maestà giudicarà quanto è necessario per la persona sua, et poi tornarà in Lituania per provedere, finendo le tregua a Marzo con el Moscovita, el quale dicono che prepara da doi bande, cioè da Smolensko et dalla Samogitia. Onde se crede ch'el Re non sarrà in persona alle Comitie generale, ma mandarà Cracovia. Altri che se farrà pregare, et per haver maggior soccorso, et che se l'habbia più respetto, dicono che andarà in persona. El Vescovo de Cracovia me ha detto che questa resolutione delle Comitie è proceduta dall'Arcivescovo, el quale è seguitato da tutti li Vescovi, et queste da bona parte de Senatori sui parenti che hanno fatte tutto per incitare odio contra lui et levarsi el sigillo, et che se li Vescovi havessero seguitato lui, che havea fatte venir el Re in Pollonia, harria accommodato la Religione, le cose del Regno, et non sarriano state necessarie Comitie, nelle quali per la università se fanno gran romori et sonno molti piccoli, et che per questi loro modi l'animo del Re è molto turbato. Da l'altra parte me se dice, che sendo questa consuetudine del Regno, ch'el Cancelliero et Vicecancelliero consegliano el Re et distribuiscono l'honori, entrate et dignità, ch'el Vescovo per suo interesse tiene con Heretici et Catholici come li pare, non stima Senatori, perverte le leggi et libertà, si che Dio l'accommodi, io cerco de mantenerme con l'una parte et l'altra, et scrivo quest'altra lettera delle cose del Concilio solo, acciò questa non vada a torno, perchè, se si vedessero questi particolari scritti da me delli consegli loro, io perderia l'amici, et non me amariano tutti come fanno. L'Ambassatore de l'Imperatore non è anco venuto da Vilna, et per questo non sa come Sua Maestà defenda l'aiuto dato al Dispoto, del quale quì se doleno. Son venuti l'Ambassatori del Re de Transilvania et del Valacco cacciato, ma non hanno anco hauto audienza dal Re, dicono che in una scaramuccia fatta da certi Turchi sonno stati ammazzati 500 cavalli Pollacchi del Laski, ma a ogni modo sonno restati vincitori questi del Dispoto, contra el quale se fa la provisione che ho detto de sopra dal Turco, et con questo baso humilmente le mani de Vostra Signoria Illma.

Lonza, 5 Gennaro 1562.

El primo dì de l'anno con gratia de Dio ho ricevuto tutti li plichi sui quali sonno tardati sino a questa hora de venir in mano mia, per el mio viaggio havendo ordinato alli Soderini che non me mandassero le lettere fin tanto che non sapevano la arrivata mia, acciò non se perdessero. Ho hauto gran piacere de veder quella polisa del Vescovo de Cracovia a M. Giorgio Tenzin, che me manda Monsig. Illm̃o Borromeo, nella quale scrive che le cose della Religione stanno meglio adesso che prima, onde possono veder ch'el medesimo hanno da altri, che dalle mie lettere, et senza dubio el stato delli Ecclesiastici adesso è in maggior opinione, che se fossero uniti l'Arcivescovo et Cracovia, non ha dubio alcuno ch'el Senato farria quanto loro determinassero, perchè sonno mancate quelle teste prime de' secolari cioè el Conte de Tarnow et Palatino de Cracovia de casa Tenzin, et Granmaresciallo Palatino de Podolia, nè io manco a far quanto posso che per li loro particolari non habbino a disturbare el bene publico, et el Vescovo de Cracovia ha promesso, se Monsig. Arcivescovo non verrà qui avanti ch'el Re parta, che quando lui andarà a Cracovia, che vole passare da casa sua, per darli tal conto che habbia da esserli amico, perchè asserisce che l'Arcivescovo li vole male, per pensare che habbia detto al Re che esso ha fatto lega con tanti Senatori, acciò Sua Maestà non ottenga mai cosa che voglia nel Regno, et che questo è vero che l'è stato detto, ma non è stato lui, onde dicendo io questo al cognato dell'Arcivescovo che è Castellano de Dans, et al suo Segretario che sonno qui, l'hanno resposto ch'el Re non deve creder questo, sapendo la fede dell'Arcivescovo che è stato suo Cancelliero bonificato da Sua Maestà, et dal quale deve sperare ogni essecutione per le cose della Religione, onde non ha da far fundamento in altro, ma se da vero sua Signoria voleva reconciliarse, era necessario che manifestasse chi sono questi tali, acciò se possa iustificare, et così ha promesso de fare. Dio voglia che dica da vero, perchè Cracovia non cerca altro se non levarse li inimici, acciò li reste el sigillo, che qui se dà in vita, dopo che se concede con un incompatibile come è el Vescovato de Cracovia, l'altro cerca restandoli questo sigillo de assicurarse o levare. Come scripsi in l'altra mia, el Re havea permesso in la prima congregatione de eleggere un Senator Ambassatore secolare, et sollicitare l'andata a Trento. Sua Maestà propose questo nel Senato, et fu confirmato per Ambassatore el Vescovo de Wladislavia, come era stato desegnato da Sua Maestà sola al Sinodo de Varsovia, del Secolare fu detto che non era bisogno de mandarlo, perchè sarria paruto stranio a un Senatore de non parlar come fanno qui, sendo che hanno inteso come li Laici non possono parlar nel Concilio. Onde havendo io intesa questa deliberatione, non havendo ancora potuto havere audienza dal Re per le faccende et feste, ho disgannato in questo tempo li Senatori, demonstrandoli ch'el voto decisivo propriamente è delli Vescovi nel Concilio, come dice Agostino, perchè essi devono havere la cura del gregge, et se altri potessero determinare, potria succeder per el maggior numero, che altri farriano alcuna cosa contra voluntà de quelli che hanno la podestà, nè però resta che dando el voto decisivo li Vescovi, el Concilio non se chiami generale, perchè non sendo possibile congregarse tutta la Christianità insieme, se congregano li maggiori, in li quali se contengono virtualiter li inferiori. De più, se li Vescovi come quelli a quali Dio ha dato la autorità determinano decisivamente, non resta per questo che non solamente li Ambassatori Secolari, ma anco tutti che vogliono, possono parlare et raccordare le cose utile per il publico, de maniera che tutti sonno fatti capaci, et quando potrò, farrò el medesimo con la Maestà del Re, el quale sta fastidito assai sì per el poco conto che hanno fatto li Senatori de lui, che sonno poi ben venuti alcuni altri Senatori della Pollonia maggiore, ma della minore non è venuta quasi alcuna persona de conto, fino che non c'è el Palatino de Cracovia, nè el Castello, nè quel de Sandomirio, nè Lublino, nè el figliolo del Conte de Tarnow, et simil persone principali del Regno. De più, molti biasmano ch'el Re habbia pigliata la Livonia, et ch'el Regno non se deve obligar a questa defensione, prima perchè piglia una guerra perpetua con el Moscovita non necessaria, et de più con spese da non poter sopportar per esser lontana la Livonia 200 leghe, cioè 2000 miglia delle nostre. Quelli poi che defendono el Re dicono, che è bene sì per ampliar l'imperio, come anco per tener la guerra et nimici discosti; per questo è resoluto de far le comitie generali, nelle quali se trattarà de questo et della defensione del Regno, stando el Re fora tanto più per questi tumulti de Valacchia, per li quali sonno in moto li Tartari che fanno de dannose scorrerie, sì che fin che non saranno finite queste comitie, non bisogna sperar che Vescovi nè Ambassatore Senator venga al Concilio, et sia certo Vostra Signoria Rm̃a che qui sonno più che necessarii, et meglio el giudice chi è presente, et vede el procedere loro, et sia certa che io potesse far altro che lo farria, ma son qui et non posso più, et è meglio che se venga tardi, che guastar questi negotii, et già l'ho scritto quello che è intervenuto l'altre volte

sì che me pare far assai così. Ho saputo ch'el Cannobio non dette una mia lettera al Palatino de Vilna, pensando che fosse credentiale sola, però li mando hora questa della quale ne havete la copia, non so come satisfare Vostra Signoria Illma.

Lonza, 11 Gennaro 1562.

Alli 5 del presente scrissi longamente a Vostra Signoria Illma, quanto fino a questa hora era successo in questo convento, giovedì che fummo alli 8 nel quale dì la Maestà del Re dovea commenzar li giuditii, sendo qui congregata gran gente per la sua giustitia, se ben havea ordinato de quattro Palatinati che non venissero, acciò non mancassero li Nobili che sonno verso la Valacchia, Turchi et Tartari per li novi tumulti, Sua Maestà chiamò el Senato et fece deliberatione non giudicar altrimente, ma de partire de Lituania alli quindeci de questo, che sarrà giovedì prossimo, el romore della gente è stato grande per esser con spesa venuti da lontano, et certamente dicono esserce più de 5 millia homicidii, de più tutte le figliole che hanno heredità sono levate per forza dalle matri, et in somma tristo chi manco ce puole. De questa partita sì repentina se parla variamente, alcuni dicono ch'el Re non ha voluto iudicare, perchè grandissima quantità de Nobili ce sonno intricati, onde havendose a far le comitie generali, nelle quali interviene l'ordine equestre come Nuntii, et in le cose nove deveno consentire, dovendo Sua Maestà proponer le cose de Livonia et altre che ho scritto, non ha voluto irritare. Ma uno che sa meglio le cose me ha detto ch'el Re havendo già date le lettere per le comitie generali in Petricovia, ha reservato de fare le cose lì secondo el stilo consueto, dicendo questo esser poco tempo fino alla Domenica dopo l'ottava de Pasqua, in le quali l'ha inditte, et in questo mezzo Sua Maestà ha detto de trattare la unione perpetua che cerca el Regno con Lituania se moresse senza figlioli, come horamai ne sonno quasi certi, et più volte l'ha promessa, nè mai sonno venuti a effetto, perchè dopo la prima de sui maggiori più volte è stata interrotta, et con questa tirava più facilmente li Pollacchi al suo desiderio de defendere la Livonia, la quale vederà de stringerla a Capitoli meno disutili che quelli della Prussia, quali già l'ho mandati, per li quali Pollacchi sonno obligati spender la vita et la robba, ma quelli alli bisogni de questi pagano solamente docento cavalli, con molti altri disavantaggi che hora non li piace, et ha detto Sua Maestà che in questo poco tempo li sarrà facile trattar tutte queste cose, perchè li principali de Lituania se trovano adesso congregati in castris et così li Livoni, per il che non bisognarà intimar le comitie, ma per fare presto Sua Maestà darrà una scorsa fino a'loro, et quando possa tirare secondo el desegno de questo Senato tutte queste cose, transferirà le comitie de Pietricovia a qualche loco qui vicino che sia commodo a tutte queste nationi, cioè Polloni, Lituani et Livoni.

Così S. M. solo parte in fretta et senza Grancancelliero et Vicecancelliero, li quali se portano li sigilli, de maniera che non se farrà mai faccenda, et hanno fatto un sigillo piccolo de altra sorte, et consegnatelo al Sig. Miscoski primo secretario, se in questo mezzo el Re harrà da scrivere qualche cosa particolarmente.

El Cancelliero torna a Cracovia, et el Vescovo ancora, quale parte venerdì et farrà carnevale per strada in certe terre sue, et la prima domenica de quadragesima sarrà in Cracovia. Io dalli doi sudetti ho fatto domandare a Sua Maestà quello che li piaceva che facesse, per non trovarlo alla improvisa, quando andava alla audientia, et el Vescovo hiersera me venne a trovare con dirme che havendo Sua Maestà tutto questo tempo a star in moto che li piacerebbe che io andasse in Cracovia, come farrà anco Sua Signoria Rma; al quale io resposi che sempre io starrò in Cracovia o in Vilna, cioè in Littuania, come li piacerà. De più per l'altra mia de 5 li scrissi, come già havea desgannato tutti li Senatori, che non se devea restare de mandar l'Ambassatore secolare, se ben non dava el voto, et quando potria el medesimo farria con Sua Maestà. El Cancelliero et Vicecancelliero per parte mia l'hanno detto quanto io allegava, però hieri Sua Maestà fece bonissima elettione del Castellano Brzesinense Senatore molto honorato, fratello carnale del Vescovo de Chelma et genero del Palatino Sandomirio, che è fratello della bona memoria del Conte de Tarnow, se chiama Conte Stanislao Volski, et parla benissimo italiano et molto amorevolmente de noi altri. È ben vero, che se el Re havesse eletta una persona bassa fuori del Senato, che sarria venuta più presto, perchè non harria hauto bisogno de intervenir nelle cose del Regno, ma per giovar qui, è stato meglio che tutti doi li Ambassatori siano Senatori de conto, in mano de quali sta el governo del Regno in le cose ordinarie, et particolarmente quella della fede, dove quelli che non sonno del Senato siano del parentado, grado o ricchezza qual si voglia, non sonno in stima, et se bene sarranno umpoco tardi, non se trovando al principio del Concilio, nondimeno me è parso meglio che venghino persone che giovino qui, et siano lì umpoco tardi che se vedessero lì persone che poi qui non fossero in consideratione.

Ho fatto instanza poi alla audienza che ho havuto da Sua Maestà, che me dica se vole che partano questi Ambassatori avanti le comitie, o pure che spettino, et me dicesse el tempo determinato che partiranno; ma trovandose stretto me ha resposto che consultarà con el Cancelliero et Vicecancelliero, et se resolverà del tempo secondo che harrà li avisi, et al tempo debito me avisarà, et che non mancarà a l'uffitio suo; però io non so voluto passare più avanti et essasperare.

L'ho pregato poi che voglia scrivere una lettera amorevole al Vescovo de Premislia che è gia partito de qui ammalato, che non voglia mancare al tempo debito de andare, che oltre farrà el debito suo farrà cosa grata a Sua Maestà, et che lo recognoscerà alle occasioni, perchè andando sì poche persone è vergogna de questo Regno, et me ha promesso de farlo; l'ho poi pregato che in loco de quell'Abbate cacciato da Dansc, che era determinato che andasse al Concilio, che deputasse un altro che andasse, et così subito commese si scrivesse a l'Abbate de Tremesnensis come più atto de tutti l'altri, che andasse subito al Concilio. Lo pregai ancora che volesse proveder a quel Vescovo de Chiovia alli confini d'Europa in Littuania, che per esser lutherano et non se curare della Chiesia, che nominasse qualche persona che potesse andare al Concilio, sendo in questo paese l'altri o vecchi, o ammalati, o impediti, et potea eleggere alcun che havesse el modo; al che me respose, che quando sarria in Littuania, li parlaria et vederia quanto potesse fare, et me ne darria resposta.

Ultimamente li parlai che non volesse imputar Nostro Signore se havesse hauto alcun suspetto de l'andata del Cannobio in Moscovia, procedendo Sua Santità tanto candidamente in le sue attioni con molte raggioni; al che me disse non haver hauto suspetto de Sua Santità, nè meno del Cannobio, el quale a torto lo imputaria, ma si ben d'altri, da quali sempre vien offeso, del che sapeva ch'io era informato et però non volea dir altro.

Cracovia, 31 Gennaro 1562.

Hierisera con la gratia de Dio arrivai in Cracovia, et non ho voluto mancare per l'ordinario, che parte questa matina, avisare la morte della bona memoria dell'Arcivescovo de Gnesna Primate et Legato nato de questo Regno, la quale penso che Vostra Signoria Illma harrà intesa prima da altri, non havendo io havuta commodità per el viaggio de scrivere se non hora.

Morse questo Signore con sanità et longa vita de Vostra Signoria Illma alli 12. del presente mese, et alli 14. che la matina seguente partiva da Lonza el Re hebbe la nova presente el Vescovo de Wladislavia, et contra la opinione de molti piu volte se asciuttò l'occhi dalle lachrime Sua Maestà dicendo che era una grandissima perdita, et che faceva benissimo l'offitio dell'Arcivescovo et bon Senatore, et se ben alcuno li haveva detto che impedisca li suoi desegni, che non lo credeva, sendoli stato gratissimo et fidelissimo servitore. Dopo disse al predetto Vescovo che facesse oratione, come pregaria ancora lui Dio, che lo inspirasse a far bona elettione a questi tempi che importa tanto.

Pareva assai sbattuto el Re alla sua partita, o sia stato el caso dell'Arcivescovo per esser de 41. anno, come era quello, o perchè non se senta molto gagliardo, et pure un bonissimo medico del Frigoli, che sta con Sua Maestà confidentemente, me ha detto che non andarà in longo la vita sua, perchè ha preso un stilo la sua complessione, che ogni minimo dolore di podagra o altro che li venga, sempre li concorre la febbre continua, nè se lassa governare, come è quasi comune stile del paese, non mangia in sanità quasi niente et quello la natura rende indigesto come lo piglia, de maniera che solamente se nutrisce del bevere, che sarrà otto volte per pasto senza quella, quando va a dormire, de vini grandi senza acqua come se usa quì, si che Dio l'aiuti, perchè è un Re de dolcissima natura et molto amabile, et questo Regno non vedendo la successione sta a gran pericolo de travaglio, et se sta de mala voglia.

Partì Sua Maestà el giobbia matina, cioè alli 15. molto fastidito per li negotii et non volse compagnia nè da Vescovi nè da Signori, con la fameglia sua sola, et nel montar in un vehicolo strasinato da sei cavalli sopra el giaccio, come si usa qui dalle grandi, un contadino sagacissimo con molti altri comenciò a gridar senza darli del Serenissimo o Sacra Maestà: Re fa la giustizia alli tui sudditi; et accennandoli Sua Maestà con la mano che stessero quieti, quello seguì dicendo: Se la Maestà Vostra non vole le fatighe et udir li populi, non deveria reggire, ma non ce facendo la giustizia Dio maledirà voi et la posterità vostra; el Re contra el suo costume ce fermò, et intendendo chi erano, li disse ch'el Referendario li havea spediti, et quello respose: È vero, ma non secondo le leggi, odite bene, et poi starremo quieti; a quali disse Sua Maestà: Non ve posso spedire secondo el desiderio vostro; et còsì andò via.

Per l'Arcivescovato molti fanno instantia, et se el Vescovo de Cracovia el volesse, non è dubbio che harria; ma per esser de eguale entrate l'uno et l'altro, cioè de 40. millia fiorini, et per non far la spesa della speditione, et perchè è più facil cosa che reste el sigillo con el Vescovato, et el Vescovato ha manco concorso de genti et manco spesa et belle commoditadi in la Città Regia, oltra che ha tanto dominio temporale sendo el Vescovato de Cracovia Duca Severiense, se stima ch'el Vescovo non lo vorrà. Onde la commune opinione è che debbia esser del Vescovo de Wladislavia, perchè in questo convento è stato molto stimato, et tutto el Senato recorreva sempre da lui per conseglio, et lo facevano come capo. È ben vero che se crede non lo nominarà Sua Maestà fino che se facciano le Comitie, perchè habbia da aiutar li suoi desegni et contener li altri in offitio et speranza che quella chiesa sua che vale 25. millia fiorini, alla quale molti più attendeno che a l'Arcivescovato, si che io credo certo che restarà a lui, perchè altrimente in le Comitie harriano delli romori, sendo un cervello terribile et de grande seguito.

La matina che partì el Re, el Vescovo dopo pranzo pigliò el viaggio per Cracovia, ma avanti la partita andò insieme con el Grancancelliero a trovar el Vescovo de Wladislavia, et li dissero, che se ben l'Arcivescovo era un homo da bene, nondimeno che l'havea tenuto disunito con lui et altri Signori, et che forse Dio l'havea tirato a se per accomodar le cose del Regno, et lo pregorono che volesse unirse con loro Cancellieri, perchè oltra la bona voluntà che ha la Maestà del Re verso lui, vederia quanto importaria questo alla essaltatione sua et del Palatino de Plosca suo fratello et delli sui, et lo possono promettere, perchè questo è il stilo del Regno che li Cancellieri sendo Consiglieri secreti del Re distribuiscono tutti li gradi, honori et emolumenti, el bon vecchio ha detto che lo vole fare, et io che ce posso qual cosa non ho mancato dell'offitio mio. Me resta un dubio solo che se lui sarrà Arcivoscovo, el Re de bocca sua me ha detto che non è bene che l'Arcivescovo parta dal Regno a questi tempi, tanto più se non ce sta Sua Maestà, onde bisognarà per le cose del Concilio fare nova deliberatione et cercare che in loco suo vada chi harrà la chiesa sua. Mando a Vostra Signoria Illm̃a la copia de una lettera che me scrive lo Oricovio, acciò veda quanto sa bene accommodar el caso suo come feci, et quanto frutto se cava della sua reduttione, el che meglio se giudica da chi è quì. La Maestà del Re me ha molto raccommandato el sopra nominato medico suo del Frigoli, del quale dice haverne fatto far già officio per el Cannobio, et che Nostro Signor ne havea data commissione al Rm̃o Simonetta, et che poi sonno vacati certi benefitii in casa sua, però desidera molto che reste satisfatto, et me ha pregato strettamente che io ne faccia de novo officio con Vostra Signoria Illm̃a.

El Dispoto ha mandato qui un suo a supplicar Sua Maestà che lo voglia accettare in quelli termini che era Alessandro Palatino già cacciato, et che se obbligarà servire questo Regno meglio che non faceva quello; ma el Re li fece intendere ch'el seguitasse in Lituania, perchè non lo poteva espedir alhora et così fu fatto. Già l'ho scritto qualmente quelli Turchi et Tartari mandati dal Bassa in favor de Alessandro, vedendo li populi inimici se retirorno; onde el Dispoto era pacifico, et havea refatte le spese de 100. millia tallari al Laski Pollacco, et donatoli 30. millia, de più datoli 35. millia tallari de entrata che fa la gabella delli bestiami, con patto che ogni volta li bisogne sia obligato servirlo con 300. cavalli a sue spese. Et perchè altre volte ho scritto ch'el Re se lamentava in questo caso de l'Imperatore, che fosse mancato alle sue lettere, hora mando la copia della lettera, per la quale la Cesarea Maestà se defende, dicendo che havea promesso de non aiutare quella impresa, ma non de impedir el Dispoto se per altra via poteva recuperar el sno come ha fatto.

Da Lonza scrissi che era eletto per Ambassatore secolare el Castellano de Brenzinen Senatore molto honorato, ma non bisogna pensare che questi partino sino a Aprile che siano finite le cose del Regno, tanto importante che hanno hora per le mani et se bene el Re dà bone parole, non la vole altrimente, ma alhora certamente non mancaranno ch'io so el tutto.

Cracovia, 18 Aprile 1562.

Se bene alli 4. del presente per l'ultima mia scrissi a Vostra Signoria Illm̃a come in Prosavizza quattro miglie lontano de quì, dove sonno fatte le Comitie particolari della Pollonia minore, erano state rebuttate le proposte del Re, nondimeno vedendo tutta via seguire mala satisfattione del suo governo, non voglio mancare de dirgli quello che ha veduto uno degno de fede che me l'ha riferito, che quando la nobiltà approvò el detto del Palatino de Cracovia, et rebuttò quello del Grancancelliero et del Vescovo Vicecancelliero, non solo i grandi, ma tutti li putti publicamente comenciarono a gridarli dreto, adulatori et de-

struttori della libertà Pollonica, talmente che non volsero andar a Città nova, dove più in grosso haveano a ragunarsi con altre provintie. Et ho inteso che a molti della Pollonia maggiore è despiaciuto, che non siano fatte le Comitie generali dicendo apertamente contra la persona del Re, che uniti tutti insiemi harrebbeno potuto provedere alla Republica loro, quando non fosse voluto tornare a reggerli. Finalmente hanno concluso che a questo effetto vada in Lituania a Sua Maestà el Palatino de Cracovia, come persona principale, et con lui tre nobili, uno de Pollonia maggiore, uno della minore, et uno de Russia, et dicono che partiranno quest'altra settimana, benchè a far movere queste genti in l'essecutione delle cose publice ce bisognino le bombarde, ben credo che questo Regno non possa durar longamente, così che Sua Maestà non torni et non faccia quanto pertiene al suo offitio, perchè li animi sonno molto essacerbati, et a longo potriano fare qualche sinistra deliberatione, come l'hanno fatta altre volte contra altri, et hora publicamente dicono. Io ho scritta una lettera al Palatino de Cracovia delle cose del Concilio et delle altre nove, perchè è bene mantenerlo, sendo persona de stima in ogni Stato, et anco acciò le faccende se intendino meglio, che alcuni le dicono, so certo me responderà, et intenderò da lui qualche particolare.

Ho saputo come da principio se trattò el parentado della prima sorella del Re con el Duca de Filandia, et dopo de tutte doi con l'altro fratello Duca d'Ostrogotia, et che el Re de Svetia dopo che ha veduto non andar avanti el suo maritaggio con la Reina de Inghilterra, ha fatto instanza che pigliando le doi sorelle per li sui fratelli, se intromettesse questa Maestà a farli havere una figliola della Maestà Cesarea, per il che il Re ha ordinato al figliuolo del Palatino de Cracovia morto suo Ambassiatore, che chiarisca quel Re che l'Imperatore mai gli darà la figliola, et per questo veda de indurlo a pigliar una di queste sorelle che più li piacerà, ma quando questo non habbia effetto, al che vole se usi ogni diligenza, li commette che non lassi d'effettuare con li doi fratelli, et se ne spetta la resolutione per la Pentecoste.

Dopo l'assenza del Re tre anni dal Regno, de quante faccende se doveano fare, fu concluso solo el giorno per le Comitie generali dal Re et Senatori, et queste dopo è stato resoluto che non se faccino, et fu concluso per quel dì che era martedì passato un parlamento tra el Vescovo de Cracovia et heretici sopra alcuna cosa politica, acciò in tanta licenza se vivesse da l'una et l'altra parte pacificamente. In quel giorno vennero da sua Signoria Rm̃a sei heretici deputati, alli quali disse che essendo nobili tanto essi come li Ecclesiastici, che così chiamano quì li Catholici, et vivendo sotto el medesimo Re, leggi et libertà, era conveniente che trattassero concordia, et benchè in quel loco delle Comitie particolari recercato da essi, li havesse detto che venissero in Cracovia dove vederia de stabilire alcuna cosa, nondimeno in questo caso de tanta importanza havendoce ben pensato non se vergognava de mutar opinione, però desiderava sapere da essi se venivano come particolari da questa Diocese, o pure havessero mandato per tutto el Regno, li quali dissero particolari della Diocese, alhora el Vescovo disse che li pareva che essi in quelle cose politiche che voleano trattare dovessero tutti consentire, et lui sarebbe da l'altra parte con li Vescovi, et poi el Re con el Senato se poteria ponere in mezzo et stabilire quanto se concludesse. Et questo fu laudato dalli heretici, ma pregavano sua Signoria Rm̃a che sarria bene che intendesse qualche particolare che loro desiderariano, et che non li pareria molto fuora del raggionevole, così similmente potria proponere lei per la parte delli Catholici, et a questo modo al suo tempo le cose sarebbero meglio et più facilmente resolute, ma perchè l'hora era tarda, et el Vescovo ha havuti quattro di la febbre, della quale adesso è guarito, fu resoluto che tornassero el dì seguente. Così sua Signoria Rm̃a incontinente mandò a dirme tutto questo per el suo medico, al quale io modestamente resposi, che questa resolutione in nissun modo me piaceva, perchè in somma non era altro questo che fare un Concilio nationale, cioè da una parte tutti li heretici del Regno, da l'altra li Catholici et el Re con el Senato per accomodare et prestare la autorità, la qual cosa quanto fosse honorevole a Sua Maestà et al Senato, quando un Concilio generale come questo simile a li antiqui sta nel colmo delle faccende, essi da banda ne facessero un particolare, consideri sua Signoria Rm̃a che honor li sarria, nè obsta che dichino de non parlar delle cose della fede, ma solamente delle politiche, perchè una tira l'altra quando le persone sonno insiemi, ma de più dico che in tal caso non è meno lecito parlare de moribus, ma dalli Principi christiani se deve pensar a esseguire quanto se determina nel Concilio.

De piu havea da considerare sua Signoria Rm̃a quanto era successo in Germania et altri lochi infetti, che de questi colloquii sempre haveano perso qualche cosa li Catholici, li quali per pietà o pregati, aliquid indulgebant, onde dalla parte sua quanto è stato promesso sempre se è osservato, ma li heretici hanno fatto il contrario, del che quì proprio hanno l'essempio, perchè in le Comitie de Varsovia alli Vescovi fu levata l'autorità de procedere contra li heretici, et questo ben s'è osservato, ma li heretici che

promesero non spogliar più chiese in le loro ville, non robbarle, nè violentar li contadini, non ne fanno niente. Dissi molte altre cose a proposito secondo che Dio me inspirava, che tutto non se puol scrivere, per il che era de opinione che questo parlamento non se facesse, o pur se lo voleano fare per le decime sole che pagano li Nobili, et dicono che resolvendose a pagare queste, poco a poco tornaranno alla Religione, che io era de opinione che più presto sua Signoria Rm̃a lo facesse particolarmente et se trattasse solamente questo et la osservatione del Decreto de Varsovia, perchè potea ben essere certo che se farria alcuna cosa bona, quello che se statueria in la sua Diocese, ciascuno segueреria quell'essempio. De più che avertissi bene, che l'intentioni delli heretici erano queste, perchè essi vedeno un Concilio così notabile, et dicono se bene il Re adesso non fa alcuna essecutione contra noi, a qualche tempo se farrà la giustitia, quando se essercitarà li giuditii, et ce sonno pure le leggi de Pollonia, quod qui talia commiserunt, amittunt honores, gradus etc. si che hanno paura et consentеriano a qualche cosa in favor della chiesa, per cavare dalli Vescovi qualche tolleranza, et in li giuditii dire poi, li nostri palatini, li nostri Senatari hanno concesso, onde con difficoltà mai se li potria levare, però bisognava ben avertire. Questa mia opinione è approbata dal Grancancelliero, et volse anco che la dicessi a un Senatore suo amico Castellano de Sandec gran Thesauriero, perciò dissi al medico che riferisse tutto questo al Vescovo, al quale io sarria andato come li mandai a dire, se non che li heretici non pigliassero occasione de dire che io havea sturbato el tutto. El medico referì a sua Signoria Rm̃a et fu remandato a dirme, che non dubitasse, perchè non farria mai cosa che non fosse utile alla chiesa et a lui honorevole. Ma el medico proprio me ha detto che fu bonissimo avertirlo, perchè havea comenzato molto bene a considerare tutto. El dì seguente li heretici tornarono et proposero che non se havesse più a parlar delle cose passate, et non havessero a essere molestati come in Francia, et se li concedesse un loco per fare le sue cerimonie quì, et così servarebbero el Decreto de Varsovia, et pagarebbeno le decime, dal che se puol considerare la loro mente, come ho detto. El Vescovo li persuase, che se devessero unire et rabbracciar con loro avanti li giuditii, et restituire secondo el Decreto detto, et poi domandare el resto, onde fatto longo raggianamento sopra de questo se partirono senza conclusione, et per quanto me disse hieri sua Signoria Rm̃a che volse per ogni modo venire a trovarme, usò queste parole che non ne sarria altro, come è costume loro de fare rare volte resolutione, et mostra de haver sincero animo in le cose della Religione.

Me disse poi el Vescovo che dal loro Amabssatore hanno inteso che l'Imperatore procurarà de levare la chiesa de Vratislavia da questo Arcivescovato et sottoporlo a quello de Praga, el che se Nostro Signore concedesse, questo Regno receveria per grandissima ingiuria, et farebbe quella demonstratione che potesse, si perchè tutta la Silesia altre volte è stata sua, come anco hora ne hanno fino a un miglio a quella Città, et quando se fanno molti atti publici, quel Vescovo comparisce come Suffraganeo, Sua Santità è prudentissima, farrà quanto li parerà, a me basta scrivere quanto me se dice.

Questa Pasqua ho havuto da fare assai con el Grancancelliero per la communione sub utraque non per lui ma per altri, ma perchè questa cosa pate dilatione scriverò un altra volta non potendo più per haver presa medicina che non so stato molto bene questi dì.

Me ha detto el Vescovo de Cracovia che pensa el parentado delle Signore Infanti andarà avanti, et che el Re deve scusarse dandole a questi non essendoce altri che le pigliano, perchè li principi de Germania, con li quali questo è solito parentare, sonno tutti infetti, et queste sonno già quasi vecchie, ma Sua Maestà procurava dargli qualche persona dabene appresso come ha fatto con l'altre sorelle, de più che questi principi non se curano de dote, se ben Sua Maestà non mancarà alle sorelle, ma ha anco detto che presto andarà un Ambassatore per domandare una figliola a l'Imperatore per el Re de Svetia, et che li otto barili de argento quel Re non li dona al nostro Re, ma li impresta gratis, et se ne cavaranno 100. millari, de più li offerisce impresto 300. millia tallari, ma de questo vole pegno alcune terre in Livonia, che Sua Maestà ha havute adesso, el che non farria senza grande necessità, et che de tutto questo aspetta un Corriero per le resolutione, le quali quando verranno me farrà sapere.

Cracovia, 25 Aprile 1562.

Questa sarrà per far sapere a Vostra Signoria Illm̃a qualmente la Pollonia maggior, la Russia et la Masovia vedendo che in le Comitie particolar la Pollonia minore havea resoluto, che in absenza del Re non se dovesse far la Congregatione generale del Regno, giudicando qui che meglio se provederebbe alli bisogni publici, facendo el contrario, el giorno destinato per el principio delle Comitie generali se sonno trovati in Petricovia, dove erano editte, sette Palatini, talmente che non ce man-

cato se non el Palatino de Plosca fratello del Vescovo de Wladislavia per esser ammalato, ventiotto Castellani, et doi Vescovi, cioè Wladislavia et Chelma, la quale cosa sendo saputa dal Grancancelliero et dal Vescovo de Cracovia Vicecancelliero, non potendo essi esservi a tempo, ne hanno mandato l'Archidiacono de Cracovia per Ambassatore del Re, a far le propositioni et excusarsi. La Pollonia minore ne ha mandato anco a pregarli che non pigliassero alcuna resolutione senza essi, onde se è resoluto che per tutto el Regno se mandino cinque Ambassatori a pregar Sua Maestà che torni a proveder et fermarse qui per la necessità che ce è, et se li è mostrato bonissimo animo, perchè se li dà intentione de pagarli 10. millia cavalli et 5. millia fanti, per custodire le cose sue, dal che potrà conietturare che se offerisce questo el Regno, quando non ha alcuna satisfattione de lui, che sarrà per fare in presenza, quando se vede che faccia el debito, per il che se stima che trovandosi questi Ambassatori al fine de Maggio in Littuania, sia facile cosa che Sua Maestà, come harrà mandato le sorelle a marito et possa lassar la Littuania provista dalle incursioni delli inimici, vedendo questo bono animo della Pollonia verso lui, el quale non se credeva, che sia per venire et fare qualche deliberatione de importanza. Erano concorsi in Petricovia per el giorno delle Comitie intimate oltra li Pollachi, li Ambassatori del Marchese Elettore de Brandeburgo, del Duca de Prussia, et de Pomerania. Quelli de l'Imperatore erano per viaggio, et non vennero avanti che se dissolvesse el colloquio. Quando vedo el modo de negotiar quì, qualche volta vengo in fastidio a me medesmo, et dubito che la Signoria Vostra Illm̃a non pensi che ce sia manco sollecitudine de quella se rechiede per la parte mia, però mando la Originale propria che me scrive el Signor Pietro Miscoski primo Secretario che tiene el loco del Vescovo de Cracovia, che ha da socceder Cancelliero, se lassa o manca quello al suo offitio. Onde son andato a Sua Signoria Rm̃a, et dopo che fu in dolcezza havendo ragionato de alcuna cosa che li piaceva, li proposi che per honore del Re, del Regno et de Sua Signoria Rm̃a che negotiava, volesse esser contenta proveder alle cose del Concilio, et finalmente me ha promesso in termine de quindeci dì fare, che sarrà in ordine chi harrà da andarne tanto per prelato come per Ambassatore; al quale io dissi, et cosi me promette Vostra Signoria Rm̃a, et me dà licenza ch'io lo scriva a Nostro Signor et al Concilio, et me respose, così scriva Vostra Signoria Rm̃a in nome mio, ben è vero che non ve prometto hora che sarrà Arcivescovo Wladislavia, che vada lui, perchè in questo caso giudico che sia meglio che reste nel Regno, dove prima sempre faceva instanza che andasse via, ma ve dico che lui o altri andarà certamente, et questo habbiate per fermo, del che lo ringratiai assai. Dopo Sua Signoria Rm̃a me mostrò la lettera che li scriveva el Re, che finito el giorno della tregua tra el Moscovita et Sua Maestà, senza che alcuno considerasse questo, el Moscovita con grande multitudine lassando da parte la Livonia che se combatteva, havea assaltata la Littuania improvista, et gia havea abbrugiate più di 170 ville, et menati via li homini et bestiami, per il che Sua Maestà havea mandati per li soldati mercenarii che havea in Livonnia, et tutta via ordinava la militia de Littuania che se li dovesse opponere, ma ben lo pregava che facesse intender tutto questo alli Signori de Pollonia, sapendo ben essi che la segurtà de Pollonia depende dalla salute de Littuania. Dopo me disse che pensava che se concluderebbe el matrimonio delle Serenissime Infanti con li Duca de Filandia et Ostrogotia fratelli del Re de Svetia, et che Sua Maestà dovea esser scusata, si perchè tutti li Principi de Germania con li quali sole parentare sonno simili, si perchè le sorelle sonno vecchie, et non sonno altri a chi honestamente se possono dare, si perchè non curano della dote, et anco per haver el detto Re un piede in Livonia, et de più per la inimicitia del Moscovita, et quel Re l'aiutarà et con li denari et resto del suo potere: al che io ho detto, almeno provedino quelle Signore de boni predicatori et simili, et così se farrà, perchè se non ce sarranno Pollacchi, se domandaranno a Sua Santità delli preti de Iesu.

È retornato l'Archidiacono de Cracovia da Petricovia, et me ha detto quanto ho narrato de sopra, de più che se teneva per certo ch'el Vescovo de Wladislavia fosse Arcivescovo, et sua Signoria Rm̃a diceva per ogni modo voler andare al Concilio per far el debito suo; ma che tutti li Signori erano de contraria opinione, anzi dicevano che lo forzarebbeno a non andare per utilità del Regno. Io son certo che in ogni stato che harrà sua Signoria Rm̃a, le monitioni mie per el respetto de Nostro Signor ce potranno assai, ma son dubio in questo caso, perchè me piaceria assai che ce andasse, si perchè già in Comitie generali fu eletto a questo officio, de più lui è de grande autorità et de maggior sarrà Arcivescovo, al quale non è Signor nel Regno che non parli con la barretta in mano. Da l'altra parte el Re proprio me ha detto che non è bene che l'Arcivescovo se scosti dal Regno, tanto più

hora che non cè successore certo, perchè a lui tocca de haver la cura, de intimar le Comitie, et proporre quelle che li pare, el medesimo dicono li Vescovi, et ne fanno instanza tutti li Senatori, si che me sarrà caro intendere quanto debbia fare, et sarrà remesso a me, vedrò la deliberatione del Vescovo de Cracovia circa el mandare, et poi farrò quanto Dio me inspirarà.

Se deve recordare Vostra Signoria Illm̃a quando io arrivai qui, che de nissuna cosa havea più rumore che delle benedette annate, perchè pareva che queste fossero quelle che spogliassero el Regno, et per gratia de Dio con la Maestà del Re, con li Vescovi, Senatori et altri usai tali et tante raggioni, le quali hora non replicarò, che non è stato più alcuno che ne habbia detta parola, così in tempo mio è stata spedita la chiesa de Cracovia, de Premislia, Leopoli, Chelma, et Wladislavia senza romore, et se non havesse fatto altro qui, son contento havere levato questa diceria, havendo fatto costare a ognuno, se la Sede Apostolica piglia questi emolumenti dalli Regni, quante sonno anco le spese che sostiene per le cose publiche. Hora sia detto senza temerità, perchè a me pare che sia debito mio de proporre quanto iudico esser bene, et poi lassar deliberare a chi tocca, dico donque che sendo apena un anno che de nove chiese che sonno in questo Regno senza Prussia et Littuania, sendone spedite cinque, et hora se spedirà l'Arcivescovato che non sonno tre anni che fu spedito, et similmente se spedirà un altra volta Wladislavia che l'harrà el Vescovo de Chelma, et così sarrà de Chelma in poco più o meno di un anno, el che accadde anco l'anno passato in Premislia, sarria de parere che se li facesse qualche gratia per togliere le occasioni a' maldicenti, che de novo non pigliano a fare el loro solito, et gia oltre da essi Vescovi che spettavano, da alcuni nobili amici ne son stato avertito, però in tutto me remetto al prudentissimo iuditio de Nostro Signor et della Signoria V. Illm̃a.

Chelma penso ch'el Vescovo de Cracovia el farrà havere a Conarski Ambassatore, perchè el Miscoski non lo vole aspettando Plosca. Se è lamentato el Vescovo de Cracovia che Nostro Signor ha dato a Conarski una reserva, in la quale se comprendeno li Iuspatronati Regii; al che ho resposto che Sua Santita alli Ambassatori delli Re crede, et è solito a concedere simili gratie, el che se è contra la consuetudine Pollacca, lamentise de Conarski et non del Papa, et perchè me ha domandati doi benefitii che son vacanti in quella diocese, li ho dati dicendome, se despiacesse a Conarski che me defenda lui; al che ha resposto, se non è savio che come l'ha mandato con honore, lo farrà tornar con vergogna.

Cracovia, 10 Maggio 1562.

Questa sarrà per far sapere a Vostra Signoria Illm̃a, qualmente già la Maestà del Re ha nominato Arcivescovo el Vescovo de Wladislavia, et a questo el Vescovo de Chelma, et a quel de Chelma el Signor Conarski Ambassatore, perchè non l'ha voluto el Signor Miscoski primo Segretario per esser Cancelliero, se el Vescovo de Cracovia lassarà l'offitio alle future Comitie, et in recompensa del Vescovato ha hauto una prepositura che lassa Chelma de 4 millia fiorini de entrata. Questi Signori non hanno ancora mandato a me, come penso che farranno per trattar la espeditione, ma non potrà tardare, perchè è venuto da Lovizo un servitor del Grancancelliero, el quale me dice ch'el nominato Arcivescovo el voleva far aspettare per scrivere, et poi li disse che non tardasse tanto, perchè mandaria un gentilhomo aposta. Certamente io me son rallegrato assai che questi doi gratificati l'anno passato da Nostro Signor siano deventati el primo et terzo Senator del Regno, et se puole sperare assai da questo Arcivescovo, sendo de gran credito appresso li laici, et la pietà de Sua Santità non solamente ha guadagnati questi, che hora si puole considerare, de quanto importanza erano, ma anco li fratelli de l'uno et de l'altro che erano heretici, et hora sonno in favor nostro, et pur in queste Comitie della Pollonia maggior el Palatino de Plosca fratello del nominato Arcivescovo se è portato molto bene, et sendo ponto da un heretico, che adesso parlava altrimente de quello faceva, li respose quando era parvulus loquebar etc. per il che concludo che se il Re tornasse nel Regno et attendesse umpoco alli negotii, se potria sperar qualche bene, et sarrà facil cosa che torni, perchè questa settimana sono andati l'Ambassatori del Regno, tra li quali è il Palatino de Cracovia primo Senator laico testa ferrata, et hanno commissione de dirli che se verrà a reggere come deve, che essi defenderanno a loro spese la Littuania, altrimente sarranno forzati a proveder alli bisogni loro et hanno dette parole che altrove sarria crimen laesae Maiestatis in primo gradu. El Vescovo de Cracovia me ha detto che Sua Maestà verrà come harrà mandato le sorelle a marito, et provisto alle scorrerie et danni che potria far el Moscovita. El Grancancelliero me dice che darrà bone parole, ma che non spetta nessuna essecutione bona.

Li Duchi de Filandia et de Ostrogottia fratelli del Re de Svetia veniranno a Dantisco terra del Re in Prussia, et lì hanno ordinato al Soderini che porti 15 millia tallari de drappi per vestire la fameglia et andaranno a Vilna a fare el matrimonio con le Serenissime Infanti per el giorno de San Giacomo a 25 de Luglio.

El Moscovita alli 25 de Marzo finita che fù la tregua, quando questi Littuani dicevano che non ce era pericolo alcuno per non esserce provisione, con 19 millia cavalli ha fatto grandissimo danno, menato via gran moltitudine de homini et bestiami, et abbruggiato una moltitudine de ville, che in questi et quelli paesi tutte sonno de legno, et quando li Littuani sonno stati in ordine, al modo de Tartàri se sonno retirati al paese. El Re l'ha dechiarato per inimico, et se va provedendo per offenderlo, ma lentamente.

È vacato el Vescovato Colmense in Prussia, el quale se ben in questi paesi non è in gran consideratione, puol importar assai in quelli, non sendo in tutta la Prussia altro che Varmia et questo, et me stato detto ch'el Signor Miscoski ha fatto nominar un Abbate dividendo la badìa tra sui Senatori, el quale Abbate non sente bene della Religione; ne domandai hieri al Grancancelliero, et me disse che non cognosce la persona, ma che sa li sui heretici. Non ho potuto parlar con el Vescovo de Cracovia per haver cantate le messe, et primi et secondi vesperi l'ascensione et hieri per santo Stanislao; ma a un Senatore che ce ho mandato, ha detto sua Signoria Rm̃a che questo Vescovato è stato prima dato che lui l'habbia saputo, et che dubita de quel Abbate, ma non sarria bene metter questa fama che sia herético, fintanto che la cosa non se chiarisca, et che io potria scrivere a Roma che se vanno per la speditione che se intertenesse, perchè in questo mezzo esso informarà del vero, et non mancarà de far quello offitio che conviene, sì che se parerà a Vostra Signoria Illm̃a de dirne una parola a Nostro Signor penso che sia bene, et con questo li baso humilmente le mani, che Dio la conservi.

Cracovia, 4 Giugno 1562.

Per questa saperà Vostra Signoria Illm̃a che la Maestà del Re, quando intese esser partiti per la volta sua el Palatino de Cracovia et l'altri Ambassatori, o sia stato perchè in le Comitie particolari habbia veduto che hanno bon animo de aiutarlo in la guerra tornando in Pollonia, o pur per paura mormorando de eleggere un'altro Re, se non li voleva governare, o pur per non dare questo honore a quelli che sonno andati, ma mostrar da se stesso bon animo verso de loro Sua Maestà ha mandato a tutti li Senatori, che l'avisino del tempo et del loco per fare le Comitie generali del Regno, et per quanto io intendo dalli Signori che sonno quì, se ben alcuni le vorriano in Cracovia, se farranno in Petricovia, perchè la Pollonia maggiore ha più Senatori, del tempo sonno d'accordo per San Michele, sendo in quel tempo finito in quelli paesi tutte le raccolte, per la qual resolutione se entra in speranza che questo squonquassato Regno potrà pigliare qualche indrizzo o in tutto guastarse, che Dio lo guardi, sendo stato tanti anni senza giustitia.

Mando una lettera dell'Arcivescovo nominato, per la quale Vostra Signoria Illm̃a potrà vedere quanto me scrive della speditione della chiesa, dello abboccamento che ha da far con el Vescovo de Cracovia, et del mandare un'altro Vescovo a spesa de quelli che restano, et promette darme aviso de tutto quello che negotiaranno, il che desidero, perchè è gia partito Cracovia et se abboccaranno in una terra venti leghe cioè cento miglie delle nostre, et ho inteso da bon loco che ha animo non solamente trattare con l'Arcivescovo le cose del Regno et fare prattica che li resti el sigillo, ma anco qualche concordia con li Herctici con un parlamento, et questo lui fa per mostrare de voler amorevolezza con tutti per havere manco contrarii in le Comitie, el che facilmente ha demostrato quì, io ne ho advertito l'Arcivescovo nominato per uno che arrivarà doi dì prima del Vescovo. Et volesse Dio che non fosse venuto a Cracovia, perchè non solamente ha scandalizzato me, ma tutti li Catholici, se bene non ha mancato in cantar le messe, le feste solenni, et fare l'olio santo et cose simili, ma ha voluto dare pastura a l'una et l'altra parte, dove li Heretici ne haveano grandissima paura prima che venisse, et ogni poca de demostratione almeno con li forastieri havesse fatta, era de grandissima importanza. Nè li mancano scuse apparenti quando l'ho parlato con dire che li forastieri hanno dependentie, et con questi homini liberi bisogna farseli benevoli con li conviti con tenerli appresso et farli delle gratie; ma la verità et la causa è quello ho detto de sopra. Et il Grancancelliero me ha detto, che alla sua partita li disse che non li mandasse mandati Regii da esseguire, che dopo ha veduto che in sua presenza ha scrullata l'acqua su le spalle d'altri et non fare niente, che meno esso vole lassare inimicitie alli figlioli: et fastidiria troppo

Vostra Signoria Illma, se scrivessi quanto è passato tra el Grancancelliero et me sopra questa materia, maximamente quando me ha detto che ha fatto dare un Capitaneato al Castellano Occeski vechio ribaldo, et quando esso ha ricuperato questa cosa, el Vescovo ha resposto, est potius temerarius quam haereticus.

Alla partita ha fatto un banchetto dove era el Cancelliero, el Maresciallo del Re, el gran Thesauriero, et tutti l'altri Signori che sonno quì et io, et perchè qui dura gran tempo el magnare, in quel mezzo un Republicone, grandissimo heretico, chiamato el Signor Ossolinski laudando assai el Vescovo in tutto, biasmava che tenesse el sigillo con questo Vescovato incompattibile, et non stimasse li statuti del Regno, el romore era grande, perchè alcuno defendeva et altri biasmavano. El Vescovo che sedeva da piedi alla tavola venne più volte a sedere da capo appresso me, che quì l'usano quelli che convitano, et me l'havea detto a l'orechia ch'esso faceva questi conviti, perchè quando erano allegri, diceano ciò che haveano nel core, et poi una volta stando pur appresso me sendo irritato da questi, se lassò uscire de bocca, che se tutto el Senato li sarrà contra, vole vedere chi li levarà quel sigillo dalle mani che lui non lo vol lassare, in somma alli Catholici dice quando sarrà confirmato che farrà et dirrà, a l'altri promette etc. Io non me son voluto rompere, se bene ho veduto cosa che non me piace, perchè farria peggio che non stima el mondo; ma me aiutarò con l'Arcivescovo, Palatino de Cracovia et altri amici, secondo che vederò el bisogno, et con lui me intertengo.

El Grancancelliero me ha detto che la stimana passata ha scritto alli Illmi Borromeo, Mantua et Puteo, che se degnino impetrar la mita della speditione per l'Arcivescovo, non replicarò le ragione che dice, quali dice havere scritto, hora instantemente prega me che faccia el medesimo officio, onde non posso mancare, et perchè lo Illmo Borromeo me avisa da parte de Nostro Signore che delle cose se domandano: de qui dica la opinione mia, dico che penso sarria bene recognoscerlo, et poi che ha comenzato esser nostro guadagnarlo in tutto, perchè chi ha qui l'Arcivescovo, quando è da qualche cosa come questo, se puole dire che habbia la mita del Senato, che non è poco in ogni cosa che puole soccedere, donarli un terzo tanto della annata come della propositione et minuti servitii, perchè questo fa quanto la mita della annata, et non se gravaria tanto le annate sole. De più è bene da considerare che in poco più de un anno è stato proposta doi volte Premislia, doi volte Chelma, et doi Wladislavia, Cracovia, Leopoli, Gnesna, et hora vaca Colmense, che sonno quasi tutti li Vescovi del Regno, et se si usa rigore, se darrà dire in queste Comitie, che donandoli un terzo farranno satisfattissimi, et con questo li baso humilmente le mani.

Cracovia, 20 Giugno 1562.

Giovedi undeci del presente el Vescovo de Cracovia se abboccò con l'Arcivescovo nominato, el quale subito speditte un suo gentilhomo con la presente inclusa credentiale per ragguagliarme, non havendo tempo a scriverme de sua mano, et in somma quello che recercava el Vescovo era che se facesse un abboccamento da persone che havessero mandato generale delli heretici con essi capi delli Catholici, et che in politicis fessero qualche concordia avanti le comitie, acciò alhora pacificamente potessero trattare el resto, l'Arcivescovo domandò li particolari da raccordare, li quali el Vescovo disse essere, inprimis che tutte le chiese spogliate se restituessero, che le decime se pagassero da tutti secondo la consuetudine, et che li Ecclesiastici tanto in le terre come per viaggio sotto gravissime pene non fossero offesi, al quale disse l'Arcivescovo che queste cose sonno sante et bone, nondimeno che bisognava pensare, che dalla parte delli heretici sarria ricercata alcuna cosa che loro salva la conscienza et l'honore non l'harria potuto fare, tanto più in conspetto del Concilio, dove se tratta de moribus, come della fede, con il resto delle raggioni gia scritte et avisate destramente tra l'Arcivescovo et me per l'abboccamento, et se ben Cracovia allegava l'essempio de Francia che se è venuto a l'arme, et questo se imitava qui, se non se fa qualche concordia. Finalmente l'Arcivescovo ha concluso, che questo con più reputatione et authorità se trattarà in le comitie presente el Re et Senato, che sonno giudici del Regno, et delli Ecclesiastici non se domanda se non quello che è in le loro leggi, le quali se hanno da osservare, se desiderano conservare la libertà. Io ho resposto a l'Arcivescovo che ha fatta bona resoluttione, perchè se in apparenza le propositioni pareno bone, el fine sarrebbe stato cattivo, maximamente per li desegni particolari de alcuno che gia per l'altra mia a longo scrissi. Hanno parlato poi de mandar el Vescovo de Premislia, et l'Arcivescovo ha scritto al Re, che se non è necessario più lì Conarski eletto a Chelma, come dice Sua Maestà, che lo burlano che ce mandi anco esso per più honor del Regno. Benchè de questo penso che Cracovia se curi poco, perchè el Grancancelliero sapeva la resolutione ch'el Vescovo de Cracovia havea fatta con me de mandare el Vescovo de

Premislia per Ambassatore, et el bon Vescovo trattava de mandar un fratello de Melinski suo Secretario, che per molte raggioni a me nè al Regno sarria piaciuto, la sorte ha voluto ch'el Re ha mandato al Grancancelliero un corriero, acciò ch'el consegli che debbia fare in la causa del stato de Bari et delli 600 millia ducati che li deve dare el Re Cattolico, sendo che non cavi se non parole, et se li pare, che per la dignità sua Regale non debbia piu comportare questa baia, ma commettere questa causa avanti N. Signore overo referir la sua iniuria nel Concilio generale, et de più li domanda parere de questo Abbate fratello de Melinski sudetto, se li pare honorevole. Onde questo Signor me fece promettere de esser secreto, et disse che voleva che io vedessi se me amava, et me mostrò questa lettera, della quale io restai smarrito a considerare che se cammini con sì poca fede, havendome detto che li pareva bonissimo Premislia, et che gia ne havea scritto; per questo el Grancancelliero et io havemo scritto al Re consegliandolo con molte raggioni, et se la cosa non è fatta, so certo se remediarà et havemo l'uno veduto la lettera de l'altro, et li scrive liberamente. Questa lettera desidero che non se legga in congregatione, acciò sia più secreta, perchè bisogna intertenerse con el Vescovo ancora et qualche cosa fingere, et me sarrà caro sapere la recevuta di essa presto.

Mando anco la copia della lettera dell'Arcivescovo, acciò sappia che presto mandarà per la speditione et quel denaro che potrà, perchè del resto che non harrà gratia, ha pregato me che l'accommodi, et che a poco a poco me li renderà come fece l'anno passato, et io lo voglio servire et poi che se porta sì bene con noi et sempre me avisa el tutto, et me manda gentilhomini aposta, che non se fanno queste cose senza spesa, io credo che sarria bene farli qualche gratia, tanto più quanto essi sanno che alli dì passati fu fatta del tutto del Vescovato de Conca al confessore del Re Catholico et in un anno et mezzo, come dicono essi, è stato proposto Cracovia, Leopoli, Colma, Gnesna, et doi volte Wladislavia, doi Premislia, et doi Chelma et hora dicono esser morto Camenacense che sono quasi tutti li Vescovati del Regno, et se tenemo contenti questi doi adesso che se farranno le comitie, et sonno vacati tanti Vescovati, non è dubio che se fermaranno queste annate che non se ne parlarà più.

Me son resoluto de mandar a Vostra Signoria Illm̃a la copia de una che me scrive el Rm̃o Simonetta, per la quale potrà considerare, quanto è potente la verità che subito che io scrissi et detti campo che se trovasse el vero, se ammutì, et altra cosa è venire a paragone, altro a scrivere de nascosto. Dopo ha mandato qui un suo servitore a offerirme quanto puole, et io ho fatto el medesimo con el nepote et quel servitore. Li Pollacchi con l'aiuto de certi Tartari confederati hanno levato l'assedio de Riptesko de 40 millia Moscoviti, con gran perdita de essi, a l'improviso. De più s'è abbrugiata in Moscovia la città de Scopp con 800 barili de polvere, talchè questi sonno molto contenti.

Cracovia, 27 Giugno 1562.

Pensava questa stimana non fastidire Vostra Signoria Illm̃a con mie lettere in questi caldi, ma sendome sopragionta la allegata lettera del Vescovo de Cracovia et il resto che scriverò, me è parso de non restare. Quanto al primo Capitolo gia per la mia passata del 20 deve haver inteso che ho provisto con l'Arcivescovo, che non se farrà altro trattato fino alle comitie generali. Circa l'ultimo che me scrive della resegna della Custodia de Cracovia, che dubita non se faccia in Roma, è vero che el Nominato de Wladislavia per farli despetto la desidera et ha mandato a me un gentilhomo per sapere, se io lo voglia accommodar de li denari per la sua espeditione et repigliarli qui, per non fare spesa et ponerli in pericolo, et a pregarme per disponer o retenere questa Custodia della Cathedrale de Cracovia; el primo l'ho permesso, in el secondo l'ho fatta qualche difficoltà, perchè ce sarria gran romore, et la opinione mia è, se bene desidero ogni bene al Vescovo di Chelma nominato Wladislavia, che Nostro Signore non dia questa retentione in Concistoro, overo prohibisca in li lochi dove se admetteno le resignationi, perchè invero è cosa contra la consuetudine de questo Regno, alla quale se bene Sua Santità non è astretta, nondimeno queste sonno genti, che quando vedeno alcuna cosa contra le loro leggi esclamano mirabiliter, et sarria homo el Vescovo de Cracovia per dirli in la faccia in le comitie, che loro instano contra lui al sigillo, et da Roma fanno venire la destruttione delle leggi loro, sì che me pare non se faccia, et me basta per tener satisfatto el Nominato de Wladislavia de accommodarlo delli denari che li è carissimo, et forsi piacerà a Sua Santità farli qualche gratia in la espeditione, et con questa cosa non irritare Cracovia.

È venuto da me amorevolmente senza farmelo prima intendere el Grancancelliero et scrivo queste parole, perchè importa assai qui che se vedano simili atti, sendo lui sempre accompagnato da tutta la caterva delli Nobili così heretici come Catholici, et me ha mostrato una lettera del Re secreta che non è passata per Cancelleria, in la quale Sua Maestà li scrive come a un padre, et lo ringratia delli suoi conse-

gli, dopo li dice che è resoluto venir onninamente et che non se lassarà più subornare da alcuno, et che vole in tutto et per tutto rassettare questo dissipato Regno, che Dio ne li faccia gratia, havendolo troppo lassato scorrere che non fece così suo padre, onde li sono aggionte tante provintie: la lettera è latina et ce sonno queste parole, che non facendo così vede non solum Regni destitutionem, sed et sui ipsius interitum, de più dice che gia harria intimato el loco et dì delle comitie generali, perchè è obligato farlo cinque stimane prima che commenzino, ma aspettava che finissero de venir le resposte de tutti li Senatori per conformarse con la maggior parte, et subito intimeria, et che questo fosse certo che non lo impediranno nozze nè guerra, ma solo Dio quando li mandasse tanta infirmità che non potesse esser portato. El Cancelliero pensa che Sua Maestà sarrà per S. Bartholomeo, ma io l'ho detto che non penso possa essere, perchè non metterà manco de un mese in viaggio, che mai passi quattro de queste miglia el dì el Re che vol per commodità sua 760 et 800 cavalli la casa sua solamente, poi a quel tempo li Senatori et Nobili a pena hanno finite le raccolte, et vol tempo a ponerse in ordine, che compariscono superbamente in questi atti publici, et io l'ho veduto in Varsovia al Sinodo, et in Lonza al convento de Signori. Onde penso non potrà esser fino al fine de Settembre. Ho hauto gran consolatione de questa confidenza che mostra con me el Grancancelliero, perchè è veridico nel negotiare, et poi senza dubio a ditto de ognuno è la più savia testa che sia in questo Regno et a casa se li cognosce, che se ben suo padre era nobile lo lassò povero, et hora ha 35 millia fiorini de entrata, sì che harrò bono appoggio et attenderò a conservarme l'altri che ho, et guadagnarme se potrò con l'occasioni, perchè quello sarria el tempo de finire l'offitio mio, et quanto ho inviato che piaccia al Signore Dio che sia con frutto della Religione in suo santo servitio et honore de Nostro Signore, et penso che Dio habbia fatto venire questa occasione de queste speditioni che Sua Santità li mostri qualche benignità in questo tempo, non senza causa, perchè sua divina Maestà ogni cosa ordina in pondere, numero et mensura. Questi spettano resposta della lettera del Grancancelliero all'Illmo Borromeo, se possono havere qualche gratia in questo mezzo vanno preparando el denaro.

Detti quell'aviso de quell'Abbate eletto al Vescovato de Colma per quanto me disse el Vescovo de Cracovia, el Cancelliero et doi Canonici, li quali non sapevano alcun particolare, et con el Re per l'assenza non ho potuto fare altro, et per la lontananza non me son chiarito delli particolari, perchè in tanta distanza non se puol più che tanto, sì che quanto ho scritto serva per aviso.

Monsignor Santa Croce me scrive che non ha trovato più vero amico che Vostra Signoria Illma, del che molto me allegro. El Grancancelliero et io non havemo anco resposta dal Re per l'Ambassatore Vescovo al Concilio.

Cracovia, 28 Giugno 1562.

Dapoi che hebbi mandato hiersera le lettera alla posta gionsero qui li servitori delli nominati Arcivescovo et Wladislavia, li quali vengano a Roma per sollicitare l'espeditione de loro padroni, non perdonando a fatica, acciò piacendo a Nostro Signore spedirgli presto, possino come tali comparire alle Comitie generali del Regno, alle quali se ben la nominatione habbiano il luoco secondo le loro leggi, l'Arcivescovo più lo desidera per portare la croce avanti per tutti come si usa qui, tanto per viaggio, come per la terra sempre, et cosi entrare nel Senato, il che anco torna in honore della Religione et confusione degli Heretici. Però io supplico Vostra Signoria Illma che si degni aiutargli et favorirgli come creature l'uno et l'altro di Nostro Signore, et riconoscano certamente l'uno esser diventato prima persona, et l'altro terza di questo Regno molto ben da Sua Santità, come io lo vede a gli effetti delle cose che occorrano qui. Nè voglio mancar di dire a Vostra Signoria Illma uno honorato essempio, che dà di se adesso l'Arcivescovo, cioè che manda con questi servitori li nepoti del fratello et sorella con alcuni altri figli de gentilhuomini, che usano far così quì li grandi per aggratuirsi alli nobili, in Vienna a sue spese a star nel Collegio delli Preti Reformati, che ha instituito la Maestà Catholica, acciò imparino le lettere et buoni costumi in un tempo, et forse questo levarà l'andare a Vittemberg et Lipsia luochi infetti.

Il Vescovo de Wladislavia non darà più molestia, per quanto mi dice il suo Segretario, per la custodia della Cathedrale di Cracovia, ma havuta la confirmatione lassarà libera la possessione al Vescovo di Cracovia, et così restaranno d'accordo questi due Vescovi con mia satisfattione. Questi Segretari non portano tutta la summa che bisogna per l'espeditione, si perchè è gran fatica in questi paesi trovar tanti denari insieme, si perchè hanno speranza de havere qualche gratia per le ragioni già scritte. Et quando non si possa havere, hanno pregato me, che io faccia trovare dalli miei amici sino a tre milia ducati in Roma che essi me li restituiranno quì, et così io gli ho promesso, perchè queste cose recono-

scano con grande obligo, et dà reputatione non solamente a me, ma giovano anco alle cose publice per accidens. Hora non ho altro da scrivere per questi servitori havendo scritto hieri quanto occorrea per la posta. Però baso humilmente le mani a Vostra Signoria Illm̃a.

Cracovia, 18 Luglio 1562.

Finalmente el Re ha scritto al Grancancelliero che mandi le lettere al Vescovo de Premislia che vada per suo Ambassatore et de tutto el Clero al Concilio, et de più li ordina che se li pare de mandare el Senatore seculare lo remette a lui, et li dice, come habbia a supplire per la provisione del Vescovo. Hora se fa la speditione, et io non dubito del Cancelliero, perchè come me ha servito con il Re a fare questa elettione, così non mancarà nel resto, et io hoggi pur scrivo al detto Vescovo, a l'Arcivescovo et Vescovo di Cracovia, et spedisco in varii lochi dove se trovano, perchè me par se posso venirne a fine con la gratia de Dio havere fatto le forze de Hercole. Questa elettione me piace più che del Sig. Conarski, et altri che siano andati per el tavoliero, perchè se ben li altri sonno nobili et de conditione, nondimeno questo è della prima casa de tutta Russia, e delli primi letterati che siano in questi paesi, è tenuto tanto dalli Catholici come heretici de vita bonissima, et la Città de Premislia, in la sua entrata li fece una orazione, in la quale li promettevano in tante varietà de opinioni che erano in questo Regno, per la fede che haveano in lui voler sempre seguire la dottrina sua. De più sarrà persona che li Signori Legati l'harranno sempre a voto suo, come quelli che desiderano el meglio, et particolarmente è molto amorevole di Monsignor Rm̃o Varmiense. Oltra questo me è piaciuto che se parta un Ambassatore Vescovo gia et Senator da questo Regno, et vada al Concilio più presto che far andarce uno de fuori, et che se ben è nominato, non è però anco visto mai in Senato, et quasi se mandasse una cosa superflua overo in un loco che non se havesse de havere consideratione. Del Senatore secolar non ho fatto instanza, havendome avisato li Illm̃i Legati che sarrebbero stati più contenti del Vescovo solo per le difficoltà delle precedentie, et benchè io cognosca che quanto a l'utilità del Regno meglio sarrebbe stato ce fosse venuto el Secolare ancora per quietare li Senatori laici, et anco li heretici che credeno più a questi che alli Vescovi, quali dicono esser astretti al Papa, et pur nondimeno non ho voluto passare el desiderio de sua Signoria Illm̃a, tanto più che Monsignor Illm̃o Borromeo così me ha dato ordine.

Vostra Signoria Illm̃a non dubiti se io per venir una volta a fine de questo negotio me son aiutato del Cancelliero che per questo me rompa con el Vescovo de Cracovia, perchè tutto è stato fatto destramente, et sua Signoria Rm̃a se porta bene meco, et desidera conservarse, perchè lo tenga unito con l'Arcivescovo, che se sente molto obligato per gratia recevuta da Nostro Signore per mezzo mio, et per li denari accommodati doi volte per le speditioni, et anco me ha desegnato che l'aiuti con el Palatino de Cracovia che è molto mio, et per questo in el fine de questo anno tanto penurioso me ha mandato a donare del fieno, della biada et delli polli amorevolmente.

Mercore venne la nova che dopo essere stato quattro anni ammalato el Vescovo de Posnania passò a l'altra vita, et è venuta da Podolia la certezza che è morto el Vescovo Camenacense, talchè dopo io son quì tutte le chiese del Regno sonno vacate, ce resta solamente Plosca vecchio de 73 anni, quale trema molto col capo, et in Prussia Varmiense, per questo influsso sì grande in tanto poco tempo ho posto avanti che se faccia qualche gratia a l'Arcivescovo come capo del Regno, et che paga assai in la speditione, et così al Nominato de Wladislavia sendo spedito questo medesimo Vescovato la state passata, acciò in queste Comitie non se faccia romore de tanti denari che se spoglia al Regno, et se si faria, habbiamo questi doi che dichino la gratia loro, et ce defendino, et non vorrei essere tenuto presuntuoso, havendo più volte recordato questa cosa, perchè me pare che l'offitio mio sia dire quello che puole esser bono et poi lassar fare a chi tocca.

Questo Vescovato de Posnania se lo vorrà el Sig. Miscoski primo secretario sarrà suo, ma dicono non lo pigliarà se ben val 20 millia fiorini, per esser incompattibile con el sigillo, et per le prattiche che si vedeno sarrà sforzato el Vescovo de Cracovia lassarlo in le Comitie, et gia el Vescovo è molto pentito essere absente, perchè Miscoski essercitò con gratia del Re et Senatori, per questo se stima che l'harrà el Signor Preslaski che è molto da bene et tra li spettanti non ce conosco meglio, benchè ne attendeno li parenti per el Signor Conarski per esser in la patria loro, ma penso non li socciederà.

Tra Moscoviti et questi non è più successa cosa notabile dopo la retirata. È arrivato in Dantisco Città principale in Prussia del Re el Duca de Filandia per le nozze, et spettava lì el fratello

Duca de Ostragotia, al quale ha mandate le nave che hanno portato lui, perchè el Re de Svetia lor fratello non l'ha voluto accommodare delle sue, stando questo Re alterato con lui, perchè ha pigliato una terra in Livonia appresso el porto de Revel, che li dettero Todeschi al tempo passato, et se scusa con questa Maestà che non l'ha fatto iniuria, perchè ha recuperato quello che l'havea tolto già a lui el Gran Maestro, ma el Re ne sta in collera et è stato per guastar el parentado, et con questo baso le mani di Vostra Signoria Illm̃a.

Cracovia, 29 Luglio 1562.

Pensava per questo ordinario poter scrivere el giorno determinato ch'el Vescovo de Premislia Ambassatore al Concilio se mettesse in viaggio, perchè el Vescovo de Cracovia me havea promesso che subito verria la determinatione del Re, sua Signoria Rm̃a trovaria el denaro, acciò non se perdesse tempo; hora che Sua Maestà ha scritto, et Premislia ha accettato, el Vescovo de Cracovia è andato in Pollonia maggiore, al quale ho scritto, et non ho anco resposta, ne ho mancato con questi Vescovi che non possono andare che contribuiscano, li quali tutti hanno promesso, eccetto el Vescovo de Cracovia, che dice non voler dare del suo, perchè esso porta gran spesa per la Corte del Re, et pure adesso l'Arcivescovo me scrive queste parole: Rm̃o D. Premisliensi sciat Vostra Illm̃a et Revm̃a Dominatio provinciam ad concilium proficiscendi demandatam esse, quam ne merito propter tenues redditus detractare possit vel ascensu ad vacantem Posnaniensem Episcopatum, vel si D. Miscoski concesserit altius, beneficiis vel contributione nostra providebitur. Hoc autem ego nunc curo, insto, urgeo, ut si illa priora aliter evenerint, contributio per nos publica quantocius conferatur, ut nullam detrectandi muneris causam habeat. Ho voluto scrivere questo a Vostra Signoria Illm̃a, acciò sappia che se fa quanto puole per la parte mia, et non posso più che tanto; de più ho voluto proponerli quando li paresse, se Nostro Signore et el Sacro Collegio facesse qualche gratia in questa speditione, de dirli a questi Signori che non debbia havere loco se non mandano al Concilio, perchè io son certo che il Re butta questa spesa sopra li Vescovi, come harrà Vostra Signoria Illm̃a veduta in quella copia che li mandai per l'altro ordinario, et particolarmente il Sig. Miscoski primo Secretario me l'ha scritto et dittomelo el Grancancelliero che Sua Maestà per la spesa della guerra et per le nozze che ha da far delle sorelle, non ha el modo, onde è necessario che li Vescovi contribuiscano, et se non andasse el Vescovo de Premislia, non saperia dove voltarme per un Vescovo honorevole, sonno in questo Regno con la Prussia dieci Vescovati et sei se hanno da proponere in Concistoro, che per molte raggioni longhe a dirle nessuno de questi sarria per andarve, tanto più hora che se hanno da far le Comitie generali che sonno quattro anni che non sonno fatte, et ognuno se vol trovare in Senato per poter giovare a se et alli sui, sì che non mancarò dalla parte mia quì in sollicitare l'Arcivescovo et l'altri, et se quanto li propongo de sopra li parerà bene, se degnarà darmene aviso.

El Re scrive al Cancelliero che sta spettando quelli Duchi per fare le nozze in Littuania, dove dice che li sarrà minor spesa che se venisse a farle quì, perchè ce concorreriano molti Principi de Germania, parenti et Ambassatori, a quali è solito donare. El Duca di Filandia arrivò in Dantisco de Prussia città del Re, et aspetta lì el fratello Duca de Ostrogotia, in questo mezzo Sua Maestà è condennata in le spese con 300 bocche et cavalli. De più l'avisa che era arrivato a Sua Maestà un Ambassatore del Turco, el quale lo pregava che si come el Re suo padre lo recercò che la tregua che haveano insiemi alla vita loro durasse per la vita sua ancora, così hora lo prega che Sua Maestà voglia prorogarla alla vita del figliolo, qual vole lassare herede del l'imperio, et el Re è resoluto de farlo piacendoli la quiete con dir che non vole inimici da più bande, sendo hora in rottura con el Moscovita, certamente in una occasione che christiani fossero de animo da far guerra al Turco, da niuna parte potria esser più offeso che da questa, che fino in Constantinopoli non ha fortezze, il paese è grossissimo da sostenere ogni essercito con fiumi che vanno lì a seconda, et con manco spesa se fanno li soldati a cavallo che in li paesi nostri, et sono più stimati et paventosi a Turchi; ma non se li puole persuadere che se fidino dell'altri Principi, et con questo baso humilmente le mani etc.

Cracovia, 15 Agosto 1562.

Molte stimane sonno scrissi a Vostra Signoria Illm̃a che da alcuni Prelati de qui me era stato detto, ch'el Nominato Colmense in Prussia era suspetto in le cose della Religione, et che per sapere la verità, et anco acciò se facesce qualche offitio ne havea parlato con el Vescovo de Cracovia, et perchè delle cose lontane et tra absenti se ne viene con difficoltà a fine, me deliberai scriverne al Sig. Miscoski primo

Secretario che hora governa come già faceva el Vescovo de Cracovia, acciò se questa imputatione non fosse vera, non se nocesse ad un homo dabene, et se fosse, e la Maestà del Re non fosse stato informata, potesse a tempo nominare un altro al quale Nostro Signore potesse gratificare, et non havesse mai a negare cosa ricercata da Sua Maestà; però hora mando la copia della lettera che me scrive il Re, per la quale giudico che habbia molto a core questo negotio, scrivendone a Sua Santità et a me, non havendone scritto a lui, ma solamente al Signor Miscoski, et per megliore informatione mando la originale del detto Signore tutta de sua mano, perchè scrive apertamente l'animo de Sua Maestà, et añco circa el Vescovo Ambassatore per el Concilio. Onde io ho resposto a l'uno et l'altro esser vero che me era delato el detto Nominato, et però l'havea avisato, nondimeno me piaceva che Sua Maestà havesse fatto questo testimonio oltra la nominatione, perchè con questo demostrava non haverlo fatto a contemplatione de alcuno, ma per le sue qualità, et questo atto geminato li havea da giovare et purgarlo da ogni calunnia, et che sia tale come dice Sua Maestà, si come vedemo quando el Signore Dio in le scritture replica doi volte el medesimo è segno che quella cosa così sarrà, et che la vuole efficacemente. Et che io non era per mandare altrimente in Prussia, valendo appresso me el testimonio de Sua Maestà et de sua Signoria più che de infiniti particolari, et così era certo sarrebbe appresso Sua Beatitudine, la quale desidera tanto de gratificarlo in tutto quello che puole. Et penso che sarrà bene servirlo in questo, et Sua Santità li potrà respondere quanto li piacerà, et non dubiti Vostra Signoria Illma che sia stato cattivo questo avertimento.

Monsignor Arcivescovo a questi dì passati me ha mandato con una lettera credentiale a dirme ch'el dì de Santo Bartholomeo se congregarono in Sandomirio, città quindeci leghe de quì, tutti li heretici del Regno per resolvere quanto hanno da fare in le Comitie contra l'ordine Ecclesiastico et altri loro affari, ma ch'io non dubitasse, perchè già lui havea ordinato con molti amici che ce interverranno, che mettano dispareri et dissensioni, onde habbiano a partire senza resolutione, et questo è il modo che sogliono tenere quì, per il che rare volte concludeno niente, et così tienga chi tiene, et viva el Signore, perchè in quelle diversità se el Re non vole una cosa efficacemente, non se resolve niente, così pensa Cracovia ch'el sigillo li reste, cioè ch'el Re non se inclini più de qua che de là, ma molti dicono che se gabba, perchè el Cancelliero et Miscoski per molte cose longhe l'hanno sbattuto dalla gratia del Re. A Vesliza pochi dì sonno congregati circa ottanta nobili de questo contorno per concordare le varie sette che tengono; finalmente ciascuno volendo defender la sua, sonno venute a parole, et con le loro scimitarre se sonno dati de bone ferite et partiti senza conclusione. Qui non hanno un capo li heretici, nè una heresia sola, ma secondo che ciascun nobile in la sua villa ha el predicatore de Moravia, o Francese, Italiano o Todesco, così è Calvinista, Confessionista, Anabatista etc. Ho cercato de sapere che unione haveano con Francesi, et con li capi non hanno intendimento, ma li predicatori de questi scriveno a quelli, et quelli respondeno, et in le novità non mancano bugie, onde sin al giorno ch'io recevo lettere sempre ce sono dispute, et el bello è che l'una parte et l'altra poi crede alle lettere mie, overo delli Soderini, perchè stanno a quello che si scrive, per il che faccio coniettura che non hanno intendimento, se non che ciascuna parte vorria che la sua passasse bene, tanto più li heretici hanno paura quanto hanno fatto contra li statuti, pensando forse ch'el Re si scoprese come demostrava qualche anno fa, onde temeno l'essempio de l'altri Regni, et così lì desiderano felice successo senza altro.

El partir de l'Ambassatore resta solo per li denari come puol vedere Vostra Signoria Illma in le lettere de Miscoski, che ha haute già le lettere del Re, però io scrivo hora a l'Arcivescovo che se proveda da sua Signoria o altri per el viaggio solo, et per el vitto lì voglio darli le mie provisioni, et repigliarli poi qui secondo se rescoteranno dalli Vescovi, questo faccio per facilitar el negotio, et per mandarlo una volta via.

Quì se stampano le lettere per le Comitie generali, ma non ce mettono el giorno, perchè la portaranno al Re che ce lo metta per quando vorrà comenzarle, perchè anco lui non lo sa, per respetto che spettano prima el Duca de Ostrogotia per fare le nozze, al quale mando le sue nave el Duca de Filandia, che l'aspetta in Prussia in una terra del Re, et con questo baso le mani de Vostra Signoria Illma, che Dio la conservi.

Io non vorria che Vostra Signoria Illma pensasse che io desideri qualche facoltà per mio utile, perchè dapoi l'amicitie guadagnate me sarria stato utile non haverle haute, et non tenere a mia tavola et dar provisione alli Ministri, ben li dico che stando qui, et maximamente al tempo delle Comitie ho per cosa scandalosa non haver niente, per il che crederei fosse bene concedere absolutioni di irregolarità in foro

conscientie, che quì sono necessarie, et lì potria dir gran cose in questo dar indulgenze per fare spesso la processione del Corpo di Christo, et anco commettere le cause giudicate che hanno li Ordinarii superiori, acciò trovino remedio della approbatione senza andare a Roma, che non ce mandano, et dicono perchè se tiene quì el Legato senza facoltà et senza servire al Regno; ansi ne entrano in suspetto et dicono che ce fa quì etc. Io non domando de poter dispensare in matrimonii, nè dar benefitii o che se creda voglia utile, ma certe cose simili a quanto dico de sopra, et che remetto al giuditio di Vostra Signoria Illma. Io vedo incaminate le cose del Concilio et anco le faccende di questo Regno, che se ne puol sperare el fine da Febraro o Marzo incirca, però me consolo che se harrò a patire le stufe, li viaggi et bughe questa vernata.

Cracovia, 22 Agosto 1562.

Pensando non haver che scrivere per questo ordinario, me son redutto fin a questa hora che bisogna scrivere in fretta, perchè non me parso lassare indietro queste doi cose che ho. La prima è che scrissi alli giorni passati, se dovea fare una congregatione de heretici in Sandomirio per deliberare quanto li pareva contro el stato ecclesiastico alle Comitie, et haveano occasione, perchè se congregava la nobiltà per sentir la resposta delli Ambassatori che già mandorno al Re. Hora sonno stati insiemi, et io ho hauta bon proposito de essere con el Grancancelliero che se absenta de quì per un mese per revedere li sui Capitaneati, per il che ho inteso tutto et della Religione non se fatto pur una parola, sendo partiti con grande dissensione per conto della Maestà del Re, perchè una parte diceva che havendo inteso in che termine era questo Regno et le offerte fatte, postposto tutto dovea tornare, et che le nozze delle sorelle poteva farle così in Pollonia come in Littuania, et mentre aspettava el Duca de Ostrogotia havea a fare el suo debito quì; in questo tutti erano concordi, ma la dissensione è stata che una parte voleva prefigere termine a Sua Maestà fino al dì della Circumcisione d'esser quì con animo de fermarse et fare l'offitio suo, et quando non facesse questo haveano fatto una scrittura, la quale voleano se sottoscrivesse da tutti et se giurasse che se privasse del Regno et se venisse a nova elettione. In questo se sonno opposti el Palatino de Posnania heretico, et el Palatino de Sandomirio, el figliolo del Conte de Tarnow con altri Signori Catholici con molte raggioni, de modo che sonno partiti senza conclusione. El Grancancelliero sta mezzo desperato con dire che el Re per la sua natura et per le sue delitie de Littuania lassa tanto scorrere le cose, et pigliare tanta licenza, che quando sarrà forzato a pigliare remedio, non sarrà più a tempo; ansi soggionge che esso con l'altri Signori qui tuentur partes Regis, portano grandissimo pericolo, per questo ha spedito a Sua Maestà con farli sapere el tutto, dicendoli el suo parere, et perchè è solito sempre con le cose serie usar qualche facetia, li scrive che li manda le lettere stampate per ponerce el dì della sua tornata et delle Comitie, le quali ha così ben ligate che se non le apre per el dì de San Michele, potranno stare senza guastarse fin alla Circumcisione, che è il dì che quelli voleano prefigerli, et ridendo me disse, semo ben cattivi noi Polacchi ancora come voi Italiani, et io li resposi, el doppio, perchè andate in Italia, dove imparate tutte le nostre et retenete le vostre malitie.

La seconda cosa che voglio avisare si è che spero vincer ogni difficoltà per mandare questo benedetto Ambassatore al Concilio, perchè hieri arrivò quì un gentilhomo mandatomi dall' Arcivescovo con cinquecento scudi, et me scrive che lui non manca sollicitar li Vescovi del Regno, et perchè de tutti non ha se non bone parole; per venirne a fine esso voleva dar questo essempio a l'altri, se ben era gravato de debiti, et hora li bisognava far una spesa sì grande per le bolle. De questa demostratione io son restato molto contento, et prega Dio che viva longo tempo, perchè ne harremo ogni satisfattione, et me reiesce grato in ogni cosa, et per questo anco de novo lo raccomando a Vostra Signoria Illma in la sua espeditione.

Hora io scrivo al Vescovo de Premislia et a l'altri Vescovi per finirla, perchè non ho altra via che questa, et quanto al Re, non trovava questi denari, anzi scriveno che ha dato el Vescovato de Posnania al Sig. Conarski, perchè viva de quello, et non li darrà più li 200 Ongari el mese che haveva, et un gentilhomo della Corte ne scrive che sonno decisette settimane che non hanno quelli denari che sogliono havere ogni settimana, et non è meraviglia, perchè è un tempo che questa guerra de Livonia tiene Sua Maestà in gran spesa.

Sono due mesi ch'el Duca de Filandia è in questo Regno aspettando il Duca d'Ostrogotia suo fratello per sposare le Signore Infanti, et perchè havea inteso ch'el Re di Svetia suo fratello era venuto in disparere col Re di Polonia per una terra pigliatagli in Livonia, non passò per Svetia, et non si congionse con Ostrogotia, come dovea al venire quà, dubitando non essere retenuto; però mandò le sue

navi al fratello che venisse, et ha aspettato sempre in Prussia. Questo Duca d'Ostrogotia non è anco venuto, et molti credano ch'el Re suo fratello non lo lassi venire, et vorria sposare la moglie per procure. Ma perchè Filandia piglia la più giovane, et la più vecchia si dà ad Ostrogotia, il Re non vuole dare la sua a Filandia dubitando che la maggiore non gli resta in casa; per il che si sta in travaglio da l'una et l'altra banda, tanto più quanto viene il tempo, che questi mari non si possano navigare, onde se crede ch'el Duca di Filandia con gran vergogna se ne ritorni a casa re infecta. Interim si negotia per salvare il tutto.

Cracovia, 4 Settembre 1562.

Il Vescovo di Premislia Ambassatore di questo Regno al Concilio ha mandato un suo ad escusarsi, che non farà altrimenti la strada di Cracovia, sì perchè l'allongaria, come per non haversi a fermare qui, et tardare la sua andata. Il dì della partita deve essere alli quattro del presente. Che ne saria ringratiato Dio poi che ne so venuto alla fine. Et certamente è stata elettione fatta dalla divina bontà, perchè in questo Regno non so vedere chi fosse più atto, sendo questo Signore tenuto universalmente de vita santissima, de honesta letteratura, della principal casa de Prussia, eletto nel Sinodo generale da tutti gl' Ecclesiastici, oltra che sia Ambassatore del Re. Et più mi è piaciuto che venghi questo Signore che 'l Sig. Ambassatore de Roma, se ben esso è persona dabene et mio amicissimo, perchè questo è stato più tempo Vescovo et Senatore del Regno, et gia visto et conversato nel Sinodo, nel Convento de Signori a Lompza et comitie de l'anno passato; onde appresso tutti è di maggior opinione, come anco pare più conveniente, che parta una persona di qui per il Concilio cosa tanto importante che ne pigli una fuor del Regno, come se havesse a mandare per cosa superflua o di poca consideratione.

Mando la copia de una lettera che me scrive el Vescovo de Cracovia da una sua terra, per la quale me persuadeva che non facesse partire questo Ambassatore, fintanto che li Vescovi del Regno non erano insiemi a consultare quanto havea a far nel Concilio, ma se io aspettava questo non credo che fosse andato a tempo, et ho voluto mandare questa lettera, acciò considerino come se bisogna negotiare, benchè quello l'ha portata, dice che sua Signoria lo faceva a bon fine, acciò se trovasse in le comitie per fare un sforzo in favor nostro, et che havea scritto al Sig. Conarski senza che 'l Re lo sappia che venisse ancora lui, et poi potria tornare a finire quelle faccende, sendoli dati quel Vescovato per non pagare altra provisione. El Vescovo adesso non parla, come fece una volta in tavola in presenza mia, dicendo che se tutto el Senato li fosse contra voleva vedere chi li toglieria el sigillo, quale non volea lassare; hora ha scritto a Sua Maestà che se per questo suo incompattibile se resta a fare bona conclusione, che 'l vole lassare adesso senza spettare le comitie, la cosa sta così et in questo mezzo el Sig. Miscoski fa l'offitio, al quale ha da restare levandose al Vescovo. Sua Signoria Rma mostra havere bon animo per aiutare la Religione, et a questo effetto andarà questa stimana a trovare l'Arcivescovo per consultare, et ha posto me per mezzo che lo reconcilii con el Vescovo novo de Wladislavia che ha da venire hora qui. Et gia ha mandato per la Pollonia maggiore quattro sui per caparrare li Nobili de quel paese oltra li 400 o 500 cavalli che harrà della fameglia, parenti et Capitani, sì perchè questo è il stile del paese, che li Senatori mantengono li Nobili, et li fanno le spese lì dove ognuno ha da fare o per lite o per giustitia in le cose criminali o procurare qualche cosa, et se raddurranno insiemi 30 et 40 millia persone, et non se trovano hostarie, ma quel Senatore che spende più vince che ha piu Nobili con lui, et hora fanno gran pratiche per haverne. La Maestà del Re ha intimate le comitie per el dì de S. Martino in Petricovia loco ordinario et commodo al Regno, quando se ha da stare assai et fare faccende, ma spurcissimo et di legno le case che è grandissimo il pericolo del foco per li imbriachi che qui se chiamano allegri, et non è vergogna essere portato a braccio a casa et levato da tavola omnibus videntibus. Molti hanno a male che Sua Maestà le habbia intimate sì tardo, ma a me è piaciuto, perchè a quel tempo le cose del Concilio credo sarranno assai avanti, et noi Ecclesiastici ce ne potremo valere, perchè qui non militano quelle ragioni di Germania che se sia proceduto senza essi etc. In summa piacendo a Dio io andarò un' altra volta a stare in le buche stufate, et farrò ogni sforzo, et se posso ottenere doi cose questo Regno è resuscitato: la più importante è che si restituisca alli Vescovi la giurisdittione levata in l'altre comitie di procedere contra li heretici, perchè secondo le leggi del Regno chi sostiene la scommunica per un anno incorre el banno Regale, et ho pensato de questo scriverne alli Legati del Concilio, che sarria bene in la reformatione farne decreto, et me piaceria che Vostra Signoria Rma ne li avisasse; la seconda che se restituischino le chiese spogliate, et se caccino del Regno tutti li forastieri heretici, perchè me bastaria

che li Nobili vedessero questo, che quel modo è tristo, despiace a Sua Maestà, et non se mette mano a loro per non mettere tante legne al foco, se Dio me dà gratia de ottenere questo, subito ve domando licenza che sua divina bontà sa come la comporto hormai difficilmente

El Re ha nominato l'Archidiacono de Cracovia suo Secretario per Vescovo de Chelma, et io mando a spedirla et non cerca gratia, me sarrà gratissimo che sia spedito presto, perchè sarrà molto utile alle comitie, che è delle prime case de Masovia, et vale assai in persuadere, et sarrà bene che questi Pollacchi che sonno lì portino la speditione.

El mio Agente informarà sopra el Suffraganeo de Wladislavia, et me maraveglio che la Santa Inquisitione l'impedisca per el ditto de particolari, havendo el povero homo una lite lì de tanto momento vedendo el testimonio de l'Arcivescovo che qui se tiene in tanto conto, el detto mio et del mentovato mio antecessore Nuntio che 'l benedisse pochi dì avanti la morte, sì che se deve più credere a noi Nuntii et l'Arcivescovo che a particolari, et sarrà bene de spedirlo.

Cracovia, 5 Novembre 1562.

Questa settimana ho ricevuto la di Vostra Signoria Illm̃a del xiii. di Settembre con li Brevi et lettere al Serenissimo Re et a Monsig. Arcivescovo, et penso la causa che siano venute sì tardi, sia la mutatione che si è fatta dai Soderini al maistro delle poste dell'Imperatore, il quale mi scrive che non pigli a male, si vengano tardette, perchè a questa andata di Sua Maestà Catholica a Francfort bisognava mutare tutte le poste, sì che dove le lettere venivano da Venetia per la via dritta hora è di bisogno che vadino prima a Francfort, di poi in Boemia, et ultimamente qui. Però se le mie verranno più tardi del solito, Vostra Signoria Illm̃a non si maravegliarà sin tanto che sarà posto megliore ordine, che gia qui ne fanno gran schiamazzo. Le lettere di Monsig. Arcivescovo le mandarò per il primo me occorrerà, quelle della Maestà del Re ho pensato darle io proprio, se bene andaranno un poco più tardi, sì perchè Sua Maestà è solita in viaggio non volere mai nè fatica, nè intendere lettere, sì anco perchè credo sia meglio le dia io in mani proprie, sendomi stato detto, benchè non da loco certo, Sua Maestà havere scritto in Roma, che non si domandassero più l'espeditioni di quelle Chiese. Per il che ho dubitato che non sia sdegnato, non havendo ricevuto il tutto in questa prima gratia, che ha ricercata, perchè molte volte me hanno detto, che la Polonia sempre paga denari alla Chiesa Romana, et in tante guerre che ha havute con Turchi, Tartari et Moscoviti, non gli ha dato alcun sussidio, tanto più, quanto hanno avviso esser poco tempo che è stata espedita la Chiesa di Concha, et che Sua Santità ha donato il tutto. Però è meglio che le dia io, se in questo volesse dire alcuna cosa per potergli rispondere convenientemente. Sua Maestà intrarà in Petricovia alli xxiii. di questo, dove io penso essere con la gratia di Dio, sendomi assai rihavuto della mia debilità. Non so se avanti la mia partita scriverò altrimenti più a Vostra Signuoria Illm̃a, perciò le dico, dopoi quelle lettere che lei accusa havere ricevute delle mie, havere scritto alli 4 et 22 di Settembre et alli 22 del passato, et tra l'altre cose che ho avvisato, desidero havere presto l'espeditione del Vescovato di Chelma, et il Breve al Signor Oricovio ringratiatorio del suo libro, che ho inviato al Rm̃o Cardinale Simoneta, quale penso a questa hora l'harria mandato a Sua Beatitudine, et delle buone opere che fa contra gl'heretici; circa alle mie facoltà è vero che ne ho scritto a Vostra Signoria Illm̃a, ma non mi curo più che tanto di haverle o non haverle.

Questi Signori Polacchi sono quasi tutti in viaggio ad incontrare Sua Maestà, perchè vanno sino alli confini di Lituania; ma mi pare che più presto si mettino ad ordine di fare una giornata, che havere a fare un conseglio generale, perchè il Vescovo di Cracovia havea fatto venire da Brescia armature per armare 200 cavalli, et hora di nuovo ne ha fatto venire per 100 altri, et con tutti questi è partito. Quali parte sono della sua fameglia, et parte de Capitani de suoi dominii, et 200 altri gli ne andaranno per viaggio della Pollonia maggiore, de quali sono capi tre Senatori et un gentilhuomo di conto, a quali farà le spese durante le comitie, et essi curaranno i fatti loro, al partire poi è solito donarsegli una collana de 100 o 150 ducati. Il Vescovo nuovo de Wladislavia è andato con 300 cavalli armati. De l'Arcivescovo non ho nuova quel che ancora si faccia per essere molto lontano, sendo andato a pigliare il possesso.

Il Grancancelliero, il Palatino di Cracovia et simili Signori sono gia fuora, et mettano in ordine le loro armate.

Io havea havuto un honesto et conveniente alloggiamento, ma li Signori di Gorga lutherani hanno cavato un Instromento, che hanno in quel luoco, di maniera che mi bisogna mandare di nuovo,

et Dio sa che forno mi toccarà, et dubito non mi avenga, come all'Ambasciatore de l'Imperatore l'anno passato a Lomza, che hebbe una stalla dove mangiava et dormiva. Il che se mi aviene mi risolvo più presto cacciarmi in casa de un de questi Vescovi amici, che creppare in simili buchi.

Mando a Vostra Signoria Illm̃a una lettera, che mi scrive il Sig. Prospero Nauclerio Napolitano cavallerizzo di Sua Maestà, non perchè solamente veda le pompe fatte nelle nozze del Sig. Duca di Filandia, ma perchè mi è piaciuto che la Maestà del Re, se ben quel Duca è lutherano, l'habbia fatto andare in chiesa, et contratto il matrimonio secondo che sogliono li Catholici. La qual cosa in questo paese nessun lutherano particolare vuol fare.

Cracovia, 13 Novembre 1562.

Per questa Vostra Signoria Illm̃a saperà, come piacendo a Dio fra tre o quattro giorni io partirò per Petricovia alla conventione generale, che gia comincio a rihavere le mie forze, se bene per anco non ho racquistato l'appetito. Et pure hieri mandai il mio Abbreviatore gentilhuomo honorato di qui per fermare una stanza, la quale quando non possa havere particolare, ho risoluto accettare l'offerta di Monsig. Arcivescovo di stare appresso lui; ma credo ch'el Marescial non mi mancarà, come ha mostrato sempre d'essermi amico.

In Prosoviz hanno fatte le Comitie della Polonia minore, con la qual si tiene la Russia, et in essa son state gran dessensioni, sì in eleggere li Nuntii, come anco per le cose della Religione, et per l'osservationi de loro statuti, et per li Senatori che lassino l'incompatibili. Per il che è avenuto tutto il contrario della Polonia maggiore, con la quale si tiene la Masovia et la Prussia, dove si son fatte buone deliberationi, come gia harrà possuto vedere per una lettera, che gli ho mandato per la posta passata di Monsig. Rm̃o Arcivescovo, il quale per bocca de tutti è molto laudato, perchè andò in quel luoco chiamato Colo con circa 200 cavalli della sua fameglia, vestiti con certi cappotti assai mediocri; et la mattina un hora avanti che si congregassero li Palatini et altri Senatori per fargli compagnia alla chiesa dove doveano essere eletti li Nuntii, andò con due servitori soli per fare oratione, et ivi trovati nel choro cinque o sei capi d'Heretici per non accompagnarlo, o dargli la mano, come è solito nel paese, sua Signoria Rm̃a se humiliò a fare questo atto, et dettogli molte parole convenienti gli conciliò a grande humilità. Onde essendo il tempo che 'l convento era gia congregato come Primate cominciò a dire la miseria, nella quale si trovava questo Regno per la dessensione della fede, per la mancanza di giustizia, et per la grandezza degli inimici, quali erano de intorno per opprimergli; però bisognava di considerare quelli remedii, che haveano fatti gli Antecessori loro. Et quivi narrando de un Arcivescovo 140 anni sono in simil caso havea trovato remedii ai mali loro, et poi de un altro similmente, che nel Convento era stato causa di statuire leggi santissime, per le quali questo Regno molti anni havea fiorito, cominciò ad essagerarsi et dire Beati Primati che havete adimpito l'uffitio vostro, et con simili parole ingenochiatosi in terra a demostrare la miseria de tempi et impotentia sua, raccomandandosi all'aiuto de Dio, et all'orationi loro che con esse aiutassero l'imbecilità sua, offerse la vita et sangue suo per utilità et libertà del Regno. Dove tutti incominciorno a chiamarlo per Padre et vero Primate, et perchè nacque difficoltà nelli Nuntii eletti dalla Nobiltà ch'el Senato non li volea confirmare, se pose in mezzo l'Arcivescovo con dire che nei tempi seditiosi non si dovea ponere seditione; onde l'una parte et l'altra si remesse a sua Signoria Rm̃a che facesse l'elettione, come fu fatta quietamente. Et partitosi de lì con grandissima satisfattione de tutti, spogliando li 200 suoi servitori de cappotti vestì tutta la povertà di quella terra; per la qual cosa ognun gridava: Questo è il vero Re, et così doverebbero fare tutti gli altri Vescovi.

Questo atto non solo è piaciuto a tutto il Regno, ma ancora alla Maestà del Re, et il Sig. Miscoski che aspetta di soccedere nel luoco de Vescovo di Cracovia al Sigillo scrive una lettera, dandogli una bastonata con dire: Noi aspettamo che la Polonia minore faccia una buona resolutione, come la Polonia maggiore per il mezzo de l'Arcivescovo ha fatto. Ma il Vescovo di Cracovia non è andato in Prosoviz alle Comitie particolari di essa Polonia minore sotto pretesto che 'l Palatino di Cracovia gli havea occupato una casa. Vostra Signoria Illm̃a si degnarà sollicitare l'espeditione del Nominato di Chelma, sendo che in queste Comitie non havemo altri che l'Arcivescovo, Cracovia, Wladislavia et Chelma, Plosca non ce viene per vecchiezza, et gli altri sono fuora, cioè Posnania, Varmiense et Premislia.

Scrivo a Monsig. Illm̃o Borromeo che questa è la terza invernata che vado peregrinando et stentando per questi ghiacci, stalle et stufe per fare quel poco ch'io posso di bene nell'uffitio mio,

però non mancano desagi et pericoli della vita, come ho provato nella persona mia questo anno: onde la supplico per mia contentezza si degni impetrare da Nostro Signore una libera facoltà de testare de tutto quello che in tanti anni con le mie fatiche ho acquistato. Di più, mi mantenghi in buona gratia di Sua Beatitudine et sua, come hanno fatto sin hora, et non mi lascirò usurpare la mia giurisditione et facoltà che per gratia loro et de Papi passati ho havuta, perchè con questo io faticarò più con maggiore contentezza et satisfatione in queste Comitie, quali penso habbiano da essere con gratia di Dio fine delle mie fatiche.

Petrocovia, 3 Decembre 1562.

Venne la Maestà del Re el giorno intimato in Petricovia, donde essendo un miglio pollacco lontano, fu incontrato da l'Arcivescovo et Prelati con el resto del Senato, che in tutto faceano compagnia a Sua Maestà sei millia et tanti cavalli contati da un mio gentilhomo. L'Arcivescovo con tutti li Signori smontorono da cavallo et toccorono la mano al Re, et poi secondo el costume del paese stando a piede tutti, sua Signori Rm̃a fece la oratione rallagrandose della sana tornata, demostrando la necessità del Regno, el bisogno della presenza et provisione sua, et promettendogli tutti gli offitii sui et del Senato. Sua Maestà stando a cavallo li rengratiò del bono animo, rendette raggione della sua longa absenza per causa del grande nimico Moscovita che cercava opprimerli; demostrò l'amore che li portava, havendo lassata la Lituania in grandissimi pericoli per giovare a loro, et finalmente li pregò che volessero essere uniti a esseguire el bono desiderio de l'animo suo, perchè cognosceva bene che facendose altrimente ogni cosa era per andare in rovina, onde era forzato a dire contra quelli che impedissero: Terra non sustineat, fructus eius non alant familiam ipsius etc.

Dopo se è reposata Sua Maestà questi tre o quattro giorni, et ordinò che domenica qual fu la prima de l'advento se desse principio con la Messa del Spirito Santo, che fu cantata da Monsignor l'Arcivescovo, al quale quella notte arrivò el Pallio con molta sua satisfattione, et io a dodeci hore andai a darlo, perchè Sua Maestà ode la Messa grande et la predica a hora, che in l'aurora sia finito el tutto, sendo che a quattordeci hore pranza la matina, et la sera a ventitre. Alla Messa fu accompagnata Sua Maestà tanto dalli Heretici come dalli Catholici, perchè in questi paesi sì nel parentare come conversare, desinare et tutti altri atti l'uno non schifa l'altro, et se facessero altrimente, se ammazzariano come cani, dal che tanto l'una parte come l'altra fugge: onde in chiesa erano tutti li Signori, ma ditto el Credo comenciando la predica se partì dal choro el Castellano de Cracovia, zio del Sig. Conarski, primo voto hora tra li Secolari, se partì anco el Palatino de Lublino, di Senatori grandi non me accorsi de altri, perchè quelli che cercano la communione in utraquo se fermorono tutti, eccetto quando se volse alzare el Corpo de Christo, el Conte de Gorga che stava in piedi tra li sigg. corteggiani appresso el Re se partì, se ben l'altri ridendo lo volevano tenere, Sua Maestà vedeva el tutto, ma fingeva non accorgerse, et certamente stette molto devotamente con le mani gionte cantando spesso con el choro, particolarmente finita la Messa dopo basata la patena et la mappa del calice, quando l'Arcivescovo comenciò Veni Creator Spiritus, Sua Maestà partì dal suo loco genocchiatose con tutti noi Prelati et Signori, senza scbaello et cuscino stette alla fine dall'himno, dove se vidde gran pietà in molti, et ordinò che ogni dì voleva venire in conseglio, et perchè li horologii sono varii, che hora fosse l'aurora, et un dì se parlaria delle cose publice, et l'altro spederia le cause: onde pate gran fatiga adesso che è l'advento, alle 12. hore ode ogni matina la Messa chorale cantata, alle 13. hore desina, et poi per questi freddi in un vehicolo coperto viene al palazzo degli antiqui Reggi, sendo che Sua Maestà se ne ha fatto uno lontano dalla terra un miglio italiano, chi dice per tema del foco et chi per altro, et sta in conseglio fino passate le venti una hora.

Lunedì giorno de Santo Andrea in conseglio fu salutata Sua Maestà dalli cento et tanti Nuntii delle provincie per l'ordine equestre, et toccata la mano da tutti, uno disse quanto se era patito per la assenza, li desordini del Regno, et in somma domandavano la essecutione de tutte le leggi, già promessa oltra cento anni fino al tempo de Casimiro avo de questo et mai ottenuta.

El Vescovo de Cracovia respose per Sua Maestà el medesimo che havea detto el Re al Senato, et così scusando l'absenza venne a proponere quanto se dovea trattare per necessaria utilità del Regno, che fossero tutti d'un animo, non parlando però espressamente della Religione, della unione perpetua della Littuania, che molte volte ha promesso el Re, così della parte che tiene de Silesia, de aiuto necessario et Livonia, et perchè li Nuntii haveano commissione che se non se deliberava prima la es-

secutione secondo el recesso delle ultime Comitie quattro anni sonno, che se partessero subito. Martedì non havendo el Re fatto ancora el gran Marescial in loco del morto commandò al Grancancelliero che facesse questo offitio, el quale è molto necessario, perchè nissuno puole parlare fino che lui non li dice che dica la sua opinione, et così disse a l'Arcivescovo che parlasse sopra la essecutione, el quale con molte raggioni demostrava che bisognava venire a questo, altrimente el Regno ruinaria, et dice a me che non parlò in specie della Religione, perchè se contiene in li Statuti contra haereticos, quali in vero sonno belli. Commandò poi al Vescovo de Cracovia che parlasse, el quale disse largamente al Re bisognava remediare alli desordini del Regno, perchè non era mezza vita dove non era giustizia; ma bisognava intenderse bene da tutti questa parola equivoca essecutione, perchè quando se facesse in tutto era bona, altrimente sarebbe odio et non giustiza: però la laudava, quando Sua Maestà in tutto esseguisse comenciando dalla persona sua, et poi servando a l'ordine Ecclesiastico, Senatori et ordine equestre a ciascuno quello quanto voglieno le loro leggi et privilegii, et acciò non credessero che per esso dovesse restare el segillo consegnatogli da Sua Maestà et Senato, repose in la tavola, et con questo finì el suo veto; ma el Re li comandò che repigliasse dicendo: Deliberatio ista alterius temporis est.

Li altri Signori passorono in la medesima sentenza fino al Palatino de Plosca fratello de l'Arcivescovo, el quale disse che la essecutione era tanto necessaria che esso voleva comenzare da fatti, et così remetteva giù le ville et beni regali che teneva, quali Sua Maestà l'havea donati, se bene li pareva meritarle per le sue fatighe, però sendo contra le leggi per essempio li remetteva a Sua Maestà. Dopo questo el Castellano Brensiski fratello del Vescovo de Wladislavia disse che era Senatore contra le leggi, perchè in quel distritto non possedeva ville, onde dove sedeva tra li Senatori omnibus mirantibus restituì la Castellania al Re, et stava in piedi con l'altri Signori che pure entrano in Conseglio. Io ho scritto questi atti quali mi pareno de gran momento con quella brevità che ho potuto, ma se volesse scriver quanto disse el Grancancelliero che fu l'ultimo a parlare, non me bastaria el tempo, perchè demostrato el bisogno de remedii, et laudato l'animo de Signori che Dio l'havea inspirato per utile della Republica, supplicò el Re che non lassasse questa occasione de acconciare el Regno, et dove era uno delli primi Re del mondo, non se reducesse a stare fora per havere el pane, et se li havesse a dire in faccia che non era degno d'esser loro Re, et considerasse con questo più presto se puole chiamare Imperio che Regno, sendo aggionte alla Pollonia la Russia, Prussia, Masovia, Lituania et Livonia, et che li sui maggiori soli haveano vinti li Turchi, et hora quel Signore senza tributo et senza essere recercato, anzi cerca la pace de lui, el che non fa non altri Prencipi, che haveano vinti Germani, con quali era la persona dell'Imperatore per servare la Prussia; che haveano redutti li Tartari, et più volte vinti li Moscoviti, soggiongendo che esso ancora con l'altri havea fatto contra le leggi, però havea menato el figlio maschio de 12. anni con lui, el quale buttò alli piedi de Sua Maestà, acciò de l'uno et l'altro pigliasse quel supplicio, che li pareva, et qui cacciando fora tutte le patente de Capitaneati et beni che teneva, quali importavano da 24. millia fiorini d'entrata, cioè 16. millia ducati d'oro l'anno, disse queste non sonno degne d'esser vedute, et così stracciò in mille pezzi buttandole alli piedi del Re, et perchè nel Regno non è homo che parli meglio de lui, et venerabile de aspetto mosse molti alle lagrime.

Per questo da molti, ansi da ognuno se spera che in tutte le faccende, anco della Religione, se possa fare qualche bene, che Dio ce ne faccia gratia. Io non ho hauto commodità de negotiare particolarmente con Sua Maestà de quanto se contiene in quel Breve per li Vescovi et resto, perchè a pena l'ho potuto salutare in genere et Sua Maestà congratulatosi meco della mia sanità, et hora insto per una bona audienza, et non mancarò de fare quella persuasione et bene che potrò, ma perchè quì non è posta fino a Cracovia, et hora ho un messo securo, non ho voluto mancar de scrivere questo che a pena ho potuto parlare con l'Arcivescovo et altri che vanno de notte al Conseglio et tornano a 22. hore, et poi se mangia fino che se và a letto in questo paese, dove io ho una camera, in la quale mangio et dormo con quattro letti per li servitori et un altra stanza per tutto el resto.

Petricovia, 13 Decembre 1562.

Alli 3 del presente scrissi a Vostra Signoria Illm̃a quanto era fatto da questi Signorì fino a quel giorno, dopo el quale durando quella caldezza della essecutione fu constretto el Vescovo de Cracovia a lassare el sigillo del Regno, et altri Signori seguitarono a deponere li incompattibili loro; el sigillo Sua Maestà dette al Granthesoriero che reponesse fin tanto che 'l consegnava a chi lo darrà, et esso lo portava alto che ognuno el vedesse.

Al seguente conseglio arrivò el Palatino de Russia, al quale erano state donate in perpetuo tante ville che fruttano da otto millia ducati, et comenzò a intorbidare questa essecutione per esser de gran sangue, et socero del Palatino de Cracovia, opponendo li suoi meriti che tante volte havea vinto li Tartari, et posta la sua gola contra li nemici, per il che non dovea mettersi in la generale de l'altri, et disse tanto piangendo che quel giorno non fu conclusa cosa alcuna, a l'altro conseglio fu resoluto che la regola fosse universale, onde si sonno annullate tutte le donationi fatte da 55 anni in quà, cioè da quésto Re et da suo padre, intanto che la corona verrà a guadagnare per quello che è lassato finhora 150 millia fiorini de entrata, et già comenzano a parlare de fare el simile in Prussia, della quale la minor parte che tiene el Duca frutta 300 millia fiorini. Questa parte che ha il Re è maggiore, ha più fortezze et li porti de mare, et non cava 40 millia fiorini, dove è la Città Dansc che ha più de 100 millia fiorini l'anno delli grani, biade, carne, cori, cera, mele et cenere che mandò la Pollonia in Fiandra, Scotia, Spagna et Portogallo, che vanno in sedici dì le navi. L'altri giorni finhora sonno consumati in li giuditii criminali et civili, in quali interviene Sua Maestà ogni dì da l'alba fino a 22 hore, quando non è conseglio del Senato, et lì senza tante informationi giudica sottosopra dodeci cause el giorno, perchè l'una et l'altra parte in le citationi dice le sue raggioni, li Senatori dicono el suo parere, et Sua Maestà giudica et commanda quanto li pare. L'Arcivescovo et prelati el dì della Conceptione furono dal Re con dirli che finhora non haveano parlato delle cose della Religione, acciò non intervenesse come l'altre volte, che dissentendo in questa partivano rebus infectis, adesso Sua Maestà havea veduto come essi se erano portati in favore delle cose sue, et certo questi Ecclesiastici se scogliono et sonno uniti, possono quasi il tutto nel Regno; però lo pregavano che al tempo debito voltasse l'animo al stato loro, li restituisse la giurisdittione de procedere contra l'heretici, le chiese spogliate, le decime usurpate, et simili cose contra li statuti loro. Hebbero grata audienza et meglior resposta, perchè Sua Maestà non solamente li ha conceduto le citationi per questi effetti, ma anco li exhortò a esser uniti, et che non li mancaria della sua giustitia et favore, et soggiunse che era chiaro già dalle fantasie et continue novità loro. Nostro Signor Dio ce faccia gratia che sia così, et reiesca a fatti. Questo se tiene secreto perfino che parerà al tempo debito, perchè se ha da fare con gente molto libera et superba, et chi non vede questa grandezza della nobiltà in drappi, cavalli, pelle finissime et catene grandissime d'oro et moltitudine de servitori, non crederia la grandezza de questo Regno. Domenica presentai a Sua Maestà el Breve et lettera de Monsignor Illmõ Borromeo circa le speditioni delle doi chiese, dicendoli che Sua Santità havea fatta gratia con el Sacro Collegio de quella mita che li perviene, che del resto quale se divide tra scrittori, abbreviatori, correttori et simili, non harria potuto dare senza gran romore de quelli che fatigano tanto più adesso che se stringono per le reformationi. Al che Sua Maestà respose, se io non havesse hauto l'essempio delli miei antecessori, a quali fu donato el tutto in una permutatione generale che fu fatta di tutti li Vescovi de Pollonia, non harria hora domandata questa poca gratia, benchè al tempo della guerra ogni poca cosa sia assai. Ma io soggionsi, che Sua Santità harria anco del proprio satisfatto li offitiali se non fosse gravato in una spesa grandissima del Concilio de x millia ducati el mese, per guardare el stato della chiesa in Francia, del soccorso dato a quel Re, et della spesa fatta per guardare quelli paesi dal Turco et Corsari, et che Dio guardi li stati de Sua Maestà da quelli termini che era la Francia, perchè Sua Santità se impegnaria per aiutarla, et in quello che non potesse sarria mezzano con l'altri Principi Catholici come fa hora. Me respose che accettava la scusa et pigliava tutto in bona parte, et che ne farria quanto Nostro Signor lo essortava, cioè donare a quelli prelati, et scriveria che se levasse quella segurtà. Del Cannobio li dissi, che Sua Santità harria hauto caro che fosse passato per intimar el Concilio a quel Duca, perchè fossero anco chiamati li Sciti, sendo questo un Concilio tanto universale de quasi tutte le provincie christiane, et frequente per la moltitudine de prelati et homini dotti che se poteva equiparare alli Conclii della primitiva et florida Chiesa, et sopra questo furno dette da lui et me molte cose che non importa a scriverse. Finalmente in questo me disse che l'essito ha demostrato, che lui non poteva far altrimente de non impedire, perchè quella gente è superbissima, et se bene perde, non stima, nè cerca maneggio de concordia, tanto meno l'harrebbe fatto, quanto havesse veduto de essere cercato da altri Principi, et fosse tenuto conto de lui.

Li raccomandai poi in nome de Sua Santità le cose della Religione, et che li Vescovi fossero restituiti a poter fare l'offitio suo, et particolarmente che smorbasse questo Regno de tanti heretici forastieri, Moravi, Francesi, Italiani, et particolarmente de un Dottor Blandrata Piamontese et l'Alciatino

Milanese et simili, che tuttavia trovano nove biasteme, et li contai come un Venetiano che fa el Catholico era stato causa in Vilna a demostrar la leggerezza delli heretici, che non sapendo chi se fosse con una parola havea fatta togliere la communione alle donne, con dire che in la cena non erano se non homini; però considerasse Sua Maestà de levar via questa peste del Regno, che oltra el danno de l' anima et del conto che havea a renderne a Dio, quando non sarrà soccorso da alcuno, nè harrà scusa la infamia che li danno questi tali così alla persona sua come al Regno, et che non ha da dubitare, sendo la causa de Dio et quanto ho detto de sopra, oltra la obedienza che se vede in li sui populi, et el fervor che ha in le cose sue, che Dio così permette, acciò faccia el suo debito, overo sia inescusabile, quod Deus avertat.

Me respose che io sapeva che era suo animo de mandare un altro Senatore al Concilio, ma hora vedeva con l' occhi proprii quanto sarriano necessarii quì quelli che mancano. Circa l' animo suo verso la Religione, che io più volte havea inteso dalla bocca sua quale era, et che tutta via desiderava più de giovare, ma bisognava considerare che tra populi liberi molte volte li Principi vorriano che tutte le cose non sortiscano effetto; però non mancaria a quanto si sarrà possibile, come anco havea detto alli Vescovi, et che da loro saperia li particolari. Onde ho pensato el primo dì de festa che non sarrà conseglio essere con loro Signorie Rme in fare una congregatione.

Me disse poi Sua Maestà, che sendo perduta l' armata del Re Filippo che Sua Santità harrà più spesa per li Corsari, et io soggionsi, che era vero et danno grandissimo alle parti nostre, perchè quella Maestà aiutava assai la Religione. Disse Sua Maestà: Questo è giuditio de Dio, perchè è bene aiutare chi ha bisogno, ma prima deveria pagare a chi consta che è debitore: però io soggionsi, che soccorreva al Re de Francia, perchè l'heretici lo volevano cacciar del Regno, et con Sua Maestà che non havea tanta necessità potea pigliare segurtà sendoli tante volte parente, ridendo, ma Sua Maestà disse, che se li fosse vicino se resenteria con esso in altro modo, et forsi così lontano quando li cessaranno li presenti disturbi pigliarà con lui qualche altra deliberatione. Al che io dissi, che non dovea intrometterme parlando scorocciato, benchè Sua Maestà disse che un altra volta de questo me voleva parlare a longo, et perchè hora ho un messo securo fino a Cracovia, dove è la posta, in fretta ho scritto questo, li baso le mani ecc.

Petricovia, 5 Marzo 1563.

Alli 27 de Fabraro scrissi a Vostra Signoria Illma quanto era fatto fino a quel giorno in le comitie, et de più le male nove che haveamo della città de Poltosko che fosse perduta con tanta strage de homini et ricchezze che erano in essa, oltra l'artegliaria et la commodità che in essa se spacciavano le robbe de tutta la Russia, et se provedeva Riga con el resto della Livonia.

Hieri venne la nova qualmente el Moscovita havea servato alla catena da dodeci millia anime quale più li erano parute al suo proposito, el resto da 50 millia havea fatte morire con intentione de fare lì nova colonia per la importanza del loco; ma non se sapeva per ancora che strada dovesse pigliare, sendo in sua podestà de andar liberamente in Riga, et impatronirse de Livonia in questa vittoria, overo in Chiovia gia Regia della Russia, della quale lui se fa chiamare Imperatore, o pur in Vilna città metropoli de Littuania, il che se harria per el peggio, non se potendo defendere per non essere forte, et le artegliarie et ricchezze siano più presto per nocerli che giovarle, tanto più anco per essere l'essercito del Moscovita innumerabile et vittorioso, et dalla parte nostra non ce è anco provisione gagliarda, oltra che ognuno sta timido, perchè è il più crudel nimico che se trovi al mondo, sendo che tutti li priggioni sonno in continui tormenti, nè è speranza mai de rescatarse, anzi se alcuno delli sui se arrende o torna, subito fa morire.

La Maestà del Re ha sentito questa perdita acerbamente, però con gran constantia, è ben vero che da tre giorni in qua l'ha assaltato la podagra in un piede et in la mano, per la quale sta in letto, et questa notte non ha quietato; ma non resta per questo che ogni giorno non vada el Senato da Sua Maestà a fare el conseglio, se ben sta un miglio de nostri lontano, et se tratta del soccorso da darse alla Littuania, perchè alcuni dicono che se devria indire la guerra generale, altri giudicano che sia meglio fare una contributione, con la quale il Re faccia un giusto essercito, et adducono che se si metteranno l'arme in mano a tutti generalmente, che non solamente portarà pericolo Sua Maestà da quelli che non se senteno satisfatti, ma secondo è stato solito altre volte sarranno saccheggiate le chiese et monasterii, et hora in questa diversità de opinioni sarrà ammazzato el Clero, et forsi tutto el Senato

per la contradittione che se è hauta circa la essecutione, et sonno gia sei mesi che se sta in questa discussione, et per la diversità de l'uno o l'altro partito che se deve pigliare, non è anco concluso niente. Al che se aggionge la gran difficoltà che fanno li Nuntii delle provintie heretici, perchè dicono non volere venire a resolutione alcuna, se non se toglie la giurisdittione ecclesiastica, asserendo che tutti deveno vivere sotto le leggi del Regno et non altre; al che seguitano tutte le altre cose che ho gia scritto, et questo bisogna che hora se tratti, sendo che Sua Maestà ha ordinato che se lassino in quelli termini che sonno tutte le cose particolari con grandissimo dolore del Regno, hora che sperava havere la giustitia de tanti anni, et havendo andare alla guerra bisogna statuire come ha da vivere el stato seculare con l'ecclesiastico; però mando la resposta che ha fatta Monsig. Arcivescovo alle petitioni delli Nuntii, in la quale potrà considerare le petitioni loro, et se è umpoco cattiva lettera et scritta in prescia, sendo cavata da lingua pollacca in latina me harrà per escusato. Et certamente la Chiesa Catholica ha un gran obligo a questo Arcivescovo, perchè tutto el dì è in conseglio con grandissima auttorità, et la notte studia et fa scrivere, et hora se puole cognoscere se non accommodavano la cosa sua dove eramo adesso, perchè non vedo altri che pigli questa cura et sappi tanto, et chi se trova fuori, puole fare li conti a suo modo.

Hoggi li Nuntii hanno triplicato alla resposta dell'Arcivescovo che sonno più de quindeci fogli, quali non ho anco veduto, ma sua Signoria Rm̃a ha in mano, et fece tanto con el Re che li dettero, non volendo essi dare se un foglio che dicevano essere il sommario, ma ha voluto el tutto per respondere, sendoce infinite biasteme contra Dio, la Chiesa Romana et tutti li Catholici chiamandose tutti idolatri, nel che è compreso anche el Re che fa come noi. Non mancaremo aiutarce quanto potremo, se bene questa desdetta è venuta in un tempo che ce dà gran noia, perchè Sua Maestà andarà con gran respetto per non irritare l'animo de l'homini, et non se puole havere copia de lui che è tutto intento a fare quella provisione che puote, et Domenica parteno 300 cavalli de Cammornicchi, quali sogliono stare appresso Sua Maestà. Non voglio restare de dire, quando venne la podagra a Sua Maestà, usò questa humiltà che me mandò a chiedere licenza de non fare la Quadragesima, et me mandò a donare li alici, bottarghe et caviale che se havea fatto venire per lui, el che qui è cosa rara, et questo atto è piaciuto assai alli Catholici, perchè tutto se nota in queste parti.

Se ben scrissi sabbato passato alli 27 de Febraro per la posta ordinaria, non ho voluto lassare de scrivere con questa occasione che 'l Re manda un straordinario, perchè se facci presto provisione del denaro che ha rescosso el Sig. Conarski Ambassatore, et esso tornarà in Pollonia, et sarrà facil cosa che arrivi prima questa lettera, che quella della posta: in loco del Sig. Conarski andarà un Agente che se chiama el Sig. Stamposki, el quale serviva in la Secretaria del Re, non harrà titolo de Ambassatore, ma de Agente, et resiederà in Napoli.

Petricovia, 29 Marzo 1563.

Alli 15 scrissi ultimamente et mandai la petitione delli Nuntii delle provintie, el decreto del Re et la protesta de l'Arcivescovo per li Ecclesiastici, et acciò se intenda meglio in che se senteno gravati li Preti, deve sapere che la legge de Iagellone a fogli 50. determina che nissuno nobile sia bannito et mulctato in dupplicatione et triplicatione de pene, se prima non era condennato dal Capitanio nel giuditio terrestre. Li Preti hanno el privilegio a fogli 66. che sendo el nobile contumace a pagare le decime, el Vescovo lo scommunica, et stando così un anno et sei stimane, manda el processo al Capitanio del loco, el quale piglia la possessione de beni mobili o immobili, et retiene apresso lui fintanto che 'l prete è satisfatto, et se non fa così, el Vescovo lo puole scommunicare, et perchè qui è consuetudine da li nobili opporse alla Corte, però li Capitani a questi tali dupplicano et triplicano le pene et banniscono, et se non prima alle comitie se ha del tutto essecutione. Li nobili hora dicono che li Capitani escedeno el privilegio de preti, perchè non hanno che se le impongano queste pene et banni, ma li deve bastare che 'l Capitanio vadi a fare la essecutione delli beni, et se li è fatta oppositione, deveno aspettare le comitie. Li preti dicono che sendo nel privilegio che 'l Capitanio mandi a debita essecutione el loro processo, è giusto che faccia tutto quello che è solito in Pollonia per esseguire, se ben in el privilegio non sonno espresse queste pene et banni.

Questa difficoltà ha tenuto tanti giorni el convento che non ha fatto altro, finalmente el Re l'ha resoluta come l'ho mandata, et non è possibile a darli intendere che sia nocivo al Clero, et non la vuole intendere, ansi dice che li giovarà questo decreto, perchè sarranno pagate subito le decime

senza aspettare l'anno et sei stimane della scommunica. El giorno dopo la protesta ce congregammo in Sacrestia l'Arcivescovo, Vescovi, Capitoli et io per consultare, et sendo hora pel conseglio del Re mandò el Castellano fratello del Vescovo de Coavia, che andassero li prelati che era tempo, al quale de communi consensu fu resposto che haveano da fare per le cose della Chiesa. Da lì a un hora Sua Maestà remandò che dicessero se volevano andare o nò, et li fu detto de nò, se non revocavano l'aggravio, per questo fu sbattuto un pezzo nel conseglio che se deveva far tumultuariamente, perchè el Re stava in Camera, et non andò al suo solito. El dì seguente congregato el Re et Senatori seculari remandorono per li Vescovi, li quali non volsero andare a requisitione de l'Arcivescovo, se ben alcuno era de contraria opinione, el Re andò et non fu fatto altro, se non leggere li decreti già fatti, et Sua Maestà pregava se sottoscrivessero come era solito, et se finissero le comitie; ma li Signori resposero che non lo volevano fare non essendoce l'ordine Ecclesiastico, perchè sarrebbe contra le leggi, et questo molti facevano per dissolvere el convento senza resolutione, despiacendoli quella essecutione deliberata. È ben vero che fecero un decreto circa el ponere de limiti che toglieva un gran privilegio che hanno qui li Ecclesiastici. Per questo el terzo giorno sendo richiamati contra el parere de l'Arcivescovo, li Vescovi con conseglio de tutti li Capitoli ce andorono, et non fu mai potuto far tanto che sua Signoria Rm̃a volesse andare, dicendo sempre che facevano male, et se bene el Re et Senato più volte l'ha pregato, sempre si è scusato che sta male, et è così, perchè piglia doi siroppi el dì, et io l'ho visitato, ma non però è tanto el male, che se havesse voluto non fosse possuto andare.

In tanti intrichi el Re non cercava altro se non svilupparse, et che restassero le conclusioni fatte, et havere l'aiuto promessoli in questa tribulatione sua de Littuania, onde havendo fatto qualche aggravio al Clero revocò el decreto sopradetto de limiti, et instava per finire, sendo qui gia l'aere corrotto et mancando el vivere a tanta gente. El Vescovo de Cracovia andò da l'Arcivescovo con dirli che gia era in mano sua se voleva fare annihilare ogni cosa, perchè li Signori tutti malcontenti de quella essecutione che hanno consentito, sarriano con loro et così ciascuno se ne tornaria a casa con la sua, perchè l'Arcivescovo l'havea fatta alli Signori per el Re, li Signori l'haveano fatta al Clero per li Nobili, l'uno et l'altro poi la carricavano a Sua Maestà, che non havea cercato altro che l'utile suo. L'Arcivescovo trova questa cosa essere vera, però pensatoce sopra non ha voluto consentire, con dire che facendo questo el Vescovo solamente, perchè li tornava el sigillo, et non vedendoce utile alcuno che potesse nascere, ansi la rovina della Republica con pericolo che congregata poi la nobiltà harria potuto fare qualche gran desordine in mettere le mani adosso a' Signori et a loro, per il che ha lassato scorrere: per questo Venerdì furono concluse le comitie, et il recesso fu per essere tardo et non poterse stare più per quello che ho detto de sopra, Sua Maestà suspendeva la elettione delli Revisori delle entrate de Capitaneati et altri beni Regii, come ho già scritto, et ex consequenti el pagamento del quarto delle entrate de essi; similmente suspendeva le citationi contra l'heretici et occupatori delle chiese, inhibendo che non innovassero cosa alcuna sotto pena della vendetta sua fino al giorno de San Martino prossimo futuro, nel quale intimava le comitie in Lonza con dire che alhora sarrà finito el Concilio, perchè el Clero se lamentava che in più cose erano offesi, et in niuna erano relevati, et Sua Maestà tuttavia prometteva a questi, che finito el Concilio remediaria a tutto; satisfaceva ancora alli Signori con la suspensione della essecutione sopradetta, et ultimamente alli Nuntii et Nobiltà con la intimatione per el tempo detto, havendogli deputato in ogni Palatinato li giudici con la medesima auttorità che ha lui, che debbiano del mese de Maggio spedire tutte le cause civili le quali sonno adesso, et Sua Maestà in questa settimana et quella dopo Pasqua espedirà tutte le criminali. De più ha promesso fare la unione perpetua de Littuania al Regno, et per questo intimava le Comitie in Lonza loco confine tra Masovia, Littuania et Prussia, acciò sia vicino a tutti, et non se guarda se è scommodo, nè ce è da vivere, nè alloggiare, purchè se attenda al publico, benchè despiaccia universalmente. Con queste conclusioni el Re ha hauto un subsidio per la necessità della guerra che non è stato mai simile in Pollonia, perchè da ogni manso de terra, cioè quel che danno a un contadino per lavorare, pagarà doi giulii et mezzo, ciascuna casa in le terre un giulio et mezzo, altretanto ciascuno artefice; et li Vescovi fanno un donativo, cioè l'Arcivescovo et Cracovia 6 millia fiorini per uno, Coavia et simili 4 millia et l'altri per rata, el resto del Clero un quarto de l'entrate, se metterà un taglione alli Giudei che qui ne sonno assaissimi. La Prussia sta forte a non accettare le risolutioni de Pollonia con dire che se pregiudicaria alli privilegii et leggi loro, et offeriscono un donativo de 100 millia tallari, et credo

se accordaranno in 200 millia, non sendo più tempo de disputare delli privilegii hora che sonno finite le comitie, talchè dicono passarà doi millioni de fiorini, cioè un millione et mezzo de scudi, et per provedere presto o per dir meglio a tempo Sua Maestà sopra questo assegnamento gia ha trovato dalla città de Dansk et altri particolari 400 millia tallari.

Demetrio Duca Visnevizza Littuano et Pruteno che ha fatte tante prove in Turchia, Moscovia et Tartaria con el Laski, quali andavano insiemi per cacciare el Dispoto de Valacchia, hanno obedito al commandamento del Re, son venuti qui et hanno parlato benissimo in conseglio, et domandato finalmente perdono, scusandose anco che non hanno mai chiamato altro per loro Re che Sua Maestà, nè cavato spada contra li vasalli sui; el Grancancelliero li respose per el Re, et alquanto represoli che doveano fare quanto diceano con licenza de Sua Maestà per imparare li costumi de l'inimici per suo servitio, perchè con bona gratia non harrebbe mancato alli giusti desiderii loro, finalmente per sua clementia li raccettava in gratia et che facessero quanto li conveniva.

El Moscovita dopo la presa de Polosko et fortificatione della città havendo transmandato quel populo in Moscovia, ma donata la libertà a quelli pochi Pollachi che erano dentro, con tanta vittoria et sì grande essercito che havea fece la tregua con el Re fino a Settembre, che non puole prima Sua Maestà essere in ordine alli lochi delli nimici come vole fare, alcuni dicono che 'l Moscovita l'ha fatto perchè gia se sgiacciava la terra et per li pantani et selve non poteva condurre et mantenere tanto essercito; altri hanno detto che ha fatto tagliare la testa a quelli che hanno persuaso la tregua, per tornare a casa con fingere che tutta la Polonia era armata, et la difficultà del retirarse sgiacciando la terra, ma questo ultimo non l'ho da loco certo, sat est che la tregua fu fatta, et qui se stava male.

Venerdì, come ho detto, finirono le comitie, et subito comenzorno a partire li Signori, sabbato Sua Maestà comenzò a giudicare, subito che furono insiemi li Senatnri restati creò Capitanio generale el Palatino de Russia. Dopoi dette el sigillo al Sig. Pietro Miscoski, sendo a bona hora partito el Vescvo de Cracovia per non vederlo. Ultimamente dette el Vescovato de Camenez al Sig. Dionisioski mio carissimo amico, et questi doi ultimi me fecero questo honore insiemi, che iescendo dal conseglio subito vennero in casa mia con meraveglia de ognuno. Domenica cioè hieri non ho potuto havere audienza, perchè Sua Maestà ha deputato questa giornata al generale Duca Visnevizza et Laski per le cose della guerra, et questa settimana fino alla confessione che serrà in un monasterio per tutte le feste de Pasqua, attenderà alli giuditii criminali; penso non havere tempo de essere con Sua Maestà, perchè non dà audienza se non el dì de Domenica, et non c'è se non quella delle Palme, onde non so quello che sarrà de me, et sto spettando qualche aviso da Vostra Signoria Illma de l'animo de Nostro Signore et suo.

El Re se sa certo che starrà qui fino alli 25 de Aprile, dopo non se sa quello che farrà, et così io non so che sarrà de me fino che non li parlo, questo è certo che starrò fino a l'ottava de Pasqua piacendo a Dio.

Penso che con queste verranno le lettere del Re per el Vescovato del Sig. Dionisio, et secondo le leggi del Regno per essere povero Vescovato ha da retenere tutti li benefitii, perchè qui bisogna che li Vescovi faccino le spese alla Nobiltà, et però se concede questo per Statuto, onde se degnaranno non fare difficoltà de parochiale etc. perchè diversi Regni hanno diversi costumi, et non farriamo altro che perdere li amici et acquistare odio, per questo bisogna spedire come scrive el Re, overo se non se dà in Concistorio darlo a parte per supplica.

Cracovia, 1 Maggio 1563.

Fatte le feste di Pasqua il Re tornò dal Monasterio di Vitof, ove era stato li giorni santi, et dal mercordì sino al dì de S. Adalberto, che fu alli xxiii. del passato la mattina ha atteso a giudicare le cause criminali, il resto del giorno ha speso in spedire li soldati, et mettersi ad ordine per la partenza alla volta di Lituania, che fu lunedì passato alli xxvi. de Aprile.

Io hebbi due ore de audienza la dominica, havendo tre dì prima parlato del tutto con Monsig. Miscoski Vicecancelliero come si usa quì, per havere conclusione, acciò Sua Maestà possa respondere risolutamente. Et glie dissi che Nostro Signore me havea mandato quì, acciò la servissi dove et quanto glie pareva, che fosse utile, però la supplicava in questa partita sua, che mi dicesse se voleva, che io restassi, perchè obediria a Sua Maestà, et se giudicava in sua assentia per la guerra ch'io tornassi, non si parendo fare utile alcuno, che me resolveria a quanto gli pareva, sendo certo ch'el tutto saria con gratia di Sua Santità. Mi rispose, che havendolo assaltato il suo nimico et danneggiatolo era for-

zato ad attendere alla guerra, la quale preparava maggiore de' soldati pagati, che havessero fatto mai li suoi Antecessori, perchè havea spediti 10. millia fanti Pollacchi et 30. millia cavalli, et questi saranno pagati dalla contributione di Polonia, et volea andare in Lituania et mettere insieme 10. millia cavalli, de' quali caparria 30. millia altri buoni, et con questi volea da due parti assaltare la Moscovia. Di più, che havea mandato per Ernesto de Pomerania luocotenente già del Marchese Alberto, che gli menasse mille cavalli neri, che chiamano sfarczereiter, con 4000. fanti Thedeschi, quali volea mandare in Livonia contra li danni che gli fa il Re di Svetia suo nuovo parente in quelle parti. Per questo esso non vedeva di potere attendere ad altro che alla guerra, et lassare in tutto da parte per hora quella essecutione che io cercava. Era ben vero che mi vedeva volentieri, et gli piaceva quel modo ch' io havea tenuto in Polonia, et ch' el scriveria a Nostro Signore, ma che in questi termini non era necessaria la mia stantia quì, perchè mi voleva dire in secreto, et avvertissi, che non si sapesse che si bene haveva intimate le Comitie in Lompza per il fine di Novembre che viene, nondimeno fossi certo che se la guerra gli soccederia prosperamente, lui non tornaria altrimenti, ma seguitaria la vittoria per non havere a recominciare da piede, et se le cose sue che Dio lo guardi andassero altrimenti, esso verria alle Comitie, et in questo caso non se parlaria de Religione over d' altro, ma solo di sottomettere la Lituania alla Polonia, acciò se deliberasse una guerra generale per defendersi dal Moscovita commune nemico, et che tutto il resto si sospenderia. Soggionsi io, che finito il Concilio alle prime Comitie che si faranno non mancarà Nostro Signore di mandare un Vescovo o il Cardinale Varmiense, come più satisfaria a Sua Maestà, per l'esecutione del Concilio; mi respose ch' el credeva, et sarria bene, ma quanto al Cardinale Varmiense bisognava considerare, che essendo Legato et volendo intrare nel Senato, suscitarebbe delli romori, oltra le differentie che potrebbero nascere con l'Arcivescovo, il quale non lassaria mai la sua Croce, perchè nel conseglio la pone tra la sedia del Re et sua; al che io dissi, che se finito il Concilio il Cardinale andasse a visitare la sua chiesa per li bisogni che ha, non sarria il dovere facendose le Comitie, che perdesse il suo luoco essendo Cardinale, perchè anco in Germania l'hanno Trento, Augusta et Constantia, et Sua Santità l'havea promosso et fattolo uno de' Legati del Concilio per honorare Sua Maestà et il Regno, et non per danneggiarlo, et se non gli pareva per le difficoltà sodette che venisse come Legato, sarria possuto venire con lettere di fede a lui et alli Vescovi per l'occorrentie, che potriano soccedere non mandando altri Sua Beatitudine, protestando ch' el diceva da me, non havendo sopra di ciò alcuna commissione, ma ne parlava acciò se havesse a satisfare in questa occasione a Sua Maestà, parendomi anco, quando reparlarà della Religione sia buono ve intervenghi uno che sia stato Legato del Concilio, dotto et da bene, et che sia conteste al Vescovo di Premislia Ambassatore, et possa nel Senato respondere ad ognuno che se opponesse, il che non potria fare un altro Legato che non sia Vescovo quì. Il Re mi rispose che amava il Cardinale Varmiense per essere dotto et buona persona, ma quanto al Cardinalato, che nè lui nè il Regno l'havea ricevuto per piacere, anzi che havea nociuto assai per quel che io sapeva, et che conosceva li Polacchi come sono fatti, nondimeno havea impedito che non se gli levasse il Vescovato, et circa al venire nel modo detto non gli dispiaceva, et intorno a questo nella lettera che scriveria per me a Sua Beatitudine ne faria parola, nominando Cardinale in genere senza specificare Varmiense per buon respetto, et se remetterà a quanto io dirò, che ho inteso l'animo suo. Mi domandò poi se credeva ch' el Concilio fosse finito a Natale, et che sarebbe stato buono, vi fossero andati gli Heretici per finirlo. Al che io dissi, che dalla banda nostra non era restata cosa addietro, et per salvi condutti et simili etc. come già l'havea informata, ma se li maligni impedivano, conoscendo la mala causa loro bisognava lassare la parte sua a Dio, il quale estirparia questi, come ha fatto tutti gli altri, quando parerà all'inscrutabile sapientia sua; et quanto al tempo, dissi, che non vedeva ragione, perchè a Natale non dovesse essere finito, et Sua Maestà rispose, Dio lo faccia, ma non volse uscire più oltra. Et perchè io so che li ribaldi, se non sarà finito il Concilio al tempo che si faranno le prime Comitie, pensano di domandare un Concilio Nationale per concordare un modo, nel quale vivano in pace, dissi a Sua Maestà che già si vede che frutto partorisce un Concilio Nationale, perchè non essendo così subito in essere il Concilio Generale per le difficoltà che sono occorse in Francia per fuggire quel nome odioso di Concilio Nationale, fecero il medesimo sotto nome di Congregatione generale di Francia, come se l'importanza stesse nel nome et non in l'effetto, intervenero in quello due Re, due Regine, sei Cardinali 48 Vescovi, tutti gli Ordini et Stati del Regno, si disputò due mesi, conclusero niente, se non defendendo ciascheduno le parti sue, se essacer-

borono gli animi, cominciarono gli homicidii, dipoi le battaglie nelle Città, a tal che in Tolosa in due giorni di conflitto il padre contra il figliuolo, et fratello contra fratello se ne ammazzorono più de 8. millia, et dalle battaglie particolari se sono rebellati al Re, l'hanno voluto far morire, vendute le Città, et fatta la guerra generale; laonde si come haveano imaginato di fare una fede de una Natione se sono fatti preda de tutte le Nationi Tedesche, Spagnuole, Inglese et Italiane, cosa veramente da piangere: sì che havea bene d'avertire Sua Maestà, perchè le Comitie non son altro ch'el Convento generale del Regno, il quale se intraria in questo trattato della Religione poteva aspettare l'esterminio, come se ne ha molti essempii, et questo anco ho fatto sapere a tutti quelli che mi son paruti al proposito; Sua Maestà più volte rispose: Avertat Deus, absit, absit. In oltra intrai ad ammonirlo circa il dare delle dignità et offitii, perchè invero non guarda a' Catholici, nè a' Heretici, ma solamente alle case che son solite, et come quando non ci era questa maledittione; ma a questo rispose molto generalmente che non sapeva come fare, perchè in un tratto se gli vedeva avanti in Chiesa, poi erano Heretici, dipoi ritornavano, et ch'io havea veduto, come faceano li Polacchi, et quanto potea lui; al che io dissi, che se Sua Maestà voleva li potea ben conoscere, et fare qualche cosa più. Et intrammo sopra la disputa dell'Editto delle Decime, che ho mandato, et volea persuadermi che quella giovaria all'essattione, perchè con quelli che temevano la scommunica li Vescovi potriano usare la loro giurisdittione, con gli altri più breve via era andare per quella de' Giudici secolari. Al che io risposi, che non restava per questo, che non fosse violata l'authorità Ecclesiastica, onde gli Heretici per questo, et non per si essere proceduto contra quelli che erano usurpatori delle chiese et beni suoi, haveano pigliato tal ardire, che già di novo haveano scacciato quattro Piovani, non ostante che Sua Maestà havesse ordinato, che non se innuovasse da niuna parte, et che ogni giorno saria per soccedere peggio, se questa temerità non se reprimeva. Circa al primo rispose che per dire il vero, lassò scorrere senza impedire per demostrare al Vescovo di Cracovia, che havea fatto male attaccarsi alli Signori contra di lui nell'essecutione, et che non poteva confidarsi in essi. Et quando io dissi, che per rispetto del Vescovo di Cracovia non dovea fare un Editto contra tutti, rispose che questa cosa non toccava la fede, nella quale sempre starria fermo, et non vi potei far altro. Quanto alli Piovani di nuovo scacciati dava la fede sua volersi vendicare contro questi temerarii. Per questo andò l'Arcivescovo da Sua Maestà, et la resolutione che ne hebbe fu questa, che per tutto Maggio, nel quale nei Palatinati et distretti se hanno da giudicare le cause civili, quali nel convento generale non ha possuto terminare, non se innuovi niente, acciò non se gli impedischi la contributione, inoltra promise dargli le citationi per gastigare quelli tali. In questo mezzo ordinò che se concedesse li salvicondutti per quelli luochi, dove era qualche sospetto, perchè in questo caso Sua Maestà de mera potentia senza citazioni puol procedere.

Parlammo poi della concessione della communione in utraque specie, ma di questa et de alcuna altra cosa, che importano assai per la salute di questo Regno, non voglio hora scrivere nè in cifra, nè apertamente, reservando di parlarne a bocca con Nostro Signore et Vostra Signoria. Laonde vedendo io quì che per un tempo quì non è per farsi niente, anzi più presto avilirsi l'authorità Apostolica, stando qui in assenza del Re, et non potere remediare, quando accade qualche disordine. Dunque con buona gratia di Sua Maestò sendo conforme la sua opinione alla mia, pregandoglie fermezza nella fede Catholica et buona fortuna con la vita eterna al fine, glie domandai licentia per il primo de Luglio, desiderando fonirmi di quanto mi bisognava per il viaggio questo Giugno alla fiera di Lublino. Il Re mi dette la mano, come se costuma quì, dicendomi anco che voleva scrivere a Nostro Signore quanto restava satisfatto di me, et io lo rengratiai.

Questo mi è parso di fare per il meglio, et Dio lo sa, nel che se pare a Vostra Signoria Illma che habbia defettato in alcuna cosa, la supplico me l'avvisi, perchè potrà essere quì la resposta per Luglio, che ho pigliato per tempo alla partita per provedermi delle cose necessarie, et scrivere alli Signori che già erano partiti da Petricovia. Et similmente non pigli per presuntione, se ho parlato de alcuna cosa che ha da essere doppo l'uffitio mio, perchè mi ricordo che l'Arcivescovo morto se duolse con me quando fu fatto Cardinale Varmiense, con dire che volendo Sua Santità fare novità quì o mandare, saria bene che scrivesse al Primate del Regno, o se non confida di lui, al Cancelliero o Vicecancelliero, et per questo pigli da me il tutto in buona parte, et degnasi darmi risposta a questa. Nel partire il Re mi raccomandò le cose sue de Bari, et il Puccino suo segretario, che manda hora in Roma, et poi a Napoli col Sig. Stamposki agente nel luoco, che havea prima il Sig. Conarski, et che ne parlassi con

Nostro Signore, et che quanto ho scritto per essi a Vostra Signoria Illm̃a per il Canonicato dato da Sua Maestà al Dottore Pietro suo primo Medico, penso non bisognarà che se ce faccia altro, perchè Conarski ha scritto dipoi ch' el Nepote l' havea impetrato se inscio, et che lo farà cedere, et obedirà alla voluntà del Re, ma questa lettera penso arrivarà prima che loro.

L'Ambassator de l' Imperatore se licentiò el giorno prima de me, et non ce ne resta più alcuno, Sua Maestà ha fatto venire la Regina a un lochetto chiamato Radomia trenta miglie de queste lontano a Cracovia, ma non la vederà altrimente, la Serenissima Infante entrarà in Varsovia la sera che ce sarrà el Re, et starranno tre dì insiemi et de lì andarà drittamente in Littuania per la guerra. Le lettere del 3. di Aprile di Roma che pensava trovare quì, non sonno vennute, et tutti ce dolemo di questa posta, la supplico per questi pochi dì me faccia scrivere.

Cracovia, 14 Maggio 1563.

Tornai a Cracovia per el primo de Maggio et subito scrissi a Vostra Signoria Illm̃a, quanto havea trattato con il Re in la partita sua per Littuania, et anco le raggioni perche me licentiai da Sua Maestà, sendo da lei approbate similmente, come potrà vedere in la lettera che de questo scrive a Nostro Signore, quale hora me ha mandata da Varsovia, non havendola potuta sottoscrivere per le faccende Sua Maestà in Petricovia, dove il Vicecancelliero la fece, et mandò anco la copia de quanto me scrive la Regina, alla quale mandai un gentilhomo aposta, et sarria andato in persona et non harria guardato a tre giornate più, che son certo, li saria stato piacere grandissimo per li offitii che ho fatti per lei, ma hora non era bono per quello che li dirrò a bocca piacendo a Dio.

Me sonno poi venuti insiemi doi plichi de lettere de Vostra Signoria Illm̃a, delle quali ho pigliato grandissima consolatione per haver saputa la sua arrivata in Trento con sanità, et da altri ho aviso che hora c' è qualche meglior speranza del passato, che Dio el faccia, perchè è stato un gran scandalo al mondo entrare in quelle dispute che da heretici non sonno mosse, et alli abusi se poteva dar rimedio senza tante controversie, et perderci tanto tempo con mettere a pericolo el progresso del Concilio per le cose che possono occorrere nel corso del tempo, confundendo anche quello argumento, con el quale solemo convincere le divisioni delli heretici, sendo noi Catholici in Concilio non solamente in le cose della fede concordi, ma anco in tutto quello se tratta per utilità della Religione, et certamente me hanno detto tutti li Prelati et boni del Regno, che avisi a Nostro Signore et V. S. Illm̃a, che se non sarrà finito el Concilio per Novembre, che Dio ne guardi, quando sarranno le loro Comitie che essi sonno forzati a fare un Concilio nationale per non spettare più, et trovar qualche concordia a fatti loro.

Ho haute tre lettere dell' Illm̃o Borromeo in una volta per colpa de corrieri sendo andate altrove, son restato assai consolato de esse per la bona voluntà che dice haver Nostro Signore et Sua Signoria Illm̃a verso de me, et io dalla banda mia me son sforzato, et similmente farrò sempre che potrò per correspondere, il che son certo sarrà con satisfattione de V. S. Illm̃a causa et origine del tutto.

Il sopradetto Signore me dà conto del recevuto de tutte le mie fino alli cinque de Marzo, eccetto de quelle de 27 de Febraro, le quali con quelle de cinque de Marzo et 14 lei me scrive haverle mandate, se degnarà far avertire se queste del 27 de Febraro in qualche modo fossero restati, o forsi quelli de Roma non ne harranno fatto mentione respondendo a molte insiemi. Fino alli 29 de Marzo sempre ho indrizzate le lettere a Vostra Signoria Illm̃a, perchè non seppi prima la sua legatione, dopo con Monsig. Nuntio de Venetia ho pigliato altro ordine, ben desidero sapere se lei ha hauto el plico del detto 29, perchè sonno lettere de importanza sì per la conclusione della dieta, come anco perchè in esso sonno le lettere del Re per la nominatione del Vescovo de Camenez, el quale el più cordiale amico et dabene ch'io habbia quì, et desidero quanto posso presto la speditione sua. Io penso de partir a mezzo el mese de Iuglio che harrò aponto finito tre anni in Pollonia, perchè me sonno necessarii questi doi mesi per scriver la mia partita alli Signori del Regno che erano partiti de Petricovia, quando me licentiai dal Re, et anco per vendere li cavalli che me hanno servito quì, et fonirme delli novi et altre cose alla fiera de Lublino questo Iugno per la partita, al venire in quà posi doi mesi et mezzo, sendome partito el primo de Maggio, et con la medesima commodità penso de tornare, a tal che stimo d' essere in Roma per la fine de Settembre.

Cracovia, 21 Maggio 1563.

Per questa Vostra Signoria Illm̃a saperà la morte della bona memoria del Cancelliero di questo Regno, la quale non avisai per l' altra mia del xiiii. havendo già fatto il plico, et fu all' improviso, sendo

stato dalle Comitie in quà alquanto indisposto, non però tanto che non si credesse dovesse vivere qualche mesi, se ben era intrato in hidropesia et asmatico, et io poco avanti l'havea visitato, et a l'andare et al tornare me fece compagnia sino alla scala; ma poi intrato in un bagno cominciò a perdere, et così passò a l'altra vita migliore, come si deve sperare, havendo ricevuti li sacramenti fin la estrema untione. Et certamente li Catholici hanno perso un gran defensore, il Regno un grande Senatore, et io un veredico Amico.

L'ufficio non si puol dare sino alle Comitie generali, ma all'hora sarrà del Sig. Myscoski Vicecancelliero, perchè il gran sigillo questa volta tocca al stato Ecclesiastico, et quel del Vicecancelliero al secolare, et sarria gran fatica tra tanti Signori indovinare a chi toccarà, benchè molti credono che il Signore Vaposki genero del Palatino di Cracovia l'haverà, il quale a me piaceria per essere Catholico, et avanti la mia partita non mancherò di supplicare il Re et Monsig. Miscoski, che hora è solo governatore, che si degnino fare Catholica elettione, perchè questo importa troppo.

La Maestà del Re si deve trovare per la Pentecoste in Vilna; ma doppo la sua partita di Varsovia non si ha altra nova di lui, se non che in Lomza se deve abboccare col Duca di Prussia per conto della guerra. Passò quattro leghe lontano dalla Reina, ma non la vide altrimenti, supplicò S. M. che si contentasse lassarla venire in Cracovia, perchè dove stava pativa; gli fu risposto che da Vilna havria la risolutione.

Li Giuditii delle cause civile sono state accettati, come fu resoluto nelle Comitie da tutti li Palatinati, eccetto in Masovia. È ben vero che in Sandomirio è stato gran romore, perchè la nobiltà si levò contra li nuntii dicendo che non gli havea data autorità di pagare sì gran taglione, et che vi fosse inclusa la nobiltà, et che con l'armi volea defendere la sua immunità, et era per intervenirci gran scandalo, se li Signori, cioè Senatori, quali erano da sedeci congregati in quel luoco, alcuni per giudicare, altri perchè vi haveano le cause insiemi con li nuntii, non diceano che il Cancelliero bona memoria haveva scritto più di quel che si era statuito. Però li Signori, nuntii et nobili tutti concordi deliberorno che la nobiltà fosse in tutto essente, et li dodeci grossi imposti in ciascaduno laino di terra fossero pagati solamente da i laini de rustici, et delli deciotto grossi imposti per ciaschaduna cotta di cervisia, se ne paghino solamente sei; a tal che si è scombossolato quanto era stato fatto nelle Comitie generali, et molto sminuito il sussidio del Re. Per il che se è vero quel mi è stato detto da una persona degna di fede, che in Vilna veniva un Ambassatore del Moscovita per trattare accordo, non dubito che Sua Maestà l'accettarà. Et se questa volta si è fatto desiderare quattro anni di venire in Polonia, non so quanto si farebbe un altra volta, perchè non è dubio che questa resolutione fatta nel Palatinato di Sandomiria sarrà seguitata da tutti gli altri.

Cracovia, 19 Giugno 1563.

Questa sarrà per accusare la di Vostra Signoria R̃ma del 29 del passato insieme con le lettere degl'Illm̃i Signori Legati del Concilio, del che al solito gliene resto ubligato. Di qui non posso dire altro di nuovo a Vostra Signoria R̃ma, se non che dopo l'arrivata del Re in Vilna partì subito per Kowna a vedere due millia fanti et due millia cavalli Thedeschi, alli quali ha aggionto 1500 cavalli Polacchi veterani, di maniera che tutta è bellissima gente, et la manda in Livonia contra diece millia Thedeschi, quali dicono haver mandato il Re di Svetia per occupare in quel paese città, come ha fatto sin hora, non ostante il nuovo parentado che ha fatto il fratello con questa Maestà.

Col Moscovita la triegua fatta sino a Santa Maria di Settembre seguita, ma l'uno et l'altro si provede per quel tempo; ma quì però si va lentamente per il denaro, che se rescuote con gran difficoltà.

È stato in Vilna un mandato da quel che governa Polosco, città tolta questo anno al Re, alli Signori di Lituania, che se essi vorranno, lui se intrometterà col suo Signore a fargli ottenere pace o triegua con dure conditioni, è non scrivano quali siano. Per questo in Lituania fanno le Comitie, et la Nobiltà se vorria unire alla Polonia che pigliasse la sua difesa, con dir che non possono resistere in armarsi et consumarsi si spesso contra un tanto et sì potente nemico; ma il Palatino di Vilna et gli altri grandi sono contrarii, perchè questo detraheria all'utile et honore loro. È ben vero, che si pensa che la Nobiltà debbia vencere, sendo aiutata da un buon capo, chiamato Cocodvizza, nemico del detto Palatino. Et con questo desiderando a V. S. R̃ma ogni felicità le bascio le mani. Da Cracovia il 19 di Giugno 1563.

Di Vostra Signoria Reverendissima

Humile et Devoto Servitor
B. Vescovo de Camerino.

Litt. divers. Polon. ad Card. Moronum Tom. II. fol. 1—115.

DCCXLI.

Litterae a S. Carolo Borromaeo nomine pontificis ad cardinalem Stanislaum Hosium in negotio concilii Tridentini datae.

Cardinali Varmiensi.

Romae, 10. Februarii 1563.

Litterae Illm̃ae et Rm̃ae Dominationis vestrae semper sunt gratissimae Sm̃o Domino nostro; elucet enim in illis omnibus summa religio ac doctrina cum pari prudentia coniuncta: proximae autem eius Sanctitatem singulari laetitiae voluptate cumularunt, cum propter rectissimos sensus prudentissimasque actiones Illm̃ae Dominationis vestrae, tum propter diligentem ac sinceram declarationem rerum, quae isthic aguntur: quorum omnium maximam Rm̃ae Dominationi vestrae ipsius Sanctitas laudem tribuit, et ego eidem gratias ago singulares. Quod attinet ad Abbatem Claravallensem, iucundum item fuit Sm̃o Dño nostro iudicium de eo, ac testimonium Dominationis vestrae Illm̃ae simulque consilium, ut ad ipsum aliquid detur litterarum. Damus igitur ad illum amantissime scriptas his alligatas, quas tamen a Rm̃a Dominatione vestra cupimus etiam ornari, ut illarum humanitatem subsequatur sua et eloquentia et prudentia, illique optimo viro persuadeat Sanctitatem Suam eius religionis atque virtutis et studiosissimam esse et fore memorem, ubi se ei facultas obtulerit.

Romae, 3 Aprilis 1563.

Ad postremas litteras Dominationis vestrae Illm̃ae datas die XXII. et XXV. Martii illud primum respondeo: Nuntium, qui nuper missus est a Rege Catholico ad Sanctissimum Dominum nostrum nec petiisse, Regi ut liceat possessiones aliave bona Ecclesiastica alienare, neque ullam de ea re aut de privatis Regis rationibus mentionem fecisse; imo vero re ipsa apte declarat se nihil aliud in mandatis habere, nihilque aliud agere, quam quae ad publicas rationes spectare videntur.

Quod ei de Baro scribitur, tam id a veritate alienum est quam quod maxime, sciatque Rm̃a Dominatio vestra Sanctitatem Suam nec cogitasse, nec somniasse quidem tale quicquam: quamobrem eam rogatam volo, sibi ut persuadeat, habeatque pro certissimo, Serenissimum Regem suum nihil a Sanctitate Sua in hoc negocio detrimenti aut impedimenti habiturum, nullamque inde causam futuram, qua eius animus ab hac Sancta Sede iure alienari possit.

Quae scribit vestra Illm̃a Dominatio de studio et pietate Abbatis Claravallensis, ea fuere in primis grata Sm̃o Dño nostro, commendatque vehementer pii illius viri curam et propensum animum in publicam quietem et salutem: quod vero ad tollenda illa verba attinet, de quibus ipse mentionem fecit, Sanctitas Sua ad Illm̃as Dominationes vestras detulit, et nunc iterum deferat totius rei deliberationem, salva tamen dignitate et auctoritate huius Sanctae Sedis, nihilque ei accidit optatius, quam ut omnia de communi consensu ad optatum exitum perducantur. Quod ad petitionem Cardinalis Borbonii attinet, prudenter admodum Cardinali Lotharingio respondit Rm̃a Vestra Dominatio: neque enim ei debet esse dubium, quin Sanctitas Sua debeat mature totum hoc negotium considerare, illudque tandem decernere, et religioni consentaneum et hac Sancta Sede non indignum fore censeatur.

Romae, 13 Aprilis 1563.

Sanctissimus Dominus noster etsi interdum prope fuerit in ea sententia Quinqueecclesiensem Episcopum propensiorem fuisse ad excitanda dissidia, quam ad constituendam concordiam, tamen gravissimo Illm̃ae Dominationis vestrae testimonio adductus omnino sibi persuadet Quinqueecclesiensem bonum Episcopum esse, et illo loco et gradu honoris, quem obtinet, dignissimum.

Quod scribit de Abbate Claravallensi, cuius optimam sententiam principes Galli sequi noluerunt, videtur Sanctissimo Domino nostro non esse dignitatis Illm̃ae Dominationis vestrae Claravallense neglecto de illis rebus agere cum Musotto: quod si fortasse Cardinalis Lotharingus incumbere voluerit ad voluntatem componendi istas controversias, tum quicumque is fuerit, qui Gallicanam illam rerum actionem susceperit, non erit reiiciendus interpres: quod tamen totum Sm̃us Dominus noster cogitandum et agendum relinquit prudentissimae pietati ac doctrinae Dominationi Vestrae Illm̃ae.

Nova rerum Germanorum etsi tristia sunt, non iniucunda tamen fuerunt Sm̃o Dño nostro, qui vehementer optat et precatur Deum, ut aliquando sibi contingat audire miseros illos sectarum magistros resipuisse, veraque concordia constituta in una Catholicae Ecclesiae consensione conquievisse.

Quod scribit de profectione sua ad Episcopatum, id vero Sm̃o Domino nostro minime probatur: nam Illm̃ae Dominationis vestrae praesentiam ita necessariam esse iudicat Tridentinis actionibus,

ut si longissime abesset, eam omnino eo accersendum putaret propter utilitatem ac dignitatem, quam istic affert Dei causae, cui ut inserviat et operam suam tam salutariter navet, haud ei grave esse debet reiicere Episcopales rationes hoc quidem tempore, praesertim cum etiam praesente ipsa non magna illic spes futura sit meliorum rerum. Quamobrem precor Illm̃am Dominationem vestram, ut in Sm̃i Domini consilio ac sententia conquiescens, agat interea, si quid agendum sit, qua ratione poterit per litteras, dum aliquando Tridentina negocia Dei beneficio utiliter conficiantur. Remitto cum his Varmiensis Collegii litteras. Reliqua ex communibus litteris cognoscet Dominatio Vestra Illm̃a.

Romae, 21. Augusti 1563.

Binas uno tempore litteras accepi ab Illm̃a Dominatione tua IX. Augusti datas. Villipandi studium summamque pietatem et perspectam ingenii laudem tanti aestimo, ut abs te praedicari vehementer laeter. Quod vero ad nuntium in Poloniam mittendum attinet, a Sanctm̃o Dño nostro probatur consilium tuum et iudicium de Episcopo Commendono, quem nos quoque cognoscimus idoneum ad ardua quaeque negocia obeunda, et eius fide ac virtute adducimur, ut hanc profectionem utilem et salutarem fore, confidamus. Itaque Sanctitas Sua, ubi tua Illm̃a Dominatio tempus opportunum iudicaverit, eius mittendi auctoritatem dat tibi et reliquis Legatis, vultque, ut vos eum omnibus rebus, quas huius muneris procuratio requiret, instruatis, atque ita commoneatis, ut vestro consilio adiutus religionis et Regni illius dignitati facilius et melius consulat, seu Comitiis tantum interesse, seu ordinariam legationem gerere volueritis. Illi autem vos pecunias pro ratione itineris et expensarum, quemadmodum communibus litteris complexus sum, numerari iubeatis. Ego vero Brevia, ac si qua erunt praeterea necessaria, ut primum me certiorem feceritis, diligentissime curabo, ut commodo atque opportuno tempore proficiscentur.

Romae, 4. Decembris 1563.

De profectione Illm̃ae Dominationis tuae, quo eam sentiebam vehementius laborare, hoc egi cum Sanctm̃o Dño nostro diligentius, a quo non tam mea oratio, quam ipsius virtus omnia impetravit: quantum enim prudentiae, consilii, gravitatis, religionis, quae in isto publico munere Illm̃a Dominatio tua adhibuerit, commemoravit cum illustri testificatione tuae erga ipsam voluntatis, ut quantum ei tribuat, etsi saepe antea, tamen nunquam exploratius perspexerim. Quod vero sibi per eius Sanctitatem liceat in Poloniam redire, cognoscet ex illius litteris, quam tamen oro atque obsecro, ne se tam longis itineribus det, hoc praesertim anni tempore, nisi plane confirmata valetudine: cui me parum inserviat, dum aliis officiis implicatur, adducor, ut suspicer.

De clandestinis matrimoniis res accuratissime expendetur, quemadmodum superioribus meis litteris pluribus scripsi.

Epistola consiliariorum Prussiae, quam Illm̃a Dominatio tua ad me miserat, legi et in praesenti remitto, ut postulavit.

Villipandi studium mihi pergratum est, quem de sua industria, itemque de novo opere absoluto valde amo: ut vero pietatis et diligentiae fructum consequatur, id erit mihi summae curae.

Ego Illm̃ae Dominationi tuae, ubi erit, non modo eximiae in omni genere doctrinae et sapientiae testimonium impertiam, sed singularem amorem susceptique amoris officium et constantiam cumulatissime praestabo: cuius me gratiae etiam atque etiam commendo.

Romae, 11. Decembris 1563.

Spero Dominationem Vestram Illm̃am ex Brevi Sanctissimi Domini nostri cognovisse iam desiderium, quo Sanctitas Sua tenebatur, eam videndi, ut amorem ac studium suum, quod pro virtutibus eius prestantissimis maximisque Dei Ecclesiam meritis singulare est, praesenti declararet: sed quoniam aliter tulerunt rationes Dominationi Vestrae Illm̃ae, eius voluntatem Sanctitas Sua summae voluptati, quam de ipsius aspectu ac sermone perceptura fuerit, anteponendam putavit, ita tamen ut eius honorificam mentionem et plenissimam desiderii intermitti non sinat. Ego quoque sperabam datam mihi facultatem sic colendi et observandi Dominationem Vestram Illm̃am, mentemque et animum meum praesentis eius contemplatione atque imitatione conformandi. Verum quia id mihi concessum non est, dabo certe operam perpetuo, ut absentem intuear, prosequar autem primum proficiscentem ipsam optimis ominibus, proque eius incolumitate Deum precabor assidue: observantiam deinde ei praecipuumque studium et operam meam profitebor in omnibus, quae ad eius utilitatem ac dignitatem pertinere arbitrabor etc. etc.

Carolus Borromeus.

Act. Concilii Trident. Tom. LI. fol. 95—100.

DCCXLII.

Rex Poloniae pontifici, ut Stanislaum Narkuski nominatum episcopum Mednicensem confirmare velit.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et dño, dño Pio divina providentia Papae Quarto SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, dño Clementissimo.

Beatissime pater, post oscula pedum beatorum Regnique et dominiorum meorum commendationem. Cum non ita pridem mortuo in Domino Reverendo olim Ioanne a Domanyow Episcopo Mednicensi in magno Ducatu meo Lithuaniae, pro officio meo regio ad dictam ecclesiam Mednicensem nominaverim in locum defuncti Venerabilem Stanislaum Gabrieliowicz Narkuski, Archidiaconum Vilnensem et Secretarium meum, virum in magno Ducatu meo Lithuaniae nobili familia natum, ac singulari probitate, sinceritate morum et vitae mansuetudine, ac rara hisce seculis in Deum et Ecclesiam Catholicam pietate, studio et religione ita praeditum, ut ordini Ecclesiastico maxime idoneus et aptissimus esse videatur, quemadmodum de iis literae nominacionis meae antehac ad Sanctitatem vestram datae testantur. Quoniam vero huius Episcopatus Mednicensis parvi et exigui sunt proventus, ita ut omnes antecessores, qui huic Episcopatui hactenus usque praefuerunt, nulla racione statum et condicionem Episcopalem pro dignitate gerere et administrare potuissent, nisi aliis beneficiis a maioribus nostris ac nobis etiam ipsis suffulti fuissent, eaque una cum eodem Episcopatu retinuissent; nunc quoque cum idem Episcopatus continuis bellis, quae cum haereditario hoste meo Moschorum principe ab aliquo tiam annis gero, eo quod diciones principis Moschorum proximius attingat, ita exhaustus ac desertatus sit, ut nihil fere illaesum aut intactum in ipso Episcopatu relictum sit, nunc demum multo maiorem hac in re eiusdem Episcopatus racionem habendam esse censemus: itaque cum muneris Sanctitatis vestrae esse, illiusque vel maxime referre existimemus prospicere et providere, ne sedes Episcopales, per quas non modo ordo Ecclesiasticus, verum etiam religio Catholica conservatur, penitus destituantur, Sanctitati vestrae maiorem in modum etiam atque etiam supplicamus, ut praenominatum Venerabilem Narkuski cum hoc Episcopatu tria beneficia seu sacerdotia Ecclesiastica, quae hactenus etiam non magni proventus obtinuit, videlicet Archidiaconatum Vilnensem, ac sancti Ioannis in civitate Vilnensi ac in oppido Thykoczin parochiales Ecclesias, deinceps quoque pro sustentanda dignitate et condicione Episcopali coniunctim obtinere permittat, eaque illi reservare et coniungere velit. In quo quidem Sanctitas vestra Ecclesiae huic ac sedi Mednicensi penitus fere collapsae et destitutae plurimum consultura, mihi quoque rem gratissimam, ita ut nulla unquam gracior fieri possit, factura est, quam ego vicissim omni genere obedientiae filialis Sanctitati vestrae per omnes occasiones promereri curabo. Cuius paternae benevolentiae me et Regnum ac dominia mea diligenter commendo, illamque bene ac prospere valere ac omni genere foelicitatis florere cupio. Datum in civitate mea Warschaviensi in conventu generali Regni mei die sexta mensis Marcii Anno domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Regni vero mei trigesimo quinto.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 28.

DCCXLIII.

Episcopi Poloniae pontifici difficultates exponunt, quae ex nimis scrupulosa executione decretorum sacri concilii Tridentini de pluralitate beneficiorum et de residentia propter haereticos oriri possint.

Sanctissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime.

Obsequiorum et orationum nostrarum summissam commendationem ad Sanctitatem Vestram deferimus. In hac temporum iniquitate, in qua infelici hoc saeculo nostro constituti sumus, multum omnino divinae benignitati debemus, quae talem summum Pontificem catholicae dedit ecclesiae, qui summa cum sollicitudine piam vereque paternam curam de ea recte instituenda gerit, sanctis institutis ac legibus illam reformans, et ab haeresibus repurgans, id quod Sanctitas Vestra in perficiendo Tridentino Concilio universo Orbi christiano abunde satis declaravit: sed et nobis peculiariter Regni huius antistitibus non vulgaria benignitatis suae documenta per legatos ac suos nuncios, viros graves ac prudentes, ostendere dignatur, quos huc mittit, ut nostris inserviant commodis, et in angustiis nostris, in

quibus iampridem hic versamur, nos recreent, consiliisque ex oraculis Sedis Apostolicae profectis adiuvent. Fatemur equidem nihil a Vestra Sanctitate paterni erga nos officii praetermitti, atque hoc nomine magnas et immortales illi gratias agimus. Verumtamen optaremus, ut Concilii Tridentini decreta praesertim de clericis exauthorandis, et ad unicum beneficium curatum ac ad residentiam in eo personalem redigendis in meliora incidissent tempora, quae si ut tenemur, ad debitam hoc tempore exequutionem deducere conati fuerimus, metuimus, ne et Regnum hoc et totam Ecclesiam nostram magnis difficultatibus involvamus: nam quae nobis hinc immineant incommoda et pericula, Sanctitati Vestrae paucis declarandum esse censuimus. In primis animos nobilium omnium Catholicorum valde offensos reddemus, qui filios fratresque suos exauthorari aut spoliari beneficiis ab ipsis eis collatis aegerrime ferrent, imo ne id quidem ferent in beneficiis collationis suae; quod si severius urgere voluerimus, certi procul dubio nobis hostes sunt futuri. Contra vero haereticis, quorum hic magnus iam crevit numerus, nihil gratius facere poterimus, non quod id illis gratum sit futurum, ut reformetur Ecclesia, quam quantum in eis est perditam esse malunt, sed ut per hanc occasionem tam ex clericis quam ex saecularibus nobilibus plures ad se pertrahant, pollicentes illis et opes et immunitates multo ampliores, quam sint apud nos, persuadentesque, ut illis mos est, hoc tandem iugum et servitutem ut excutiant: et veremur, ne plures sint, qui facile hoc sibi persuadere permittent. Sed et id haereticis lucro ac in rem ipsorum compendio cessurum est, quod parochiae illae, quae ex ipsorum dependent collatione, et adhuc per catholicos retinentur sacerdotes ex nobilium familia procreatos, si a modernis dimittantur possessoribus, haeretici in eorum loca statim ministros suos haereticos sufficient, catholicosque destitui libenter videbunt, quos utique propter generis nobilitatem revereri coguntur: et revera multum roboris ac ornamenti Ecclesiae decesserit, si nobilium animi ab ea eiusque sacro ordine fuerint abalienati. Non dubitet Sanctitas Vestra haereticis nihil magis studio esse, quam ut status noster ad extremam redigatur paupertatem, hoc est ut nobis omnia erripiantur, utque sic nos rebus et fortunis spoliatos facilius opprimant, et catholicos sacerdotes a studio et officio suo retrahant, viamque licentiae suae ut hac ratione communiant. Agnoscimus equidem, et ut filiis obedientibus par est, profitemur multa esse, aut potius omnia in illo sacro coetu laudabiliter et optime instituta, sed non omnia his perditis temporibus nostris expedire: nam haud scimus, an aliquando tale fuerit tempus, quo fortasse minus expedierit clericos spoliari beneficiis, quorum fructus partim belli ac militum rapinis, partim etiam haereticorum in nos et nostrum ordinem furentibus odiis ita sunt apud nos attenuati et imminuti, ut vix aegre vitam sustentare possint, vel si aliquot sacerdotia possideant, etiam talia, quorum unum antea honesto victui sacerdotis satis erat. Sed haec omnia ita putamus esse perspecta et explorata Reverendissimo Domino Ioanni Francisco Episcopo Zacintino, Sanctitatis Vestrae legato, qui etiam si pauculos menses in hoc regno et in ipsis comitiis fuerit, tamen multas provincias regni nostri iam obivit, et multorum animos tam catholicorum quam haereticorum iam bene novit, ut speremus Sanctitatem Vestram ab illo per litteras factam iam esse vel coram fore certiorem. Proinde nos qua maiore possumus animi summissione Sanctitati Vestrae supplicamus, ut clericorum nostrorum benignam in hoc rationem habere dignetur: cuius paternae clementiae nos et nostra omnia suppliciter commendamus, eandemque diutissime foelicem valere precamur. Datum Varsovii in Comitiis Regni generalibus XIII. mensis Aprilis Anno Dñi MDLXIIII.

Sanctitatis Vestrae

Humiles capellani

NICOLAUS Episcopus Wladislaviensis, ADAM Episcopus Posnaniensis,
ANDREAS Episcopus Plocensis, ALBERTUS Episcopus Chelmiensis.
PETRUS MISCHOVIUS Regni Poloniae Vicecancellarius.

Litt. divers. Poloniae Tom. I. fol. 79.

DCCXLIV.

Rex Poloniae pontifici spondet, nihil se reliqui facturum, ut statuta quaedam ecclesiasticae libertati haud consona revocentur.

Beatissime Pater et Domine, Domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem, Sanctitati vestrae vitam felicem prosperosque omnes successus a Deo Optimo Maximo expeto. Beatissime Pater et Domine, Domine clementissime, Inter multa alia, de quibus prudentissimus doctissimusque vir Sanctitatis vestrae Nuntius, Reverendissimus dominus Ioannes Franciscus Commendonus Zacynthi Episcopus, nomine Sanctitatis vestrae mecum egit, haec

quoque fuerunt, quae statim ut ad me venit, summo studio a me expetere et plano flagitare nunquam destitit: Primum, ut edictum conventus Varsoviensis Anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi pro Ecclesiis et earum immunitatibus promulgatum in suo robore auctoritate mea conservetur; deinde vero etiam, ut decretum in Petricoviensibus Comitiis Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio ex omnium secularium ordinum consensu latum, quod ordinem Ecclesiasticum videatur perstringere, immutandum, tollendum planeque abrogandum curarem. Et sane quod edictum Varsoviense Anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi attinet, ita id latum per me esse atque promulgatum videtur, ut maxima mea in eo ferendo erga universum ordinem Ecclesiasticum benevolentia non obscure apparuerit. Etenim cum de ferendo eo atque promulgando ab ordine Ecclesiastico sollicitarer, ipseque ad laudem id Dei Optimi Maximi ac omnium Ecclesiarum mearum tranquillitatem non mediocriter pertinere viderem, continere me non potui, quin etsi non consentientibus reliquis Regni mei ordinibus, ipse tamen, quantum in me esset, Christianae religionis tranquillitati consulerem, quemadmodum quidem factum est semper atque adeo hucusque a me sedulo. Verum quia promulgatum illud Varsoviense edictum ita esse videtur, ut non omnes Regni mei ordines in id consensisse neminem lateat, praestare nullo modo possum, neque auctoritate mea efficere, ut omnes ei edicto pareant, quod non omnes, ut perpetua Regni mei consuetudo requirit, unanimi sententia sanciverunt. Iam vero quod ad Petricoviense illud anni Millesimi quingentesimi sexagesimi tertii decretum pertinet, cum nihil sit tam arduum, neque tam difficile, quod ego pro perpetua mea erga Sanctitatem vestram et Sacrosanctam Sedem Apostolicam observantia non magnopere cupiam, etsi causa nulla videatur esse, propter quam decretum hoc abrogari debeat, adductus tamen eram statim ab initio precibus et persuasionibus Reverendi domini Nuntii, ut quemadmodum aliis in rebus omnibus, ita hac quoque in causa voluntati Sanctitatis vestrae morem gesturum me esse pollicerer. Nam cum ita mihi iam dudum persuaserim, Sanctitatem vestram omnia consilia sua conatusque omnes ad gloriam laudemque Dei Optimi Maximi ac Christiani totius nominis componere, non possum etiam non nisi libenter omnia Sanctitatis vestrae consilia amplecti. Verum cum postea animadverterem, et leges patrias et rationes Regni mei et studia multorum, immo omnium secularium impedire conatus meos, factum est, ut quod ab initio cupide in gratiam Sanctitatis vestrae pollicitus fueram, id postea nulla ratione praestare potuerim: nam si ea, quae publico omnium consensu in conventu etiam publico decernuntur, privata auctoritate mea rescinderentur, praeter alia incommoda plurima hoc etiam maxime verendum mihi videbatur, ne dum pro mea erga Sanctitatem vestram perpetua observantia omnium secularium ordinum consensu in publico conventu latum decretum abrogare atque auferre conarer, pacem quoque atque tranquillitatem Regni mei una everterem, mihique ipsi tumultus domesticos, qui nulli sunt ita leves, quin difficulter componantur, excitem, praesertim cum videatur hoc ipsum decretum tantopere Ecclesiasticum ordinem urgere, et publicam Regni mei pacem et tranquillitatem ei postponere sit necesse. Quod cum ita sit, non alienum tamen mihi visum est a constanti mea et perpetua in Sanctitatem vestram observantia, ut saltem quae mens mea de eo decreto esset, et in quem sensum interpretari debeat, ego ipse ex mea privata sententia declararem, et per diploma hoc meum, quod in manus Sanctitatis vestrae mittitur, aperirem: dignabitur itaque Sanctitas vestra hanc propensam meam erga se voluntatem benigne accipere, atque adeo non aliter de me, quam de Christiano, Catholico Sedique Apostolicae obedientissimo Rege sentire, quin immo ita sibi persuadere, nullos esse labores, neque tam graves, neque tam molestos, quos ego tuendae Christianae religionis causa vel fortunarum vitaeque meae dispendio, si ita necesse esset, recusare vellem. Cupio Sanctitatem vestram bene feciliterque valere. Datum Lomzae die tertia Maii Anno Domini MDLXIIII. Regni vero nostri anno XXXV.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 29.

DCCXLV.

Idem S. Carolo Borromaeo, insistat apud pontificum, ut Camillum Lambertini inter XL. viros civitatis Bononiensis cooptetur.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. Dominus et haeres, Reverendissimo in Christo patri domino Carolo Bor-

romeo, miseratione divina Sanctae Romanae Ecclesiae tituli sancti Martini in Monte Cardinali, et Electo Archiepiscopo Mediolanensi, amico nostro charissimo ac honorando, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Reverendissime in Christo pater, amice charissime ac honorande. Camilli Lambertini viri Nobilis dignitas est nobis ab iis Senatoribus nostris commendata, quibus nos propter eorum erga nos fidem et studium singulare negare nihil solemus: itaque cuperemus sane, ut is Sanctissimi Domini nostri beneficio in XL. viros Bononienses referretur, ut primus locus aliquis vacuus factus fuerit. Ad eam rem obtinendam plurimum in studio et benevolentia Paternitatis vestrae situm esse dicitur: quamobrem mandavimus Georgio Ticinio agenti istic nostro, ut Paternitatem vestram nostro nomine de eo conveniret et alloqueretur. Postulamus autem a Paternitate vestra, ut in eo negocio verbis ipsis agentis nostri fidem habeat, et quae ex eo intellexerit, ad ea consequenda opem ac studium suum praestare ne gravetur: rem nobis omnino faciet gratissimam. Bene valere Paternitatem vestram cupimus. Datum Petricoviae die IIII. Novembris Anno domini MDLXIIII. Regni nostri XXXV.

Sigismundus Augustus Rex subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 35.

DCCXLVI.

Idem pontifici, ut epo Plocensi Petrum Miskowski coadiutorem dare velit.

Beatissime Pater et Domine, Dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Qui hoc tempore in Regno meo Episcopatum Plocensem obtinet, Reverendus in Christo pater dominus Andreas Noskowski, is et annis et morbis iam confectus est, ut non modo in istius Episcopalis muneris, sed ne in ipsius quidem vitae statione diu esse posse videatur. Quod cum ipse quoque ita esse intelligeret, velletque se non modo vivo, sed etiam e vivis sublato, Ecclesiae ipsi Plocensi, quae sola adhuc inter caeteras in Regno meo ecclesiasticas dioeceses a contagine doctrinarum istarum peregrinarum pura per Dei gratiam ac libera permansit, prospectum esse, induxit in animum coadiutorem eius muneris Episcopalis sibi adsciscere, qui etiam nunc quidem partem solicitudinis ipsius, qua se iam omnino gravari ipse intelligit, in se reciperet, et eo vita functo, in ipsius plane locum et functionem succederet. In qua quidem cogitatione sua id in primis spectandum esse existimavit, ut in eo negocio neque gratiae, neque affinitati, aut alicui privato studio locus ullus datus esse videretur, sed ut modo ecclesiae ipsi consultum esset, ad conservandam iis turbulentis temporibus tam in praesens, quam in posterum ipsius puritatem et tranquillitatem: itaque quem maxime ad eam rem idoneum existimavit, eum posthabitis caeteris, quos illi aut sanguinis necessitudo aut subornata nonnullorum commendatio obtrudebat, unum ex omnibus potissimum delegit Reverendum Petrum Miszkowski, Regni mei Vicecancellarium et Ecclesiae illius Plocensis Praepositum, hominem nulla alia quam virtutis, pietatis et optimarum quarumque artium commendatione sibi charissimum, quem proximis hisce diebus constitutis sollenniter ad eam rem cum potestate plenissima procuratoribus coadiutorem sibi adoptavit. Cuius ego quoque singulare in hoc genere iuditium intuens, feci cum summa mea voluntate, ut ad eandem Coadiutoriam tam legitime et ex usu ecclesiae ac reipublicae factam consensum meum adderem, atque eum virum Sanctitati vestrae hoc tempore praesentarem confirmandum, quo quidem neque propter clarissimos ipsius natales nobilior, neque propter firmatam iam aetatem maturior, neque propter singularia in nos et rempublicam merita insignior, neque propter optimarum artium studia literatior, neque propter virtutem et pietatem melior aut religiosior, nec denique propter ea omnia mihi gratior potuit hoc tempore apud Sanctitatem vestram praesentari. Commendo eum itaque magnopere Sanctitati vestrae, ab eaque maiorem in modum peto et quaeso, ut quandoquidem ad eiusmodi Coadiutoriam meum quoque iam assensum accessisse intelligit, totum hoc auctoritate sua iubeat quamprimum approbari, ita quidem ut confirmatio eius Coadiutoriae cum futura certa in Episcopatum ipsum successione ei a Sanctitate vestra tribuatur. Non ignoro equidem, quid in libro Canonum et decretorum sacrosancti generalis Tridentini Concilii nuper celebrati, quem librum a Sanctitate vestra ad me non ita pridem missum, ipse quoque quoties per occupationes meas possum, inspicere non praetermitto, cautum sit de coadiutoriis concedendis: verum quoniam omnia in eo genere sapientissimo iudicio Sanctitatis vestrae permissa esse video, non dubito Sanctitatem vestram iustissimis postulatis meis, atque adeo ipsi urgenti necessitati Ecclesiae Plocensis, de qua necessitate Sanctitatem vestram ex litteris nuncii sui, qui dioecesim illam diligenter obivit, arbitror cognovisse, locum apud se esse concessuram; praesertim cum is

vir, pro quo haec a Sanctitate vestra postulatur, omni gratia Sanctitatis vestrae dignissimus esse videatur. Quamobrem illud etiam ipsius causa provideri iubebit Sanctitas vestra, quod quidem, ut faciat, ab illa, quam maxime possum, peto et quaeso, ut interim dum vacatio Episcopatus huius nulla fuerit, nullam ipse quoque eorum sacerdotiorum, quae in praesens obtinet, diminutionem patiatur; sed ut iis omnibus integre frui possit cum bona gratia et auctoritate Sanctitatis vestrae: cum enim is in meo regno munus et officium publicum sustineat, ita ut in aula mea versari eum assidue pro suo Vicecancellarii officio oporteat, sane reditus ipsius non modo diminui non posse, sed etiam augeri prorsus debere videntur. Cum autem ea sacerdotia, quae obtinet, non sint ex genere eorum, quae curam animarum habeant, facile me id a Sanctitate vestra impetraturum spero, ut et Coadiutoria hac a Sanctitate vestra ornari, et sacerdotiis suis omnibus per Sanctitatem vestram interea frui possit, donec Ecclesia Plocensis vacaverit, ipseque eius possessionem adierit: quod quidem mihi Sanctitatem vestram non modo non gravate, verum etiam libenter concessuram esse omnino mihi persuadeo. Optime valere Sanctitatem vestram cupio, eique me ac dominia mea omnia studiosissime commendo. Datum Petricovii XVIII. Novembris Anno domini MDLXIIII. Regni vero nostri XXXV.

Eiusdem Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 30.

DCCXLVII.

Idem S. Carolo Borromaeo de eodem negotio.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. Dominus et Haeres, Reverendissimo in Christo patri domino Carolo Borromeo miseratione divina Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Legato Bononiae, amice nostro charissimo ac honorando, Salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Reverendissime in Christo pater, amice noster charissime ac honorande. Adoptatus est in Coadiutorem Episcopatus Plocensis Reverendus Petrus Miskowski, Regni nostri Vicecancellarius et Ecclesiae illius Plocensis Praepositus, per Reverendum in Christo patrem dominum Andream Noskowski Episcopum Plocensem. Quae adoptatio, quoniam facta est, ut nulla neque magis rite ac legitime, neque ex maiore ecclesiae illius ac reipublicae nostrae usu et commoditate, neque ad voluntatem nostram magis accommodata fieri potuisse videatur, idcirco magnopere rogamus Paternitatem vestram, ut eam auctoritate Sanctissimi Domini nostri curet primo quoque tempore confirmari, cum futura certa ad eum Episcopatum successione, ut primum vacationem illius evenire contigerit. Quod ipsum etiam per literas nostas a Sanctissimo Domino nostro petiimus, quarum exemplum ad Paternitatem vestram cum his mittimus. Et quoniam hunc virum, qui in eiusmodi Coadiutoriam adoptatus est, propter multas ipsius et praeclaras virtutes ac merita in nos et rempublicam singularia habemus omnino charissimum, illiusque assidua et quotidiana opera in negociis Regni nostri expediendis carere non possumus, providendum nobis esse existimamus, ne propter eam Coadiutoriam, ex qua adhuc pauxillum admodum fructus et utilitatis ad eum redire potest, de priorum sacerdotiorum suorum possessione et reditu aliquomodo periclitetur, sine quibus munus suum Vicecancellarii, quod in aula nostra sustinet, nulla ratione tueri posse videretur: itaque de quo etiam Sanctissimo Domino nostro supplicavimus, a Paternitate vestra petimus, perficiat, ut donec Episcopatus ipsius possessionem plane adierit, nullam in iis sacerdotiis, quae obtinet, cum ea non sint curata, diminutionem patiatur. Magnam eius rei a Sanctissimo Domino nostro impetrandae spem tum in rei ipsius aequitate, tum in eius viri, pro quo haec postulamus, meritis et dignitate, tum denique in Sanctitatis suae erga nos gratia et benevolentia repositam habemus, si modo nobis Paternitatis vestrae favor adfuerit, quae causam nostram apud Sanctitatem illius tueatur. Quod quidem ut Paternitas vestra faciat, tantum ab illa petimus, quantum pro homine apud nos gratiosissimo, ac literis, humanitate, modestia, pietate, religione et reliquis omnibus virtutibus ornatissimo petere possumus et debemus: sic enim volumus, Paternitas vestra sibi persuadeat, nihil esse, quod viro ita de nobis, deque republica nostra benemerito negari a nobis posse videatur. Pergratum id nobis erit officium Paternitatis vestrae, quam optime valere cupimus. Datum Petricoviae die XX. Novembris Anno Dñi MDLXIIII. Regni nostri XXXV.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 36.

DCCXLVIII.

Natalini Moscoviae ducis ad Poloniae regem litterae belli denunciatoriae latine translatae, eiusque regis responsum.

Nos Natalinus Dei et Regni eius Vicarius potens, et magnus Imperator Universae Russiae, Moscovitarum, Naucardorum, Stolpitorum et Albae Russiae Heres, et Princeps ab Oriente ad Occasum circumquaque et Livoniae quoque, denunciamus tibi Sigismundo Augusto Poloniae Regi his nostris apertis litteris omnem nostram inclementiam, iram et perpetuam inimicitiam, qui ad hoc usque tempus a nobis, et a fratre meo defuncto, dum in vivis ageret, pro bono vicino habitus fuisti. Hoc autem non parum admiramur, quod Livoniae contemptae et abiectae Regionis deffensionem susceperis, nec nostram inenarrabilem potentiam veritus sis, nec tecum ipse expenderis hoc tibi impossibile esse, nec ad finem perduci posse, atque ideo tibi notum facimus, quod inaudita copia tormentorum nostrorum aeneorum te Sigismundum, atque omnes tuos adiutores oppugnare cogitamus, nec tu pro tua ipsius persona, nec omnes tibi iuramento addicti ullam certam et tutam sedem in dictione tua abituri estis, atque ita aperte et manifeste iram nostram atque inclementiam cognosces: nam haec nostra voluntas est, ut mea invincibili manu et exercitu igne ac omni vastationum genere te tuosque subditos perdam, urnam mecum circumferam, sanguinemque effundam tam diu, donec in hac magna vi et potentia vel tuum, vel meum ipsius caput in eandem hanc urnam deponatur. Itaque vide, quomodo te gerere atque armari una cum tuis subditis debeas. Datum in Caesarea nostra arce Moscovia 1564.

Regis Polloniae ad Moscovitarum Ducem responsum.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae, magnus Princeps Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque etc. Dominus et Haeres. Quia tu, Nataline Rutenorum Caesar, hostiles tuas litteras ad nos Regnumque nostrum palam misisti, in quibus serio et vehementer minaris, et deinceps in aeternum iuxta tenorem unius tuae epistolae omni amicitiae renuncias, eoque te oblectas, quasi in aeternum hic una victuri et laboraturi essemus. Nos tibi ad istas tuas litteras responsum et significatum volumus, nos vicissim ad te et tibi iuratos et subditos eadem tyranide, nempe igne, tormentis et omni armorum genere persequendum, atque ad Regnum tuum destruendum, vastandum et ad nihilum redigendum, te usque ad solium tuum per totam ditionem insequendum, investigandum et superandum paratos esse. Quod etiam denunciatoriis tuis inimicitiarum litteris indicas, te una cum collecto tuo exercitu gladium in nos stringere velle, nec ullo modo a latrocinando et sanguinem effundendo destituere, priusquam vel tuum, vel nostrum caput in eam, quam depingis, urnam deponatur, tibi vicissim denunciamus, quod nos pro nostra virili, divina ope freti, Malentiae castra nostra figere decrevimus, ubi tempore patris nostri piae memoriae tuorum parentum ad trecenta milia hominum caesa fuerunt, victoriaque nobis cessit, ibi inquam nos denuo sistere volumus, in altos etiam tuae terrae fines. Itaque admonitum te volumus in nomine Dei tui, cuius tu te Vicarium appellas, ut ad ibi una cum tuis comparendum te pares in propria persona, ibi utrinque experiemur, cui Deus et fortuna favere velit: ad haec te tuosque subditos compone, et cave, ne in casses meos incidas. Datum etc. 1564.

De rebus politicis Tom. LXVIII. fol. 53.

DCCXLIX.

Rex Poloniae pontifici Io. Franciscum Canobium nuntium apostolicum commendat.

Beatissime Pater et Domine, Dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Cum apud me esset missus a Sanctitate vestra Venerabilis Ioannes Franciscus Canobius Protonotarius, probavit mihi fidem erga Sanctitatem vestram, et in negociis ipsius obeundis industriam ac diligentiam singularem. Quibus quidem ex rebus amare coepi hominem, et si qua in re aut tunc temporis, aut etiam deinceps benevolentia mea usui illi esse posset, eam illi ad omnem opportunitatem prolixe detuli. Nunc intellexi esse illi quiddam negocii cum camera Sanctitatis vestrae, quo quidem negotio pro mea erga illum voluntate cuperem illum et quamprimum perfungi et quam facilime. Itaque ipsum negotiumque hoc eius summo quo possum studio commendo Sanctitati vestrae, ab eaque peto et quaeso, ut se illi interea facilem et clementem praebeat, negociumque eius vel meo nomine commendatum apud se habeat. Valde enim cupio, ut is cognoscat, benevolentiam meam, quam semel illi lubens detuli, necessario hoc suo tempore sibi non defuisse. Quicquid illi gra-

tiae Sanctitas vestra praestiterit, id non multo secus accipiam, quam si mihi a Sanctitate vestra praestaretur. Quam optime valere cupio, eique me ac ditiones meas etiam atque etiam commendo. Datum Petricoviae die v. Ianuarii Anno Domini MDLXV.

Eiusdem Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 31.

DCCL.

Idem pontifici, ut Petrum Miskowski coadiutorem Plocensem confirmare velit.

Beatissime Pater et domine, dñe clementissime. Post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Ea sunt erga nos et rempublicam merita Reverendi Petri Miszkowski Regni mei Procancellarii, ut non solum nihil illi sim negaturus eorum, quae caeteris unquam non sunt a me denegata, sed etiam nisi illum omnibus singularibus praerogativis afficiam, meo quidem erga illum animo satisfacere non videar. Feci superioribus mensibus summa mea voluntate, ut ei adoptationi, qua in Coadiutorem Episcopatus Plocensis assumptus est, consensum meum apponerem, eiusque rei confirmationem a Sanctitate vestra postularem. Et quoniam ita me arbitror negocium hoc illius Sanctitati vestrae commendasse, ut facile intelligi possit, rationes huius Procancellarii mei maxime mihi curae esse, non dubito, quin Sanctitas vestra omni suo studio et auctoritate sit declaratura, eiusmodi meam commendationem magnopere apud se voluisse. Quo enim ipse animo ad omnia accedere soleo, in quibuscunque me Sanctitati vestrae rem gratam posse facere intelligo, eundem profecto animum a Sanctitate vestra vicissim expecto in iis rebus, quas Sanctitas vestra intelligit sibi a me ex animo commendari. Sed tamen quoniam cum in universum causam hanc Reverendi Procancellarii mei Sanctititati vestrae commendarem, non arbitror me parem meritis ipsius gratiam retulisse, aut quod et quantum esset meum ornandi illius studium satis expressisse: idcirco nunc a Sanctitate vestra denuo etiam atque etiam peto et quaeso, ut omnibus in rebus, quaecunque in expedienda confirmatione eius Coadiutoriae istic intercedent, eum se praestet Sanctitas vestra, ut intelligi possit, neque quenquam ex antecessoribus Sanctitatis vestrae maiore benevolentia in ullum ex Serenissimis maioribus meis propendisse, quam ipsa Sanctitas vestra erga me propendeat, neque apud Serenissimos maiores meos, aut etiam apud me ipsum ullum hominem gratiosiorem extitisse ex iis, qui ad Episcopatus promoventur, uno hoc Reverendo Petro Vicecancellario meo. Quamobrem quaecunque unquam ulli hominum nostrorum in hoc genere a Sancta Sede Apostolica in levando sumptu expeditionis gratia est facta, eius gratiae memoriam ut in hac expeditione Sanctitas vestra nobis non solum repraesentet, sed etiam uberiorem faciat, valde ab illa peto et quaeso. Id ut faciam, non solum adducor meritis huius viri singularibus et singulari mea erga illum gratia et benevolentia, sed etiam tot sumptibus eius et impensis, quibus assidue in aula mea mirum in modum exhauritur, praesertim cum haec nostra ecclesiasticis rebus adversa et inimica tempora exiguum illi admodum fructum suppeditent ex omnibus iis sacerdotiis, quae alioqui bonis illis temporibus singula solebant esse suis possessoribus fructuosa. Praeterea autem adducor ad petendum id a Sanctitate vestra iis rumoribus, qui ad me adferuntur, sumptum eius expeditionis duplo ei prorsus maiorem proponi, quam olim propositus fuerit iis, qui ipsi in hoc Episcopatu praeiverunt, cum tamen is etiam de solito et usitato sumptu deductione aliqua insigni dignissimus esse videatur. Quarum omnium rerum confido Sanctitatem vestram benignam esse rationem habituram, idque ab illa iterum atque iterum maiorem in modum peto et quaeso. Commendo me et Regnum dominiaque mea in gratiam Sanctitatis vestrae, quam bene valere cupio. Datum Petricoviae die IIII. Februarii Anno Dñi MDLXV.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus filius

SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 32.

DCCLI.

Idem rex pontifici, ut cardinalem Commendonum Romam revertentem commendatum habeat.

Beatissime pater et domine, dñe clementissime, post oscula pedum beatorum meique, Regni et dominiorum meorum commendationem. Revertitur ad Sanctitatem vestram Reverendissimus in Christo

pater dñus Ioannes Franciscus sanctae Romanae ecclesiae Cardinalis Commendonus, Legatus ad nos Sanctitatis vestrae, qui mihi tum propter Sanctitatem vestram, a qua me admodum diligi et amari confido, tum propter prudentiam suam et eam, quam erga me praeseferre visus est, benevolentiam charissimus prorsus extitit. Ex eo Sanctitas vestra cum meum erga se studium et observantiam, tum rationem quoque eorum negociorum, de quibus ad nos legatus fuit, plenius cognoscet. Quod utrumque quoniam eiusmodi est, ut in altero nihil prorsus desiderare, in altero etiam, ut sunt tempora, non incommode acquiescere Sanctitas vestra posse videatur, existimo legationem hanc et acta ipsius non ingrata fore Sanctitati vestrae. Pluribus verbis Paternitatem eius Sanctitati vestrae commendarem, si id aut medestia Paternitatis ipsius pateretur, aut si Sanctitas vestra non hactenus summa gratia et benignitate sua commendationem meam in hoc genere praevertisset. Postulavi autem a Paternitate eius diligenter, ut Reverendum Vicecancellarium regni mei, qui gratia Sanctitatis vestrae Coadiutor Plocensis effectus est, negociaque ipsius nonnulla, quae Paternitati eius coram copiosius exposui, Sanctitati vestrae verbis meis commendaret. Quod cum faciet, peto et quaeso a Sanctitate vestra, ut quam mihi diligentius in re quapiam contendenti gratiam praestare solet, eam in his quoque Vicecancellarii mei negociis non gravate tribuat et praestet. Optime Sanctitatem valere cupio, eique me et regnum meum in gratiam et protectionem etiam atque etiam commendo. Datum Grodnae die vigesima octava mensis Iulii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Regni vero mei trigesimo sexto.

Eiusdem Santitatis vestrae

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus Rex Polonie manu pp. subscripsit.

Litt. Principum Tom. XXIX. fol. 33.

DCCLII.

Epistolae S. Caroli Borromaei ad Io. Franciscum Commendonum nuntium apostolicum in Polonia de negotiis ecclesiasticis.

Al molto Rev. Sig. come fratello Monsig. il Vescovo Commendone Nuntio di N. S. in Polonia.

Roma, 20 Gennaro 1565.

Molto Rev. Sig. come fratello. Havendo N. S. fatta matura consideratione sopra quel che V. S. scrive con le sue di xv. di Novembre intorno al dinaro di San Pietro solito a riscotersi in quel Regno, et pensando Sua Santità che sia cosa pregiudiciale a la dignità di questa Santa Sede, che un tale et sì honorato censo per incuria et negligenza nostra si vada estinguendo, et mettendo sotto altri nomi, vuole che V. S. con la solita sua prudenza et destrezza veda di rimettere et recuperare queste ragioni de la Sede Apostolica, facendone ogni opportuno et efficace officio con Sua Maestà et con chi altri giudicherà a proposito, a fin che li Catholici si contentino di continuar in questo si antico et debito pagamento, et li heretici siano astretti a riconoscere questa S. Sede in una cosa tanto giusta et ragionevole, poichè da 500 anni in qua (come intendemo) si è sempre riscosso detto denaro in quel Regno. Et quanto al partito ch'ella propone per evitar le sinistre interpretationi che potrebbono esser date dai maligni a questa cosa, a Sua Santità non può se non piacere tutto quello che habbi a tornar in honore et beneficio del Sig. Pietro Barzi, al quale per quel che da più bande s'intende de la bontà et valor suo, e per le famigliarità che ha havuto in casa nostra, Sua Santità porta singolar affetione: ma prima che prender in ciò totale risolutione sarebbe grato a Sua Santità d'haver qualche maggior lume de l'importanza de la gratia, cioè quel che se ne potrà cavare de plano, et sforzando gli heretici a pagare: che inteso che Sua Santità haverà questo si risolverà poi subito a gratificare il Sig. Pietro o in tutto o in parte, secondo che sarà conveniente, declarando però in ogni caso che Sua Santità non ne vuol per se cosa alcuna. V. S. adunque cercherà d'avvisarcene quanto prima, et attenderà a star sana. Che per fin di questa io me le offero di buon core pregando Dio che la conservi.

Roma, 20 Gennaro 1565.

Molto Rev. Sig. come fratello. Con le mie ultime di 23 del passato non hebbi tempo di fare risposta a le lettere di V. S. di 12 di Novembre, ma solo gli accusai la ricevuta. Et havendo poi communicato al solito con N. S. il contenuto, Sua Santità dopo havere maturamente considerato il tutto, et non sapendo in cosa di tanta importanza et tanto pericolosa, come è la convocatione de la Sinodo, che più sicuro partito pigliare, che rimettere intieramente il tutto a la prudenza di V. S. et a l'esperienza ch'ella ha del stato et humori di cotesto Regno, ha risoluto di scrivere li alligati Brevi a l'Ar-

civescovo, de li quali vi si manda copia. Nel primo Sua Santità comanda al detto Arcivescovo, che si astenga onninamente di fare la detta Sinodo, mettendogli in consideratione li pericoli et inconvenienti che da ciò petrebbono nascere, con la commodità che gli heretici haveranno di trovarvisi presenti. Nel secondo rimette a la conscienza di detto Arcivescovo il fare la Sinodo o nò, advertendolo poro, caso che si risolva a farla, a dare ordine che tutto passi canonicamente et secondo gli ordini del sacro Concilio Tridentino. Il terzo poi è in credenza di V. S. la quale per essere sul fatto et a pieno informata dei disegni dell'Arcivescovo et altri, potrà meglio considerare quel che sia più espediente per servitio di Dio et de la religion sua santa. Et però Sua Santità rimette al giuditio vostro qual di detti Brevi habbiate a presentare, eshortandovi a non pretermettere officio alcuno tanto col sudetto Arcivescovo et altri Prelati, quanto con Sua Maestà et Signori Cattolici, a fin che non segua novità, et si habbi principalmente la mira al beneficio publico et a la conservatione de la fede Catholica, in evento che non si possa impedire la celebratione di detta Sinodo; nella quale ella insieme col Sig. Card. Varmiense, se ci sarà presente, come ben sarebbe a proposito che ci fosse, doveranno opporsi gagliardamente a tutto quello che conosceranno esserci di male. Et sopra tutto doverà V. S. havere buona intelligentia con quei Prelati ch'ella conoscerà essere di buona mente, tenendoli ben uniti et animati al servitio di Dio et de la Religione.

Quanto al negotio della Coadiutoria di Plosca, se ben Sua Santità haveva deliberato di sopire a fatto le Coadiutorie, acciò non tornasse in campo per questa via l'abuso dei regressi, nondimeno per essere Monsig. Vicecancelliero tanto benemerito come V. S. scrive, si è contentata di admettere la detta Coadiutoria. Il che sarà a V. S. per avviso et per fin de la presente, dopo essermele offerto di buon core, et pregato N. S. Dio che la conservi.

Roma, 3 Marzo 1565.

Molto Rev. Sig. come fratello. N. S. è infinitamente satisfatto de la diligenza di V. S. non solo per quel che spetta agli officii ch'ella fa in quel Regno per servitio di Dio et de la religione, ma ancora per la crebrità del scrivere suo, essendosi ricevute da lei dopo l'ultime mie di 10 del passato due mani di lettere molto piene, in l'una erano quelle di 18, 19, 20, 22, 23 et 25 di Gennaro, et in l'altra quelle de l'ultimo pure di Gennaro et del 1 et 3, 4 et 8 di Febraro, che tutte sono state gratissime, et hanno molto accresciuta in Sua Santità la stima che ha fatto sempre de le virtù et qualità vostre, si come piacendo a Dio ne vedrete segno un giorno.

Non si poteva rispondere con maggiore prudenza et pietà di quel che voi havete fatto al Re in materia del divortio, Dio N. S. è stato quello che vi ha posto i sensi nel core et le parole in bocca. Sua Santità ha tanto per certo et per sicuro che sia impossibile di rompere questo matrimonio, che ex nunc senza altra consulta ha voluto ch'io ve ne dia la risolutione sì ferma, sì stabile et sì constante, che non accaderà sospettare di vederci mutatione. Et con tutto ciò la Santità Sua non mancherà ancora di consultare secretamente il negotio con qualche Theologi et Canonisti, et di fare cercare le scritture di quel tempo che fu fatta la dispensa, per formare et mandarvi sopra di ciò una instruttione, secondo che V. S. desidera. Ma tratanto non mancherà lei in ogni occasione et col Re et con gli altri di levare ogni speranza che si potesse havere di questo divortio, servendovi dell'autorità de la scrittura sacra, de gli esempi d'Inghilterra et d'altri Regni, et de le ragioni che ci sono infinite per divertire la Maestà Sua da questo humore, si come sin hora havete molto prudente et piamente fatto. Adesso penetramo in parte il ragionamento che la Regina fece con V. S. et con tutto ciò ci sarà però caro che ci mandiate il dupplicato de le lettere che sopra di questo ci scriveste a li 5 di Decembre.

Sua Santità ha fatto matura consideratione sopra quello che V. S. mi scrisse di confirmare alcune dispense fatte in quel Regno da chi non le poteva fare, et se ben gli è parso cosa dura et strana, nondimeno per levare l'occasione di scandalo, et sedare l'animo di que' tali dispensati, ha risoluto di dare a V. S. facultà di potere confirmare, et di nuovo dispensare, et il Breve di tale facultà si manda insieme con questa. Ben desidera la Santità Sua, et ve lo commanda espressamente, che di tutte le dispense che confirmerete, tenghiate una nota particolare, et ce la mandiate qua subito che haverete fatta la confirmatione con espressione de la qualità de le persone et del caso dispensato, et di chi lo dispensò et che danari n'hebbe. Di che tutto non mancherete con la solita diligenza et sincerità. Il Breve haverà ancora annessa la facultà di dare licenza d'ordinarsi extra tempora secondo che V. S. ha desiderato.

La cosa de l'Oricovio non si è ancora potuta consultare, ma ci si attenderà quanto prima sarà possibile et si scriverà poi a V. S. la risolutione.

Sarà qui alligato un plichetto per Monsig. Illm̃o Varmiense, col quale lei sarà ancora contenta di fare la scusa se così ogni volta non si risponde a le lettere sue, perchè la moltitudine dei negocii non ci lassano talvolta supplire a tutti i nostri debiti; ma sua Sig. Illm̃a può essere certa che le lettere sue sono viste da Sua Santità molto volentieri, et che ne le cose che importano io non lasciarò però mai che mi possa accusare di negligenza, che sarà il fine di questa offerendomi a V. S. di buon core.

Io non ho mancato di fare l'officio con questi Padri del Iesù, li quali si sono consentati molto prontamente di mandare un Collegio in Vilna: onde acciò possano condursi in là come conviene, essendo il viaggio molto lungo, V. S. doverà disponere quella Maestà a volerli sovenire del viatico, acciò possano tanto più allegramente inviarsi a quella volta.

Roma, 12 Marzo 1565.

Hoggi in Congregatione generale N. S. ha promosso V. S. Rm̃a al Cardinalato, invitato a fare questa dimostratione verso lei da la singulare bontà di V. Rm̃a S. et dà le honorate relationi che ha da più bande di lei, per le quali si promette ogni buona opera in servitio di Dio. Nel che io ancora non ho mancato d'ogni buono officio per il desiderio che io tengo, ch'ella conosca dagli effetti quanto la stimi, et quanto io desideri ch'ella habbia tutte le consolationi et grandezze. Così ho voluto dargliene la nuova col presente corriero, rallegrandomene seco con tutto il core, come farò più largamente con l'occasione de la berretta, che Sua Santità le manderà fra dui giorni. Et con tal fine raccomandandomole in gratia le baccio le mani.

Roma, 7 Aprile 1565.

Dopo la partita di M. Fulvio che N. S. mandò a V. S. Rm̃a con la berretta di Cardinale, si sono ricevute le lettere sue di 19, 20, 22, 24, 26 et ultimo di Febraro. Et perchè non voglio reiterare quel che se l'è scritto altre volte de la satisfattione che Sua Santità tiene de la molta diligenza di V. S. Rm̃a et de la fede che ha ne la prudenza et bontà sua, dirò solamente che è stato gratissimo l'officio ch'ella ha fatto con cotesti Prelati per indurli a interrompere la prattica del divortio, come volemo credere che haveramo poi fatto et per debito del grado loro, et per le vive et efficaci ragioni addotte da lei con tanto zelo et buona volontà.

Ho già scritto a V. S. Rm̃a quanto Sua Santità restava satisfatta de le risposte date da lei al Re sopra questo particolare, et come di qui non poteva, nè doveva aspettare se non una constantissima risolutione de la negativa. Hora le dico, che se ben si può poco aggiugnere a quello che lei prudentissimamente ha risposto a Sua Maestà, nondimeno per satisfare a quello ch'ella ha mostrato di desiderare, si è consultato questo negotio secretissimamente coi primi Theologi et Canonisti di questa Corte, col giudicio et consiglio de'quali si è formata l'instruttione che se le manda qui allegata, secondo la quale V. S. Rm̃a so che tanto più volentieri si governerà, quanto è in tutto et per tutto conforme al parere et giudicio suo. Del libro che se le manda insieme con l'instruttione V. S. Rm̃a farà havere quella buona cura che conviene, ricordandosi poi di riportarlo seco quando ritornerà in Italia. Et con tutti questi aiuti accompagnati principalmente da quello di N. S. Dio, Sua Santità confida che V. S. Rm̃a et Monsig. Illm̃o Varmiense sapranno trovar la via da rimovere Sua Maestà da questo pensiero, quando tuttavia fusse. Dal prefato Rm̃o Varmiense havemo havute hoggi più lettere, de quali l'ultime sono di 14 del passato. Ci pare incredibile ce ne fussero medesimamente di V. Illm̃a Signoria, et pur sin hora non ve ne sono state, ma forse l'haveremo questa sera o dimane, come ancora altre volte è occorso.

L'Arcivescovo Gnesnense ha fatto presentar l'alligata scrittura con chiedere il consiglio et parere di Sua Santità di come s'ha a governare, et desidereria insieme di ottenere le facultà ch'ella vederà per essa scrittura. Onde parendo a Sua Santità che questa instanza sia degna di considerazione, ha preso per espediente di mandare la scrittura in man di lei, sapendo che essa per la intelligenza et longa prattica che ha de le cose di cotesto Regno, et degli humori et bisogni d'esso, et per la solita bontà sua piglierà sopra ciò quella risolutione che giudicherà convenirsi per servitio di Dio et de la religione, avvisando poi quà se le parerà che Sua Santità habbi a fare cosa alcuna per compiacere il prefato Arcivescovo a fine di contenerlo in officio.

Si mandano a V. S. Illm̃a per la posta cinquanta medaglie di N. S. cioè 20 d'oro et 30 d'argento, le quali essa potrà distribuire a quei Nuntii et altri Cattolici secondo che le parerà; et se le manda similmente il Breve de la revalidatione de le sue facultà che sarà qui alligato, poichè per una regula di Cancellaria ogni facultà viene annullata per promotione.

Quanto a l'espeditione de le Bolle de la Coadiutoria per Monsig. Vicecancelliero, Sua Santità ha dato ordine che siano levate tutte le difficultà che si erano mosse in detta espeditione da questi curiali per conto de la tassa vecchia di quel Vescovato, non volendo Sua Santità che il prefato Vicecancelliero sia astretto a fare la sudetta espeditione, se non nel modo che hanno fatto gli ultimi suoi predecessori, che è quello ch'egli desidera. Il che si è fatto intendere a M. Giorgio Ticinio che attende a questo negotio. Che è quanto ho da dire per hora raccomandandomi humilmente in buona gratia di V. S. Illm̃a et desiderandole ogni contento.

Roma, 28 Aprile 1565.

Io scrissi a V. S. Rm̃a a li vii. del presente; poi arrivorno le sue lettere di 2, 4, 6, 11 et 15, et successivamente le di 16, 20, 21, 23, 24, 28 et 29 del passato, le quali tutte si sono communicate al solito con N. S. et è stato grato a Sua Santità ch'ella et il Sig. Card. Varmiense hanno fatto per disturbare il Conciliabulo degli heretici che disegnavano di fare innanzi la fine de li Comitii, e che con questo habbino levata l'occasione a che havesse potuto tentare d'incaminare per tal mezo un colloquio, et gratissimo il ragionamento che ella ha tenuto con Sua Maestà in dissuaderla tanto prudentemente et piamente come ha fatto dal divortio, et in disporla a contentarsi di cohibitare con la Regina, che se ben Sua Maestà dice di non voler conversare con essa, si potrà tuttavia sperare quando habbi consentito a la cohabitione che N. S. Dio lo disporrà ancora al resto con un po di tempo, et con li buoni ricordi di chi ama la salute sua, et in ogni caso non si ha da stimare poco guadagno l'havere fuggito il pericolo che ci pareva soprastare vedendo il Re tanto fisso in questo humore del divortio.

È similmente stato grato l'officio ch'ella ha con Sua Maestà per levare l'abuso ch'è in questo Regno, che morendo un Vescovo li parenti suoi entrino al possesso de'beni, et li tenghino et usino finchè il corpo del morto sia sepelito, et questo altro abuso ancora introdutto nuovamente, che i nominati da Sua Maestà a qualche Chiesa entrassero al possesso dei beni senza altra confirmatione de la Sede Apostolica: onde farà bene ch'ella facci opera, perchè s'introduca per ordinario l'interrogatorio ch'ella ha comminciato con l'Archidiacono eletto Mednicense, al quale Archidiacono io non mancherò di tutto quello che honestamente potrò per la sua confirmatione.

Quanto a l'opinione di coloro che vorriano che col Re si procedesse seriamente con minacciargli de privatione etc. a Sua Santità pare che questo sia troppo pericoloso et temerario partito, et da riservarsi a l'ultimo, quando si vedesse mancare ogni altro remedio. Et però, come scrissi anco al Sig. Card. Varmiense, Sua Santità vuole che ella continui a trattare con Sua Maestà come ha fatto sin quì, cioè con dolcezza et con ogni termine d'amorevolezza et charità, non venendo anche mai per nissun caso a rottura senza prima scriverne quà et haverne risposta.

Sarà gratissimo a Sua Santità ch'ella non pretermetta alcuna occasione dove vedrà di potere fare qualche buon'opera per beneficio de l'Ordine Ecclesiastico, et non doverà cessare di fare ogni gagliarda instanza con Sua Maestà, a fin che conceda l'Editto contra li profanatori de le Chiese et l'essecutione contra gli heretici conforme agli Editti etc. et a la promessa che la Maestà Sua le ha fatto sopra di ciò.

Si darà ordine che siano pagati a questi Padri Iesuiti li 316. taleri ch'ella ha ricevuti dal Vescovo di Plosca per il Collegio che disegna di fare in Pultovia, et si mostrerà loro la Patente che il Re ha concessa a lor favore, perchè possano pratticare per tutto quel Regno.

L'Imperatore essendo stato informato dei buoni officii che V. S. Illm̃a ha fatto con Sua Maestà per canto de la cosa de la Regina, ne ha fatto ringratiare Sua Santità, pregandola a volere continuare con communicargli le commissioni che darà a V. S. Rm̃a in questo particolare: onde sarà bene che da mo innanzi non solo superi, se è possibile, se stessa in fare ogni buon officio col Re, così doverà avvisarci particolarmante di tutto quel che farà a beneficio d'essa Regina, acciò possiamo farne dar parte a Sua Cesarea Maestà, con la quale V. S. Illm̃a potrà però ancora communicare tutto con mezo de li suoi Ambasciatori mentre staranno in quelle bande.

Sua Santità non vuole che si comporti in modo alcuno il trattare in Dieta di disciplina Ecclesiastica, atteso che questo non apartiene a Dieta, si come anco il trattare dé Dogmi non tocca nè a la Sinodo; per il che ella doverà opporsi gagliardamente che non seguano si fatte et altre novità.

Gli officii che V. S. Illm̃a ha fatti et fa per servitio di Dio et de la Religione, adoperandosi et coi Prelati et col Re sono tanto conformi a l'intentione di Sua Santità, che non ho che dirle altro

risposta senza commendarla et pregarla a perseverare sin al fine, non guardando a incommodo o fatica sua propria, ma al beneficio publico, et a la satisfattione che ne riceve Sua Santità, la quale ha ripesa tutta la cura di quel Regno ne la vigilanza et integrità di V. S. Illm̃a insieme con Monsig. Illm̃o Varmiense a chi scrivo l'alligata. Et a lei quanto più posso mi raccomando et bacio humilmente le mani.

Roma, 19 Maggio 1565.

Si sono ricevute le lettere di V. S. Rm̃a di 29, 30 et ultimo di Marzo, et del 1, 2, 3, 5, 6, 10, 12, 14, 17, 18, 21 et 25 del passato: et quanto ai ringratiamenti ch'ella rende per il Cardinalato, per non moltiplicare in cerimonie io non replicherò altro se non che io ringratio N. S. Dio, che la virtù et singolare bontà di V. S. Rm̃a habbino ricevuto a tempo nostro quell'ornamento che in ogni tempo è stato da lei meritato: et come ella si può promettere da la benignità di Sua Santità ogni altra gratia, così io in particolare l'assicuro che non ho altro maggiore desiderio che di servirla in tutte le sue occorrenze.

La constitutione che estorsero cotesti Nuncii heretici da Sua Maestà in preiudicio delli Ecclesiastici saria dispiaciuta assai più a Sua Santità, quando li Ecclesiastici istessi non se l'havessero procurata, consentendo come han fatto, che l'essattione de le decime fosse rimessa ad ius seculare, et quando a la fine non si fosse sminuita la forza di detta constitutione con la protesta fatta da i Nuncii Cattolici a favore de li Ecclesiastici; sopra di che è stato molto grato il distinto ragguaglio che V. S. Rm̃a ce n'ha dato, et il risentimento ch'ella insieme col Sig. Card. Varmiense fecero con Sua Maestà col minacciare di partire, il che han però fatto bene a non mettere poi in essecutione, per non dare cagione a Sua Maestà di pigliare qualche strana risolutione a quei suoi pericolosi pensieri.

V. S. Rm̃a doverà poi instare che Sua Maestà secondo l'intentione datale nomini a l'Arcivescovato di Leopoli persona Cattolica et atta a reggere quella Chiesa, et che sopra tutto sia in sacris, et habbi l'altre qualità secondo gli ordini del Concilio più che si può in quei paesi.

De la causa di quell'Abbate Oliva, la quale è dinanzi a questi Rm̃i Signori dell'Inquisitione, non le posso dire altro per hora, salvo che si haverà memoria del ricordo suo, caso che detta causa si rimetta in partibus: ma quanto a l'Oricovio vedo bene che Sua Santità mossa a compassione di lui, inclina a consolarlo, et se ci fusse chi sollicitasse il negocio, crederei che presto ne potrebbe riportare l'espeditione, et con tutto ciò non mancheremo noi di sollecitarla.

Poichè nel negocio del divortio ella ha saputo con tante prudenti et efficaci ragioni condur Sua Maestà a lasciare quel pernicioso pensiero, et a contentarsi de la cohabitatione, Sua Santità vuole sperare che le sarà hora molto più facile il persuadere Sua Maestà a fare ancora nel resto il debito suo con la Serm̃a Regina: et però a Sua Santità sarà grato, che secondo l'opportunità ella non manchi di fare ogni buono et caldo officio a beneficio de la predetta Regina, a fin che Sua Maestà si disponga a dargli quella satisfattione che è tenuto di fare.

Quanto al mandar successore a V. S. Rm̃a, Sua Santità non piglierà sopra ciò risolutione prima che habbia inteso per lettere del Sig. Card. Varmiense quel che parerà a sua Sig. Rm̃a, che s'habbia a fare et circa la persona et circa il resto: onde oltre quello ch'io gli scrivo con la qui alligata, ella ancora doverà ricordargli a farmi intendere quanto prima il parer suo, acciò Sua Santità possa poi risolversi secondo che le parrà convenirsi.

Quel che Monsig. Arcivescovo ha detto a V. S. Rm̃a di essere avvisato di quà de le commissioni che le sono state date per lui, credo che voglia intendere di quei tre Brevi circa la Synodo, perchè facendo grandissima instanza questo suo di sapere quel che si era deliberato in questa cosa de la Synodo, a me non parve di celargli che Sua Santità haveva fatto intendere a lei l'animo suo sopra ciò et mandarli uno Breve. Et V. S. Rm̃a mi creda, che per molte considerationi che all'hora havevo fresche in la memoria, non si poteva fare di manco di dirglielo, nè ciò poteva nocere, poichè restava in mano di V. S. Rm̃a presentare qual Breve volesse con quella risposta che le pareva secondo che ella haveva ricercato.

Havendo Sua Santità visto quanto ella scrive del gran frutto che ha fatto il Padre Confessore questa settimana santa, et del giovamento che seguirebbe a le cose de la Religione, quando la facultà di assolvere heretici si communicasse a più persone, ha risoluto di dare questa facultà a V. S. Rm̃a con potestà di substituire in suo luogo quelle persone che le parranno a proposito, et il Breve sarà qui alligato; la medesima facultà fu concessa ancora al Sig. Card. Varmiense fin questo Settembre.

Però tra lei et lui potranno hora sostituire quanti a loro parranno, advertendo sopra tutto a fare elettione di persone le quali non abusino detta gratia, nè siano per farne questo, ma la spendano meramente in servitio di Dio et salute de le anime.

Io ho rinnovata al Vescovo di Rimini la raccomendatione per M. Paulo Emilio secretario di V. S. Rm̃a et l'ho fatto in buonissima forma, di modo che spero che il prefato Vescovo si contenterà di soprasedere, massime se il secretario sarà poi partito fatte le feste di Pasqua, come ella scrive che era per fare. Et a V. S. Rm̃a bacio humilmente le mani, raccomandandomi alla buona gratia sua.

Roma, 7 Luglio 1565.

L'ultime mie furono di 9 del passato, con le quali scrissi a V. S. Rm̃a che N. S. rimetteva al parer di lei et del Sig. Cardinale Varmiense il partir suo di cotesto Regno, ma si fermasse in Vienna o in altro luogo commodo al suo viaggio, et quivi aspettasse quel che Sua Santità le farà ordinare qualche pensiero di valersi de la persona sua ne la Dieta Imperiale. Il medesimo le replico hora, et l'assicuro ch'io soliciterò che l'ordine venghi tanto in tempo, che se ella havesse pure a venir in Italia non habbi causa di trattener molti giorni in quel luogo. Intanto rispondendo a le lettere sue di 19, 21, 23 et 30 di Maggio, et a le di 2, 4, 6 et 7 del passato, le dico che è stato gratissimo a Sua Santità l'officio ch'ella ha fatto con Sua Maestà per indurla, come ha dipoi fatto, a sottoscrivere et sigillare l'Editto a favore de li Ecclesiastici, con reintegrarli ne le ragioni et privilegii che havevano prima. Et quanto prima questo Agente dell'Arcivescovo capiterà da me, gli farò intendere la satisfattione che si ha di detto Arcivescovo per buona opera fatta da lui in distendere il sudetto Editto; nè si mancherà di procedere seco de la maniera che V. S. Rm̃a ricorda.

È similmente stato gratissimo a Sua Santità che la prattica del divortio habbia a la fine dopo tanti pericoli et rumori havuto quel buon exito che si desiderava.

Con l'Archidiacono di Lancitia o per meglio dire con il negotio, per il quale egli è mandato da cotesto Clero, si procederà con la debita maturità et circumspettione, commendando intanto l'informatione et prudente parere che V. S. Rm̃a ha dato in questa materia, et dicendole per avviso suo che questo huomo de l'Arcivescovo cerca quanto può di persuadere in nome del suo patrone, che si dia repulsa a le petitioni di detto Clero.

Io non ho mancato d'esporre a Sua Santità li molti bisogni di V. S. Rm̃a, secondo che lei mi ha scritto. Per il che la Santità Sua havendo consideratione a le spese, che V. S. Rm̃a è stata costretta di fare in questa Dieta, si è contentata di sovvenirla d'un donativo di 500. scuti d'oro in oro, li quali si sono fatti pagar qui dal suo Agente. Et si sono pochi, n'è causa la strettezza in che si trova la Sede Apostolica di presente per le gran spese et poche intrate che ha; il che ha causato che a gli altri Cardinali poveri come lei et più, la Santità Sua non ha potuto fare questa medesima dimostratione.

Se si fusse concesso cosa alcuna circa il connubio de Sacerdoti, io non haverei mancato di darne avviso a la S. V. Illm̃a, come feci ancora de la concessione del calice quando fu fatta. Hora circa questo particolare io non saprei che altra informatione potergli dare, se non con dirgli che l'Imperatore Ferdinando di fel. mem. quando domandò la concession del calice, dimandò mediante il connubio de Sacerdoti, allegando tra le altre ragioni che senza questo la religione si estingueria del tutto in quei paesi, dove non è prete alcuno che non habbi moglie, nè chi voglia stare senza. Dopo la morte di Ferdinando la medesima instanza è poi stata rinovata da l'Imperatore presente et da l'Arciduca Carlo suo fratello con tanta efficacia, che Sua Santità dove prima pensava di potersela passare senza dare altra risposta, come a cosa impertinente et scandalosa, hora è stata costretta di mandar in Germania dui Nuntii, li quali sono l'Arcivescovo di Lanciano et Monsig. Guicciardini Auditor di Rota, con commissione che faccino officio con sua Cesarea Maestà, acciò desista da questa domanda, et se pur non vorrà che all'hora cerchino d'informarsi diligentemente, et vedere con gli occhi proprii et toccar con mano li bisogni di quelle Provincie, et tutto riferire poi a Sua Santità, acciò possa pigliar sopra di ciò quella risolutione che le sarà inspirata dal Signore Dio. Nè sin hora Sua Santità ha promesso, nè pur dato una minima intentione di detta concessione; anzi per quanto ha levata la speranza a qualunque le ne ha parlato di poterla mai conseguire. Et per quello che sin hora havemo da li detti dui Nuntii, speramo che l'Imperatore debba desistere da questa impresa. Il che è tutto quello ch'io posso per hora

dirne a la S. V. Illma, a la cui buona gratia per fin di questa humilmente mi raccomando, et prego N. S. Dio che la conservi. Di Roma a vii. di Luglio MDLXV.

Di V. Illma. et Rma. Signoria

Humilissimo servitore
C. Card. Borromeo.

Litt. Principum Tom. XXIII. fol. 198.

DCCLIII.

Nonnullae card. Altempsii litterae ad eundem Commendonum de similibus argumentis datae.

Al molto Rev. Sig. come fratello Monsig. il Vescovo Commendone Nuntio di N. S. in Polonia.

Roma, 27 Gennaro 1565.

Molto Rev. Sig. come fratello. Quel che non potei fare la settimana passata, farò hora con più comodità, dicendo a V. S. in risposta de le sue di 3, 13 et 16 di Decembre che a N. S. è dispiaciuto d'intendere che oltre le calamità di quel Regno et la mala intelligentia che è tra cotesti Prelati, vi sia aggionta la differenza nata tra il Vescovo di Cracovia et il Conte di Tarnovia, et che il prefato Vescovo si mostri in ciò sì duro come ne si scrive. Et però Sua Santità ha deliberato di scrivergli un Breve che se le manderà quest'altra settimana, admonendolo che questi non sono tempi da stare su queste contese et eshortandolo ad abbracciare la concordia. In che V. S. per la parte sua non doverà lasciare di fare ogni buono officio, usando il mezo del Palatino di Sandomiria et di qualcunche altro ch'ella giudicherà a proposito per acquetar questo romore.

Ci è veramente assai doluto de la morte del Palatino di Siradia che era sì buono et potente instrumento per reprimere l'audacia degli heretici, pure ci andamo consolando con la speranza che Sua Maestà vi ha data di ristorarci della perdita di detto Palatino col dar quel luogo a persona Catholica, et così volemo credere che farà. Et con le prime se le manderà il Breve ch'ella ricerca per il Palatino di Posnania suo fratello.

Il testimonio che V. S. ci ha fatti dei buoni portamenti di Monsig. Vescovo di Posnania et del fratello, che si mostrano così ardenti defensori de la religion nostra Catholica, è tanto conforme a l'opinione che Sua Santità tiene de la bontà di detto Vescovo, che vuole che ella ne lo ringratii et benedichi in nome suo, commendando lui et il fratello di queste loro sì honorate et gloriose attioni, de' quali Sua Santità serberà sempre grata memoria, et eshortandoli a perseverare in quanto loro santo proposito.

Con questa si mandano a V. S. li dui Brevi, uno con facoltà di assolvere qualunque che fosse innodato in censure etc. ad effetto di potere havere voto in la Sinodo, quando si facesse, et l'altro per inhibire sub poenis et censuris a tutti li Prelati, Abbati, Capitoli et Canonici che non intervenghino in detta Sinodo, caso che si pensi di trattare in essa de dogmi et concordia de la religione, de quali tutti V. S. si servirà secondo il bisogno.

Se le mandano similmente alcuni Brevi di semplice credenza in lei, de quali si potrà valere in unire quei Vescovi et altri Catholici a li Comitii, admonendoli a lasciare da canto ogni altro rispetto et attendere di commun consenso a questo solo del servitio di Dio, che è unito con la salute loro, et di quel Regno. Et sopra tutto doverà usare ogni dolce maniera per guadagnare l'Arcivescovo se sarà possibile, col fargli tutte quelle offerte in nome di Sua Santità che le pareranno a proposito: et quando ciò non giovi, doverà poi obviare ai dissegni suoi si tenderanno a cattivo fine, facendo ogni gagliardo officio con gli altri Prelati per impedirlo et disturbarli questi suoi perniciosi pensieri. Di qua non si farà cosa, per la quale questo suo si possa accorgere che si habbi male satisfattione di lui.

Si era scritto fin qui quando sono comparse molte altre lettere di V. S. tutte insieme, cioè di 22 di Novembre, del 1, 10, 19, 23 et 27 di Decembre, le quali si consideranno, et essendoci cosa che ricerchi risposta, si farà di questa altra settimana. La lontananza è tanta che V. S. non ha d'aspettare da noi risposta d'ogni cosa, ma a fare per se stessa tutto quel che ella può per servitio di N. S. Dio et de la religione, tenendo per certo che di qui non si mancherà di mandarle tutto quello che saprà desiderare per aiuto del negotio, et da Sua Santità si terrà memoria de le sue fatiche.

Monsig. Illmo Borromeo è stato alquanti giorni indisposto, ma hora per gratia di Dio comincia a stare meglio, onde di quest'altra settimana potrà tornare a li soliti negotii. Tratanto Sua Santità ha

dato cura a me di scrivere la presente, che servirà ancora per offermi a V. S. in tutto quel che posso per lei, et raccommandarle di buon core ecc.

Roma, 29 Settembre 1565.

Quel che il Sig. Card. Borromeo scrisse a V. S. Illma a li 25 del passato circa il venir suo in Italia, cioè che N. S. si contentava che ella senza trattenersi in Vienna, o altro luogo de la Germania, come se l'era scritto che facesse, potesse venir a piacer suo a questa volta; doverà bastar anche per tutto quel che le potessi dir io in risposta de le lettere sue di 18 di Luglio. Et quanto a la scrittura in materia di formar nuova confessione di fede da proponere ne la Dieta Imperiale che V. S. Rma mandò con le sudette lettere, è stato molto a proposito che Sua Santità ne sia stata advertita in tempo, per potervi far quelle provisioni et ripari che bisogneranno, se ben non ne havendo noi da altra banda scontro alcuno, potemo credere che non sia per seguirne altro. A le altre sue lettere di 19 et 26 pur di Luglio et xi d'Agosto pertinenti al negocio de la Regina, non ho che dir altro, salvo che aspetteremo d'intendere la risolutione che l'Imperatore haverà poi presa sopra ciò, dovendoci in ogni evento bastare d'haver fatto in questo negocio tutto quel che havemo saputo et potuto per sopirlo affatto, come si poteva sperare che fosse per succedere, se non fossero poi seguiti questi altri motivi de la mossa che ha fatta la Regina. Troppo grande impresa sarebbe l'impedire una cosa, ne la quale è il consenso di tutte le parti: però N. S. Dio sia quello che vi metta la sua santa mano.

È stato grato a Sua Santità che V. S. Illma postponendo il commodo suo privato al servitio publico habbi concluso di trovarsi a la Synodo Provinciale, la quale non facendosi al tempo determinato, ella potrà poi inviarsi in qua secondo il desiderio che havemo tutti di vederla et goderla. Et baciandole in tanto le mani, resto raccomandandomi a la buona gratia sua, et pregando N. S. Dio che le doni prosperità.

Roma, 1 Decembre 1565.

Non occorrendo far altra risposta a la lettera di V. S. Illma di 4 del passato, con la quale ella ci da avviso de la partita sua di Polonia, le dirò con questa che vedendo N. S. che se approssima il tempo de la Dieta Imperiale, ne la quale oltre le altre cose d'importanza si ha da trattar principalmente de la religione, Sua Santità per il debito de l'officio suo ha deliberato di mandarvi oltre il Nuntio un personaggio di maggior dignità et conditione che tenga la mano ad impedire per quanto potrà, che non si faccia cosa alcuna preiudiciale al servitio di Dio et de la religione sua santa, et cerchi, se possibile sarrà, di fare qualche acquisto in quella Provincia. Per il quale effetto non è sovvenuta a Sua Santità persona più atta che V. S. Illma, come quella che per la prattica che ha de le cose di Germania, ma molto più per la prudenza et bontà sua empirà molto bene et degnamente questo luogo. Credo che lei non farrà difficultà in accettare l'impresa, sì per l'obligo et humiltà sua ordinaria verso i commandamenti di Sua Santità, et sì ancora per essere cessati quei rispetti che ne la potevano ritenere, come ella haverà visto nel passar suo per la Corte Cesarea. Però sarrà bene che la S. V. Illma si fermi o a la Corte Cesarea se la presente la troverà tanto oltre, o in Inspruch, o almeno in Trento, et avvisi subito in qual luogo si sarà fermata, perchè se le manderanno poi tutti li Brevi che saranno necessarii insieme con l'Instruttione de l'animo et mente di Sua Santità, et forse con qualche voce viva che habbi ad aiutarla et servirla ne la trattatione de li negotii che occorreranno, come sa V. S. Rma che in simili imprese si è costumato di fare. Ma per adesso non occorre entrare in altro se non che V. S. Illma si fermi, come ho detto, et dia avviso di se: quae erit harum litterarum summa, per fin de quali le bacio humilmente le mani, et prego Dio che la conservi. Di Roma al primo di Decembre MDLXV.

Di V. Illma. et Rma. Signoria

Humilissimo servitore
Il Card. d'Alta Emps.

Litt. Principum Tom. XXIII. fol. 181 — 209.

EPISTOLAE PII PP. V.

DCCLIV.

S. Pius PP. V. cardinali Varmiensi, ut reliquos episcopos Poloniae, et alios catholicos in proximis regni comitiis ecclesiam contra molitiones haereticorum viriliter defendendam excitet.

Stanislao Cardinali Varmiensi.

Pius PP. V. Dilecte fili noster, Salutem et Apostolicam benedictionem. Quia haereticorum morem novimus et odium, quo ecclesiam catholicam et ecclesiasticum ordinem insectantur, non dubitamus eorum fautores in comitiis istius Regni molituros, quicquid poterunt adversus religionem orthodoxam: itaque pro officii nostri munere cohortandos et admonendos duximus venerabiles fratres Archiepiscopum Gneznensem et singulos Regni Episcopos, ut tali tempore officii sui memores una mente adversariis sese opponant, eorumque perniciosis conatibus constanter obsistant. Hac te hortatione non egere scimus; novimus enim perpetuum et singularem tuum zelum divini honoris, in memoria habemus maxima tua erga religionem catholicam merita: itaque confidimus non modo non expectaturum te hortationem nostram, sed tuis ipsum cohortationibus excitaturum eosdem Episcopos ad prestandam fideliter Deo et patriae, et gregibus sibi commissis officium suum, et laicis catholicis iisdem comitiis de more interfuturis causam religionis diligentissime commendaturum, omnibus denique officiis cum Serenissimo Rege et aliis functurum, quae pietate erga Deum tua et fide ac devotione erga Sedem Apostolicam, cuius honorabile membrum es, digna sunt. Interea nos non sine maxima animi solicitudine exitum ipsorum comitiorum expectabimus: quae nos solicitudo cogit, licet hortatione te non egere nos scire dixerimus, tamen non modo hortari te, sed etiam obtestari, ut omni studio, cura et diligentia haereticorum consiliis occurras, et ad religionem catholicam tuendam ita incumbas, ut exemplo tuo catholicis omnibus animos augeas. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. Martii MDLXVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. ep. 55. fol. 33.

DCCLV.

Iacobo Uchanski archiepiscopo Gnesnensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gneznensi Regni Poloniae Primati.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Cum magnopere suspicemur, complures ex laicis, qui comitiis istius Regni interfuturi sunt, haereticae pravitatis labe pollutos et ecclesiastici ordinis adversarios hac oblata occasione aliquid, ut solent, molituros adversus religionem catholicam, coegit nos commissi nobis officii solicitudo et divini honoris zelus fraternitatem tuam et caeteros istius Regni Epi-

scopos hortari et monere, ut tam necessario tempore vestrum officium praestetis: agitur enim Dei omnipotentis honor et fidei orthodoxae causa, pro quibus sancti patres nostri sanguinem suum profuderunt: agetur ovium dominicarum salus, pro qua a nobis fidelibusque pastoribus, si opus sit, anima ipsa ponenda est. Proinde si quid haeretici haereticorumque fautores tentare conabuntur, quod ad confirmandas haereses pertineat, te et reliquos fratres perniciosis eorum conatibus una mente constanter et fortiter ire obviam et obsistere oportebit, ne videamini canes muti non valentes latrare. Id quod ne in vos dici possit, tuae maxime partes erunt, qui ut dignitate aliis istius Regni Praelatis excellis, ita hortator et dux eis et reliquis catholicis ad resistendum haereticis esse debes. Speramus autem, si inter vos, ut debetis, consentientes illis sacerdotali vigore vos opponetis, Deo favente, vos eorum consilia esse fracturos: turpe admodum et indignum fuerit, paratiores illos esse ad fidem catholicam oppugnandam, quam vos ad defendendam. Memineris, frater, officii tui Deo reddendam abs te rationem fore, quam quia ipsi quoque de nostro reddituros nos esse meminimus, idcirco praeterire noluimus ac debuimus, quin te fraterna charitate moneremus, quid tali tempore facere debeas, ut quod te tua sponte facturum esse speramus, nostro admonitu facias diligentius, acrius, studiosius. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvii. Martii mdlxvi. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. ep. 57. fol. 34.

DCCLVI.

Philippo epo Cracoviensi et reliquis epis Poloniae super eodem argumento.

Philippo Episcopo Cracoviensi.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Cum sciamus istius Regni conventui interfuturos esse complures ex laicis haereticorum fautores et ordini ecclesiastico infensos, pro certo habemus, id eos more suo acturos, ut aliquid decretum extorqueant, quo haeresum pestis in ipso Regno confirmetur atque augeatur. Quae solicitudo cum animum nostrum non mediocriter angat, fraternitatem tuam sicuti caeteros quoque fratres iisdem comitiis interfuturos hortandam duximus et admonendam, ut tam perniciosis eorum conatibus tali tempore pro tua parte fortiter et constanter obsistas, nec pro Dei honore et pro ovium tuarum salute ullam contentionem subterfugias: si enim haeretici ad oppugnandam religionem catholicam et perdendas dominicas oves tam attenti sunt, quanto attentiores et paratiores esse Dei sacerdotes debent ad Dei honorem et orthodoxae fidei veritatem unacum salute commissarum sibi ovium defendendam. Cogitare unum quemcunque vestrum et reputare secum oportet, quanto sanctorum patrum nostrorum sanguine fuerit catholica religio constituta, quod sit boni et veri pastoris officium, capiendus est vobis in eo conventu dignus Dei sacerdotibus animus et pro salute ovium vestrarum mors, si ita opus sit: sed non erit, ut speramus, difficile haereticorum conatus impedire, si modo illis vos una mente et ea, qua debetis, concordia resistetis. Absit a vobis, ut ullo aut metu aut ignavia sacerdotale officium deseratis. Memenisse te quidem, frater, officii tui credimus, nec commissurum putamus, ut illud in te dici possit, canis mutus non valens latrare: sed nostrum ipsi praetermittere noluimus, scientes ut tibi de tuo, ita nobis de nostro rationem Deo reddendam fore. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvii. Martii mdlxvi. Anno Primo.

In e. m. Reliquis Poloniae Episcopis et Petro Miscovio Episcopi Plocensis coadiutori et Regni Poloniae Vicecancellario.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. ep. 56. fol. 33.

DCCLVII.

Pontifex praeclarum regis Poloniae consilium haereticos spiritu lenitatis ad ecclesiam reducendi laudat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili, salutem etc. Maiestatis tuae literas de honore, ad quem Domino placuit humilitatem nostram vocare, nobis gratulantes grato animo accepimus. Fuerunt enim indicio nobis cum pietatis erga nos tuae, tum devotionis erga hanc Sanctam Sedem, in qua colenda profiteris te nullum, quod christiano et catholico Rege dignum sit, officium in te desiderari esse passurum: ut laudamus vehementer in Domino istam tam praeclarae voluntatis tuae professionem, ita laudamus quoque desiderium, quo te teneri scribis, ut intestina christianorum inter ipsos de religione dissidia tollantur. Pium admodum est desiderium tuum, charissime fili, idem nos cupimus, idem votis

et precibus a Deo petere non desistimus, ad hanc salutarem unitatem christiano populo restituendam omnes nervos nostros pro commisso nobis officio intendere statuimus. Sed quod talia dissidia in spiritu lenitatis tolli posse existimas, nos ita sentimus, ea demum ratione tolli illa posse, si qui ab ecclesia catholica recesserunt, agnitis erroribus suis, fidem catholicam, quae simplex est, et cuius ne unus quidem apex immutari potest, amplectantur. Quisquis hoc fecerit, eum nos non modo in spiritu lenitatis recipere, sed paternae charitatis brachiis amplecti et fovere parati semper erimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XVII. Aprilis MDLXVI. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. ep. 65. fol. 37.

DCCLVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut clerum Poloniae ad severiorem ecclesiasticam disciplinam reducat, seminaria clericorum instituat et cathechismum Romanum in linguam vernaculam traducendum curet.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gneznensi Regni Poloniae Primati.

PIUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Literas tuas non sine dolore legimus, quibus exposito ecclesiarum et religionis catholicae periculo te, quid facere debeas, plane ignorare fateris, et a nobis auxilium expetis ac requiris. Non sunt ista nobis, frater, incognita, nec deest nobis tibi et reliquis istius Regni Episcopis ac fratribus nostris opitulandi voluntas: sed de tantorum malorum remedio cogitantibus nullum nobis in mentem venit, quod salubrius sit ac magis necessarium, quam ut omnes, qui ecclesiastici sunt ordinis, officio quisque suo fungi tandem incipiant diligentius. Tantis enim haeresibus et in isto Regno et in aliis provinciis nulla res haud dubie maiorem causam dedit, quam corrupti ecclesiasticorum mores et nimia in pascendis gregibus dominicis negligentia. Sacerdotes enim, bonos semper exceptos volumus, dum ipsi indignam ordine suo vitam degunt, vitiis populos ipsos quoque corrumperunt, et apud eos in summam contemptionem venerunt: populi vero ita corrupti ac de sacerdotibus male sentientes facile per haereticos a fide catholica deducti fuerunt. Quocirca si quo remedio spes est tantam et tam corroboratam pestem haeresum reprimi ac sedari posse, danda opera est, ut ecclesiasticorum mores corrigantur. Qui ecclesiis praesunt, proficere studeant curentque, ut in suo quisque eorum clero corrigat et emendet, quaecunque laicos ad hoc tempus tantopere offenderunt. Si populus sacerdotes suos castius et honestius vivere videret, ad eorum normam vitam suam in dies magis, ut sperandum est, informabit, atque ita haereticis diffundendi veneni sui materia subtrahetur. Cleri porro visitandi et corrigendi a te potissimum, frater, initium fieri oportet, tuae istae praecipuae partes sunt, tuum munus, tu huius tam salutaris operis princeps, autor, orator esse debes. Plurimum quoque profuerit alere bonorum sobolem sacerdotum instituendis seminariis, sicut sacrum Tridentinum concilium praecepit, cuius saluberrimum decretum debes ipse primum exequi, et caeteros fratres ad id exequendum tuis monitis et hortationibus excitare. Quod ut facias non solum auctoritate tua, sed etiam nostro nomine, fraternitati tuae magnopere iniungimus ac mandamus. Illud etiam nobis valde placeret institui in isto Regno aliquot societatis Iesu collegia, quod te quoque cupere intelleximus: sed ad domos et reditus monasteriorum quorundam eis attribuendos accedere necesse esset Serenissimi Regis consensum, qui sicut nosti in eis ius obtinet patronatus, qua de re voluntatem eius per Nuntium nostrum explorare curabimus. Catechismus absolutus fuit, et Deo iuvante propediem edetur. Cura erit nobis, ut in sermonem etiam Polonicum transferatur, si homines ad eum transferendum idoneos hic reperiemus: libros quoque Missales et Breviaria nova absolvi et simulac absoluta fuerint, sicut te desiderare cognovimus, imprimi atque istuc mitti curabimus. Te vehementer hortamur, ne propter tantas haeresum sectas animo concidas, neu defatigeris, quin quibuscunque potes rationibus, pro loco, quem obtines, catholicam religionem defendas, pro qua etiam sanguinem, si opus sit, profundere debes. Potentior est is, qui pro nobis est, quam qui adversus nos. Si ipsi quicquid possumus, fecerimus, si recte honesteque viventes clerum in officio continere studebimus, si quae tam pie et provide in Tridentino fuerunt statuta concilio servabimus, non erit desperandum, fore, ut qui ab haereticis decepti fuerunt, ad ecclesiam redeant, praesertim cum inter ipsos haereticos tot alias ex aliis exortas sectas, tot dissidia et dissensiones extitisse videant. Quia vero tu, qui istius Regni statum cernis, facilius dispicere potes, quanam in re tibi et caeteris fratribus subvenire possimus, de eo si nos per litteras vel per Nuncium nostrum admonueris, gratissimum nobis feceris: nos enim quacunque re poterimus, pro loco et officio nostro, et pro fraterna, quam vobis debemus, charitate vobis subvenire parati sumus. Reliqua ex Nun-

cio nostro postquam cognoveris: ut desiderio nostro pro Sedis Apostolicae reverentia satisfacias, abs te petimus et vehementer hortamur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die primo Iulii MDLXVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. ep. 80. fol. 53.

DCCLIX.

Cardinali Varmiensi, ut archiep̃um Gnesnensem ad synodum provincialem quam primum convocandam excitet eique intersit.

Venerabili fratri (sic) Stanislao tit. . . . presbytero Cardinali Varmiensi appellato.

PIUS PP. IV. Dilecte fili noster, salutem etc. Hortati fuimus Venerabilem fratrem Archiepiscopum Gneznensem ad celebrandam synodum suam provincialem iuxta decretum sacri concilii Tridentini: neque enim videtur nobis eius celebratio diutius esse differenda, praesertim cum tempus idoneum ad eam congregandam offeratur hoc tempore, quo Praelati ad illius regni comitia conventuri sunt. Scripsimus autem ei nos utique velle, ut ipsi synodo tu unam cum nostro nuncio intersis: neque enim aliter eam celebrari volumus. Quocirca hortamur te et mandamus, ut te ad eam conferas, iisque ibi officiis fungare, quae res postulabit, quaeque insigni tuo in catholicam religionem studio et erga Sedem Apostolicam fide ac pietate digna erunt, sicuti te facturum esse confidimus. Datum Romae apud S. Marcum etc. die ultimo Augusti MDLXVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XI. fol. 82.

DCCLX.

Nuntio apostolico, ut synodo provinciali proxime celebrandae una cum cardinali Varmiensi intersit.

Venerabili fratri Magistro Iulio Rogerio in Regno Poloniae nostro et Sedis Apostolicae Nuncio.

PIUS PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Quia tempus opportunum nobis oblatum esse videtur, quo comitia regni futura sunt, celebrandae synodi provincialis quoque iuxta decretum concilii Tridentini hortati ad eam celebrandam sumus Venerabilem fratrem Archiepiscopum Gneznensem, cui etiam scripsimus, nos ei synodo velle interesse te et dilectum filium nostrum Cardinalem Varmiensem, petentes, ne sine vobis eam congreget. Proinde cura, ut illi intersis, et ut iis tantum de rebus in ea agatur, de quibus divini obsequii et ecclesiarum utilitatis causa concilium Tridentinum tales synodos habendas esse decrevit. Datum Romae apud S. Marcum etc. die ultimo Augusti MDLXVI. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XI. fol. 82.

DCCLXI.

Iacobo Uchanski archiep̃o Gnesnensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gneznensi Regni Poloniae Primati.

PIUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Quia vehementer optamus sacri Tridentini concilii decretum de provincialibus synodis habendis ubique ad effectum adduci, magnam ex eis utilitatem ad ecclesias proventuram esse sperantes: idcirco hortamur fraternitatem tuam, ut synodi suae iuxta ipsum concilium celebrandae occasionem ne praetermittat, quam istius regni comitia offerunt. Volumus autem, ut ei synodo utique dilecti filii Cardinalis Varmiensis et Nuncius noster intersint, sine quibus si qui, quod absit, eam celebrare voluerint, eos fraternitas tua a tali consilio pro Sedis Apostolicae reverentia deterrere, nec sine illis eam congregare debebit. Curae illud quoque fraternitati tuae esse debebit, ut ea in synodo de eis dumtaxat rebus agatur, quarum causa huiusmodi synodos sanctum concilium celebrandas esse constituit, quae scilicet ad Dei omnipotentis honorem et ad salutem animarum pertineant, sicut te pro tua prudentia atque virtute curaturum esse confidimus. Datum Romae apud S. Marcum etc. die ultimo Augusti MDLXVI. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XI. fol. 81.

DCCLXII.

Cardinali Varmiensi, curet, ut cathechismus Romanus in sermonem Polonicum vertatur.

Dilecto filio nostro Stanislao tit. S. Theodori presbytero Cardinali Varmiensi appellato.

PIUS PP. V. Dilecte fili noster, salutem etc. Cathechismum iussu nostro nuper impressum ad te mittimus, qui ut ab istius nationis hominibus, parochis et aliis, qui linguae latinae minus periti

sunt, intelligi possit, eius in sermonem Polonicum vertendi negotium a te dari volumus uni pluribusve Polonis, quos ipse delegeris. Quod enim prohibuimus, ne cui praeter Manutium liceret eum intra certum tempus conversum in vulgarem sermonem imprimere, id eo consilio fecimus, quod veriti fuimus, ne quis eum aut parum fideliter conversurus, aut indiligenter impressurus esset. Tuam vero circumspectionem confidimus pro suo catholicae religionis studio curaturam, ut is in manum hominum nationis suae fidelissime diligentissimeque conversus impressusque perveniat. Illud admonemus te, ut librum cures in totidem partes, quot sunt res, quae eius initio explicandae proponuntur, dividendum, et unamquamque earum partium suis capitibus apte distinguendam. Quod in prima ipsius editione quorundam incuria parum diligenter factum fuisse moleste tulimus. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die xxviii. Septembris mdlxvi. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XI. fol. 86.

DCCLXIII.

Cardinali Varmiensi, ut veluti sedis apostolicae de latere legatus synodo provinciali intersit.

Dilecto filio nostro Stanislao tituli sancti Theodori Cardinali Varmiensi appellato nostro et Sedis Apostolicae Legato.

Pius PP. V. Dilecte fili noster, salutem etc. In provinciali synodo, quam Venerabilis frater Archiepiscopus Gneznensis ex decreto sacri Tridentini concilii propediem celebraturus est, praesentiam tuam maxime opportunam et utilem fore censuimus pro tua spectatissima fide, doctrina, prudentia, divini honoris et catholicae religionis zelo. Proinde te ad eam synodum, quoad peracta fuerit, nostrum et Sedis Apostolicae de latere legatum tenore praesentium constituimus, facimus et deputamus, volentes dilectum filium magistrum Iulium Rogerium notarium ac nuncium nostrum tibi ad omnia assistere. Quocirca mandamus tibi, ut te ad ipsam synodum sine mora ulla conferas, operam daturus et diligenter provisurus, ut recte et ordine celebretur, neve quid in ea agatur decernaturve contra ritus et instituta Ecclesiae Catholicae vel huius Sanctae Sedis, cuius honorabile membrum es, auctoritatem ac dignitatem. Venerabiles vero fratres Archiepiscopum Gneznensem et reliquos quoscunque Praelatos in ipsa synodo congregandos hortamur in Domino, atque etiam in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut adventum tuum expectent, nec sine te eam celebrent, aut si antequam harum litterarum notitiam habuerint, eam celebrare coeperunt, eam, nisi dum tu affueris, prosequantur, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die xi. Decembris mdlxvi. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Brev. Tom. XI. fol. 95.

DCCLXIV.

Regi Poloniae pontifex de obedientia sibi praestita gratulatur, et responsum eius oratori hac occasione datum.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Ex obedientia, quam per dilectum filium nobilem virum Petrum Barzi oratorem tuum nobis et Apostolicae Sedi more institutoque omnium catholicorum Regum reverenter admodum praestitisti, libentissime agnovimus devotionem ac pietatem, qua maiorum tuorum piae memoriae Regum exemplo Sanctam hanc Sedem prosequeris, ac tale officium grato perinde ac debuimus animo accepimus: accepta etiam admodum nobis fuit persona ipsius oratoris; cognovimus enim eum virum valde catholicum, eximia prudentia et virtute praeditum, erga Maiestatem autem tuam fide ac studio singulari: itaque eum libentissime vidimus, et super iis, quae tuo mandato nobis accuratissime retulit, benignissime audivimus. Ex eius litteris cognoscere poteris, quam benigne polliciti fuerimus, nos de negocio illo tuo scripturos esse ad charissimum filium nostrum Hispaniarum Regem Catholicum, id diligenter et studiose faciemus. De dilecto filio Petro Miscovio coadiutore Plocensi, regni tui Vicecancellario, Maiestatis tuae desiderio et tuae commendationis causa, et propter eius virtutes ac merita libenter satisfecimus: indulsimus enim, ut decanatum Cracoviensem retinere possit, sicut rogasti, ad Sedis tamen Apostolicae beneplacitum, quam confidere debes non revocaturam gratiam suam iisdem manentibus causis. Libenter ex tuis literis intelleximus, quam grata tibi ac opportuna sit eius opera in illo munere obeundo, talium ministrorum vehementer cuperemus habere te copiam magnam, multo enim meliore loco res istius regni essent. Est autem prudentiae tuae viros tali

fide ac probitate praeditos et cum honoris tui, tum catholicae religionis studiosos diligenter conquirere atque provehere, eisque potissimum officia, praefecturas et magistratus committere ac mandare: id ad continendos in religione catholica et fide ac devotione erga Maiestatem tuam populos remedium omnium utilissimum experieris: sicut e contrario nihil potest inutilius esse nec perniciosius, quam eorum opera in magistratibus uti, qui haereticae pravitatis labe polluti sint. Tales enim ministri potestate sibi commissa ad depravandos populos et disseminanda haereticae pravitatis zizania abutuntur, non honorem, non famam Regiam diligunt, sui similibus hoc est haereticis favent, bonos et catholicos insectantur et opprimunt: ecclesiasticis vero personis in primis inimici atque infesti sunt. Quocirca hortamur, ut in hac re quam maxime potes diligentiam et circumspectionem adhibeas, et si quos minus tibi, quales essent, cognitos ullis officiis nimia quadam facilitate praeposuisti, eos cum primum poteris removeas, aliis in eorum locum, qui catholici sint, suffectis, et omnibus aliis remediis quibuscumque potes, sicuti caeteros quoque Reges et Principes hortari non desistimus, enitare, ut haereticae pravitatis pestem in Regno tuo reprimas. Illud enim, charissime fili, semper cogitare debes, quod admonere quoque alios Reges consuevimus, ita potestatem Regiam tibi ac caeteris Regibus ab illo rege regum datam fuisse, ut actionum et operum vestrorum rationem ei reddituri sitis. Haec brevi Maiestatem tuam admonendam duximus, quia nos quoque de officio nostro et de te ac caeteris Principibus rationem reddendam nobis fore meminimus, quae paterno animo a nobis dicta Maiestatem tuam non dubitamus ipsam quoque pio esse animo accepturam. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVIII. Ianuarii Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Responsum datum oratori Regis Poloniae in publico consistorio.

Illustrissime domine orator. Gratissimum est Sanctissimo Domino nostro officium, quod serenissimus et potentissimus Rex Poloniae Sigismundus Augustus ei ad Apostolicae Sedis regimen vocato more institutoque omnium catholicorum Regum per te praestitit, eius pietati atque obedientiae, quam unacum venerabilibus fratribus suis sanctae Romanae ecclesiae Cardinalibus accipit, quibuscunque cum Domino poterit, paternae charitatis officiis responsurum se esse pollicetur. Regnum eius dolet atque angitur intestinis iam diu de religione dissensionibus laborare. Ad eam pestem illic et in aliis regnis atque provinciis reprimendam Sanctissimus Dominus noster pro commisso sibi officio nullum, quod excogitari possit, remedii genus adhibere desistit, tantam christiani populi calamitatem suo ipsius, si posset, sanguine libentissime redempturus. Sed cum noverit Rex, quantam laudem maiores eius et alios superiores Poloniae Reges, qui modo commemorati fuerunt, ex propagata apud illas olim idolorum cultrices gentes christiana religione fuerint consecuti, sperat confidetque daturam operam, ut non minorem ipse gloriam orthodoxa fide adversus haereticos, et novarum rerum studiosos homines constanter animoseque tuenda et defendenda divino fretus auxilio consequatur. Dixi.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XIII. ep. 3.

DCCLXV.

Regi Poloniae, ut Iulium Rogerium nuntium apostolicum benigne audiat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Mandavimus dilecto filio Iulio Rogerio nuncio apud te nostro, ut Maiestati tuae nonnulla nostro nomine diligenter exponat, ea ut attente audias atque perpendas, utque eius orationi fidem habeas perinde ac si nos ipsos audires, a Maiestate tua magnopere petimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XV. Novembris MDLXVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Episcopis et Proceribus Regni Poloniae.

Ex Reg. orig. An. II. Brev. Tom. XIII. ep. 72.

DCCLXVI.

Regi Poloniae, ut Vincentium a Porticu nuntium apostolicum benigne excipiat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Redeunte ad nos dilecto filio Iulio Rogerio, qui apud Maiestatem tuam nostri et Sedis Apostolicae nuncii officio functus est, in eius

locum nostrum et eiusdem Sedis oratorem ac nuncium delegimus ex praelatis et familiaribus nostris intimis dilectum hunc filium Vincentium a Porticu, Sedis Apostolicae prothonotarium, virum nobis probatissimum atque gratissimum, cuius opera, doctrina atque consilio uti consuevimus in nostris et huius Sanctae Sedis negociis, a quo Maiestas tua plane edoceri poterit de nostra erga te paterna voluntate, et de cura, quam pro commisso nobis officio habemus, salutis Regni tui, et quidem tanto maiorem, quanto vehementius illud perturbatum esse videmus tum aeterno bello, tum intestinis haereticorum sectis. Non esse hortandam Maiestatem tuam satis scimus, ut eum advenientem benigne excipiat: id enim pro sua erga Sedem Apostolicam pietate ac reverentia facturam esse certum habemus. Quia vero recedenti a nobis quaedam ad te mandata dedimus, eandem Maiestatem tuam rogamus, ut et hoc tempore et in posterum quibuscumque de rebus nomine nostro tecum aget, parem ei fidem habere velis, ac nos ipsos audires, quod erit nobis gratissimum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVIII. Februarii MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Cardinali Varmiensi, Episcopis et Proceribus Regni Poloniae.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 148.

DCCLXVII.

Vincentio a Porticu nuntio apostolico in Polonia ipsum continuum pontificis commensalem esse testimonium perhibetur.

Dilecto filio Vincentio a Porticu iuris utriusque doctori, familiari et continuo commensali nostro.

Pius PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Egregia fides erga nos tua, grata opportunaque admodum obsequia, quae nobis et huic Sanctae Sedi iam dudum impendis, insigniaque virtutum dona, quibus te ornavit Altissimus, merentur, ut multo maioribus honoribus et gratiae nostrae indiciis ac testimoniis personam tuam honoremus: sed qui tibi multo ampliora debemus, ne minora quidem praesertim petenti possumus denegare. Itaque cum interesse tua existimes, extare testimonium nostrum familiaritatis nostrae, nos te, qui noster etiam et Apostolicae Sedis es notarius, quemque pro tua spectata in aliis rebus devotione, integritate, industria, diligentia ad Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Regem Poloniae Illustrem nostrum et Sedis Apostolicae nuncium destinavimus, praesentium tenore declaramus, et non modo familiarem et continuum commensalem esse nostrum, sed etiam unum de intimis familiaribus et intimis commensalibus nostris, et de iis, qui nobis praecipue grati atque probati sunt, et quorum opera propensius et fidentius uti solemus, et pro familiari et continuo commensali nostro ab omnibus et ubique haberi volumus atque censeri, ita ut omnibus et singulis honoribus, privilegiis, praerogativis, exemptionibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii familiares et continui commensales nostri fruuntur, potiuntur et gaudent, tu quoque fruaris, potiaris et gaudeas. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima octava Februarii Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 155.

DCCLXVIII.

Littera passus pro eodem nuncio apostolico.

Pius PP. V. Universis et singulis Christifidelibus, ad quos praesentium lator pervenerit, salutem etc. Praesentium latorem Vincentium a Porticu Sedis Apostolicae Prothonotarium, virum nobis probatissimum et ex intimis ac praecipue dilectis familiaribus nostris nostrum et huius Sedis Nuncium in Poloniam mittimus, vice nostra illic ea curaturum, quae ad Dei obsequium, ad salutem animarum et ad Regni totius utilitatem pertinebunt: quarum rerum causa cum is tam longi itineris laborem alacri pioque animo susceperit, in Domino hortamur et petimus, ut pro Sedis Apostolicae reverentia debito cum honore et charitate a vobis recipiatur atque tractetur, ac non solum iter suum libere et sine impedimento ullo cum comitibus, iumentis et sarcinis suis conficere permittatur; sed si aut itineris duces aut alias res necessarias requisierit, sine cuiusquam onere securitati et commoditati eius consulatur: quibus vestrae charitatis officiis vere vos pios sanctae Ecclesiae filios esse ostendetis, eaque nos ita grato animo accipiemus, ut si nobis ipsis tributa fuissent. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima octava Februarii Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 154.

DCCLXIX.

Regi Poloniae, ut libertatem ecclesiasticam in regno suo contra haereticorum molitiones tueatur.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum audiamus in Regno tuo Ecclesiasticam libertatem multis modis laedi atque imminui, certum quidem habemus id contra voluntatem tuae Maiestatis admitti; sed si diutius talia dissimulentur, hominum improborum licentiam in dies longius progressuram esse videmus: itaque Maiestatem tuam pro commisso nobis officio, et paterno erga ipsam amore hortandam in Domino et excitandam ac rogandam duximus, ne patiatur talem temeritatem per impunitatem crescere, sed cum animae, tum existimationi suae diligentius consulat. Omnibus quidem sua iura servanda sunt, sed ab Ecclesiis praecipue Ecclesiasticisque personis prohibendae sunt iniuriae ac propulsandae, cum eae vel maxime ad Dei et Salvatoris nostri iniuriam contumeliamque redundent, ac furorem eius provocent. Semper Catholici et sapientes Reges ac Principes Clericis propter divini nominis gloriam patrocinium suum praestare consueverunt, et pro Ecclesiastica libertate se tanquam murum opponere: qui vero eam opprimi patiuntur, sero postea, quam id sibi et suis rebus perniciosum fuerit, sentiunt. Si non haeresum pestis iam per Regnum tuum diffusa esset, haec haeresum origo, hoc violandae religionis initium futurum fuit. Potes etiam nunc, Charissime fili, potes reprimere tales audacias, et huiusmodi licentiam improbis eripere, nondum adeo sectae haereticorum creverunt, quin multo maior pars populorum Regni tui in officio maneat. Utere modo potestate tibi a Deo data, et Cleri ac sponsae eius Ecclesiae causam audacter suscipe ac tuere: minus quam forsitan metuas, audebunt improbi, ubi Regem pro Clero et Ecclesiis stare videbunt. Magna est Regis auctoritas, magna Celsitudinis Regiae reverentia: non contemnitur Rex, nisi nimia patientia sua se contemni ac despici sinat. Nec est fere quisquam tam malus, qui non Regis gratiam malit cum securitate, quam iram et offensionem cum periculo. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die septima Maii Anno MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 181.

DCCLXX.

Episcopo Vladislaviensi pontifex de celebrata synodo dioecesana et de instituto clericorum seminario gratulatur.

Venerabili fratri Stanislao Episcopo Vladislaviensi.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Spei quam de te habuimus, abs te ipso tuae administrationis initio gaudemus esse responsum: quod enim synodum dioecesanam celebrasti, in qua curasti, ut totus Clerus professionem faceret fidei Catholicae; quod Seminarium ex decreto Tridentini Concilii instituisti, et de mensae tuae reditibus dotasti; quod in haeretico illo eiiciendo mandatum nostrum tanta cura executus es, iecisti muneris tui praeclara admodum fundamenta. Ex istis porro praeteritis officiis tuis in spem non dubiam venimus de futuris. Ad quae praestanda non egere te cohortatione confidimus: sed tamen quia merita tua apud Deum crescere cupimus, et exemplum tuum finitimis Episcopis ad imitandum fore propositum speramus, ut quanta maxima potes cura et diligentia creditas tibi oves pascere ac tueri, et eas quae aberrarunt, ad ovile Dominicum reducere ac sanare studeas, adhortamur. De iis, quae mandato tuo a nobis postulavit familiaris noster Georgius Ticinius, quid tibi concesserimus, ex eius litteris cognoscere potes: confidere fraternitatem tuam volumus, nihil te unquam frustra a nobis desideraturum, quod quidem salvo officio nostro concedi possit. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XIIII. Maii Anno MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 187.

DCCLXXI.

Capitulo Cracoviensi pontifex exponit, cur in ipsorum controversia cum episcopo Plocensi mitius cum eodem egerit.

Dilectis filiis Decano et Capitulo Ecclesiae Cracoviensis.

Pius PP. V. Dilecti filii, salutem etc. Dilectus filius Mathias Drenitius literas vestras nobis reddidit super controversia, quae vobis est cum venerabili fratre Episcopo Plocensi Procancellario Regni Poloniae. Benigne audivimus eum causam vestram nos edocentem; sed pro loco, in quo nos Deus licet indignos posuit, et pro conditione locorum, temporum ac personarum multa considerare et cir-

cumspicere nos oportet, nec semper id sequi, quod summum ius forsitan et canonum rigor requirat, quodque publicae utilitatis ratio postulet: itaque non mirari, nec aegre ferre debetis, quod aliquid Episcopo illa virtute, illo zelo et auctoritate praedito extra ordinem concedendum esse duxerimus. Non sine gravibus causis id fecimus, nec potestate nobis a Deo data abusi fuisse videri possumus: speramus, fore, ut intelligatis, non esse nobis talis indulgentiae poenitendum, nec male nos vobis et Ecclesiae Cracoviensi consuluisse, qui apud Serenissimum Regem protectorem bonum semper habebitis, et a quo pro coniunctione Collegii, quotiescumque ita usu veniet, omnia studia et officia expectare poteritis. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. Iunii MDLXVIII. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIII. fol. 204.

DCCLXXII.

Capitulum Cracoviense difficultates decreta concilii Tridentini de pluralitate beneficiorum et de residentia exsequendi exponit.

Illm̃o ac Rm̃o dño, dño Ioanni Cardinali Morono etc. dño suo clementissimo.

Illm̃e ac Rm̃e in Christo pater et domine colendissime, obsequia nostra simul et orationes devotas in graciam Illm̃ae ac Rm̃ae dominationis vestrae studiose et reverenter commendamus. Nihil esset nobis optatius, quam in decretis S. Concilii Tridentini acquiescere, quae tantus piorum et sapientum Episcoporum coetus magno iudicio condidit, et summus Catholicae Ecclesiae pastor et Christi Vicarius approbavit: sed ea nunc sunt in Polonia nostra tempora, atque is rerum status, ut non omnia commode et sine perturbatione non modo ordinis Ecclesiastici, verum etiam Ecclesiae ipsius atque religionis debitae executioni mandari queant; ea praesertim, quae ad rationem sacerdotiorum sive beneficiorum, ut vocant, et ad iurisdictionem Episcoporum attinent. Quod facile demonstrari posset, si qua coiret provincialis Synodus: in qua illud quoque, speramus, perficeretur, ut et alia non minus salutaria cum eius ipsius Concilii decreta, tum antiquorum Canones ad rem conferrent et in executionem ponerentur. Nunc non omnia ex aequo urgentur a nonnullis, qui ipsi sibi fortassis plusculum indulgent. Quas ob res coacti sumus ante tres annos S. Sedis Apostolicae eiusque Praesidis Sanctissimi Domini nostri piae memoriae Pii quarti, et mox Pii quinti opem nostro et communi totius Cleri Gnesnensis provinciae nomine implorare: et impetravimus a Sanctitate eius trienne laxamentum sive suspensionem executionis eorum decretorum, quae ad pluralitatem sacerdotiorum et residentiam pertinent, ostensis et probatis causis, propter quas id indulgeri non modo expediebat, sed propemodum necesse erat. Quoniam autem eius laxamenti terminus iam in proximo est, manent atque adeo magis etiam urgent eaedem et plures aliae causae, cur laxamentum illud in longius tempus prorogari conveniat: supplicamus denuo Sanctitati eius, ut eadem benignitate et indulgentia nos deinceps etiam prosequatur. Cumque non simus nescii, quantum Dominatio Vestra Rm̃a et Illm̃a apud Sanctitatem eius gratia et authoritate apud eos, qui huiusmodi negociis praesunt, valeat, petimus ab ea maiorem in modum, ut petitionem nostram suasu et commendatione sua quam enixissime adiuvet, quo votorum compotes fiamus. Consulet ea re Dominatio Vestra Rm̃a et Illm̃a non solum nobis et Collegiis nostris, ac toti Clero provinciae ac Regni huius afflicto, sed etiam ecclesiis ipsis magno periculo expositis, et nos sibi magnopere devinciet. Totius autem negocii luculentam instructionem dabunt ei nostro nomine Rñdi domini Georgius Ticinius, Camerarius Apostolicus et Serm̃i Regis nostri apud S. Sedem Apostolicam agens, et Mathias Drenicius Praepositus Vladislaviensis et Canonicus Cracoviensis. Quod reliquum est, Deum oramus et orabimus, ut Dominationem Vestram Rm̃am et Illm̃am diutissime servet sospitem et incolumem. Cracoviae 15. die Iunii Anno Domini MDLXVIII.

Eiusdem Dominationis Vestrae Rmae. et Illmae.

Servitores et exoratores perpetui

Praelati et Canonici totumque Capitulum Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis.

Litt. divers. Poloniae Tom. II. fol. 10.

DCCLXXIII.

Regi Poloniae, ut priorem domus Paradisi Mariae ord. Carthusiani in Russia commendatum habeat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Dilecti filii Prioris magnae Carthusiae ad nos querela pervenit, quod Prior domus vocatae Paradisi Mariae ordinis eiusdem in Russia

coactus fuerit admittere tanquam oeconomum, et administratorem ipsius domus quendam Gasparem Stekanum, dicentem id monasterium sibi a Maiestate tua et ab Episcopo commendatum fuisse, et ad quasdam cum eo pactiones descendere. Quod ut audivimus vix credere potuimus. Quia tamen cogitavimus, subrepi potuisse Maiestati tuae, et aliis curis eam districtam minus diligenter forsan attendisse, quam mali exempli ea res esset, hortandam in Domino Maiestatem tuam esse duximus non minus quidem pro paterno erga eam amore nostro, quam eius ordinis causa, ut si ita res se habet, quicquid actum ea de re est, revoces et corrigas. Memineris, Charissime fili, maiores tuos inclytae memoriae Reges, a quibus te degenerare nolle certum habemus, pro sua insigni erga Deum pietate favorem et patrocinium suum Regium huiusmodi religiosis personis praecipue impendere solitos fuisse. Cogitet Maiestas tua, si talia exempla introducantur, nullum usquam monasterium, nullam religiosorum domum ab hominum huiusmodi ecclesiasticis bonis inhiantium cupiditate sacrilega tutam fore: brevi in religiosis domibus divinum cultum esse propter huiusmodi iniurias defecturum, quod sine summa Dei omnipotentis ira et indignatione accidere non poterit. Non cunctetur igitur Maiestas tua, extruso illo Gaspare, liberam eius domus administrationem monachis, et eorum ordini restituendam curare, nec in posterum ulla eos molestia affici patiatur. Regum quidem officium est, et huius rei causa tu et caeteri Reges a Deo constituti fuistis, ut vobis subiectos ab iniuriis defendatis; sed praecipue vobis tuendi sunt, qui illi Regi Regum deserviunt, his ille maxime parci vult, hos praecipue protegi atque defendi aequum est, qui pro aliorum salute et vestro foelici statu assiduas ad eum preces fundunt. Est autem Carthusiensis ordo inter alios huiusmodi ordines propter sua sanctissima instituta, et egregiam sanctitatis et religionis opinionem dignus admodum, qui et Maiestati tuae et caeteris sit Regibus ac Principibus commendatus. Cuius ordinis domum illam, quam diximus, et monachos, qui in ea supersunt, ut suum pristinum ius ac libertatem recipiant, Maiestati tuae quanto possumus studio commendamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v. Iulii Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 225.

DCCLXXIV.

Nic. Celabinus cardinalem Comendonum exorat, ne Petrum Skargam canonicum Leopoliensem propter religionis negotia e regno excedere et Romam abire sinat.

Illm̃o et Rmo domino, dño Ioanni Francisco Comendono Dei gratia Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali dignissimo, domino et patrono colendissimo.

Illustrissime et Reverendissime domine, domine et patrone colendissime. Suadebat hoc mihi, et quidem saepe, singularis illa Illm̃ae Celsitudinis tuae erga me benevolentia, ut meis literis Illm̃am Celsitudinem tuam iampridem inviserem: sed persuasit summa mea observantia magis me pro officio facturum, si ego Illm̃ae Celsitudinis tuae nomen potius tacitus perpetuo colerem, quam aliquando literis meis interpellarem. Ac propterea ne nunc quidem aliquid scripsissem, nisi hoc aperta et magna civitatis nostrae utilitas, planeque necessitas a me extorsisset: cui tamen ita parere ac servire volui, ut Celsissimae tuae dignitatis inprimis memor quam brevissime rem exponerem, nec quicquam ociose oculos illius detinerem. Reverendus ille sacerdos Petrus Skarga ecclesiae nostrae et Canonicus et Doctor, piae peregrinationis studio ductus, Romam profectus est, qui si officio seu vocationi suae graviter respondens firmiter apud ecclesiam nostram mansisset, nescio, an non meliore suo apud Deum merito et proemio, certe maiore communis plebis et totius populi fructu fecisset: quod Illm̃a Celsitudo tua rectius iudicabit. Hunc ego Illm̃ae Celsitudini tuae non commendo, quod illum commendatissimum et charissimum illi esse scio: sed illud non tam meo quam totius civitatis et ecclesiae nostrae nomine rogo et oro, ut illum Illm̃a Celsitudo tua vel Roma statim extrudat, vel quod omnes malimus, etiam ex itinere ad nos retrudat. Mirum enim est, quam difficulter boni ac pii omnes illius desiderium ferunt, tum magnus metus est, nec hoc uno vigili et acri custode remoto, homines impii, quorum ora ille vitae integritate et doctrina utique oppresserat, aut saltim compresserat, pro ea, quae in Regno nostro (heu dolor) licentia est, aliquid audeant, et infirmiorum conscientias perturbent. Hoc Illm̃am Celsitudinem tuam pro ea, quam ecclesiae Dei debet, pietate et pro ea, quam civitati nostrae pollicita est, clementia planeque benevolentia facturam nihil dubito. Scio autem et sacerdotem hunc pro ea, qua semper est in Illm̃am Celsitudinem tuam, reverentia gravissimae illius auctoritati cessurum obsequentissi-

me. Valeat Illm̃a Celsitudo tua foeliciter. Datum Leopoli die VI. mensis Novembris Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis

Observantissimus cliens et perpetuus servitor
NICOLAUS GELABINUS Leopoliensis Iuris utriusque Doctor.

Litt. divers. Poloniae Tom. IV. fol. 6.

DCCLXXV.

Regi Poloniae et proceribus regni, ut in comitiis Lublinensibus, quae e re ecclesiae sint, statuant.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri, ac dilectis filiis Nobilibus viris Senatoribus, Palatinis et Castellanis omnibus in Dieta Lublinensi congregatis.

PIUS PP. V. Charissime in Christo fili noster, ac dilecti filii Nobiles viri, salutem etc. Etsi non dubitamus, te, Charissime fili, pro tua in Deum pietate et maiorum tuorum clarissimorum Regum, ac tua erga Sanctam hanc Sedem reverentia, vosque omnes, qui in isto conventu congregati estis, nullam aliam ob causam simul convenisse, nisi ut ea consultetis inter vos ac decernatis, quae ad istius nobilissimi Regni utilitatem, et ad Dei omnipotentis honorem pertinent; tamen pro nostra in vos paterna benevolentia praeterire noluimus, quin vobis hoc tempore congregatis paternae nostrae dilectionis officium praestaremus: quod quidem officium nullum aliud est, nisi ut Maiestatem tuam in primis, Charissime fili, deinde caeteros omnes, qui tecum in isto conventu adsunt, nobiles viros hortaremur ad ea consultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modo non minuatur orthodoxae fidei religio, nec probatissima ac salubria maiorum nostrorum instituta, Sedisque Apostolicae ius atque auctoritas ulla in re detrimentum aliquod patiatur (sic), sed etiam quibus maxime rebus fieri potest, adiuvetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem Maiestati tuae vobisque singulis facile erit, si considerabunt terrena Regna, quae in manu Dei sunt, nulla alia re facilius, quam eiusdem Dei religionis amore atque observantia conservari: hanc autem religionem non nisi unam in toto Christiano orbe neque unquam antea fuisse neque nunc esse posse, eam videlicet, quae ab Apostolorum Principis Petri coeterorumque Apostolorum doctrina profecta, per tot eius successores ad nos et nostrum usque tempus una eademque semper et inviolata permansit, et quamquam suggerente diabolo Christiani nominis hoste variae in multis provinciis haereses et antea semper extiterint, et nunc existant; tamen hae neque nullam antea inter se unitatem habere potuerunt, neque nunc habent, aut habere possunt: hoc ipsum nimirum permittente Divina providentia, ut qui a Sancta Ecclesiae doctrina atque unitate propter superbiam se ipsos absciderunt atque diviserunt, nunquam in unum aliquod corpus coalescere potuerint. Haec est illa sanctissima ac vere sola et una religio, quam Apostoli praedicaverunt, martyres moriendo confessi sunt, quae potuit illa quidem praeteritis temporibus, et nunc etiam potest haereticorum dissentientibus inter se opinionibus impugnari, sed expugnari tamen non potest: atque utinam hanc eandem illi ipsi ab initio constanter tenuissent, quorum praecipue perniciosa opera pestiferisque consiliis Respublica Christiana Deique omnipotentis Ecclesia in tantam calamitatem adducta est, melius cum ipsis et cum ipsa hac Sancta Sede ageretur, neque tot ubique populorum adversus suos Principes discordiis ob hanc ipsam causam susceptis Christiana Respublica laboraret. Hanc maiores tui nobilissimi Reges, Charissime fili, religionem semper coluerunt, hanc tenuerunt: ad quam quidem, ut ab initio diximus, tuorum exemplo maiorum retinendam et conservandam ita Maiestatem tuam, et caeteros, qui ei adsunt in isto conventu, Nobiles viros hortamur, ut quanquam non dubitemus Maiestatem tuam et caeteros omnes, aut plerosque eorum sua sponte ad hoc idem agendum incitatos ac bene animatos esse; non alienum tamen a nostro pastoralis officii munere putaverimus, currentibus vobis Apostolicae nostrae hortationis quasi calcar admovere. Quod si qui tamen inter vos (quod Deus avertat) reperiantur, qui aliter sentiant, hos pro nostro in omnes homines animo paterno et sincerissima voluntate monitos volumus, ut errorem suum recognoscentes ad eam religionis Ecclesiaeque unitatem reverti studeant, extra quam nullo modo salvi fieri possunt: hoc enim si fecerint, praeterquam quod melius animarum suarum saluti suaeque fidei consulant, nos praeterea omni nostra benignitate et charitate illos ad gremium sanctae matris Ecclesiae redeuntes suscipiemus atque amplectemur. Deum autem omnipotentem rogamus toto corde totiusque animae nostrae viribus, ut vobis (quod speramus) in eius nomine congregatis spiritum suae charitatis ita infundat, ut et nunc

et semper ea statuatis, quae ad illius honorem quotidie magis augendum, et ad istius Regni tranquillitatem ac pacem, atque ad huius omnium Christi fidelium Matris Ecclesiae veterem auctoritatem restituendam, conservandam propagandamque pertinebunt. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. Decembris MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 272.

DCCLXXVI.

Item proceribus regni in convento Lubliuensi congregatis super eodem argumento.

Dilectis filiis Nobilibus viris Senatoribus, Palatinis et Castellanis omnibus in Dieta Lublinensi congregatis.

Pius PP. V. Dilecti filii Nobiles viri, salutem etc. Etsi exploratum habemus, omnes qui in isto conventu congregati estis, pro vestra pruentia et christianae religionis studio de nullis aliis rebus facturos, praeterquam de his, quae ad Dei omnipotentis honorem istiusque nobilissimi Regni utilitatem pertinent, quarum rerum potissime causa vos simul convenisse pro comperto habemus: tamen nos, qui propter Apostolicae servitutis onera omnia omnibus facti sumus, cogimur hoc tempore impellente nos charitate vobis quoque officium nostrae paternae dilectionis impendere. Hoc autem nullum aliud est, dilecti filii, nisi ut vos purissimo sincerissimoque corde, et quanto maiore possimus studio hortemur ad ea in isto vestro conventu consultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modo non minuatur orthodoxae fidei religio, nec probatissima et salubria maiorum nostrorum instituta, Sedisque Apostolicae ius atque auctoritas ulla in re detrimentum aliquod patiatur, sed etiam quibus maxime rebus fieri potest, adiuvetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem singulis vobis facile erit, si unusquisque vestrum ante mentis oculos illius sibi Domini timorem proposuerit, cuius oculi sunt super iustos, qui scrutator est cordium, quique sicut eos punire solet, qui ab ira vultus eius, hoc est a sanctae Ecclesiae doctrina divisi sunt, sic eos, qui salutarem eius disciplinam custodiunt, aeternis maximisque praemiis paratus est remunerari. Quod quidem utinam illi ipsi (magno haec cum dolore dicimus) ab initio prospexissent, quorum praecipue perniciosa opera pestiferisque consiliis Respublica christiana, Deique omnipotentis Ecclesia in hunc miserabilem statum adducta est: non enim humani generis antiquus hostis tantam occasionem nactus esset in Dominicum gregem saeviendi, neque tantopere intestinis pravissimarum haeresum discordiis laboraret Ecclesia, quae tamen Divina hoc operante providentia, dum haereticorum quaestionibus turbulentissimis oppugnatur, subtilius semper atque ardentius in Dei charitate inflammatur, tum in sua eruditione instruitur. Vos autem praeter caeteros praecipue decet, dilecti filii, et semper, et hoc maxime tempore, in quo vos simul publicae utilitatis publica causa congregavit, dispicere diligenter atque attentius considerare, quod non modo utilitas vestri Regni exposcat, sed etiam quid Deus a vobis, quos Primates istius Regni constituit, pro vestro officio in illo districto iudicii sui die requisiturus sit: si enim in hanc cogitationem pro vestra in Deum pietate veneritis, ut cogitetis vestrorum consiliorum actionumque omnium aeterno illo Iudici reddendam esse rationem, non modo nihil unquam vobis placere poterit, quod alienum sit a sanctissimis Ecclesiae sanctionibus, sed etiam omni cura, diligentia, labore illius dignitatem ac maiestatem quibus semper poteritis rationibus vobis augendam amplificandamque esse putabitis. Ad quae quidem, ut ab initio diximus, ita vos hortamur in Domino atque excitamus, ut quanquam exploratum habeamus vos ad haec eadem agenda satis vestra sponte incitatos, ac bene animatos esse, non alienum tamen a nostro pastoralis officii munere putemus currentibus vobis Apostolicae nostrae hortationis quasi calcar admovere: cogitate, quanto vos potentia, nobilitate, dignitate caeteris istius Regni Proceribus antecellitis, tanto in conservanda Ecclesiae atque huius Sanctae Sedis auctoritate virtutis vestrae lumen clarius caeteris ad exemplum elucere debere, ut non minora in vobis pietatis in Deum merita reperiri debeant, quam illae sint vires, quas idcirco Deus vobis concessit, ut illis ipsis viribus haec vobis in eius sanctissimam Ecclesiam merita acquireretis: considerate, quam haec ipsa, quae hic vivitur, vita brevis sit, quam sint huius mundi honores fluxi ac momentanei, dumque potestis, enitemini cura et elaborate, ut vestra consilia, vestras cogitationes vestra decreta ita ad Regni istius utilitatem referatis, ut non minorem in humanarum rerum gubernatione prudentia, quam in divinarum respectu pietatem devotionemque declaretis. Nos autem Deum omnipotentem rogamus toto corde totiusque animae nostrae viribus, ut vobis, dilecti filii, quod ita speramus, in eius nomine congregatis spiritum suae charitatis ita infundat, ut eo nunc et semper ea statuatis,

quae ad illius honorem augendum et ad animarum vestrarum salutem, atque ad huius omnium Christi fidelium matris Ecclesiae veterem auctoritatem restituendam, conservandam propagandamque pertinebunt. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xvi. Decembris MDLXVIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Brev. Tom. XIII. fol. 275.

DCCLXXVII.

Cardinali Varmiensi, ut ad comitia regni proficiscatur.

Dilecto filio nostro Stanislao tituli Sancti Theodori presbytero Cardinali Varmiensi appellato.

Pius PP. V. Dilecte fili noster, salutem etc. Quamvis, quominus ad istius Regni comitia proficiscaris, sciebamus, te et aetate iam affecta, et viarum difficultatibus, hoc praesertim anni tempore, et faciendorum itinerum incommodis non mediocriter, neque immerito retardari: tamen existimabamus, egregio illo tuo fidei catholicae studio et singulari divini honoris zelo valde te excitatum iri, ad operam tuam omnipotenti Deo atque eius sanctissimae Ecclesiae et Ecclesiastico ordini hoc tam necessario tempore novandam, in quo tamen Circumspectionem tuam suae valetudinis, de qua, ut par est, magnam solicitudinem paternam gerimus, habere rationem volumus, cuius valetudinis si absque detrimento facere potes, ut non idcirco vitae periculum adeas, rogamus te, ut ad ea comitia proficiscaris: futurum enim speramus, cum in eis omni studio, cura et diligentia haereticorum consiliis occurreris, et ad religionem Catholicam tuendam toto animo incubueris, ut exemplo tuo Catholicis omnibus ad idem faciendum animos augeas. Quia vero pro tua prudentia haereticorum technas omnes optime nosti, pro tua vero in Deum pietate hortatione nostra non eges, nihil necesse est nos tibi aut specialiter super hac re scribere, aut Circumspectionem tuam pluribus verbis hortari: scimus enim, te et cum Serenissimo Rege, cuius optima ad nos voluntas affertur, et cum istius Regni Episcopis fratribus nostris, quos diligenter hortati sumus per litteras ad praestandum fideliter Deo et gregibus sibi commissis officium suum, et cum laicis Catholicis iisdem Comitiis de more interfuturis, functurum esse his omnibus officiis, quae pietate erga Deum tua et fide ac devotione erga Sedem Apostolicam, cuius honorabile membrum et firmissima quasi columna es, digna sunt. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xvii. Ianuarii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Pont. nostri Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 2.

DCCLXXVIII.

Archiepo Gnesnensi, ut una cum aliis coepiscopis Poloniae ecclesiasticam libertatem in regni comitiis contra haereticos defendat, cleri mores reformet, et decreta sanctae synodi Tridentinae exsequenda curet.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gneznensi Legato nato et Regni Poloniae Primati.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Commissi nobis officii sollicitudo et divini zelus honoris cogit nos hoc tempore, quo istius regni Comitia aut iam futura esse, aut non ita pridem incepisse intelligimus, fraternitatem tuam in primis, et caeteros istius regni Episcopos vehementer hortari, ut tam necessario tempore officium vestrum Deo pro Catholicae Religionis defensione praestetis: ea enim est haereticorum consuetudo, ut oblata huiusmodi conventuum occasione conentur semper aliquas actiones introducere, quibus ad confirmandam augendamque haeresum pestem vel decretum aliquod extorqueant, vel aliquid aliud ad illud obedientiae fundamentum subtrahendum moliantur, sine quo stare non potest reliquum Ecclesiae aedificium. Horum perniciosis conatibus, si qui forte (quod Deus avertat) fuerint, qui tantis Ecclesiae Catholicae persecutionibus adhuc non contenti, maiora etiam ei detrimenta inferre conentur, te et reliquos fratres Coepiscopos nostros una mente constanter et fortiter ire obviam et obsistere oportebit, ne tanquam muti canes videamini non valentes adversus lupos latrare. Qua in re praestanda tuae peculiares partes erunt, qui ut istius regni Primas existis, ita hortator et dux eis, et reliquis Catholicis ad resistendum haereticorum audaciae esse debes, ut quam huic et omnium Christifidelium matri Ecclesiae pietatem debes, eandem ei tanquam pius filius hoc suo tam necessario tempore rependas atque retribuas. Id autem eo fidentius tibi reliquisque fratribus faciendum est, quod Charissimus nobis in Christo filius Rex egregium Catholicae Religionis studium, devotamque ac propensam erga hanc Sedem Apostolicam voluntatem suam nobilissimis Regibus progenitoribus suis dignam, quorum in fidei Catholicae defensione singularis semper enituit virtus, non obscure significat, ut si quid in

istis Comitiis acciderit, ex quo Catholica fides et haec ipsa Sancta Sedes detrimentum aliquod patiatur, huius iam rei culpa non Regis voluntati assignanda, sed tuae et reliquorum fratrum negligentiae et socordiae imputanda videatur. Speramus tamen, si inter vos, ut debetis, consentientes, omni humani respectu postposito, sacerdotali vigore ad defendendam ecclesiasticam libertatem conspiraveritis, Deo favente, eorum omnium consilia vos esse disturbaturos, qui eam oppugnare aut minuere, aut alia quavis ratione laedere vellent: turpe enim tibi et reliquis fratribus indignumque esset, si paratiores haeretici ad fidem Catholicam oppugnandam, quam vos ad defendendam inveniremini. Quod si memineris, omnipotenti Deo reddendam esse abs te officii tui rationem, certe nihil praetermittes hoc tempore earum rerum, quae abs te in illo districto iudicii sui die iustus ille Iudex requisiturus est, etiam si tibi tanquam bono fidelique pastori pro grege tibi commisso anima ipsa ponenda esset: quod ut gloriosum tibi esset, sic oblata occasione non modo non devitandum, sed etiam ultro appetendum est. Eandem rationem quia ipsi quoque de nostro reddituros esse officio meminimus, idcirco nec voluimus, nec debuimus ullo modo praetermittere, quin te fraterna charitate moneremus, quid tali tempore facere debeas, ut quod te tua sponte pro tuo officio facturum esse confidebamus, nostro admonitu acrius tibi ac diligentius faciendum esse existimes. Et quoniam tot tamque multiplicium haeresum venenis causam et materiem maxime praebuerunt pastorum negligentia, et Cleri mores depravati atque corrupti, qua ex re imminuta est laicorum devotio et aucta vivendi licentia, proinde fraternitatem tuam rogamus et sub divini obtestatione iudicii monemus, ut ad avertenda divinae irae flagella, quae ob tot tantaque peccata, nisi obviam per eos, qui possunt et debent, eatur, maxima timenda expectandaque sunt, ad Cleri sui mores corrigendos reformandosque omni vigilantia incumbat, ut vitatis diligenter omnibus his, quae laicorum animos atque oculos offendere possunt, sacerdotes ipsi pristinam populorum erga se reverentiam ac devotionem aliquando recuperare valeant: hoc enim solum et unicum remedium est, ad tot tantaque Ecclesiae vulnera sananda. Ad hoc autem efficiendum, atque ita placandum Deum nihil aeque valebit, ac decretorum sanctae generalis Synodi Tridentinae fidelis ac diligens observatio, in quo quae adeo mature, pie ac provide, Deo auctore, constituta decretaque sunt, et Apostolicae Sedis auctoritate confirmata et ubique observari iussa, haec omni tuo studio enitere, ut ad effectum quam maxime adducantur: nihil facere potest fraternitas tua, neque Deo gratius, neque nobis acceptius, neque ipsi sibi gloriosius, neque animae suae salutarius. Hoc si fecerit, quemadmodum eam facturam speramus, cum ad aeternum pastorem illum venerit, non mercenariorum negligentiumque pastorum poenam, sed bonorum ac fidelium servorum laudes et praemia acciperer merebitur. Haec pluribus fraternitatem tuam hortati sumus, non suae voluntati aut studio erga Ecclesiam fidei suae creditam diffidentes, sed fraterni animi nostri affectum et omnium ecclesiarum sollicitudinem testificantes. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima septima Ianuarii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 3.

DCCLXXIX.

Episcopo Cracoviensi super eodem argumento.

Venerabili fratri Philippo Episcopo Cracoviensi.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Sollicitudo pastoralis admonet, et temporum conditio nos cogit, cum istius regni Comitia aut iam futura esse, aut non ita pridem incepisse intelligimus, ut fraternitatem tuam, sicuti ceteros quoque fratres iisdem Comitiis interfuturos hortemur ad officium suum Catholicae fidei defensioni tam necessario tempore praestandum. Scimus enim haereticorum atque Ecclesiastici ordinis adversariorum eam esse consuetudinem, ut oblata sibi huiusmodi conventuum occasione semper aliquid contra Religionem Catholicam, atque huius Sanctae Sedis, quae omnium Ecclesiarum caput et magistra est, maiestatem atque obedientiam subtrahendam moliantur: quorum perniciosis conatibus, quo tua maior est apud Regem auctoritas, et quo eruditione atque eloquentia caeteris tui ordinis Praelatis antecellis, eo constantius ac fortius obsistere atque obviam ire debebis. Id autem tibi caeterisque fratribus Coepiscopis nostris eo faciendum est confidentius, quod Charissimi nobis in Christo filii Regis ea voluntas nobis significatur, et illud Catholicae Religionis studium, ut in eius defensione a tot nobilissimis progenitoribus suis Catholicis Regibus nunquam degeneraturus esse credatur, ut si quid, quod Deus avertat, in istis Comitiis acciderit, ex quo Religio Catholica atque Apostolicae Sedis auctoritas aliqua ex parte laesa fuerit, id non Regi ipsi imputandum a nobis sit, sed aut timori aut negli-

gentiae vestrae assignandum. Quod si quod etiam periculum vobis Ecclesiasticam libertatem adversus impios haereticorum conatus defendentibus immineret, unanimiter obsistentes etiam moriendo debetis ostendere, vos in communi Ecclesiae Catholicae damno vestrum specialiter aliquid non amare, ne a patribus illis nostris degeneretis, qui sanguinem suum pro eiusmodi causis saepe profuderint. Audi enim, frater, omnium Apostolorum Principem dicentem: Si quid patiamini propter iustitiam, beati eritis; crede mihi, vitam, quam idcirco accepimus, ut eam pro Dei honore veraeque Religionis cultu libenter omnipotenti Deo offeramus, si necessitatis causa exigat, securius prò eodem Deo relinquimus, quam retinemus. Praestabit autem vires omnipotens Redemptor noster fraternitati tuae, praestabit caeteris fratribus in eodem conventu affuturis, si modo vos dignum vobis, hoc est Catholicis ecclesiarum pastoribus animum sacerdotalemque vigorem capietis. Quam ad rem fraternitatem tuam ita hortamur atque excitamus, ut nec maiore animi nostri studio, neque ardentiori desiderio hortari atque excitare possimus, meminisse te quidem officii tui credimus, nec commissurum putamus, ut ullo aut metu aut ignavia sacerdotalem dignitatem deseras: sed nostrum tamen ipsi officium praetermittere noluimus, scientes, ut tibi de tuo, sic nobis de nostro aeterno illi Iudici rationem reddendam fore. Et quia satis constat, malos sacerdotes populorum esse ruinam, manifestissimaque res est tot haeresum mala non aliunde, quam a pravis corruptisque Clericorum moribus originem habuisse: ideo fraternitatem tuam monemus, et per viscera misericordiae Dei nostri obtestamur, ut sicuti dignum est officio suo, ad Cleri sui mores corrigendos omni vigilantia incumbat, sibique persuadeat ad revocandam veterem Ecclesiae dignitatem propter hanc ipsam morum in Clericis viris corruptionem in summum omnium fere hominum contemptum adductam, nullum aliud praeter hoc remedium inveniri posse: verissima enim est illa beati Gregorii praedecessoris nostri sententia, in qua sacerdotalem ordinem, cum intus ceciderit, foris quoque diu stare non posse affirmavit: cadunt enim intus sacerdotes, cum iustitia, castitate, integritate honestateque morum derelicta contraria suae professioni instituta moresque sectantur, intus autem cadentes foris stare non possunt, propterea quod populus, qui in his, qui sibi praesunt, non tam doctrinam attendit, quam facta ac mores contemplatur et spectat, ubi eos, quorum integritas sibi ad bene honesteque vivendum exemplo esse debebat, depravatis corruptisque vivere moribus videt, facile illorum exemplo ad deteriora convertitur. Corrigendi autem mores nulla melior iniri potest a fraternitate tua ratio, quam si omni tua industria elabores, ut quae tam pie ac provide in sancta generali Tridentina Synodo decreta fuerunt, ea diligenter fideliterque in tua Ecclesia servari cures. Quam ad rem ita te hortamur atque incitamus, ut nihil aeque cupiamus ac te hac in re et Dei honori et officio tuo et desiderio nostro satisfacere, et quamvis sperabamus pro eo, quod fidei tuae creditum est, munere te minime praetermissurum esse, quin Ecclesiae tuae hac in re tam salutari provideres, tamen quamvis currenti tibi fraternae hortationis nostrae tanquam calcar admovendum duximus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima septima Ianuarii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 6.

DCCLXXX.

Regi Poloniae pontifex significat, cur eius precibus de Metello Venturello canonico Visliciensi nondum satisfecerit.

Charissimo in Christo filio Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili, salutem etc. Quo magis Maiestatem tuam inter Reges Catholicos praecipue diligimus, tuisque desideriis, quantum cum Domino possumus, satisfacere semper cupimus, eo magis nobis molestum est, si quando accidit, ut ea postulet a nobis, quae pro officii propositique nostri ratione concedere nullo modo possumus. Quod igitur postulationi tuae pro Metello Venturello Canonico Visliciensi nunc non satisfecimus, quem tuis ad nos litteris die quinta Decembris scriptis diligenter nobis commendasti, sciat Maiestas tua, illam esse causam, quod nos iustissimis de causis adducti, quae ad Dei honorem animarumque salutem maxime pertinent, nunquam consuevimus de beneficiis, quae vacatura sint, cuiusquam rogatu alicui aliquid aut concedere aut polliceri, aut quavis alia ratione spem aut expectationem facere. Sed tamen si is, quem tua nobis Maiestas commendavit, et quem nos alioqui, maxime vero ob testimonium illi a te datum, virum bonum et sacerdotem pium, et ecclesiae Dei, ut scribis, utilem existimamus, operam dabit, ut in notitiam cognitionemque nostram perveniat, Maiestati tuae indicamus, nos in his, quae pro tempore nobis oblatae fuerint, occasionibus eam illius rationem esse habituros, ut re ipsa intellecturus sit, commendationem Maiestatis tuae

93

plurimum profuisse, cui pro singulari suo catholicae religionis studio, paternaque nostra benevolentia parati erimus gratificari semper in omnibus aliis rebus, quibus sine Dei offensa et salva nostra conscientia poterimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die x. Februarii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 24.

DCCLXXXI.

Pontifex Martino Cromero canonico Cracoviensi de libro colloquiorum de religione conscripto sibique dedicato gratulatur.

Dilecto filio Martino Cromero Canonico Cracoviensi.

Pius PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Liber tuus colloquiorum de religione cum nobis oblatus esset, duplici nomine gratissimus nobis fuit, tum quod a te scriptus est, viro singulari eruditione ac pietate praedito, tum quod ea continet, quae et ad fidei Catholicae in isto regno integritatem confirmandam, et ad haereticorum errores ac fraudes detegendas maxime utilia sunt, in quo cum ingenium tuum et doctrinam, tum ipsum etiam in dialogo scribendi genus valde probavimus, populariumque hominum animis et docendis et commovendis valde accommodatum esse existimavimus, quod etiam in eiusmodi rebus tractandis egregios Ecclesiae Doctores beatum Augustinum ac beatum Hieronymum videmus esse secutos. Agimus igitur gratias omnipotenti Dei misericordiae, qui ut in omnibus provinciis haeretica labe infectis quasi quoddam semen, viros scilicet quosdam doctos catholicosque reservavit, quorum opera haeretici ipsi, si modo vellent, ab erroribus suis ad veritatem cognoscendam revocari possent, sic in isto Regno contra haereticorum venena tantum sibi atque Ecclesiae suae constituit in tua probitate excellentique eruditione praesidium. Et quamvis iuvandae catholicae religionis eo sis ardenti studio incensus, ut ad id hortandus esse nullo modo videaris; tamen quia pro nostra in te paterna charitate tua apud Deum merita magis magisque in dies crescere cupimus, idcirco Dilectionem tuam in Domino hortamur, ut sicut instituisti, pergas talibus scriptis de Ecclesia Dei melius semper promereri, et talenta tibi a Domino concessa sic exercere, ut in die illo retributionis servus bonus ac fidelis ab eo appellari merearis. In his autem, quae de nobis nostrique Pontificatus actionibus in tua ad nos praefationis loco posita epistola scripsisti, egregiam tuam erga nos Sanctamque hanc Sedem reverentiam devotionemque nobis antea non incognitam recognovimus. Donavit sane nobis bonam voluntatem Deus, quam tamen ut augere magis in dies, conservare atque etiam exequi ad eius laudem possimus, tuis tuorumque similium precibus adiuvari vehementer exposcimus. De te vero, dilecte fili, eam opinionem habemus, tum eximia virtute tua, tum amplissimorum, quos nominas, virorum testimoniis susceptam, ut idonea nobis occasione oblata libenter nostrum erga te paternum animum semper declaraturi simus, quibuscunque rebus cum Domino poterimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die xviii. Februarii mdlxix. Pont. nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 26.

DCCLXXXII.

Martinus Cromerus cardinali Morono de suo colloquiorum libro summo pontifici oblato grates reddit.

Illmo et Rmo domino meo, domino Ioanni Morono Cardinali Episcopo Praenestino etc.

Rme et Illme domine, Obsequium meum summum Rmae et Illmae Dominationi vestrae reverenter in primis defero. Scripsit mihi Georgius Ticinius, Camerarius Apostolicus et Sermi Regis mei negociorum gestor, Dominationem Vestram Rmam et Illmam ultro sibi desumpsisse curam et laborem offerendorum Pontifici Maximo colloquiorum meorum de religione recognitorum, auctorum, recusorum et Sanctitati eius dicatorum, idque iam cumulate et cum prolixa et honorifica mei commendatione praestitisse: quo gratius et praeclarius nihil mihi accidere potuit. Agnosco in eo eximium in me favorem Dominationis Vestrae Rmae et Illmae, et quidem eo magis mirificum, quo minus in me aliquid esse intelligo, quod studium et benevolentiam eius in me tantam vel iam promereri potuerit, vel deinceps compensare aliqua ex parte possit: verum quicquid eius est, totum id singulari ipsius humanitati et bene de omnibus merendi studio adscribendum est. Verba mihi desunt, quibus Dominationi vestrae Rmae et Illmae gratias agam: gratum quidem et memorem animum erga ipsam perpetuo retinebo, et istam eius gratiam in maximi beneficii loco apud omnes praedicabo, Deumque precabor, ut eam diutissime servet sospitem, incolumem et omnibus rebus florentem.

Cracoviae 5. die Martii 1569.

Vereor ne audaculus cuiquam esse videar, qui summam religionis Christianae praesidis maiestatem appellare, eique nugas meas obtendere aggressus sim; nec tamen ambitiose id feci, sed certis rationibus adductus, quas in epistola nuncupatoria perstrinxi: sed bene haec mihi cecidit audacia, quando munus meum talem ac tantum habuit commendatorem et quasi mancipem; nec ingratum, sicut accepi, accidit, tam gravi, sancto, docto et sapienti, quam a multis annis extitit, pontifici.

Rmae. et Illmae. D. V.

Addictissimus servus
MARTINUS CROMERUS.

Litt. divers. Poloniae Tom. I. fol. 20.

DCCLXXXIII.

Binis Poloniae regis litteris pontifex super negotio regis Hungariae, nepotis eius, respondet.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Accepimus eadem die, tertia videlicet Iunii, binas Maiestatis tuae litteras, alteram decimaquinta, alteram vigesima sexta Aprilis datam, ambas autem eodem exemplo atque in eandem sententiam scriptas super negotio Serenissimi, ut ais, Electi Hungariae Regis, nepotis tui; dilectum autem filium Georgium Ticinium Maiestatis tuae nomine de eodem negotio nobiscum accurate admodum loquentem benigne atque attente audivimus: de quo negotio sic Maiestati tuae respondemus, facturos nos omnia, quae poterimus, quaeque rationi consentanea fuerint, et quae recte atque ordine fieri a nobis cum Domino poterunt, ut Maiestatis tuae desiderio satisfaciamus, quemadmodum dilectus filius Georgius praedictus pluribus verbis ad Maiestatem tuam scribet, cuius nos litteris referimus. Datum Romae apud S. Petrum etc. die III. Iunii MDLXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 117.

DCCLXXXIV.

Regi Poloniae pontifex eius votis de cardinalis Varmiensis Romam adventu libenter satisfacere significat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Acceptis Maiestatis tuae litteris IX. Maii datis, quibus a nobis petis, ut dilecto in Christo filio Stanislao Cardinali Varmiensi appellato ad tractanda quaedam tua apud nos negocia ad Urbem veniendi potestatem faciamus, etsi quantopere isthic sua praesentia nobis ac Sedi Apostolicae ad multas res prodesset, quamque in primis ecclesiae suae esset utilis, non ignorabamus: tamen desiderio Maiestatis tuae satisfacere, rationibusque tuis ea, qua maxime cupis, ratione consulere volentes, praedicto Cardinali, relicto idoneo viro, qui ecclesiae suae praeesset, liberam ad nos proficiscendi facultatem indulsimus. Quemadmodum autem hac in re libenter voluntati tuae morem gessimus, sic etiam in caeteris omnibus negociis tuis, quae nobis eisdem litteris commendas, libentissime facturi semper sumus, ut quantum aequitatis ratio patietur, quantumque cum Domino poterimus, Maiestati tuae paternam nostram erga te voluntatem charitatemque declaremus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Iunii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. Tom. XIV. fol. 123.

DCCLXXXV.

Cardinali Varmiensi, ut relicto idoneo ecclesiae suae vicario Romam se conferre possit.

Dilecto filio nostro Stanislao tituli sancti Theodori presbytero Cardinali Varmiensi appellato.

PIUS PP. V. Dilecte fili noster, salutem etc. Quamvis praesentiam in isto Regno tuam existimaremus nobis et sanctae Sedi Apostolicae ad multa utilem, ecclesiaeque tuae in primis valde fructuosam esse, propter singularem tuam in custodia gregis tibi crediti vigilantiam, eximiumque studium in tuenda apud istius Regni gentes Catholicae religionis causa: tamen cum et Charissimus nobis in Christo filius Rex tantopere, ut ais, sua interesse putet, ut ad Urbem te conferas, et ecclesiam tuae fidei commissam nullum discessu tuo detrimentum passuram nobis confirmes, faciendum putavimus, ut acceptis tuis litteris nona die Maii datis, quibus a nobis petis, ut huc veniendi potestatem tibi facia-

mus, Regis desiderio tuisque postulatis morem gereremus. Itaque Circumspectioni tuae, relicto idoneo, ut scribis, viro, qui te absente ecclesiae isthic tuae praeesse possit, liberam ad Urbem veniendi facultatem concedimus, visuri te semper libentissime, quemadmodum et nostra in te paterna benevolentia, et tua in Romanam ecclesiam merita postulant. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Iunii Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Brev. fol. 122.

DCCLXXXVI.

Protestatio nuntii apostolici contra investituram ducatus Prussiae in persona Alberti filii Alberti asserti ducis Prussiae et quondam magistri fratrum hospitalis S. Mariae Teutonicorum.

Vincentius Porticus Poloniae existens Apostolicus Nuncius die secunda Iulii 1569. Lublini coram honesta persona per Regem Sigismundum Secundum deputata ad infrascriptam protestationem admittendam protestatus est in effectu:

Quod concordiarum vigore tam de anno 1404. initarum, quam de anno 1436. et 1466. cum recognoscatur terras Prussiae ordinis Cruciferorum Sedi Apostolicae subesse, Summumque Pontificem Dominum dicti Ordinis appellari, cum Magnus Magister et Ordo se submittant fidei et obedientiae Pontificis per intermediam personam Oratoris Regis in oratione habita coram ipso Summo Pontifice. Cumque Sigismundus Primus Rex de anno 1525. octava Aprilis Cracoviae aliam pacem perpetuam iniverit, in qua etsi metamorphosi Ordo totus sine Pontificis licentia in Ducatum convertatur: adsunt tamen capitula promissa et iurata de bonis Ecclesiae conservandis, beneficiis canonice conferendis, et Episcopis brachio ducali adiuvandis, et quod mutatio religionis non fieret. Cumque Albertus novus Dux creatus vota Deo fregerit, faciendo se de spirituali saecularem, uxorem ducendo, Ecclesiasticorum bona intervertendo, Episcopatusque Sambiensem et Pomesaniensem laicis haereticis assignaverit, iuramentaque praefata non observaverit, et Albertus eius filius venerit ad praestandum homagium in conventu generali Lublinensi, qui est incapax dignitatis praefatae ex defectu personae parentis et propriae occasione praemissorum, ob non habitum etiam Sedis Apostolicae beneplacitum, qua de re eius iura illaesa remanent. Eapropter idem Vincentius Porticus Nuncius eius pro conservatione iurium Ecclesiae protestatus est, et declaravit non potuisse, nec posse deveniri ad assertam investituram cum incapace, inhabili et haereticae sectae infecto, minusque potuisse neque posse alienationem dictarum Ecclesiarum eo modo factam sustineri et pati, praesertim sine Pontificis assensu etc. Quae protestatio fuit per dictum deputatum admissa, et illam mandavit ad perpetuam rei memoriam conservari.

Qui Nuncius pariter per eius litteras dictum Ducem Prussiae pluribus nominibus monuit, ut dignitatem suam vellet a Sede Apostolica recognoscere, et animadvertit, quod ex conscientia non erat sibi consultum tenere dictum Ducatum Prussiae, stantibus praefatis illi insinuatis: quas litteras sibi tradi curavit per Iacobum Posnaniensem Episcopi familiarem, qui illas dedisse rescripsit. De eodem anno 1569. Nuncius praefatus et die 19. Iulii Lublini in Regni generali conventione, sedente Rege in Maiestatis solio, per Ioannem Pagliarinum eius familiarem curavit legi protestationem, quare ipse Nuncius noluit accedere et intervenire in actu dictae investiturae faciendae in persona haeretici, protestando se quod ipsum feudum non admitteretur, a quo tam eius pater quam filius multis de causis scriptis exaratis ceciderunt, et hoc coram notario et testibus.

Qui etiam Nuncius ad dictam investituram per Regis Secretarium Regio nomine invitatus expresse renuit, et de hoc coram publicis personis et testibus protestatus fuit.

Constant haec omnia per publica documenta.

Ex Instrum. Miscell. Poloniae.

DCCLXXXVII.

Rex Poloniae denuo confirmat tam episcopis quam sedis apostolicae legatis et nuntiis privilegia, quae ad ipsorum iurisdictionem pertinent.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Litwaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et haeres.

Significamus praesentibus literis nostris quorum interest universis: Quod etsi omnem Rempublicam, quam modo firmam atque diuturnam esse cupiamus, legibus in primis devincire oporteat, quod ea sine legibus multorum libidini et potentiae exposita ad exiguum modo tempus duratura esse videa-

tur: tamen illud profecto experientia ipsa assidue discimus, ipsas quoque leges, sine quibus Respublica diu salva esse non potest, disciplina necessario esse vinciendas, quod sine ea quidem omnis legum vis et ratio primum languescere, tum arescere, ad extremum denique emori prorsus videatur et interire. Ita sane ut quemadmodum leges nervi sunt Rerumpublicarum, ita disciplinam legum ipsarum nervum merito possimus appellare.

Esse igitur diligentis et ad omnem Reipublicae mutationem attenti Magistratus iudicandum est, non solum leges ipsas ferre, non solum literis et libris consignare, non solum aut obscuras illustrare, aut discrepantes conciliare, aut ancipites interpretari, aut nutantes denique et vacilantes multa capitis ignominia sancire; sed etiam idque multo magis latas iam et consignatas, et illustratas et conciliatas et interpretatione explicatas, et sanctione sacratas nervo disciplinae obfirmare, easque ita tueri, ut si forte unquam effluere aut dilabi coeperint, disciplina ipsa, quae et custos, et ut diximus, nervus illarum est, adstringantur. Atque haec quidem ita habent.

Verum nos sane hanc tam sanctam et tam necessariam rem, disciplinam, cum in omnibus propemodum Reipublicae Regni nostri partibus amissam esse et extinctam cum magno dolore nostro videamus, tum reparandae profecto ac instaurandae illius ab iis rebus potissimum, quae ad Summi Dei nostri religionem et ad vitae atque morum integritatem pertinent, initium sumi debere existimamus: sic quidem, ut qui in hoc excelso Regio solio divinitus sumus collocati, illud propemodum ante omnia praestare debeamus, ne in vita ac moribus subditorum nostrorum aliquid publice appareat, quod vel sanctissima religionis nostrae catholicae instituta convellere, vel nomini atque professioni nostrae christianae probro atque dedecori esse, vel denique si quid contra admissum fuerit, id incastigatum prorsus atque impunitum permanere videatur.

Itaque cum canonibus quidem Apostolicis moribusque adeo et institutis nostris christianis sancta mater Ecclesia Episcopos potissimum earum rerum posuerit inspectores, qui gregem Domini sibi commissum ita curent, uti supremo illi Iudici vivorum et mortuorum rationem reddituri, cumque ii ad executionem munerum et functionum suarum nostrae inprimis Regiae potestatis et auctoritatis adminiculis his praesertim deploratis temporibus opus habere videantur, nos praeclara admodum Divorum maiorum nostrorum vestigia imitati, quorum in Episcopos et universum Ecclesiasticum ordinem propensio semper extitit singularis, praesentibus literis ex certo et proprio mandato nostro conscriptis serio et omnino habere volentes, praecipimus et mandamus, ut omnes Magistratus saeculares in Regno nostro nobis inferiores praefatos Reverendos Dominos Episcopos, inprimisque adeo sanctae Sedis Apostolicae Legatos pro tempore existentes in officiis ac muneribus eorum, quae potissimum ad vineam Domini a manifestis vitiis et sceleribus repurgandam pertinebunt, non modo ne impediant, nec ipsos, nec eorum curias seu executiones respective, sed etiam ab eis moniti et requisiti auxilium et favorem suum ipsis praestent, manuque et brachio nostro, quod vocant, assistant tam in investigandis quam in capiendis, ubi opus est, et puniendis flagitiosis hominibus, qui illorum subsunt iurisditioni.

In quos quidem omnes plenum ius illis plenamque potestatem, qualem unquam optimis illis Divorum maiorum nostrorum temporibus habuisse memorantur, nunc etiam relinquimus, nec illos unquam in eiusmodi iurisdictione illorum sive per nos sive per alios impedire permittimus, quominus possint nunc item ut olim in Clericorum omnium, etiam si opus fuerit regularium, vitam et mores inquirere, delinquentes castigare, temerarios coercere, omnes intra cuiusque offitii metas continere idque auxilio, ut diximus, quorumcumque Magistratuum nostrorum.

Quibus ipsis praeterea Magistratibus nostris severe admodum praecipimus et mandamus pro gratia nostra, et sub poena contrafacientibus quinque millium florenerum proposita ac fisco nostro applicanda, ut Decreta nostra tam illud, quod est de libris haereticis non imprimendis, nec vendendis intra ditiones nostras, quam etiam quod est de externis et peregrinis ex Regno nostro exterminandis Varsoviae anno MDLXIIII. die VI. Augusti latum cum ipsius declaratione, modis omnibus tueantur, Reverendisque Dominis Episcopis executionem eorum urgentibus praesto siut offitio et auctoritate sua.

Nos enim ipsi quoque in eiusmodi rebus libenter ipsis omni offitio et auctoritate nostra aderimus, brachiumque nostrum Regium illis impartiemus, ut ita coniunctis viribus facilius vepres exstirpentur, quae interea in vinea Domini eorum negligentia, qui eam excolere debuerunt, succreverunt.

Mandantes etiam sub eadem poena ut supra applicanda, quod in omnem casum supradictae repurgationis seu delictorum, quo tam ipsi Episcopi, quam Legatus Summi Pontificis uti voluerint, vel

usi fuerint eorum Curia vel famulatio ordinario, ut qui non virtutis amore, saltem formidine penae teneantur et coerceantur, illos, nec eorum quemlibet, prout ad eorum et cuiuslibet eorum iurisdictionem pertinuerit, audeant in aliquo impedire, sed illis et cuilibet eorum auxilium brachii saecularis ad omnem requisitionem concedere, cum intentio nostra sit, quod in omnibus supradictis ad laudem et gloriam Dei, et incrementum religionis sollicita et diligenti cura possint libere, licite et sine aliqua molestia se exercere et tueri, et decreta nostra ut supra et offitia sua debita executioni demandari, tam eorum Curia et famulitiis, quam brachii saecularis invocatione ut supra omni meliori modo.

In cuius rei fidem et testimonium manu nostra propria subscripsimus, et sigillum nostrum praesentibus apprimi iussimus. Datum Varsoviae die vigesima mensis Octobris Anno Domini MDLXIX.

(L. S.) SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX sst.

Litt. divers. Poloniae Tom. I. pag. 159.

DCCLXXXVIII.

Acta foederis inter regem Poloniae et principem terrarum Moldaviae et Valachiae facti.

Exemplum litterarum Sigismundo Augusto Poloniae Regi et toti Regno a Bochdano Alexandride Moldaviae et Valachiae Palatino datarum.

EGO BOHDANUS ALEXANDRIDES terrarum Moldaviae et Valachiae Palatinus una cum omnibus meis proceribus, ac aliis quibusvis subditis terrarumque mearum praefatarum incolis iuro Deo Optimo Maximo et Sanctis omnibus, polliceorque, me una cum fratribus et omnibus subditis meis pacem, et foedus perpetuum cum serenissimo ac potentissimo principe et domino, domino Sigismundo Augusto Rege Poloniae, magno Duce Litwaniae, et domino ac patrono suo clementissimo, cumque suae sacrae Maiestatis Regiae successoribus Poloniae Regibus, ac omnibus inclyti Regni Poloniae et omnium provinciarum ad hoc idem Regnum pertinentium incolis servaturum, fidem quoque, honorem, obedientiam et omne genus officiorum eidem et suo Regno semper exhibiturum, ac ea omnia, quae boni, fidelis et obedientis vasalli partium sunt, diligentissime praestaturum.

Promitto insuper, me cum omnibus meis successoribus atque subditis illa omnia, quaecunque mihi a sua Maiestate et successoribus eiusdem, tum etiam a Senatoribus et Consiliariis Regni Poloniae mandabuntur et iniungentur, studiose adimpleturum et executurum.

In primis autem omnium nominis Christiani et Regni Poloniae hostium me semper acerrimum hostem futurum spondeo, eorumque conatus, qui in Regnum Poloniae et provincias suas incursiones aliquas facere voluerint, vel fecerint, quantum per vires et copias meas licuerit, reprimere curabo.

Si autem (quod absit) periculum aliquod imminere Regno Poloniae animadvertero, etiam solus in mea ipsius persona, cum omnibus meis exercitibus, copiis et apparatu bellico, non expectato solius sacrae Regiae Maiestatis mandato, sed statim ubi ab imperatore supremo, vel etiam campiductore exercituum Regni Poloniae commonefactus fuero, contra quosvis inimicos sacrae Regiae Maiestatis et Regni Poloniae praesto adero. Volo tamen hic exceptum esse potentissimum Imperatorem Thurcarum, cum quo sacra Regia Maiestas et Regnum Poloniae iam inde a maioribus suis arctissimam amicitiam et firmissima foedera colunt.

Quoties autem sacram Regiam Maiestatem vel successores eiusdem et ipsum Regnum Poloniae contigerit cum aliquo hoste bellum gerere, toties ego una cum successoribus et omnibus subditis meis, posteaquam ab imperatore exercituum Regni Poloniae certior factus fuero, septem millia virorum bello aptorum ad eum locum, ubi opus fuerit, pro auxilio ferendo expediam.

Ad haec quoque cum Principibus et Dominis aliis externis, ac cuiusvis status ac conditionis hominibus nulla pacta et foedera sanciam, tractatus quoque nullos de quibusvis rebus, sive sint illae privatae, sive publicae, Reipublicae nostrae inibo et faciam. Ad extremum vero nullum negotium, quod alicuius momenti esse videbitur, aggrediar sine scitu, voluntate, assensu, consilio, ac etiam mandato sacrae Regiae Maiestatis Senatorumque Regni Poloniae.

Nullum quoque quemcumque hostem esse, vel quidpiam sinistri moliri Regno Poloniae exploratum habuerimus, in terris et dominiis nostris manere, vel locum aliquem habere patiemur, sed cum veluti communem hostem ex dominiis nostris pellemus.

Fines et termini, qui sunt inter Regnum Poloniae et magnum Ducatum Lituaniae ac terras nostras Moldaviae et Valachiae, iidem esse perpetuo debent.

Quod item attinet provinciam Pokuczie vulgo dictam, hanc nos et successores omnesque subditi nostri non solum non repetere, sed ne mentionem quidem aliquam eius facere debemus temporibus perpetuis: quando quidem manifestissimum sit, eam ipsam provinciam semper post hominum memoriam fuisse, esse ac fore debere propriam et haereditariam Regni Poloniae.

Negociatoribus et mercatoribus liberum erit ex Regno Poloniae et omnibus eius provinciis in terras et dominia nostra venire, iterque in regionem Turcicam per eadem tuto facere cum mercibus, rebus ac impedimentis suis omnibus. Itidem quoque nostris mercatoribus et negotiatoribus viis consuetis liberum esse debebit in Regnum Poloniae et omnes provincias suas venire, ac vendere, emere, negotiaque licita et honesta exercere, salvis tamen ubique theloneis solvi ex antiquo solitis.

In finibus malefactores utrinque iuxta consuetudinem antiquitus observatam puniri debent. Bonis autem et honestis hominibus potestas esse debebit, tam in nostris, quam sacrae Regiae Maiestatis provinciis manendi, domicilia quoque, si opus fuerit, figendi, cum voluntate tamen et consensu loci Capitaneorum et Tenutariorum.

Pro tractandis communibus negociis more et instituto maiorum quotannis comitia in crastino Paschae mutuo habere demus (debemus).

Molendina ad fluvium Nestr parte ex utraque in terra et dominio sacrae Regiae Maiestatis aedificare neque nos, neque successores nostri possumus, his autem, quae iam ante per maiores nostros aedificata sunt, non amplius quam ad voluntatem sacrae Regiae Maiestatis et successorum eiusdem utemur. Fugitivi utrinque suscipi non debent, sed his, a quibus fugerint, reddentur. Quisquis aliquid rerum suarum apud quempiam cognoverit, id semper mutuo reddi debet.

Fures, qui vel dominis suis vel cuivis alteri furto quidpiam abstulerint, itidem, et reliqui homines malefici poena capitis puniri utrinque debent. Quod autem extremum est, omnia priora pacta, foedera et contractus per antecessores nostros Palatinos Moldaviae cum Serenissimis Regibus Poloniae factos et initos nos iuramento nostro confirmamus, hoc illaque omnia, quae in his praescripta sunt, pollicemur, nos arctissime servaturos, ab eisque ne latum quidem unguem discessuros, ea similiter omnia, quae hisce litteris nostris continentur, sedulo una cum successoribus nostris, et omnibus subditis adimplere et exequi curabimus. Sic nos Deus Optimus Maximus adiuvet, et omnes Sancti. Si vero aliquid ex hisce rebus superius scriptis non adimplevimus, vel mali quidpiam domino nostro clementissimo Regi Poloniae et suo Regno moliri ausi fuerimus, sit semper maledictio Domini super nos, ut omnes nostre actiones et consilia pessime nobis cadant, perdatque Deus Optimus Maximus nos omnes cum animis et corporibus nostris in aeternum. Acta sunt haec in Oppido Iasi, praesente Generoso Dño Ioanne Sieniensky de Sienno Castellano Zarnoviensi, sacrae Regiae Maiestatis domini nostri clementissimi Nuncio, die Saturni secunda mensis Octobris Anno Dñi Millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

Exemplum iuramenti ab omnibus terrarum Moldaviae et Valachiae incolis praestiti.

Nos Consiliarii, Officiales, Domini, Nobiles, Milites nostro et aliorum omnium absentium terrae Moldaviae et Valachiae incolarum nomine iuramus Deo Optimo Maximo, sanctae Cruci, sancto Evangelio, Castissimae Virgini Mariae et omnibus Sanctis, quod omnia pacta, foedera et contractus per priscos olim Reges et Regnum Poloniae cum Palatinis Moldaviae factos, eaque omnia quaecunque in litteris desuper confectis expressa et praescripta sunt, tum etiam illa, quae modernus Palatinus Moldaviae Bochdanus cum Nuncio Serenissimi Polonorum Regis, Magnifico Domino Ioanne Sienienski de Sienno Castellano Zarnoviensi, et toto Regno Poloniae constituit et ordinavit, litterisque desuper datis praescripsit, ac iuramento suo corporali confirmavit, firmiter et inviolabiliter servabimus et adimplebimus absque omni fraude et dolo cum successoribus nostris temporibus perpetuis, etiam si aliquis Palatinus Moldaviae sit, qui haec foedera servare nolit: nos tamen omnes et successores nostri cum tota terra Moldaviae pollicemur ac spondemus, nos huic Palatino non adhaesuros, neque sibi auxilium aliquod vel minimum hac in parte laturos, sed in fide sacrae Regiae Maiestatis et Regno Poloniae semel data constantissime perseveraturos. Sic nos Deus Optimus Maximus adiuvet et haec sancta Crux. Si quid vero ex hisce rebus superius scriptis non adimpleverimus, vel aliquid, quod in detrimentum periculumque sacrae Maiestatis Regiae Domini nostri clementissimi, totiusque Regni Poloniae vergi videatur, moliri ausi fuerimus, maledictio Dei omnipotentis semper super nos sit, ut omnes nostrae actiones et consilia malum semper capiant eventum, perdatque nos Dominus Deus cum animis et corporibus nostris in aeternum. Datum in Oppido Iasi die Saturni secunda mensis Octobris Anno Dñi MDLXIX.

Litterarum Moldaviae Palatino datarum exemplum.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei infrascriptae memoriam.

Nos Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Litwaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Volhiniae, Podlachiae, Kyoviae etc. Dominus et Haeres.

Significamus his litteris nostris quorum interest universis et singulis, iurasse nos una cum Consiliariis et omnibus Ordinibus Regni nostri Deo Omnipotenti, gloriosae Virgini Mariae et omnibus Sanctis, promisisseque nos, prout et hisce litteris nostris promittimus atque pollicemur, cum Magnifico domino Bochdano Alexandride Dei gratia terrarum Moldaviae et Valachiae Palatino, amico et vicino nostro charissimo, cunctisque terrarum praefatarum ordinibus et incolis a die presenti usque in perpetuum more et instituto maiorum nostrorum pacem et foedus servaturos, quod generosus Ioannes Sieniensky de Sienno Castellanus Zarnoviensis, fidelis nobis dilectus, nostro et tocius Regni nostri Poloniae nomine pepigit, atque sancivit cum consiliariis et omnibus terrarum Moldaviae et Valachiae incolis.

Fatemur quoque nos Magnificum dominum Palatinum Bochdanum una cum successoribus, et omnibus subditis suis terrarum Moldaviae et Valachiae incolis in nostrum et totius Regni nostri Poloniae patrocinium atque tutelam suscepisse, uti quidem suscipimus his nostris litteris, nullum praeterea hostem domini Palatini Bochdani suarumque provinciarum in Regno et omnibus dominiis nostris manere, vel locum aliquem habere patiemur, sed eum pellemus ac persequemur.

Fines et termini etc. ut supra in privilegio a Moldaviae Palatino dato.

Quae quidem omnia et singula suprascripta pollicemur nos una cum successoribus nostris Regibus Poloniae, tum etiam omnibus Regni nostri Ordinibus sub fide et honore, ac etiam Religionis Christianae debito diligentissime adimpleturos et servaturos. Quo vero ea omnia fidem et robur maius habere possint, nostrum et Regni nostri quorundam consiliariorum pro tunc nobiscum existentium sigilla presentibus sunt appensa. Datum Warschaviae ultima die mensis Ianuarii Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo, Regni vero nostri anno quadragesimo primo. Praesentibus Reverendissimo in Christo patre et domino, domino Iacobo Uchanski Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato et Regni nostri Primate, item Magnifico, Venerabilibus ac Generosis Stanislao Lawski de Strzegoczni, Palatino et Vicesgerenti Masowiae, Hieronimo Sieniawsky de Sieniawa Camenecensi, Anselmo Gostoniski Plocensi et Capitaneo Ravensi, Iacobo Iassoczki Lanciciensi, Sigismundo Volski de Podhaica Cernensi et Capitaneo Varshaviensi, Ioanne Herborth de Fulstin Sanocensi et Capitaneo Premisliensi, Adamo Koszinsky Podlachiae, Alberto Prziiemski Landensi, Simone Szapski Inowlodensi, Foelice Paris Varsaviensi et Capitaneo nostro Cernensi, Andrea Ilowski Visnensi Castellanis, Valentino Dembienski de Dembiany Cancellario, Francisco Craszinski Praeposito Plocensi et Procancellario Regni, Stanizlao Barzi de Blozevo Marschalco et Capitaneo Sniatinensi, Stanislao Ossowski Cantore Gnesnensi, Refendario Curiae nostrae, Ioanne Zaborowsky Praeposito Sandomiriensi, Stanislao Craszinsky Scholastico Gnesnensi, Secretariis nostris, et multis aliis dignitariis et offitialibus nostris, syncere et fidelibus nobis dilectis. Datum per manus memorati Magnifici Valentini Dembiensky de Dembiany Regni Poloniae Cancellarii sincere nobis dilecti.

De Politicis etc. Tom. LXVIII. fol. 119.

DCCLXXXIX.

Reginae Svetiae, ut Stanislao Varsovicio e Societate Iesu in his rebus, quas illi exponet, fidem habeat.

Charissimae in Christo filiae nostrae Svetiae Reginae Illustri.

Pius PP. V. Charissima in Christo filia nostra, salutem etc. Stanislaus Varsovicius in Poloniam proficiscens istuc quoque in Svetiam venturus sit, eo tamen consilio, ut in Poloniam ad Collegium suum quamprimum revertatur, praetermittere noluimus, quin has ad Maiestatem tuam literas nostrae erga se paternae benevolentiae testes daremus, eidemque Stanislao mandaremus, ut Maiestatem tuam nostro nomine inviset, eique nostrae primum salutationis benedictionisque officio persoluto, voluntatis quoque nostrae erga eam propensionem studiumque significet: intelligere enim Maiestatem tuam cupimus, quanta eam in Domino charitate prosequamur, pro certo habentes, ipsam pari quoque erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia semper futuram. Et quidem decet te, Charissima in Christo filia, talem esse, ut quantum populis dictioni tuae subiectis potestate praestas, tanto eis pietatis in Deum

omnipotentem merito et erga Sanctissimam eius Ecclesiam devotione antecellas: quo enim magis Maiestas tua obsequium Redemptoris nostri, quemadmodum par est, omnibus rebus praetulerit, eo quoque certius sperare potest, Regnum suum a Deo confirmatum iri, in cuius manu sunt omnium potestates atque iura Regnorum. Quam quidem ad rem Maiestatem tuam, quo maiori animi nostri studio possumus, hortamur, non quod suo Catholicae Religionis studio et in Deum pietate quidquam diffidamus, sed ut illi nostram paternam sollicitudinem testificantes, hoc quoque debito nobis officio fungamur: quod Maiestati tuae pro sua erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam reverentia non ingratum futurum esse pro comperto habemus. Rogamus autem Maiestatem tuam, ut predicto Stanislao in his rebus, quas illi exponet, fidem habeat: erit id nobis gratissimum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Martii MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 35.

DCCXC.

Regi Poloniae, ut eumdem Stanislaum Varsovicium commendatum habeat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Dilecto huic filio Stanislao Varsovicio Iesuitae istuc venienti mandavimus, ut debito primum paternae nostrae salutationis officio Maiestati tuae persoluto quaedam ei nostro nomine exponat. Petimus a Maiestate tua, ut eum qua solet humanitate exceptum benigne audiat, et in his verbis, quas ei verbis nostris expositurus est, fidem habeat: erit id nobis gratissimum. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Martii MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Dilectissimae in Christo filiae Nobili mulieri Annae Regis Poloniae sorori.

Ex Reg. orig. Ann. V. Brev. Tom. XV. fol. 34.

DCCXCI.

Regi Hispaniarum, ut Barense regis Poloniae negocium commendatum habeat.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quia compertum habemus, Maiestatem tuam pro sua erga Deum omnipotentem pietate iustitiam diligere, idcirco nullo modo dubitamus, quin commendationem hanc nostram aequi bonique factura, et in eam, quam debet, partem hoc est optimam acceptura sit. Perlatum est ad nos, auctoribus hominibus fide dignis, Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem in causa Barensi successionis maternae multas gravissimasque in Regno Neapolitano indignitates et antea pertulisse, et nunc quam maxime perferre: quibus cum pro aequitate causae suae speraret aliquando finem allatum iri, factum esse asseritur, partim actibus adversariorum, partim etiam culpa nonnullorum ex ministris Maiestatis tuae, ut nihil ad hanc usque diem proficere potuerit. Qua quidem ex re cum intelligeremus alicuius inter praedictum Regem et Maiestatem tuam offensionis initium existere posse, existimaremusque communi omnium parentis personae a nobis susceptae nihil magis convenire, quam mutuam inter Christianos Catholicosque Principes voluntatis animorumque coniunctionem, quibuscumque possemus, paternis officiis fovere, scripsimus superioribus mensibus eidem Serenissimo Poloniae Regi, ut de praedicta Barensi controversia bono esset animo, et de Maiestatis tuae religione, prudentia atque iustitia omnia sibi prolixe polliceretur. Quibus quidem nostris litteris ita respondit Maiestas sua, ut facile appareat eam aliorum potius culpam accusare, quam de Maiestatis tuae mutua erga se benevolentia tot sanguinum ac necessitudinum vinculis iampridem constituta dubitare: quin se fore paratam ostendit, si ventum eo fuerit, litem hanc suam vel ipsa Maiestate tua iudice disceptare, tantumque et aequitati causae suae et conscientiae Maiestatis tuae tribuere, ut si modo Maiestas tua semotis, qui maxima et iniquissima ad praegravandam causam illius Maiestatis praeiudicia afferre dicuntur, causam hanc penitus ipsa cognoscere voluerit, non dubitet se primo quoque tempore, quod iuris est, a Maiestate tua obtenturam, et ad possessionem maternorum bonorum esse perventuram. Narrat praeterea foelicis recordationis Carolum Quintum Imperatorem Maiestatis tuae parentem cognita vi iustitiae ipsius sua sponte nullis aut iudicum, aut arbitrorum aut compromissariorum decretis adductum, eos status Reginae matri occupatos contrario imperio restituisse, et privilegia ac investituras omnes non solum confirmasse

ac renovasse, sed novis etiam iurisdictionibus additis liberalissime auxisse et ornavisse, bonaque spes est, quod eandem viam gloriosi parentis sui tua quoque Maiestas ingressura sit, et quos olim status Carolus Quintus pater Maiestatis tuae vel uno anno detineri nomine suo noluit, sed confestim cum amplissima benevolentiae suae significatione restituit, eosdem status hoc tempore ultra duodecimum annum occupari ne patiatur, sed eos quamprimum restituat. Quae si ita sunt, hortamur in Domino vehementerque rogamus Maiestatem tuam, ut quam concepit Serenissimus Poloniae Rex de iustitia pietateque Maiestatis tuae opinionem, eam confirmet, et in his, quae iusta petit, aequum et facilem illi se praebeat: pertinebit hoc et ad Maiestatis tuae gloriam amplificandam, et ad publicam Christianae Reipublicae tranquillitatem conservandam. Quod a Maiestate tua eo animi nostri studio petimus, ut quod eam sponte pro sua aequitate facturam fuisse pro certo habemus, id commendatione nostra commotam aliquanto libentius facere cupiamus: erit id Maiestatis tuae prudentia sapientiaque dignissimum, nobis vero perinde gratum, ac noster erga utramque Maiestatem paternae voluntatis affectus exposcit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Maii Millesimo quingentesimo septuagesimo. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 10J.

DCCXCII.

Benedicto Herbesto canonico Posnaniensi, ne propter negotia fidei Posnania discedat.

Dilecto filio Benedicto Herbesto Canonico Posnaniensi.

Pius PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Cum intelligamus te, ubi nunc es, Posnaniae praesentem ad animarum salutem multum proficere, et adiuvante Domino populo isti tum concionibus, tum sacramentorum administratione magnam utilitatem afferre, periculumque esse, ne si isthinc discesseris, magnum discessus tuus animabus istis detrimentum sit allaturus, moleste accepimus, te hoc tempore de discessu cogitare. Quocirca faciendum nobis esse putavimus, ut te ab huiusmodi consilio dehortaremur, atque ad manendum tandem in ista, in qua a Deo positus es, statione paterne hortaremur, donec a venerabili fratre nostro Episcopo Posnaniensi, antequam istinc discedas, aliqua ratione ecclesiae suae consulatur. Quod eo quoque libentius facimus, quia mansionem isthic tuam non minus caeterorum, quam tuae saluti utilem esse arbitramur: nam quod Apostolus Paulus de se ipso dicebat, ne sibi futurum esse, nisi evangelizaret, id sub eius persona omnibus dictum esse putari debet, qui ad aliquod certum opus a Deo vocati sunt: itaque hortamur te, ut forti constantique animo sis in mansionis istius molestiis perferendis, memor his, qui semel se obsequio omnipotentis Dei addixerunt, propriam esse voluntatem abnegandam. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII. Maii MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 117.

DCCXCIII.

Regi Poloniae pontifex se votis eius de conferenda coadiutoria episcopi Varmiensis Martino Cromero satisfecisse significat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum a nobis Maiestas tua per litteras vehementer petiisset, ut dilecto filio nostro Stanislao tituli Sanctae Priscae Cardinali Hosio nuncupato Martinum Cromerum Warmiensis Ecclesiae Canonicum, virum cum doctrina, tum morum vitaeque integritate praestantem, in eadem Warmiensi Ecclesia Coadiutorem cum futura successione constitueremus: nos et Maiestatis tuae postulatis satisfacere cupientes, et eiusdem Cardinalis aetate iam prope decursa, laboribus parcendum esse iudicantes, Maiestatis tuae voluntati morem gessimus, praedictumque Martinum eidem Cardinali Hosio in Episcopatu Warmiensi Coadiutorem deputavimus. Sed quoniam is, nisi Episcopus consecretur, Episcopi munera obire non potest, idcirco optimum nobis factu videretur, si accedente tuae Maiestatis consensu Coadiutoria durante Pomesaniensis Episcopatus titulus, multos iam annos in Prussia vacans, illi a nobis conferretur: quod quidem eo magis Maiestati tuae probatum iri existimamus, quia non exigua Pomesaniensis dioecesis pars suae ditioni subiecta esse asseritur, quae non sine gravissimo animarum Christifidelium detrimento ad hunc usque diem proprio caruisse pastore est existimanda. Qua de re ad Maiestatem tuam idcirco scribere voluimus, ut de sua super eadem re sententia certiores nos facere ne gravaretur, futurum sperantes, ut consilium nostrum

Maiestas tua non solum probatura, sed ut ad effectum adducatur, operam quoque datura sit. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die xvi. Iunii MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 141.

DCCXCIV.

Regi Poloniae, ut magistrum fratrum hospitalis S. Mariae Teutonicorum commendatum habeat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Susceptum a nobis (quamvis indignis) Apostolicae servitutis officium et solicitudo pastoralis postulare videtur, ut non solum ipsi, quantum in nobis est, iustitiam colentes his, quibus praesumus, singulis pro cuiusque dignitate ius suum, adiuvante Domino, tribuamus, sed ut indigentibus etiam opis nostrae ad idem obtinendum Apostolicae commendationis officium impendamus. Quia vero in eo conventu, quem Charissimus in Christo filius noster Maximilianus in Imperatorem electus proxime habiturus esse Spirae dicitur, intelligimus actum iri de controversiis, quae sunt super provinciis Prussiae, quarum magna pars, quae antea a dilecto filio ordinis fratrum sanctae Mariae Theutonicorum Magistro obtinebatur, nunc aut per vim occupata, aut alienata esse dicitur: idcirco Maiestatem tuam his nostris literis in Domino hortamur, ut (quemadmodum Principem iustitiae studioso dignum est) velit eiusdem praedictae religionis Magistri causam pro sua iustitia tuendam defendendamque suscipere, seque illi atque illius ordini ad ea, quae eorum iuris sunt, recuperanda adiutorem praebere. Quod praeterea duplici et utraque iustissima de causa facere debet Maiestas tua, primum quidem, ut hac controversia sublata omnia discordiarum ac dissensionum, quae inde oriri possent, semina tollantur; deinde quia si est, qui iustus earum dominus esse asseritur, religionis Theutonicae Magister eas ipsas provincias recuperaverit, curabit, ut in eis homines ad religionis Catholicae regulam, quam deseruisse dicuntur, rursus amplectendam fideliterque retinendam revocentur. In quo factura est Maiestate tua quidem rem non minus aequitate, quam suo religionis Catholicae iuvandae studio dignissimam: nobis vero adeo gratam, ut eiusmodi suo erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam obsequio atque observantia quibuslibet paternae nostrae in se voluntatis officiis, idonea occasione oblata, libentissime simus semper responsuri. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xii. Iunii MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 146.

DCCXCV.

Episcopo Cracoviensi, ut regem ad praedicta facienda inducat.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi.

Pius PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. In eis litteris, quas ad Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem Illustrem nuper scripsimus, eum vehementer hortati sumus, ut quoniam in eo conventu, quem Maiestas Caesarea Spirae habitura esse dicitur, intelligebamus actum iri de controversia super provinciis Prussiae, quas, ut asseritur, ad dilecti filii ordinis fratrum sanctae Mariae Theutonicorum Magistri ius pertinentes, aut occupatas per vim, aut alioqui ab eo alienatas esse constat, Maiestas sua eiusdem praedictae religionis Magistri iustissimam causam sibi adiuvandam tuendamque pro sua aequitate suscipiat. Quia vero compertum habemus, fraternitatem tuam pro sua singulari eruditione, et apud Regem auctoritate ad hoc idem Maiestati suae persuadendum multum adiumenti afferre posse, idcirco eam vehementer in Domino hortamur, ut et aequitate rei adducta et fraternis nostris hortationibus excitata in eam rem omni studio incumbat, Regique ipsi id, quod verissimum est, ostendere conetur, Maiestatem suam, si praedicto eiusdem religionis Magistro ad ea, quae sui iuris sunt, recuperanda studium auxiliumque suum praestiterit, in ea re non solum iustitiae, sed etiam Reipublicae Christianae utilitati et animarum saluti consulturam esse: nam et sublata ea controversia, omnia discordiarum ac dissensionum, quae inde oriri possent, semina simul tolluntur, et recuperatis eis provinciis pro certo habemus, eum, qui illarum legitimus dominus esse dicitur, religionis Theutonicae Magistrum diligenter daturum esse operam, ut in eis homines ad religionis Catholicae disciplinam, a qua tantopere aberravisse dicuntur, revocati revertantur. Quae cum ita sint, quamvis existimaremus, fraternitatem tuam haec ipsa cognoscentem ad id, quod cupimus, efficiendum satis sua sponte fore animatam: tamen ad ea omnia Apostolicae quoque nostrae commendationis pon-

dus accedere voluimus, ut quod ipsam per se facturam esse sperabamus, id eiusdem nostrae commendationis gratia aliquanto sibi studiosius alacriusque faciendum esse statueret. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Iunii Millesimo quingentesimo septuagesimo. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 140.

DCCXCVI.

Pius V. magno Moscorum duci, ut ad christianorum principum foedus adversus Turcas ineundum accedat.

Dilecto filio Nobili viro . . . Moscovitarum Duci.

PIUS PP. V. Dilecte fili Nobilis vir, salutem etc. Non dubitamus in Nobilitatis tuae notitiam perlatum esse, quali quantoque maritimarum terrestriumque copiarum apparatu immanissimus Turcarum tyrannus bellum hoc anno contra Rempublicam Christianam gerendum susceperit, immo potius hoc ipso tempore iam gerat, cum maxima classe instructa Cyprum Venetorum insulam oppugnet, et ingentibus quoque terrestribus copiis comparatis Christianae ditionis Regnis atque Imperio interitum atque exitium minitetur. Quibus tot tantisque periculis nobis et huic Sanctae Sedi Apostolicae, et universae Christianorum Reipublicae impendentibus commoti, necessarium esse duximus, Reges omnes ac Principes Christianos ad ineundum adversus communem hostem nobiscum foedus excitare: ut enim eorum vires disiunctas atque dispersas potentissimorum Turcarum viribus pares esse non posse intelligimus, ita coniunctas et consociatas non desperamus, eiusdem atrocissimae gentis vim atque impetum frangere posse. Cuius quidem consilii nostri auctoritatem Charissimus in Christo filius Hispaniarum Rex Catholicus, et dilectus itidem filius noster Aloisius Venetiarum Dux Senatusque Venetus secuti, nobiscum per procuratores suos foedus adversus eundem Turcarum tyrannum inierunt, speramusque Serenissimum Maximilianum Hungariae et Bohemiae Regem in Imperatorem electum, et Charissimum nobis in Christo filium Carolum Francorum Regem paternis nostris hortationibus excitatos in eiusdem foederis societatem esse venturos. Ad huius autem sanctissimi gloriosissimique foederis societatem visum nobis est Nobilitatem quoque tuam invitare, illam, prout hisce nostris litteris facimus, hortantes, ut arma, quibus se populosque sibi subiectos Deus omnipotens tantopere excellere voluit, pro Christianorum communis salutis defensione adversus Turcas nobiscum, et cum caeteris Christianis Principibus capere velit: quod si fecerit, speramus, quae tua populorumque tibi subditorum militaris est virtus ac potentia, magnas nobis esse accessuras vires ad communis omnium Christianorum hostis impetum ac vires debilitandas ac labefactandas: quanta enim sit potentiae tuae magnitudo, quanta sit gentis tuae in militaribus rebus fortitudo, non ignoramus. Quam quidem ad rem primum innata sibi verae gloriae cupiditas Nobilitatem tuam hortari, deinde propria etiam utilitas impellere debet: fallitur enim Nobilitas tua, si existimat avidissimam dominandi Turcarum gentem, nisi omnibus prius Regnis ac Potentatibus vel deletis, vel miserrima servitute oppressis, unquam esse quieturam: hoc illi unum semper propositum fuit, hoc semper spectavit, et spectat, ut omnes quae ubique terrarum sunt nationes, omnia Regna, omnesque Principatus importuna quadam regnandi cupiditate in suam redigat servitutem. Itaque nullum est in Occidentis partibus Regnum, nullus Potentatus, quem non spe iam et cogitatione invaserit atque subegerit: nam quia Christianos inter se Principes nunquam consensuros esse existimat, idcirco facile putat omnium illorum Regna vi atque armis sibi vindicare, et dum aliquibus Principibus bellum inferens, cum aliis interim amicitiam simulat, omnes opprimere et de medio tollere vult. Tibi autem populisque tuae dictioni subiectis eo magis ab ea gente periculum impendet, quo ab illius Imperio propius abes. Quae cum ita sint, Nobilitatem tuam hortamur, ut in praedicti foederis societatem venire, et adversus communem hostem Turcarum tyrannum communi consilio atque armis pium bellum gerere velit, potius quam omnibus Regnis per eum sublatis, dum ad se quoque eiusdem incendii flamma perveniat, expectare. Quia vero certiores facti sumus, Nobilitatem tuam aliquando in animo habuisse huius Sanctae Romanae Ecclesiae proprium Religionis cultum amplecti, idcirco ei pollicemur, nos, si id fecerit, nulla paternae nostrae erga se voluntatis indicia praetermissuros, et quibuscumque cum Domino poterimus officiis nostram illi benevolentiam declaramus, quemadmodum Nobilitati tuae copiosius explicabit dilectus filius Vincentius Porticus Notarius noster, et apud Serenissimum Poloniae Regem noster ac Sedis Apostolicae Nuncius, quem ad Nobilitatem tuam dedita opera venire voluimus: cuius orationi super omnibus, quae sibi exponet, eandem fidem ut habeat, quam nobis, si praesentes cum ea loqueremur, adhi-

beret, Nobilitatem tuam rogamus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Augusti MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 195.

DCCXCVII.

Iacobo Uchanski archiepiscopo Gnesnensi, ut ecclesiae Varmiensis patrocinium suscipiat.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gnesnensi.

PIUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Magna cum animi nostri molestia accepimus, quosdam isthic homines prava quadam cupiditate incensos dilecto filio nostro Stanislao tituli Sancti Clementis presbytero Cardinali Varmiensi nuncupato absente, Ecclesiae Varmiensis bonis occupandis vehementer inhiare. Ea res non minus, quam aequum fuit, animum nostrum commovit, et pro ea, quae nobis ab omnipotenti Deo commissa est, Ecclesiarum omnium solicitudine impulit, ut has ad fraternitatem tuam literas idcirco daremus, quibus praedictam Ecclesiam eo, quo maiore possumus, animi nostri studio fraternitati tuae commendantes, valde te in Domino hortamur, ut eius iura, proventus possessionesque omnes ope, auctoritate suffragationeque tua tuendas suscipias, desque operam, ut a Charissimo nobis in Christo filio Poloniae Rege, et ab amplissimo Regni Senatu maior aliquanto, quam quanta adhuc habita esse dicitur, illius ratio habeatur: nam et nostra huiusque sanctae Sedis Apostolicae interest, omnium ecclesiarum iura possessionesque inviolatas manere, et tuae aequitatis officiique esse videtur his, qui aliena iniuste appetunt, quantum in te est, obviam ire, quod fraternitatem tuam prompto alacrique animo exequi cupimus, ut quantum potest, nullum locum alienae cupiditati relinquat. Id enim erit nobis officium gratissimum, cui parati erimus quibuscumque nostrae erga se paternae voluntatis indiciis idonea occasione oblata respondere. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Septembris MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 210.

DCCXCVIII.

Episcopo Posnaniensi pontifex de concordia inter imperatorem Germanorum et Transilvaniae principem eius opera reconciliata gratulatur.

Venerabili fratri Adamo Episcopo Posnaniensi.

PIUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Gavisi vehementer sumus in Domino fraternitatis tuae litteras XIX. die mensis Augusti Spirae datas legentes, quibus de pacificatione inter charissimum nobis in Christo filium Maximilianum in Imperatorem electum, et serenissimum Transylvaniae Principem opera tua inita nos certiores fecisti: qua ex re speramus eas omnes ad Rempublicam Christianam, adiuvante Domino, proventuras esse utilitates, quas et tu prudenter adscribis, et nos una cum iis, quos ex ea ipsa pacificatione magnam laetitiam percepturos esse significas, christianis Principibus agnoscimus. In ea re non solum Charissimi nobis in Christo filii Poloniae Regis constantiam ac prudentiam laudavimus, qui tam salutaris populo Christiano reconciliationis, quamvis antea frustra tentatae, consilium nunquam abiecit, sed etiam tuum iuvandae Reipublicae Christianae studium, charitatem, solertiam ac dexteritatem debitis, ut par est, in Domino laudibus commendamus, qui rem adeo impeditam et per tot annos sine ullo successu agitatam ex tua omniumque bonorum sententia confecisti. Quia vero et huius pacis et caeterorum omnium bonorum auctor est Deus, qui quod et Maiestas sua in actione tam praeclara suspicienda plantavit, et fraternitas tua in ea ad optatum exitum perducenda rigavit, ei incrementum dare dignatus est: idcirco et nos huius pacis nomine eas, quae debuimus, omnipotenti Deo gratias egimus, et te idem pro tua spectatissima nobis erga Redemptorem nostrum pietate fecisse non dubitamus. Quod nisi propter eximiam bonitatem tuam et singulare catholicae religionis studium, egregiamque de Republica Christiana benemerendi voluntatem omnem cohortationem nostram supervacaneam esse intelligeremus, hortaremur fraternitatem tuam, ut eiusdem Transylvaniae Principis, qui se ob eas, quas prudenter commemorat, causas spe praecepisse scribit, ad catholicam fidem reversionem, quibuscunque rebus posset, adiuvare: de cuius quidem Principis in re militari virtute nos eam opinionem habemus, ut existimemus eum Christianis partibus adiunctum magni ad bene res contra Turcas gerendas momenti futurum. Sed quia pro certo habemus, te et hanc ipsam rem et reliquas omnes, quas Reipublicae Christianae utiles esse perspexeris, diligentissime curaturum, neque ulli de Religione Catholica christianoque populo benemerendi tempori aut loco defuturum: idcirco hoc minime necessario hortatio-

nis officio praetermisso, fraternitati tuae significamus gratissimum nobis accidere, quod de toto istius pacificationis negotio, quid ab ea actum confectumque sit, quidque in posterum de eo ipso Principe sperandum esse iudicet, ad nos subtiliter diligenterque perscripserit, quod idem posthac reliquis de rebus fidenter facere poterit, et ut oblata idonea occasione faciat, fraternitatem tuam in Domino vehementer hortamur ac requirimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xv. Septembris MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 214.

DCCXCIX.

Regi Poloniae super eadem concordia, et ut principem Transilvaniae ad religionis catholicae professionem inducat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Certiores facti de concordia inter charissimum nobis in Christo filium Maximilianum in Imperatorem electum, et serenissimum Transilvaniae Principem, Maiestatis tuae nepotem, inita gratias egimus omnipotenti Deo, qui nos et Rempublicam totam Christianam tali tantoque misericordiae suae dono prosecutus est, simulque Maiestatis tuae virtutem ac constantiam laudavimus, quae reconciliationis diu antea frustra agitatae consilium nunquam intermisit, donec adiuvante illo, a quo omnia bona sunt, Redemptore nostro, eam ipsam reconciliationem ad optatum exitum perduxit, in quo Venerabilis fratris nostri Adami Episcopi Posnaniensis, qui Maiestatis tuae nomine eiusmodi negocium tractavit, singularem erga Deum omnipotentem pietatem eximiumque de Religione Catholica benemerendi studium satis commendare non possumus: quippe qui rem omnium difficillimam atque impeditissimam sic prudentia ac ingenii dexteritate explicaverit, ut nos ac omnes Christianos Catholicosque Principes ingenti tam foelicis successus laetitia in Domino affecerit. Restat nunc, ut quoniam adiuvante Deo tam praeclara tamque utilis Reipublicae Christianae reconciliatio optatum exitum habuit, Maiestas tua reliqua, quae ab ea non minus speramus quam expectamus, persequatur, et cum ipsum Serenissimum Transilvaniae Principem, ut Religionem catholicam profiteatur, nosque et sanctam hanc Romanam Ecclesiam communem omnium Christifidelium matrem agnoscat, hortetur, tum praeterea veros catholicos et idoneos in Transilvaniam mittat, per quos populi illi ad veterem fidei catholicae professionem atque cultum, quoad eius fieri potest, revocentur: quod eo quoque studiosius facere debet Maiestas tua, quo gloriosius futurum est Principem ac populos illi subiectos omnipotenti Deo et eius sanctissimae Ecclesiae, quam Caesari reconciliavisse: quam quidem ad rem etsi Maiestatem tuam ita hortamur, ut maiore animi nostri studio hortari non possimus, speramus tamen eam pro suo divini honoris eximio zelo etiam sine nostra hortatione id ipsum facturam fuisse, ut quam apud Deum omnipotentem gratiam, et apud homines laudem tam salutaris reconciliationis actione suscipienda, atque ad effectum adducenda sibi comparavit, hanc eandem in vetere ac pristina apud eam gentem religione Catholica constituenda magis augeat, sic ut et in terris diu ac foeliciter regnare, et in coelo aeternae beatitudinis praemium recipere mereatur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 220.

DCCC.

Eidem, ut Transilvaniae princeps catholicae religionis cultum suscipiat, et haereticos advenas a ditione sua arceat, curet.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quamvis superioribus diebus pacificationis inter Charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum in Imperatorem electum, et serenissimum Transylvaniae Principem nepotem suum nuncio accepto, Maiestati tuae totique Reipublicae Christianae eam pacificationem per litteras gratulati fuerimus, et quaedam etiam de eo ipso Principe ad Religionis Catholicae professionem per Maiestatem tuam inducendo adiecerimus: tamen pro nostro erga se paternae benevolentiae affectu cupientes illam omnipotentis Dei, cuius perfecta sunt opera, virtutem eo ipso adiuvante, quoad eius fieri potest, imitari Maiestatem tuam vehementer in Dño hortamur, eidem Serenissimo Principi nepoti suo omni, quam apud illum habet, auctoritate interposita persuadere conetur, ut in locis ditioni suae subiectis verae Catholicaeque Religionis cultum quamprimum recipere, receptum constanter tenere, atque inde haereticos advenas expellere velit, quod si fecerit, pro certo

habeat, nullum se quam hoc in rebus adversis contra infideles firmius tutiusque praesidium esse habiturum. Vanum est enim existimare, quenquam vel potentissimum Principem Imperii sui fines civitatesque tueri posse, nisi eas Dominus custodierit: quomodo autem eos Dominus custodiet, nisi ei per verae Religionis professionem adhaeserint? Quo quidem officio eo studiosius fungi debet Maiestas tua, quo ut aliis ad eam litteris scripsimus, aliquanto ipsi gloriosius futurum est nepotem suum Omnipotenti Deo atque huic Sanctae Sedi Apostolicae, quam Caesari reconciliavisse, eo enim Caesari reconciliato, videri potest illius Imperio consuluisse: si vero eundem Redemptori nostro sanctissimaeque illius Ecclesiae communioni restituerit, non solum de Imperio illius conservando, sed de animae ipsius salute solicita esse videbitur: cuius quidem animae si ille in sua ditione Religionem Catholicam non admittens detrimentum patiatur, quid ei non modo Caesaris reconciliatio, sed etiam si universum mundum lucretur, prodesse poterit? Decet autem praecipue Maiestatem tuam Serenissimo illi Principi nepoti suo ita consulere, ut quae in eo pretiosior est, animam scilicet ante omnia salvam atque incolumem esse studeat: nam quemadmodum est apud Apostolum, qui suis non providet, et maxime domesticis, fidem abnegat, et est infideli deterior. Quae omnia non ideo pluribus ad Maiestatem tuam verbis scripsimus, quia eius erga Serenissimum nepotem suum charitati pietatique diffidamus, sed ut nostro ipsi officio fungentes, paternae nostrae erga utrunque vestrum voluntatis affectum Maiestati tuae desideraremus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI. Octobris MDLXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 239.

DCCCI.

Rex Poloniae pontifici res suae conscientiae reconditas commendat.

Beatissimo in Christo Padre Pio papa quinto, Signior mio clementissimo.

Beatissimo Padre, Havendo voi piu et piu volte considerato lo stato nostro et del Regnio, et quello che potessemo fare per tranquillità della consciencia nostra et securezza della Religione Cattolica, ne habbiamo confidentemente fatti discorsi con il Nuncio della Santità Vostra, quando ci ha esortato a quelle cose che vorremo poter fare, et ultimamente lo habbiamo pregato et commandato per la authorità che la Santità Vostra si degniò darci, che si volglia contentare di dare particulare aviso di quanto N. S. Dio ci ha inspirato, et havendocelo finalmente promesso, noi per sua credenza con questa di nostra mano la pregiamo, che oltre il prestarle fede in nome nostro voglia con la predichata pietà del animo suo darci quello aiuto che N. S. Dio li detterà, in quello che habbiamo fatto scrivere al prefato Noncio, accertandola che in ogni caso di sua pia resolucione ci metterà un gagliardissimo sprone a pensare sempre di contentare la Santità Vostra, in tutto quello che potremo mai fare in servicio della Religione Catholica, pregandoli intanto sanità et longa vita, assecurandoci di ogni secretezza fori dello istesso Nuncio, il quale ancora con questa occasione per le cause altre volte scritte et fatte dirà alla Santità Vostra; pienamente raccomandiamo basciandoli li santissimi piedi. Di Varsovia alli 17 de Ottobre 1570.

Di Vostra Santità

Humil figlio

(Lettera autografa.) SIGISMUNDUS AUGUSTUS REX POLONIE manu pp. subscripsit.

Nuntiatura Poloniae Tom. III. fol. 73.

DCCCII.

Regi Poloniae, ut progressui haeresis in suo regno se opponat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quanta superioribus diebus animi molestia affecti fuimus, cum in notitiam nostram perlatum esset, quorundam haereticorum fallaciis ab istius Regni Cancellario mandatum extortum fuisse, in quo Maiestatis tuae nomine Magistratibus Varschoviensis civitatis facultas dabatur, ut in quibusdam ecclesiis secundum Confessionis Augustanae praescriptum et haberi conciones et administrari sacramenta possent, et earum ipsarum rerum Ministri in Maiestatis tuae fidem ac protectionem suscipiebantur: tantam postea laetitiam accepimus, cum a Maiestate tua tam pestiferum Religioni Catholicae mandatum revocatum fuisse cognovimus. In quo revo-

cando sicuti Maiestas tua fecit id, quod suo maiorumque suorum inclytae memoriae Regum perpetuo Christianae Orthodoxaeque fidei studio dignum fuit, sic nos talem tamquam eximium suum erga Deum omnipotentem pietatis affectum debitis in Domino laudibus commendamus. Ex hoc uno haereticorum istius Regni crimine facile est Maiestati tuae, quid reliquis omnibus animi audaciaeque sit, intelligere, quando non veriti sunt ad spargendum confusionis illius Augustanae in vulgus venenum Regii tui nominis auctoritate turpiter abuti. Quod ne amplius audeant, neve adversus inveteratam tot annorum saeculis Ecclesiae Catholicae ac Romanae auctoritatem prophanas vocum novitates introducere studeant, decet te, Charissime in Christo fili, omni, qua potes, adhibita diligentia providere. Una est fides Catholica ab Apostolorum temporibus per longam Romanorum Pontificum seriem usque ad Pontificatum nostrum, atque haec tempora deducta, a qua qui una in re deficit, factus est omnium reus. Augustana autem confessio etsi similis est caeteris haeresum pravitatibus, tamen ob eam causam periculosior est, quod levius quam caetera a Catholicae fidei professione declinant, speciem quandam Religionis retinere videtur, et perniciosior, quo venenum suum occultius latet, nec eminet foras. Erras, si putas eos uno confusionis Augustanae nomine atque errore contentos fore, hoc illo principio Maiestatis tuae patientiam tentant, initiumque solum ab Apostolica doctrina atque ab hac Sancta Sede desciscendi quaerunt, quod illico aeque obtinere potuerint, Regnum tuum innumerabilibus dissensionum inter se haeresum discordiis miserabiliter distrahi lacerarique videbis. Haec, quae vera sunt et ipsa rerum experientia comprobata, libere sicut persona officioque nostro dignum est, ad Maiestatem tuam scribere voluimus, hortantes eam in Dño, et quo maiore animi nostri studio possumus, rogantes, ut quod sui muneris Regiaeque personae sibi ab Omnipotenti Deo impositae proprium est, operam det, ne et isthic Religio Catholica, quod Deus avertat, ab haereticorum fallaciis detrimentum aliquod patiatur, et nos hic ea quae nollemus, magno cum animi nostri dolore audire cogamur. Quod Maiestatem tuam pro eximio suo Catholicae fidei studio, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia facturam esse pro comperto habemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v. Decembris MDLXXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Brev. Tom. XV. fol. 272.

DCCCIII.

Itinerarium, quaerelae et acta oratorum regis Poloniae in aula Moscovitica.

Iter Nunciorum Serenissimi Regis Poloniae ex eadem provincia ad Moscorum Regem missorum usque ad civitatem Moschoviae.

Dies erat 2. Februarii 1570. quando ad flumen dictum Zuacza, quod dividit Lituaniam et Moscoviam, pervenimus, ubi adventum nostrum praeterlabantur cum equitibus xx. Przistavii duo, nominati Mathuvicz et Wasil, a Principe Moscorum missi, qui de equis suis descendendo ad Nuncios Maiestatis Regiae in hanc sententiam verba fecere:

Magnus Imperator, Princeps alias Czar, Magnus Dux Ioannes Basilius totius Russiae, Wlodimiriae, Moscoviae, Novogardiae Czar, Xazexen (sic) Czar, Astralga (sic) Princeps etc. etc.

Misit nos, vos ut in finibus eius exciperemus, vobisque victum omnem in terris ac ditione magni Principis suppeditemus. Deinde ad loca, ubi victualia erant parata, illinc quatuor milliaribus, una proficisci iubemur: verum nive copiosa, quae tunc potissimum vias occuparat, impediti, prefixam metam non attingentes, in sylva quadam proprio contenti victu nosmet locare cogitabamur, ubi aeris tempestatem magnam experti sumus.

3. Februarii pedem loco movimus, reliquum destinati, quod erat, itineris perficere conantes. Ecce nobis adhuc medio quasi milliario a loco distantibus, Palatinus Smalen magni Principis nomine Nuncius nos excepturus obviavit, vehiculo picto supersedens, quingentis vel paulo plus equitibus filiis Boiarorum nobilium stipatus, quem 400 traiectores pharetrati comitabantur, singuli equum alterum tenentes: atque sic dum nobiscum congrederentur, Palatinus cum carpento suo ad latus vehiculi, cui Nuntii Maiestatis Regiae insidebant, stetit, tunc unus e Moscovitis equo descendens Palatini nomine Regios Nuncios sic est allocutus:

Princeps magnus Moscoviae etc. ut supra referens omnes titulos etc. Palatino huic Smolen homini cum primis nobili ac generoso, deinde vero magnae authoritatis viro accurate mandavit, ut vos Nuncios magnos a Sigismundo Augusto Dei gratia Polonorum Rege Imperatoris sui nomine quam ho-

norificentissime exciperet: quod iam praestat ex animo evenire cupiens, ut praesens hic adventus vester tam felix sit, qui pacem et concordiam stabilire vel, saltem aliquem usum utrique Dominio secum adferre queat. Quo quidem sermone finito, Nuncios Regios praemonere accepit, primi ut vehiculo descendant et Palatinum Smolen salutando conveniant. Porro Regii Nuncii non ignari consuetudinis et moris populi tam barbari omnino id facere recusarunt, unde altercatio non levis fuit exorta, quae postea vespere illo fere iam instante, etiam in frigore intenso, ad id in nivibus desuper cadentibus usque adeo ingentem nauseam peperit, quod duo iuniores ex Nunciis Regiis (erant enim quatuor, duo Palatini seniores, alii non) Capitaneus, scilicet Vezt, Radzieioviensis et unus secretarius exurgerunt, tandem et ille Palatinus Smolen se levavit ad extremum, mox reliqui quoque Regii Nuntii vehiculo suo descenderunt: longum foret recensere dissensionem, quae tunc etiam intervenerat de eo potissimum, quis prior caput suum aperire teneretur, et cum iam ad salutationes esset deventum, manus ac (prout mos gentis illius fert) amplexus et oscula sibimet ad invicem se dedere. His autem omnibus peractis, Palatinus Smolen per aliam viam reversus est: nos vero a Prczistavis ad locum destinatum ducti sumus, ubi satis misere tractabamur. Erant quippe loca vacua ac deserta pro Nuntiis, quidem aliquae casae ex ramis arborum factae, sub quibus cibum capere debebant: at nos sub dio quiescere erant necessarium, ubi et frigus et inediam nivibus tecti pati cogebamur. In summa eo in loco subsistimus, in quo praeter aquam caetera omnia et ligna ad excitandum ignem, et victus necessaria acquirere non erat possibile. His autem ita se habentibus, Nuntii Maiestatis Regiae, ne deinde pariter ab illis excipierentur, commeatum huiuscemodi respuerunt.

4. Postridie venimus ad villam nomine Lubin, ibi aliquot tuguriola erant, in quibus Nuncii pernoctabant: nos ut antea sub dio.

5. Quinta Februarii transivimus Smolenza, per quam civitatem transit fluvius Boristhenes alias Dniper: Arx ad meridiem constituta ex lignis extructa bene munita et satis ampla, in suburbio monasteria aliquot noviter restaurata, quondam a nostris devastata. Ingressi autem civitatem ipsam offendimus in plateis magnam satis frequentiam populi, inter eos traiectores cum sagittis stantes iussu Principis ex villis et oppidis vicinis convocatos, ad id saltem, ut se iactet, et multitudinem hominum sibi subesse demonstret. Verum nos astutiam hominis tunc comperimus, quando clam noctu sese subducere et ad loca, in quibus pernoctare debebamus, nobis eosdem occurrere persensimus: quibus inde technis Moscoviam usque sunt usi. Eodem die pervenimus ad villam Bogdanova alias Kolycza, ubi Nuncii cum Prczistavis conveniebant, quomodo et quale victu per omne tempus, quo illic permanerent, ab illis sustentari deberent; stetit tandem sententia, quod singulis diebus haec offerebant, videlicet boves novem, partes lardi 20, arietes 15, gallos 50, caepos 400, aceti mensuras 8, salis 2, butiri urnas aliquot et leguminum solexnti (sic) pulezorum panis triticei et seliginis 1400, mellis ad bibendum 180 urnas, cerevisiae 100, candelas 40, avenae mensuras maiores quam folianlii, feni 200 currus, straminis 50.

6. Ex villa Bogdanorum pervenimus ad Pinowi villam Magni Ducis: ibi noviter aedificata erat curia propter Nuncios, confecimusque illo die 40 verstz, ut illi appellant, 8 scilicet verstz millia polonica; nam 5 . . . . . unum miliare polonicum faciunt.

7. de Pinowi ad Drozabicha 50 verstz hoc est 10 milliaria polonica, ibi tribus diebus quievimus. Civitas et arx ex lignis constructa, fluvius Boristhenes praeterlabit.

8. ex . . . . . in villam . . . . . pernoctavimus 8 miliaria polonica.

9. unde in civitate . . . . . , civitas lignea, arx bene munita et ampla, fluvius eiusdem cognominis.

10. a . . . . . ad villam . . . . . milliaria polenica tria; ab ea villa in milliaribus tribus aedificavit Magnus Dux oppidum, cui nomen indidit . . . . . non procul ab eo oppido erat curia quoque aedificata, quo quidem in loco, dicebatur, Magnus Dux Nuncios Regios excipere vellet, ni res alia, quae tunc impedierat, propositum eius immutasset.

11. ex . . . . . ad . . . . . 6 milliaria polonica.

12. a . . . . . ad civitatem . . . . . 6 milliaria polonica, civitas lignea, apud arcem porta murata, in monte prope arcem est capella, in ea imago sancti Nicolai, quam . . . . . illi appellant, quo solet multitudo hominum certis diebus convenire devotionis gratia, ubi et pia opera exercent, illic multa cadavera mortuorum videre nobis contigit, quae fame interiisse didicimus, nec in campis solum, verum et in ipsa civitate matutino presertim tempore; sic et in aliis oppidis et villis ante hospicia et gazas illorum plerosque mortuos eiectos vidimus.

13. ex . . . . . ad villam Polan 6 miliaria, unde ad civitatem Moskua 8 miliaria polonica, ad quam 3. die Martii pervenimus, quae caput est totius principatus Moschoviae. Arx munita ad flumen Moschua dictum; aedificia quoque vicina murata illi appellant . . . . . circumcirca multae ligneae aedes extant. Propius autem nobis adventantibus tres . . . . . obviarunt, Petrus, Andreas et Simeon, quilibet suo vehiculo vectus, cum quibus erant ultra 150 equites, equos varii coloris habentes, inter hos etiam de capite aperiendo lis fuit exorta, qua tamen facilius composita ab eisdem ad curiam usque antiquitus extructam per ipsam . . . . . ducebamur.

Dominica palmarum nominata . . . . . Nuncios Regios convenere et ita sunt allocuti: Ioannes Basilius Magnus Dux Moscoviae, totius Russiae Imperator etc. titulos eius quam latissime extendentes etc. de adventu vestro a Sigismundo Augusto magno Polonorum Rege ad magnum Moschorum Ducem certior factus nobis in mandatis dedit, uti vos mensa sua ducali exciperemus ac pane tale, aliisque etiam quam latissime ferculis tractemus. Erat quidem magni Principis nostri animus vos hic invisere, verum negotium, quod illi iam cum terris quibusdam Pscor et Novogrod est, quominus id praestet, eum avocat, illud tamen simulatque perfecerit, vos adire non negliget, cui tunc legationem vobis commissam exponere peropportune potueritis.

Tulerant subinde 12 scutellas magnas ex argento: prior in se piscem continebat nomine . . . integrum coctum absque sale, aceto, alio, rafano refectus; 2. dimidiam partem eiusdem speciei piscem croco conditum cepis minutim dissectis aspersum; 3. eiusdem speciei piscem integrum in oleo coctum; 4. eiusdem piscis speciem cum iusculo; in caeteris scutellis erant pisces, qui vocantur . . . . ., pars eorum cocta, pars illorum more assa. Deinde tulerunt placentas cum . . . . . Macarones quoque cum papavere in oleo assas; post haec panis ferebatur magnus triticeus (bula Posnaniensis maior) variis speciebus refectus, qui continebat in se pisces ad minus xx. ut . . . . . caepis et croco similiter conditos, quod ferculum apud illos pro excellentissimo habebatur. Hos deinde secuti sunt 14 iuvenes nobilium filii, quilibit argenteum poculum inauratum manu tenens, quibus singulis alii 18 iuvenes binas cantheras staneas portantes erant adiuncti, horum pars vinum malvaticum tulit, pars vinum simplex de terris, alii vinum melius, alii . . . . . ceteri . . . . . variis generis et cervisiam ferebant. Quae quidem fercula pessime licet cocta gustavimus, vix melle potius contenti.

Die Mercurii post dominicam . . . . . didicerunt ipsum Ducem Moscum prope esse, congregatis aliquot centenis populo iam morituro prae inedia montem hospitii nostri vicinum disiicere iusserunt, qui miseri arreptis securibus et instrumentis ad id idoneis montem illum maxime congelatum summa cum difficultate spacio duaum hebdomadarum dissiparunt, ea potissimum de causa, quo faciliorem ingressum Duci proficiscenti redderent. Ut si quidem opus hoc sane, quod viam insolitam preparando peregerunt, quam .plurimos enecavit, etiam fame perire fecit, quantum cum erat ex illis animis quasi eiectis, quidquid erat anxietatum et dolorum aequi sufferebant, Deum precantes, hoc citius quo Ducem suum conspicari adventantem possent. Manentibus autem ibi Maiestatis Regiae Nunciis, captivi (quorum innumeram multitudinem esse constat) clam litteras ad Nuncios mittebant cum lachrimis et quaerelis summa ibi penuria tam victus quam vestitus esse notificantes, ad hoc (quod auditu terribile est) usque ad immanes Moschos esse renunciantes, quod in propria ipsorum viscera saevire, corporibusque hominum pasci non dubitent, equorum cadavera hos consumere illisque vesci, talis iam usus est, quod in precio quorumlibet magno vix reperiantur. Princeps magnus Moschorum singulis per dimidium saltem grossum dare solet, pro quo victum tantum acquirent, asserens sat illis esse omnino, quod est impossibile, unde Nunci condolentes illorum tam miserae et aerumnosae conditionis pecuniam illis distribuendam demandarunt, plerique etiam ultro et aes, et vestes et indusia sua illis offerebant.

3. Die Maii tandem venit Magnus Dux cum equitibus suis sane miserrimis, quem procedebant 1500 traiectores: his praeerant tres duces desuper serico vestibus tecti cerulei coloris, fimbriae margaritis intextae, quos tres histriones sequebantur, ex his unus bovi insidens, post duo equi bene ornati illorum more ducebantur: tum demum ipse Magnus Dux equo bono et bene ornato insidebat, vestem habens auro intextam fimbriae margaritis artificiose depictae: ad cuius latus dextrum proficiscebantur duo vestibus albis induti, manu securim detinentes, similiter ex alia parte, quem sequebantur centum aulici in vestibus auratis: haec deinde reliqua fex et multitudo populi ad millia credo 4 millia equis macilentis et miseris supersedentes, et quos interdum relinquere cogebantur. Nos vero longe melius nobis de Moscho et eius exercitu semper pollicebamur, posteaque cum illorum ignominia detecta vidimus, secus admodum persuadere, ipsis etiam nostris villanis longe imbecilliores cernere coepimus.

Die VII. Maii Magnum Ducem convenimus, primam autem portam ingressi offendimus ad secundam usque portam protrahentes se traiectores stantes ex utraque parte, tandem ad Principem intrantes dextras illi suas Maiestatis Regii Nuncii porrexerunt, quo salutato legatione sua fungebantur.

Qua finita ad prandium ab eo sunt invitati, ubi tractabantur ad eum, quem superius descripsi modum, triginta in loricis mensae intervenire astabant, fercula singulis a Principe porrigentes et magna voce dicentes: Magnus Dux, Imperator et Princeps ex gratia sua tibi ferculum hoc mittit, solus enim illis distribuebat, illi tandem aliis deferebant his verbis alloquentes: Czar . . . . . extreme tandem illi, cui manum suam Dux extendit, sic tria pocula mellis confestim erant oblata.

Contumeliae ac iniuriae, quibus Nuncii Serenissimi Poloniae Regis ac etiam Aulici, et reliqui homines subditi cum ipsis existentes a Duce Moschorum eiusque Aulicis in itinere ipso et reliquis locis, dum irent in Moschoviam et rursus inde redirent, sunt affecti.

In Dorocholicza Andreas Kreszny curator impegit duos colaphas sine culpa uni ex servitoribus Capitanei Radzicioviensis, honesto Nobili, vocato Sziedleczki.

In Iasmio Nobilis Lewontha Boleius cum aliis Nobilium filiis, aulicum Sacrae Regiae Maiestatis Theodorum, et quatuor servitores Nunciorum, honestos Nobiles, fustibus concussit, inspectantibus curatoribus, nec defendentibus, imo unus ex ipsis Basilius Cichacius valde illos hac in re iussit.

In Mosaisko duo servitores Castellani Mniscensis, honesti Nobiles, a lictoribus Magni Ducis fustibus affecti. Duos etiam servitores Nobilis domini secretarii fustibus affecerant, non sine vitae periculo, ac unius eorum frameam perfecerunt. Similiter etiam servitorem domini Grodecii et aurigam Constantinum de Zalinaczino fustibus affecerunt. Harmenum vero Carastam Adamisum mercatorem iidem lictores graviter fustibus offenderunt.

In Mosqua, praeter haec omnia, ingredientibus Nunciis urbem Mosquam, aulici Magni Ducis et filii Nobilium, cum essent obviam Nuntiis egressi, una cum nonnullis Senioribus Aulicos Sacrae Regiae Maiestatis, qui praeibant Nuntios fortasse ex commissione Seniorum, flagellis ad capita, et scapulas, ac etiam equos percuciebant.

Ibidem in Curia Nunciorum servitorem domini Ilimi, honestum Nobilem, ex mandato Curatoris Nunciorum Simeonis Archatezenii filii Nobilium sine ulla culpa vehementer fustibus offenderunt, flagellis ita ante se cedendum mandavere, ut vix a suis sit defensus. Posthac die dominico Andreas Tobucius curator, veniens in curiam ebrius, servitorem Capitanei Radzicioviensis, honestum Nobilem, ibidem in curia Nunciorum iam post occasum solis, et nonnullos alios homines prope portam graviter afflixit et vulneravit. Circa eundem servitorem Pierziczki vocatum permultos alios nobiles mercatores, ex commissione eiusdem Andreae curatoris, reliqua plebs Moscovitica fustibus et flagellis ad faciem cedebat et vulnerabat.

Aspectabant autem Nuncii Magnum ipsum Ducem in urbe Mosqua a die tercia mensis Martii ad diem terciam Maii: nam ea die, quae fuit Mercurii, ipse in Mosquam est ingressus.

Post eius adventum in Mosquam die quarta, quae fuit Dominica, accesserunt ad eum Nuncii, septima die Maii, legationemque ei detulerunt: cum vero ad extremum facta esset mentio unionis Ducatus Lituaniae cum Regno Poloniae, subito non auditis reliquis verbis, suam in negotium unionis iniecit orationem, et vehementer ridens, clara voce est locutus, quod non nunc primum unitus est Ducatus Lituaniae Regno Peloniae, sed adhuc ab annis centum viginti, vel etiam triginta, qua de re eodem in momento, Tuanum Vislokovatensem suum Cancellarium rogavit, an res ita se haberet. Qui signo sui patroni vel principis magni, ad instar iuramenti dato, ita se rem habere affirmavit, neque tamen eius meminisse bene significavit. Ac tandem Nunciis reliquam legationem absolvere permisit, qua ad extremum audita, Nuncios ad prandium invitavit: in quo prandio serviebant eius offitiales et reliqui Camerarii in armis cum frameis, quasi vestiti ad certam pugnam. Ibidem etiam omnes gestus ipsius histrionum inspicere licuit, quorum ut aliqua fiat certio vel mentio, sive verbo sive scripto, non est aequum, quod non quasi coram Domino, verum coram aliquo histrione peracti sunt.

Die 19. mensis Iunii. Magna affecti sunt contumelia Nuntii et reliqui Sacrae Regiae Maiestatis Aulici, nam omnibus ad curiam Ducis venientibus mandatum est, ut in media curia procul ab aedibus Principis ex equis descenderent. Lictores vero circumquaque flagrabant cum fustibus parati maiori adhuc iniuria Nuncios afficere, si forte, uti mandabantur, ex equis non descendissent. Postquam vero Nuncii sunt aedes Principis ingressi, servitores et equos eorum, ac nonnullos etiam ex Aulicis fustibus verberabant, Duce ipso inspectante.

Dux vero ipse pileos diversi generis cum ornamentis magni pretii, ac vestes etiam nonnullorum Aulicorum et servitorum Nunciorum tolli mandavit, quae omnia penes eum manent. Tum vero allatae erant vestes ad eum, subito iis ornavit suum histrionem, ac iussit, ut more Polonico genua coram se inflecteret: verum id facere nesciente histrione, ipsemet coram eo inflectebat, ac manu elevata clamabat: Soida, Soida, Soida etc.

Iaroslaviensi Duci mandavit, ut coram eo denudatis natibus, manibus aeque ac pedibus terram tangentibus incederet, Nobilesque et Aulicos eius adstantes, pudendis denudatis, territaret: qua de re scribere verecundum est.

Ibidem in Curia equum domini Grodzieczki Aulici Suae Regiae Maiestatis ornamentis omnibus ex argento et auro confectis spoliaverunt, et rotam argenteam cum cute leopardi abripuerunt et in frustra dissecuerunt, et omnia collecta tapeto involverunt, ac deinde ad ipsum Ducem attulerunt, quae dum aspiceret, irridebat.

Talem quoque tempore curatorem Andream Clobucium cum centum hominibus in Curiam misit, ut Demetrium Iareczki caperet et ad eum duceret, quem graviter verberatum in Curia Nuntiorum in carcerem postea iniecit, ac tantisper detinuit, quoad Nuntii ab illo erant discessuri.

In mense Iulio 1. die Sabbati. Acceptis iam induciis, postque finitam actionem de eis octava die misit nobis dona sua contra nostra, quae ipsi praesentaveramus: sed quia aliquibus, praesertim vero mihi Andreae Secretario Aulicoque Sacrae Regiae Maiestatis, domino Iacobo Iastrzebski, domino Stanislao Seligorski et aliis, erga eorum dona dignam ac convenientem recompensationem noluit exhibere, dolebant de hoc, haecque munera seu dona nolebant recipere, sed ante Curatorem reponebant dicendo, ut haec dona ab eis accepta forent, suaeque res, ut ipsis traditae essent.

Dux Magnus, nescimus qua de causa, contra iuramentum suum servandae pacis factum in crastino mensis Iulii secunda die misit servitores suos in Curiam nostram, cum quibus servitoribus misit aulicum suum nomine Bulath, et cum illo aliquot centum hominum armatorum, in equis frameis arcubusque et cum vario genere armorum. Nobis Nuntiis mandatum est descendere de habitationibus superioribus in terram, illique nobis turpia verba nomine domini sui Ducis Moschoviae proferebant, et postea duos equos sibi dono a nobis datos, hoc est a Castellano Mnesciensi et Stanislao Soligostowski Aulico Sacrae Reginae Maiestatis, coram nobis commisit servitoribus suis in frustra secare, cadavera vero illorum equorum congregare et ad limen ostii gradus ponere et illic remanere. Ex aliis vero Nuntiis et Aulicis Regiae Maiestatis vestes deponabantur, pedibusque dicti Bulath conculcabantur, et in illis vestibus taliter conculcatis, dona a Duce Moschoviae in vilipendium ponebantur: aliis vero crines ex barbis trahebantur. Qua de re in maximo periculo, timore pavoreque fuimus per totam viam usque ad fines dominii Sacrae Regiae Maiestatis propter magnam cohortem hominum Moschovitarum, per Ducem Moschoviae nobiscum usque ad fines missorum.

10. mensis Iulii feria secunda. Ex servitute Moschorum veniendo ad locum Polpilie, illic tres mercatores, viros probos, subditos Regiae Maiestatis, ex civitate Vilnensi, quartum ex civitate Sluczko, quintum mercatorem Chimara Castellani Menscensis cum omnibus illorum mercibus in sua vi et violenter rapuerunt, et aliis multis mercatoribus Ruthenis, Armenis, subditis sacrae Regiae Maiestatis, totam substantiam mercesque eorum ad Curiam Ducis Moschoviae vi et violenter rapuerunt, illos vero vacuos dimiserunt, et aliis multis mercatoribus similia damna in illorum mercibus adimendis intulerunt, quorum damnorum Regestra dicunt se habere in Cancellaria Ducis Moschoviae.

Cum autem venimus ad confinia suae Regiae Maiestatis, consiliarii Ducis Moschoviae, qui nobiscum causas occasione Graniciarum tractabant, scripserunt ad nos litteras suas, praemisso primum titulo Ducis Mosci ac titulo suo in hunc modum, quod dominus Dux Moschoviae arcem, quem noviter construxerat in loco dicto Polotosczina, iussit illum ex illo loco amovere, propter confines, quibus nondum assignatus est certus locus, inter Regem vestrum et dominum nostrum Ducem Moschorum.

Litteras vero in modum hunc scripserunt illi consiliarii, quod dominus illorum Dux Moschoviae iussit arcem novo aedificatam in finibus Litwaniae destruere eam ob causam, satisfaciendo iuramento suo pactoque, quod per Nuntios sacrae Regiae Maiestatis cum Rege accepit, dicens, ne et Rex faciat arces aliquas in locis adhuc non limitatis inter fines Moschorum Lituanorumque aedificare causa pacis tam diu, donec integraliter occasione Graniciarum erit certus finis. Datum Wotra ex solio Ducis Moschorum Anno 18. Iulii 12. die.

Postea cum iam nos Nuncii hic Varsoviam venimus et per aliquot dies mansimus, ex mercatoribus nomine Cyprianus, civis Vilnensis, qui erat in via cum aliis mercatoribus, illorumque universis mercibus in Moschoviam raptis, nunciavit, quod Dux Moschoviae fecit illos in maxima custodia carceribusque ac catenis et compedibus tenere tam diu, donec Nuntii sacrae Regiae Maiestatis ex illius dominio exirent.

Cum autem nunciatum est ei, quod iam Nuntii Regiae Maiestatis Polonicae ex illius terra exirent, iussit illos mercatores ex vinculis liberare, merces illorum, vestes, pileos, tunicas, calceos, caligas accipere, solos vero de terra sua in unis indusiis, nudis pedibus, absque pileis expellere, prout et expulsi sunt.

Idem mercator civis Vilnensis, nomine Cyprianus, dixit, quod Dux Moschoviae post discessum Nuntiorum Regiae Maiestatis omnes captivos, qui erant apud illum detenti, tam Poloni, Germani, Litwani, Ruteni, iussit omnes vario genere mortis perdere, dicens, ut nullus ex predicta natione subditis Regis in terra mea maneat, et insuper, ut neque canis illius Provinciae Poloniae aut Litwaniae apud me vel in Ducatu meo (maneat).

Riga ex Livonia die 27. Augusti 1570. Constantem esse rumorem, Ducem Magnum a Moscho Regem Lyvoniae declaratum esse, idque certo apparere ex litteris, quas ad aliquot primarios Lyvoniae nobiles dedit, in quibus haec continentur.

Magnus Dei gratia Rex Lyvoniae, Estonensis, et Litwaniae terrarum dominus, in Nortwegen haeres, Dux in Sleswick, Hostein, Stormaren et Dietmarch, Comes in Aldenburg et Delmenhorst etc. etc. Gratiosissimam nostram salutationem etc. Generosi Nobiles, sincere nobis dilecti, clementer nos celare nolumus, nos gratia Dei negotiis omnibus nostris ex animi sentencia apud Ruthenorum Caesaream Maiestatem confectis, huc Derptam ante paucos elapsos dies sanos appulisse. Etsi inter Ruthenam Caesaream Maiestatem et Regiam Poloniae Serenitatem triennales induciae factae sint, tamen nos, auxiliante nobis divina gracia, cum nostris, quos habemus, Germanis et a sua Ruthena Caesarea Maiestate nobis adiunctis militibus civitatem Revaliam obsidere, et Sveticum hostem summis nostris viribus auxilio summi Dei adoriri, indeque eiicere, et ita Estonenses terras sive provincias iterum in nostram potestatem redigere constituimus. Propterea clementer a vobis postulandum duximus, et praesentibus hisce omnes et singulos monitos et vocatos esse volumus, ut unusquisque vestrum, quanto citius poterit, cum suis servitoribus, equis et armis, ubi fuerimus, se conferat, et nostram expeditionem (cui omnipotens Deus suam gratiam et auxilium dare dignetur) adiuvet, sub ammissione omnium bonorum aliter non facturus. Datae Derpti 25. Augusti Anno 1570.

Magnus manu propria.

Ter Dux Magnus a Moscho splendido convivio cum suis exceptus, magno honore affectus et liberalissime semper a Moscho donatus fuit.

Ducere debet (ut hic in Lywonia pro re certa claruit) Moschorum Ducis agnatam quandam, cum qua sponsalia iam celebrata esse dicuntur, matrimonium autem consummari circa festum Trium Regum aut Purificationis Beatae Mariae Virginis debet.

Huc usque nullum castrum Dux Magnus in Lyvonia cepit, tria castella tamen, Ovexpalen, Vesenburg et Lais, nullius vero aut non ita magni momenti, occupavit.

Cum litterae hae obsignari deberent, venerunt certa nova, Magnum cum suis Germanis et 16000. Moscoviticis militibus Revaliam et Weisenburgck obsidere. Datae Rigae 27. Augusti ut supra.

Secretarius ducis Magni Varlloviae captus et examinatus.

Dictus Federicus Czros (Gross) in confessione propria affirmat infrascripta: Principem Moscorum Duci Magno ad supplices suas preces per Nicolaum Aderken, Anthonium Wrangeln et Conradum Burmister Cancellarium Oratores diploma perpetuae donationis misisse, in quo haec continentur.

Primo, quod idem Princeps a Regia Revalia et aliis terris Livoniae iram suam avertat et Duci Magno easdem civitates et terras iure haereditario perpetuo tenendas et possidendas donat, mandatque, ut primo quoque tempore ad se veniat, et homagium super eiusmodi haereditaria perpetua donatione Principi prestet.

Secundo, promittit idem Moscorum Princeps ad petitionem Magni se de terris in suam potestatem iam in Livonia redactis sic donaturum esse magnum, ut Caesaream benignitatem suam cum laetitia experiatur, utque liberalitatem et magnam ipsius gratiam, cum apud fratrem suum Regem Daniae, tum apud Principes alios transmarinos praedicare valeat.

Tertio, Dux Magnus pro tam profusa gratia contra hostes Moskici nominis fideliter servire, sique Moscus aliquam expeditionem in propria persona fecerit et Ducem Magnum vocaverit, mille quingentos equites et totidem pedites adducere tenebitur. Si autem Moscus expeditioni non interfuerit, neque Magnus interesse astrictus erit: exercitus Magni, Principe Moscorum praesente, ex thesauro Principis satisfaciet, ducet autem copias suas Magnus seorsim, et supra omnes Palatinos ex Nobilitatem Mosci honore afficietur. Si vero Dux Magnus cum suis expeditioni interesse non velit, pro singulis equitibus ternos taleros, pro peditibus vero talerum cum dimidio in aerarium Mosci inferet singulis mensibus: quod si Princeps Moscorum expeditioni in propria persona non interfuerit, Dux Magnus neque copias, neque pecuniam mittet, donec terrae et ditiones Livoniae omnino pacificentur.

Quarto, si usu veniat Ducem Magnum in Livonia bellum agere, et Princeps Magno Palatinos suos cum exercitu miserit, Magnus caput exercitus esse debebit: Palatini vero in castris Magni de rerum statu consilia conferent.

Quinto, concedit Magno et haeredibus ipsius in perpetuum aliisque Livoniae incolis omnia privilegia, libertates, iura, iudicia et immunitates antiquas, in quorum usu ab immemorabili tempore Livonia fuit.

Sexto, conservat ipsis omnibus Religionem Augustanae Confessionis in perpetuum.

Septimo, salva appellatione ad Principem Moscorum.

Octavo, civitates Livoniae commercia per ditiones Mosci sine teloneis et exactionibus et quocumque alio impedimento exercebunt, econtra vero Magnus omnibus transmarinis cum omni mercium genere tuto et libere, item quibuscunque artificibus, opificibus et hominibus militaribus transitum liberum in Moscoviam praebebit.

Nono, si civitates Livoniae Riga, Revalia et aliae Magni Imperium non agnoverint, et se quomodocunque opposuerint, tenebitur Moscus summa vi et potentia contra easdem civitates et omnes hostes Magno adesse.

Decimo, ubi Magnus homagium in Moscovia praestiterit, Princeps haec omnia Magno litteris sub aureo suo sigillo signabit et firmabit.

Undecimo, Magno et haeredibus ipsius extinctis, successor communibus suffragiis in Livonia eligi debet.

Diploma continens supradicta, scriptum est Slawodi mense Novembris anni praeteriti, quod Federicus vidisse se et legisse confessione sua fatetur.

Litt. div. Poloniae Tom. I. fol. 8. et Politic. Tom. LXVIII. fol. 140 et 162.

DCCCIV.

Stanislao Barzi palatino Cracoviensi de palatinatu collato pontifex gratulatur, et res religionis commendat.

Dilecto filio Nobili viro Stanislao Palatino Cracoviensi.

Pius PP. V. Dilecte fili Nobilis vir, salutem etc. Magnam nobis in Domino laetitiam attulerunt litterae dilecti filii Magistri Vincentii, nostri et Sedis Apostolicae apud Serenissimum Poloniae Regem Nuntii, ex quibus te Palatinum Cracoviensem nuper creatum esse cognovimus: cum enim et ex eius litteris, et ex aliorum gratissimorum virorum testimonio perspectissima sit eximia tua erga Deum omnipotentem pietas, et Religionis Catholicae studium, speramus, te non solum provinciam tibi creditam iuste administraturum, sed etiam eiusdem Religionis causam in isto Regno vehementer laborantem omni ope ac studio pro tua parte sublevaturum: quam quidem ad rem sic te paternis nostris vocibus hortamur, ut maiore animi nostri studio hortari non possimus. Nihil certe hoc tempore praeclarius, aut tibi ipsi gloriosius, vel animae tuae salutarius facere potes, quam si te Catholicae fidei, quibuscunque rebus poteris (poteris autem multis) accerrimum defensorem propugnatoremque praestiteris, Venerabilique fratri nostro Philippo Episcopo Cracoviensi ad exequenda ea, quae sui officii sunt, auctoritate potestateque tua auxilio fueris, atque una cum eo perniciosis haereticorum consiliis et conatibus summa contentione obstiteris atque obviam ieris, qui semper aliquid contra Ecclesiasticam libertatem et contra huius Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem potestatemque moliri solent. Quibus quidem rebus sedulo agendis non modo beatitudinis aeternae praemium in altera vita consequeris, sed etiam de nobis sanctaque hac Sede Apostolica, quam omnes Christifideles piam et benignam erga se matrem experti sunt, optime promereberis. Quod quidem quamvis te tua sponte facturum fuisse putaremus, tamen pro nostri

muneris officio praeterire noluimus, quin pietatem tuam nostris quoque paternis hortationibus ad idem excitaremus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decimaoctava Ianuarii Millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XVI. fol. 4.

DCCCV.

Sigismundo Augusto Poloniae regi, ne propriam uxorem dimittat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Quamvis exploratissimum nobis sit, Maiestatem tuam ea esse prudentia atque in Deum pietate praeditam, ut nihil aut temere aut minus pie factura sit, tamen non potuimus omnino nihil commoveri eo rumore ac fama, quae huc allata est ad nos, Maiestatem tuam de Serenissima Regina uxore sua omnino dimittenda et alia insuper ducenda cogitare: cui quidem rumori ac famae quotidie magis increbescenti, etsi nullam fidem habendam esse putabamus, praetermittere tamen pro officio nostro noluimus, quin subito has ad Maiestatem tuam litteras daremus, quibus non solum illi significaremus animi nostri molestiam ac dolorem, quem ex tali rumore utcunque divulgato accepimus, sed etiam ut si quid ea res, quod non putamus, fundamenti haberet, Maiestatem tuam ab huiusmodi consilio dehortaremur. Quae quidem ante omnia illud debet considerare, eos, qui successionis spem Maiestati tuae praetendentes, talia illi persuadere conantur, aut haereticos ipsos esse, aut haereticorum fautores, quibus nihil magis propositum est, quam ut Maiestatem tuam ad religionis Catholicae fines semel transiliendos adducant, pro certo habentes, si quid tale ab ea impetrare aut extorquere potuerint, reliqua illis fore faciliora, sicque brevi futurum, ut Regnum istud una cum Maiestate tua in eandem, in quam ipsi, suggerente diabolo humani generis hoste, ceciderunt, ruinam trahant, quorum venenata consilia pestiferique conatus eidem Maiestati tuae manifestius patebunt, si rem ipsam, quam ipsi suadere volunt, qualis sit, attentius perpenderit: est enim talis, ut si eam Maiestas tua admiserit, primo quidem Redemptorem nostrum eius sanctissimo matrimonii Sacramento violando gravissime sit offensura; deinde nos ipsos, qui eius, quamvis indigni, vices in terris gerimus, magna sit contumelia affectura; praeterea omnibus christianis catholicisque Principibus magnum scandalum obiectura; denique nomen suum Regium maiorumque suorum inclytae memoriae Regum splendorem, qui ad hanc usque diem purus permansit, foeda ignominiae macula suscepta vehementer obscuratura. Nam quod ad successionem pertinet, cuius spe Maiestatem tuam allicere volunt, considerare debet Maiestas tua, omnium Regnorum successionem positam esse in manu ac voluntate omnipotentis Dei, qui eam, quibus vult, dat, et quibus vult, adimit, a quo eo minus illam sperare poterit, quo magis eius habendae gratia divinam suam maiestatem offenderit; praeter haec ea est aetate Maiestas tua, ut primo quidem valde incertum sit, utrum filios sit susceptura, nec ne: deinde etiamsi ex alia uxore non legitime superinducta filium procreatura est, non tamen ipsi exploratum esse potest, illum Regni successorem futurum, cum ne ipsi quidem Regno expediat, Regem aetate tam puerili sub aliorum tutela futurum habere, quae res omni illa quidem tempore periculosa, his vero tam turbulentis eiusdem Regni temporibus periculosissima foret. Id autem vel ex eo Maiestati tuae notum esse potest, quod hac nostra tempestate in quibusdam ex maioribus christianae reipublicae Regnis accidisse vidimus. Quibus iustissimis honestissimisque causis illa quoque accedit, quod serenissimo Transilvaniae Principe, nepote suo, nuper mortuo, non expedit Maiestati tuae novarum rerum consilia inire, ea praesertim, quae christianorum Principum Maiestati tuae affinitate coniunctorum animos offendere possint, ne hac sibi occasione oblata immanissimus Turcarum Tyrannus, et aliae infideles nationes in Regno finitimae ad invadendam eam provinciam utantur. Quae cum ita sint, Maiestatem tuam vehementer hortamur, et per omnipotentem Deum obtestamur, ut memor Dei ac nostri, memor propriae salutis atque existimationis maiorumque suorum inclytae memoriae Regum splendoris, omnem tam periculosi atque ignominiosi consilii cogitationem, si quam forte, quod non putamus, suscepit, longe a se abiicere velit, pro certo habens, nos ad hoc sibi suadendum nulla alia re moveri magis, quam officio nostro et eximio quodam paternae charitatis affectu, quem erga Maiestatem tuam habemus: quae si, quod non credimus, paternis nostris monitis non auditis, omnino id sibi faciendum existimaverit, quod hominum rumore ac fama vulgatum est, nihil aliud facere poterimus, quam id ipsum, quod factum fuerit, aegerrime ferre, suamque et istius Regni vicem dolere, nostrasque atque adeo totius rei-

publicae christianae calamitates deplorare. Speramus tamen, quae sua est erga Deum omnipotentem pietas, et erga nos sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia ac reverentia, a qua et ipsa et maiores sui tot beneficia acceperunt, Maiestatem tuam saniora tutioraque consilia secuturam esse, neque quidquam commissuram, quod sibi Regnoque suo perniciem, nobis atque omnibus catholicis Principibus dolorem cunctisque Christifidelibus scandalum allaturum sit. Huius etiam rei causa dilecto filio Laurentio Madio societate Iesu religioso mandavimus, ut ad Maiestatem tuam se conferat, et haec, quae illi scripsimus, et si quae alia sunt, in eandem sententiam praesens praesenti Maiestati tuae copiosius exponat, cui sine ulla haesitatione fidem a Maiestate tua haberi volumus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima quinta Aprilis Millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XVI. fol. 61.

DCCCVI.

Martino Cromero de bene administranda ecclesia Varmiensi pontifex exhortationem adiicit.

Dilecto filio Martino Cromero Varmiensis Episcopi Coadiutori.

Pius PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Gratae nobis fuerunt litterae tuae xv. Februarii die ad nos datae, cum quibus fidei Catholicae professionem quoque accepimus, quam apud Vincentium Porticum Notarium nostrum ac pro nobis et Sede Apostolica in isto Regno Nuncium professus es. In ea re pietatem tuam et Christianae Religionis studium multo antea nobis perspectissimum in Domino laudavimus, teque ad onus tibi a Redemptore nostro, atque a nobis illius in terris vices quamvis indigne gerentibus impositum libenter ac fortiter ferendum sustinendumque hortamur. Iugum enim ipsius suave est, et onus illius leve his, qui eius misericordia freti, omnia in illo possunt, qui eos confortat, e quorum numero cum unum te praecipuum in tanto Regno esse sciremus, qui gregem tibi creditum non minus exemplo propter vitae integritatem, quam verbo propter doctrinam pascere posses, in coadiutoria Ecclesiae Varmiensis fidei tuae mandanda non tibi dare beneficium, sed ad laborem solicitudinisque nostrae partem te vocare voluimus, quod quidem munus eadem te voluntate ac studio administraturum esse non dubitamus, quo in Catholica Religione non solum observanda, sed etiam propugnanda ac propaganda, et antea usum te esse scribis, et in posterum usurum esse persuasissimum habemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die secunda Maii Millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatos nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI Brev. Tom. XVI. fol. 77.

DCCCVII.

Poloniae regi, ut foederi contra Turcas inito quamprimum accedat.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniae Regi Illustri.

Pius PP. V. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Non dubitamus Maiestatem tuam pro sua pietate et erga Rempublicam Christianam studio magnam accepisse laetitiam, posteaquam certior facta sit de foedere, quod contra immanissimum Turcarum tyrannum inter nos Sedemque Apostolicam, Serenissimum Hispaniarum Regem Catholicum, et inclytam Venetorum Rempublicam superioribus diebus in nomine omnipotentis Dei initum confectumque fuit. Quamvis autem eo inito fundamenta quaedam publicae Christianorum omninm salutis iacta esse videantur, tamen eandem Maiestatem tuam pro sua prudentia intelligere arbitramur, ad impetum potentissimae gentis vel sustinendum vel frangendum maiores adhuc vires necessarias esse, quam quae conferri possunt ab his, qui eodem foedere hucusque comprehensi sunt, et revera ita est, ut nisi ad depellendum, deiiciendumque communem hostem omnium Christianorum Principum voluntates viresque consentiant, omnis noster conatus vel debilis vel mancus futurus sit: itaque illa nobis nunc pro sollicitudine pastorali reliqua cura est, quomodo reliquos Christianos Reges ac Principes, qui nondum huius foederis socii facti sunt, ad illius societatem adiungamus. Quam quidem ad rem, quia compertum habemus, magno nobis adiumento fore auctoritatem Maiestatis tuae, idcirco eam in primis ad tam gloriosam sanctissimi foederis societatem nobiscum ineundam excitare atque hortari voluimus, ad quam praeter illas officii sui partes, quae sibi cum ceteris Christianis Principibus communes sunt, Religionis fideique nostrae adversus infideles tuendae, illa praecipue res Maiestatem tuam impellere debet, quod illa in hanc causam aperte descendente, quae locorum

oportunitate et invicto fortissimi equitatus robore communem expeditionem iuvare plurimum potest: verisimillimum est, nullam moram facturos esse caeteros Christianae Reipublicae Principes, sed statim omnes concordibus animis ad idem esse consilium consensuros. Quod etiamsi ita futurum non esset, ipsum tamen commune periculum, quod ab avidissima imperandi Turcarum gente omnibus Regibus Christianis impendet, animum tuum solicitare deberet ad eandem nobiscum expeditionem suscipiendam, qua et communi Reipublicae Christianae saluti tantopere periclitanti succurrere, et tibi tuoque Regno privatim prospicere posses: neque enim existimare debes, eiusdem saevissimae gentis atrocissimum tyrannum soli Venetorum Reipublicae esse infensum, propterea quod illius opulentissimum Cypri Regnum superiori anno oppugnare aggressus, nobilissimam urbem Nicosiam brevissimo tempore magna cum eorum clade vi expugnavit. Non ita est, Charissime in Christo fili, sed quod ille bellum, rupto impudentissime foedere, cui ille manu sua subscripserat, adversus eam Rempublicam altero iam anno re ipsa gerit, hoc iam inde ab initio tyrannidis a se susceptae omnibus Regibus Principibusque Christianis animo induxit, nec unquam quieturus est, donec Orientalibus Regnis omnibus fere in potestatem suam redactis, Occidentalia etiam impotentissimo dominatui suo cogat obtemperare. Quanto igitur praestat Maiestati tuae occasione hac utendo tam praeclarae Christiauorum Priucipum consensionis iustum bellum cum inimicissima sibi gente gerere, quam vicinorum tectis ardentibus, dum ad se ipsam quoque flamma perveniat, expectare, a quo quidem gerendo bello Maiestatem tuam deterrere non debent iuduciae, quae illi cum eadem gente sunt, primum quia non est dignitatis suae, caeteris Christianis Principibus tum his, qui praedicto foedere comprehensi sunt, tum his, qui in eiusdem societatem venturi sperantur, cum Turcis bellum sive gerentibus iam, sive adiuvante Domino, gesturis, ipsam in communi periculo privata sibi consilia quaerentem cum eis inducias habere; deinde quia nullae satis firmae induciae, nulla satis stabilia Christianis cum infidelibus foedera esse possunt, qua de re, ut vetera omittamus, dubitare nos vetat recens exemplum foederis, quod cum Venetis habebant, nuper ab eis impudentissime violati. Quod igitur ipsi facere semper parati sunt propriae tyrannidis propagandae vel conservandae causa, ut quascumque cum Christianis Principibus inducias ac foedera violare non pertimescant, id Maiestas tua tuendae verae Religionis causa facere dubitabit? Nec vero res futura nobis est cum hoste invicto, sed cum eo, qui et superiori aetate a maiorum tuorum inclytae memoriae Regum caeterorumque Christianorum Principum exercitibus saepe victus, et paulo ante, ut caetera sileamus, ab uno Hierosolymitanae Religionis ordine magna cum ignominia repulsus est. Hanc autem ipsam potentiam, ob quam plerisque formidolosus videtur, non tam militari virtute, quam fallaci quadam perfidia, nostrisque insuper discordiis collectam habet, dum enim singulos Christianos Reges seorsum aggressus, cum aliis interim simulavit, facile illi fuit, nemine adversante, ad huuc, in quo nunc est, potentiae gradum pervenire: ad quem sicut non propria virtute, sed Christianorum Principum inter se dissidentium discordia ascendit, sic non difficile futurum est, de illo ipso, eorundem concordia adiuvante eo, cuius iustam causam defendimus, deturbari. Quae cum ita sint, speramus Maiestatem tuam non commissuram esse, ut in tanto Christianae Reipublicae discrimine sola omnipotenti Dei causae ac publicae saluti defuisse videatur, pro quibus quaevis pericula subire, et proprium sanguinem fundere, Maiestati tuae non minus apud Deum fructuosum, quam apud homines gloriosum esset futurum. Quod si oblata tam praeclari foederis occasione facere nunc praetermiserit, non videmus, quomodo aeterno illi Iudici se excusatura sit, ante cuius tribunal omnibus semel veniendum est, et eorum quae quisque bene aut secus gesserit, aut praetermiserit, vel proemia accipienda, vel supplicia subeunda sunt. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die VII. Iunii MDLXXI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Brev. Tom. XVI. fol. 127.

DCCCVIII.

Stanislaus Barzi palatinus Cracoviensis pontifici suum conservandae avitae fidei in Polonia studium testatur.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patri et domino, domino Pio divina providentia Papae Quinto, Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine, domine clementissime. Debitam observantiam meam et obsequia mea humillima osculaque pedum beatorum in primis Sanctitati vestrae reverenter defero. Litterae Sanctitatis vestrae rivo paternae plane benignitatis erga obsequentissimum charumque filium et servitorem redolentes sunt mihi redditae, quibus, ex singulari Dei beneficio gra-

tiaque Principis Serenissimi Regis domini mei clementissimi Palatinatu simul et Capitaneatu Cracoviensi quum sim auctus, de provectione hac mea Sanctitas vestra mihi gratulari, et quomodo in officio meo his praesertim turbulentissimis temporibus in hac civitate, quae caput Regni est, gerere me debeam, ex immensa clementia sua paternis sane vocibus Sanctitas vestra hortari non est dedignata. Quo nomine immortales Sanctitati vestrae supplex ago gratias, offerens ac nullum unquam in coercendis haereticorum et synagonistarum conatibus per Rñum dominum Episcopum Cracoviensem exequutioni meae destinatis vel studii vel officii genus praetermittere volens, quo meam singularem erga sacrosanctam Sedem Apostolicam et amplissimum istud Regnum (quod sicut universum Christianorum orbem fatalis quaedam calamitas pervasit, sic etiam hoc attigisse videatur) fidem, observantiam animique mei propensionem testari possim. Reliquum est, gratiae clementiaeque qua possum animi mei demissione Sanctitatis vestrae me familiamque meam totam supplex commendo, Deumque precor, ut Sanctitatem vestram longum sospitem et secundis rerum successibus bono Reipublicae christianae amplissimam conservare dignetur. Datum Cracoviae die 17. mensis Augusti Anno Domini 1571.

Eiusdem Sanctitatis vestrae

Obsequentissimus et humillimus servitor
STANISLAUS BARZY Palatinus et generalis Capitaneus Cracoviensis mpp.

Nuntiatura Poloniae Tom. III. fol. 127.

DCCCIX.

Secretarius epi Camenecensis Vincentium a Porticu nunt. apost. de prosperis fidei catholicae in Moldavia progressibus edocet.

Rme Domine Legate.

In executionem litterae credentialis Episcopi Caminicensis datae Caminiciae sabbato post festum Ascensionis Domini Anno 1571. Notifico Dominationi Vestrae Rmae nomine dicti Episcopi, qualiter Michael Thabuk Fegedinus, praedicator facundissimus Ungarus, qui habitat in Tawos Moldaviae in confinibus Transilvaniae, ad notitiam deduxit praedicto Episcopo de Camincz, qualiter Deo sic volente Ungari, qui erant in oppido Huztroaras, item in alio oppido dicto Romaroaras, et villis vicinis duo milia hominum in circa sunt conversi ad fidem Catholicam, qui prius sequebantur haeresim Ioannis Hus, et propterea a praedicto Rmo Episcopo petiit dictus Michael Thabuk ad dicta loca transmitti presbyteros consecratos pro formanda Catholica relligione.

Item qualiter praefatus Rmus Episcopus creavit usque ad duodecim presbyteros, et illos transmisit ad dicta loca sub custodia dicti Michaelis Thabuk, qui est in dictis locis Plebanus et Concionator suppremus.

Item ad notitiam deducit, qualiter Bogdan filius Alexandri Voywoda ad praesens Moldaviae, qui fidem Graecam tenet, et est annorum circiter decem et octo, virtute praeditus et maximae spei iuvenis, quia propensus est erga fidem Catholicam multumque favet dicto Michaeli Thabuk Fegedino, et quia in multis utitur consilio Episcopi Caminicensis, ex quo Caminicia distat per duas legas a Hotyn, in quo loco nunc dictus Bogdan Princeps Moldaviae moratur et sedem suam habet.

Iudicat praefatus Episcopus ultra ea, quae alias significavit, quod nunc esset occasio princeps non contemnenda, ut Catholica relligio iaceret fundamenta bona in partibus illis, et hoc succederet iuditio suo, si nomine Pontificis praefatus Bogdanus exhortaretur ad prosequendum gloriosum hoc opus. Iudicat etenim dictus Rmus, quod si praedictus Michael Thabuk Fegedinus Plebanus et Concionator haberet aliquem titulum a Sede Apostolica super Ungaris conversis et convertendis, quod praefatus Princeps Bogdan non solum approbaret, verum etiam non praeberet se difficilem ad concedendum illi proventus iuxta antiquum consuetudinem, quando aderant Episcopi; sunt enim dicta loca sub iurisdictione sua.

Et propterea supradicta notificando ad laudem et gloriam Dei petit auxilium et consilium a Dominatione Vestra Rma, postquam illam pluries propensissimam cognoscit erga propagationem relligionis Catholicae ex litteris et Nuntiis ad ipsum pluries transmissis. Varsoviae in Domo praedicti Reverendissimi Legati

Ego GEORGIUS VASARI Ungarus de ordinatione Rmi Episcopi Caminicensis supradicta notificavi, et in scriptis dedi manu propria et sigillo meo, quo utor, signavi die 20. Augusti 1571.

Nuntiatura Poloniae Tom. III. fol. 130.

DCCCX.

Epistola Antonii Mariae Gratiani ad cardinalem Varmiensem, qua continentur ea, quae cardinalis Commendonus legatus pro foedore adversus Turcas cum senatu Poloniae egit.

Antonius Maria Gratianus Stanislao Hosio Cardinali Warmiensi.

Cum Rex oppressus magnis corporis doloribus in senatum venire non posset, nec Senatum adire, absente Rege, Cardinali placeret, et urgent nuntii de Valachiae motu allati, censuit Senatus Rexque iussit, ut deligerentur qui Cardinalis mandata acciperent et ad Regem Senatumque referrent. Delecti sunt principes senatorum, ex sacerdotum ordine Archiepus Gnesnensis, Episcopus Cuiaviensis, Episcopus Primisliensis et Vicecancellarius; deinde Palatinus Vilnensis, Palatinus Sandomiriensis, Castellanus Trocensis, Palatinus Lublinensis, Praefectus Samogitiae et Dux Olicensis. Hi eodem die, quo delecti sunt, ad Cardinalem miserunt, qui tempus conveniendi eius posceret. Permissum id iis ab Cardinale est. Igitur paulo post ipsi magno equitum ac nobilium comitatu, ut decebat, gentis principes venerunt, acceptique perhonorifice a Cardinale in eius cubiculum introducti sunt. Ibi cum consedissent, Vicecancellarius ita coepit: Regem, cum impeditus valetudine venire in Senatum non posset, ad quem de Pontificis Maximi postulatis esset referendum, cumque diuturniorem morbum suum fore, quam initio opinabatur, intelligeret, ne Legatus diutius expectatione eius valetudinis teneretur, delegisse hos viros Regni sui principes, atque eos pro illa summa observantia, quam Apostolicae Sedi deberet, proque eximia sua in Cardinalem ipsum voluntate venire ad eum iussisse, petere, ut cum iis de omnibus rebus tamquam cum presente se loqui ne gravaretur. Cardinalis non hac solum causa dolere se respondit, non valere Regem, quod sibi consilium suorum dare non potuerit, sed quod aliarum quoque rerum consultationibus haec illius invaletudo officeret: nam siquidem etsi libenter fuisset facturus, ut Senatum persalutaret et alloqueretur universum, tamen in eorum virorum dignitate atque amplitudine, qui ad se convenissent, totius Senatus maiestatem sibi constituturum. Secundum haec praefatus se omnem illum orationis apparatum splendoremque, quem et dignitas causae et ille publicus in Senatu dicendi locus postulasset, in praesentia praetermissurum, et familiari potius genere sermonis usurum, quod in re tam gravi, tam instanti, tam ad salutem Poloniae pertinente faciendum videretur, ut omissa non necessaria specie verborum, rationes ipsae percenserentur: Deum testatus est, se quicquid consilii, quicquid deliberationis is afferret, eo animo esse facturum, ut maiori religione, maiori studio suam sententiam non esset dicturus, si de ipsius patriae suae salute consuleretur; ita enim et de se Polonos meritos esse et singularem suam ac perpetuam in hanc gentem voluntatem postulare. Haec cum dixisset, vehementerque intenti in eum infixique omnium oculi atque aures essent, in hanc fere sententiam dicere perrexit. Exarsisse ingens cum Turcis bellum, et nisi barbarorum artes, quibus singuli disiunctique appetimur, mature intelligentur periculosum universae Christianae Reipublicae: indicta enim Venetis arma omnibus illata Regnis esse. Id Pontificem Maximum cum non fugiat, cuius haec sit praecipua cura prospicere Christianorum populorum incolumitati, percusso cum Philippo Rege Hispaniarum et cum Venetis foedere, et reliquos Christianos principes populosque in huius societatem foederis invitatum solicitumque misisse, et Polonos inprimis: tum quia ipsorum arma obiecta semper atque infesta barbaris ac saevis nationibus fuerint, tum quia ipsos quo propinquiores sunt malo, eo minus caeteros in periculo deserturos speravit. Maiorem quidem occasionem Christianos Reges nunquam esse habituros, quam nunc habeant, oblatam iis non magis perfidia quam vanitate huius ac temeritate Selimi, qui Europae imperium ex veteri Otthomanorum cupiditate affectans contra institutas a superioribus tyrannis rationes bellum Venetis terra marique intulerit, cum Solimanus eius pater Turcicae calliditatis senex retinendum classibus mare, et Venetos, quorum magnas expertus fuerat maritimas opes, amicitiae vinculis illigatos habendos censuisset, ac reliquos interea Principes assidue fatigandos bellis, et singulos ita oppugnandos, ut universis conspirandi necessitas non imponeretur: hunc enim scopulum vitandum veterem ducem et assuetum christianis armis et ipsum sibi statuisse, et magnopere filio praecipisse. Selinum ut animo imbellem, ita ingenio tumidum et paterni praecepti et iurisiurandi, quo paulo ante foedus cum Venetis amicitiamque sanciverat, aeque contemptorem bellum iis movisse, et cum omnes homines, tum maxime Polonos edocuisse, quantum barbarorum fidei credendum sit. Quanquam nullum esse fidei, nullum societatis ius sanctum apud Turcas, non hoc primum tempore nos experiri, neque eorum perfidiae externa exempla Polonis quaerenda esse: se ne illud quidem recensurum, quod Bialogrodum ad ostium Tyrae

oppidum Polonorum olim ditionis, et duo item in Polonia oppida contra foedus communierint, antiqua haec esse, praesentia et nota censeri oportere. Superiori anno antequam illam navalem cladem accepissent, causatos nescio quam tributi pensionem, Scythas in Poloniam immisisse, quos transitu Boristenis non hiemis expectatio, sed novum Tyranni imperium, post amissam classem nihil irritandum in Polonia ducentis prohibuisse, illis rapacissimis feris Podoliae ac Russiae fertilissimos agros praedae futuros fuisse, nisi navalis illa victoria intercessisset. Scythico bello dilato, quo turbari aperte foedus videre poterat, Valachiam occupare aggressos esse, unde legitimo Principe expulso, nullius criminis praeterquam nimii in Polonos studii ac fidei reo, nequissimum servorum Tyranni, desertorem Christianae fidei infelici provinciae dominum imposuisse, Turcarum non impietatem modo, sed crudelitatem, avaritiam, libidinem exercentem, et quod Polonorum magnopere intersit, illorum iussis nutibusque servientem. Sigismundum patrem omnibus sapientiae laudibus clarissimum Regem magnam semper curam habuisse, ut is Valachiae imperaret, qui non modo Christianarum partium, si quando haec occasio, quam nunc habemus, incidisset, futurus esset; sed qui sibi et huic Regno certo foederis vinculo obstringeretur, et sui fines a Turcarum finibus illa interiecta provincia disterminarentur. Nunc Valachiae non addictum modo Turcis hominem esse impositum, sed inimicum atque infestum Polonico nomini, quod Polonorum armis copiisque Bohdanus eius aemulus ad se oppugnandum in Valachiam icrit. Hic utrunque Polonis pendendum esse, et an violaverint Turae foedus, quod circumcisum hominem dominum Valachiae fecerint, et an rupti foederis culpam in Polonos illi reiecturi sint, quod contra Tyranni voluntatem Bohdanum in provinciam armis reducere conati fuerint: nam quae de incursionibus incendiisque in Regno factis varie feruntur, minus nunc sibi disserendum esse; rem enim totam in eo verti, utrum Turcarum primum, deinde Polonorum facto pax turbata ac rescissa sit, aut quid de eo Turcae ipsi existimaturi sint. Edendum quippe Polonis fore publico ne consilio, an privata necessitudine Bohdanus polonicis copiis in Valachiam deductus sit: si publico consilio factum fateantur, violatam pacem eversumque foedus esse, sin culpa in privatum conferatur, ne ipsos quidem Turcas, ubi commodum fuerit, sanctum id foedus habituros, cum intelligent frustra sibi cum Polonis publice coli pacem, si eam turbare privato noxae non sit, daturosque operam esse, ut nec privati consilii specie eam provinciam tentare Poloni posthac possint, ut dubitari videatur posse, utrum satius sit, ut Turcae pergant nunc, ut coeperunt, Russiae bellum inferre, an dissimulata iniuria Cothino, Valachiaque recepta, ultionem in aliud tempus differant. Si dissimulent, qui superbe et scribere et imperitare pro insita barbaris animis ferocia soleant, eo magis suspectos esse habendos, quo blandius praeter eorum consuetudinem agent: quid enim aliud insolentem in barbaris comitatem clementiamque significaturam, quam eos Polonorum occasionem hanc tempusque non suum putare, et tanto plus odii atque irae in eorum pectoribus occultari, quanto temporis causa dissimiles sui fuerint? Interea Polonos, Valachia atque illo Regni claustro occupato, haud profecto in tuto suam libertatem esse habituros, cuius in conspectu constitutum iugum cernent. At ne illud quidem existimari debere, Valachiam per se peti a Turcis, cuius Reguli stipendium iis multos iam annos sine recusatione penderunt, sed illum in Poloniam gradum praeparari, illud Polonis iniici fraenum, et ne quid in ea provincia auctoritatis habeant, praecaveri, atque hinc illam expulsionem innoxi adolescentis, cui quid praeter Polonicam amicitiam obiectum esse? Ne expectarent dum Cothino occupato, non solum omni spe Valachiae Poloni in perpetuum excludantur, sed Podoliae et Camenecio, ut nihil de Pocutiensi tractu dicat, timere assidue cogantur, et frequentibus barbarorum incursionibus ac populationibus desertam brevi vastamque fertilissimam Regni partem videant. Nam si proximis superioribus annis Alexandrum Valachum ad recuperandam Pocutiam solicitatum a Turcis fuisse constat, quid nunc facturos ipsos, cum Valachiam in sua potestate habebunt? Haec cum ita sint, etsi expetendum bellum non sit, tamen sapientius facere eos, qui cum eius necessitatem impendere videant, antecapiunt ipsi tempus et sua opportunitate utuntur, quam qui procrastinando ac dilatando suam occasionem hostibus tradunt: prudentium enim esse imminentia prospicere, ut occurrant, impendensque malum remediis antevertant. Datam Polonis esse occasionem, qualem maiores sui saepe expetiverunt, eam si elabi negligentia patiantur (falsus utinam vates sit), futurum, ut sero eos cunctationis huius poeniteat, sero se vera monuisse praedicent. Sigismundum patrem dicere solitum nihil se in vita magis optasse, quam ut hanc diem videret, cum consentientes Christiani Principes communi consilio arma in Turcas inferrent; tum profecto se omnibus hominibus testatum facturum voluntate ne, an necessitate Turcicam amicitiam coleret, huic voto illam ab amantissimo gentis suae Rege subiectam fuisse vocem, si frangendi barbaro-

rum opes facultas sibi negaretur, florentissimum quidem se atque auctum posteris suis Regnum, sed idem immani Turcarum potentiae obnoxium relicturum. Nimirum intellixisse inveteratae prudentiae senem, nunquam Polonos in stabili et explorata libertate futuros, dum Tyrannum natura hostem, tempore modo non inimicum tam infidum, tam validum, tam propinquum haberent, et versuram aliquando in hoc Regnum barbarorum tempestatem, quam hactenus varii temporum et cupiditatum impetus alio avertissent. Hoc clarissimi Regis vaticinium atque hanc de Turcico bello sententiam vel charitate optimi Regis, vel auctoritate sapientissimi viri plurimum apud eos ponderis habere debere, ut oblatam facultatem stabiliendi, et sibi ipsis et posteris suis libertatem ne omittant, nec se duci specie falsa societatis, qua Polonos, dum aliis bellis distinentur, illigatos habere student, patiantur, secum geri quemque existimare debere, quodcumque cum Christianis ab illa gente geritur bellum. Polonis quidem satis causae fuisse videri, cur arma in Turcas sumerent, seque caeteris christianis populis iungerent, communis exitii periculum: quid vero eos morari post partam eam victoriam, qua pulsus possessione maris hostis, terrestrium copiarum robore, maritimis oris, quantum Graeciae, quantum Asiae atque Siriae littora ambiunt, custodiendis praesidiisque collocandis, dissipaturus sit? ut si qua classibus, qua terrestribus exercitibus ex Ungaria, Polonia, Dalmatia christiani Principes aggrediantur, dubitari non possit, quin brevi exacturi Europa barbaros simus. Hoc vero esse illud bellum, quo aut excutiendus servitutis metus, quo nimium iamdiu urgemur, aut spem in perpetuum abiiciendam hac nos amplius cura liberandi. Si nullum esset inter Christianos foedus, nulla adversum Turcas societas, neque Poloni ad eam nunc invitarentur, et bellum iis moveretur a barbaris, a quo profecto haud longe absunt, utrum vires Polonis eas esse, quibus sustinere tantam vim belli sine aliorum ope possint, an si soli relinquerentur, impares tam immani potentiae fore? Si tantum virium habent, ut suis copiis confidant se bellum posse cum Turcis gerere, quam gloriae aut salutis facultatem maiorem expectare eos, quam cum ab universa Christiana Republica propulsare periculosissimum bellum possint, et cum singulari fama Polonici nominis imperii sui terminos longissime proferre? Sin resistere ipsi, invadentibus se toto conatu belli Turcis non posse solos intelligunt, profecto aut concedendum iis in voluntariam servitutem tum foret, aut aliorum imploranda auxilia et singuli adeundi et rogandi Reges et ad societatem belli contra communes hostes excitandi. Quod si iis Deus iunctum inter Principes foedus tum offerret, certe pro summa id foelicitate ducerent. At non solum Principum foedus, sed clarissimae victoriae fructum, si uti sciant, eos nunc esse habituros: at cuius victoriae, qua hostes imperio maris, quo Europae imperium contineri, omnium saeculorum iudicio constat, depulsi sunt. Quod si nos parta victoria, victoriae fructuum cunctando et extrahendo tempus, corrumpimus, et Turcam reficere maritimas vires et amissam maris possessionem repetere sinamus, haud profecto se scire, an non vicisse praestaret: nam hostem, si cessemus, et multo infestiorem et aeque validum nos esse habituros, nec quemquam periculo propiorem futurum, quam qui terra maxime opportunus hosti fuerit. At bellum Poloni cum Turcis nullum habemus. Se vero Deum precari, ut hoc eis vere diuque liceat dicere. Sed ex his, quae proxime in Valachia gesta sunt, vereri se, ne aut opinione sua maturius transisse Tyram hostes accipiant, aut motum in Turcarum animis bellum Poloni tamdiu non sentiant, donec tanquam ignis admotus cuniculo paulatim serpens in magnum mox incendium ruinamque erumpat. Notam esse barbarorum superbiam, notam immanitatem, ut non solum, qui resistunt eorum voluntati, sed qui non parent, pro hostibus habere soleant. Cum vero etiam adversantibus ipsis reducere armis in Valachiam Bohdanum Poloni conati sint, utrum vindicaturos bello hanc iniuriam fore eos, an effrenatam arrogantiam cohibituros putamus? Si bello abstinebunt, id quidem aut voluntate eos, aut consilio ac necessitate esse facturos. De eorum voluntate dubitare posse neminem, qui saepe nulla re lacessiti, multa hostilia in Polonos machinati sint: ergo ne de eo quidem dubitari debere, quin cum impediti non fuerint, bellum repetituri sint, quod necessitate, non voluntate omiserint. Et tum quidem hoc ipso paratiores fore, quod Valachiam in potestate habebunt, quam interea operibus communient firmabuntque praesidiis, et si desides et nihil se commoventes Polonos viderint, Transilvaniam in eandem servitutetem trahent, et Regnum hoc ita cingent finibus armisque Turcarum, ut Poloni saevissimum hostem semper in cervicibus habituri sint. At multa eos a tanti belli decreto deterrent. Primum nulli magno negotio aggrediendo non multas oboriri difficultates solere, quas ipsum postea agendae rei studium tollet; deinde cum incensa ardet domus et urgens constrepit flamma, neminem, ut se comparet, ut se ornet, cunctari, sed vel nudum vel aegrum corpore quemque se, quantum potest, periculo proripere. Hostem in finibus esse ingressum etiam ac depopulatum propinquos

agros, sive pergat vim inferre, prohibendum sive inhibeat, et se in Valachia contineat, timendum multo magis esse: nam tamquam aries maiori postea impetu ex ipso receptu inferetur. Itaque Polonorum deliberationem nunc esse, non utrum pacem an bellum habeant, sed utrum suo, an hostium tempore suscipiant atque gerant bellum; utrum impedimenti malo obviam eant, distractae comminutaeque vires Turcarum haud dubiam victoriam pollicentur, an quiescant, ut sine ullius gratia victoris praemium sint. At renovabimus cum Turcis pacem, novumque ab iis iusiurandum accipiemus, scilicet eos aut iura foederum aut fidem societatis respecturos esse: non hanc barbaris religionem, qui nullam, nisi quae eorum potentiae serviat, aut divinam aut humanam legem norunt. An Venetos satis documento omnibus non esse, ut et nostrae et superioris memoriae exempla taceantur, quantum Turcarum fidei sit credendum? Habendum aliquando Polonis esse hoc bellum, neque differendo averti, sed ut cum validiore et paratiore hoste geratur, fieri: haud enim profecto paulo magis huius Regni dominatum, quam Cypri barbaros concupiscere. At quosdam etiam esse, qui hanc etsi incertam, praesentem tamen pacem belli consiliis anteferant, et hac ipsa temporis usura frui, quam se praepropere in tantam curarum molem coniicere malint. At quodnam temporis commodum, ubi omnia hostis arbitrii sunt, et eius hostis, qui cum pedem moverit, universam illico ardere bello Russiam videas? an belli curas Poloni ita refugient, ut in ancipiti semper metu versari, et salutem obnoxiam alienae libidini ducere se non sentiant, et si sentiunt, non servitute gravius ferant, non vero libertatem suam vel morte vindicandam putent? Non igitur ullum esse cunctationis fructum, qui etiam si esse aliquis, tamen alienum prorsus videri a dignitate huius gentis et tot clarorum virorum virtute, ut declinantes ipsi in praesentia periculum et infida pace fruentes, id agere videantur, ut omnem belli tempestatem in liberos suos reiicere possint, quod tamen ipsum consecuturi non sint. An domi quisque pater familias, ut patrimonium filiis explicatum constitutumque relinquat, et ne qua lis, ne qua controversia eos turbet, tanto studio opereque solicitus laboret, Senatum, qui patriam curam omnium gerat, ut communium liberorum ac posterorum saluti et incolumitati prospiciatur, et tuta iis atque integra libertas relinquatur, non aeque anxium curaturum? Sed esto, nullum sit ab Turcis periculum, certum exploratumque Poloni habeant, habiturique sint pacem. Ipsam esse huius Reipublicae rationem ita ad belli artes et militiae decus omnem institutam, ut verendum magnopere sit, ne quid diutina pace depravetur, ut enim validum ac robustum corpus, si in ignavo atque inerti otio habeas, contabescere, et in graves morbos incidere, ita Respublicas, nisi in iis artibus retineatur, ad quarum studia institutae sunt, tanquam humanum corpus aegrotare et luxu atque licentia corruptas, graves seditionum et discordiarum morbos contrahere, cuius mali multa Poloniam concepisse semina, ipsos melius intelligere. Horum omnium incommodorum hanc ipsam occasionem medicinam praebituram esse, hunc enim Polonorum curriculum, hanc exercitationem semper fuisse, hiis studiis convaluisse eos, et robur hoc tot provinciarum in unum Regnum corpusque subactarum assumpsisse, scilicet priscos illos, a quibus parta haec sunt, non domi in conviviis, sed in castris, in laboribus iuventutem habuisse, nec ullam apud eos praestantiorem laudem quam equitando, iaculando, impigre militiae munera obeundo aequales superasse, atque his artibus ad eam gloriam pervenisse, qua et vicinis gentibus terribiles et longinquis honorati atque illustres fuerunt. At ne haec quidem ipsa revocandae veteris disciplinae et conservandae Reipublicae iusta belli causa sit, ut sibi in publicam christianae fidei causam pro communi salute descendendum non putent, cogitare quidem certe Polonos debere, sua ne intersit Christianos vinci aut vincere Principes; si iis subactis ne caeteros quidem salvos fore intelligant, illis si non eorum, sua certe causa Poloni auxilium atque opem ferant, ne si ii ceciderint, hoc quoque Regnum eodem afflictum casu ruat. Quod si victores nostri futuri sunt, cur non multo libentius, promptiusque eadem arma, eundem conatum ad victoriae societatem conferant, quem fulciendae ruinae adhibere debuerant? Regem Lusitaniae nuper quamquam in ultimis Occidentis oris ab hoc hoste longissime absit, tamen pro Christiani nominis gloria, pro communi salute haud cunctanter in belli partem concessisse. Sed Polonos ad se excitandos externa exempla non desideraturos, si maiorum suorum facta revolverint, qui pro laude ac decore gentis magna saepe bella et fortiter susceperunt, et constantius etiam gesserunt, itaque ne eos quidem debere segnes ad tam pium, tam salutare bellum esse, et hanc posteris suis de se opinionem relinquere, quod non solum propagandi imperii tantam facultatem praetermiserint, sed firmam stabilemque a maioribus suis acceptam libertatem, incertam iis et obiectam immanissimis barbaris tradiderint. Quin potius memores rerum a maioribus suis gestarum, memores maximorum Dei in se beneficiorum, haec corporum atque animorum robora, tantam hominum, equorum,

commeatuum, rerum omnium copiam Deo ipsi grati memoresque reddant, atque ipsum Deum iubentem capessere praeclaram occasionem, quam iis debellandi hostes christiani nominis aperuit, audiant, et si deserere patriam, deserere parentes inexpiabile nefas ducimus, reputemus animo, quo scelere nos obstricturi simus, si Iesu Christi causam negligamus, qui mortem cruciatusque nostra causa non recusavit. Postremo ipsum orare Iesum Christum Deum atque obsecrare, ut Regis ac Senatus mentem in tantae rei deliberatione ita regat, ut nihil, nisi quod cum ipsius Iesu Christi Redemptoris nostri gloria, cum huius Regni amplificatione, cum Regis et totius gentis dignitate coniunctum sit, statuant, ut aliquando non infidam et alieno arbitrio obnoxiam pacem habeant, sed libertate stabili suisque nixa viribus et ipsi fruantur, et posteris suis tradant. Varsavia IIII. Idus Maii 1572.

Litt. divers. Poloniae Tom. I. fol. 13.

DCCCXI.

Episcopus Plocensis nuntio apostolico desiderium eum visendi exprimat, et regem valde aegrotare significat.

Rm̃o Sig. mio Osservandissimo.

M' allegro molto che Vostra Signoria Rm̃a si è partita di Varsovia, di quella cattiva aria, et si trova a godere la bella aria di Rasni et la dolce compagnia del nostro Sig. Custode, ma io m' harei molto più allegrato, se ella si fosse degnata venire in Pultovia, si come ella m'havea promesso, benchè anchora non desperi, che ella mi farà questa gratia, et lasciaramisi godere per alquanti giorni, benchè non ci siam troppo sicuri della peste, perchè sino a qui sono serrate otto case appestate dentro alla terra, ma perchè vi si fa molta diligenza per provedere che questo male non passi più oltra, et perchè io sto di fori della terra in loco molto allegro, penso che Dio ne guarderà et libererà di questo male.

Del bene o male stare di Sua Maestà altro non so, se non che passando per Pultovia la domenica passata uno che partì di Knisina Venerdì mattina mi disse che Sua Maestà stava molto male di febre calda, et che tutti i medici molto eran travagliati, et massimamente uno che venne novamente di terra Tedesca, il quale a tutto si disperava: il che Dio non permetta anchora di questi tempi tanto travagliati, et conceda a Sua Maestà lunga vita per lo commune bene di questa corona.

Io la Dio gratia sto molto meglio della mia mano, che m'era tanto gonfiata et infocchata che ne hebbi molta paura, et per questo volea mandare in Varsovia per un dottore, ma poi dubitando della peste di Varsovia, mi medicai col conseglio d'un medico da contado. Et alla Vostra Signoria Rm̃a bascio le mani, offerendomele ad ogni suo commando, et pregandole ogni felicità.

Se io haverò altra nuova da Knisina non mancherò di dargliene aviso. Mi fu scritto dalla corte pochi giorni sono che venne nova alla corte per avisi della posta, che il Castelnuovo era preso da nostri. Di Pultovia a 3 di Giuglio 1572.

Di V. S. Reverendissima

Obligatissimo servitore
P. Mischovio Vescovo di Plosca.

Nuntiatura Poloniae Tom. IV. fol. 69.

DCCCXII.

Responsum magni ducis Moschorum ad dominos senatores regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae et adhortatio.

Dum venissem vocatus ad Serm̃um Magnum Ducem Moschorum, accepi responsum a Felice Fieikowicz Cancellarius eius in hacc verba.

Venisti huc atque comparuisti nostris aspectibus missus a Magnificis tuis dominis Polonis et Litwanis, obtulisti denique eorum litteras, quas nos serio mandavimus coram nobis legere, quorum etiam tenorem ad unguem intelleximus.

Scribunt domini Poloni atque Litwani, significantes nobis voluntate ac nutu divino fratrem nostrum Sigismundum Augustum divina gratia Regem Poloniae et Magnum Ducem Litwaniae iam debitum naturae persolvisse, quanquam et nos hac de re aliquantulum fama perceperamus, tamen huic rei non protinus fidem adhibueramus, non ignorantes nuntios multa posse novitatum differre variaque loqui: tametsi nos ex divina gratia hucusque perbelle vivamus, iamque mortuum esse fratrem nostrum, nulla apud nos erit deinceps dubitatio, licet fratris nostri mors non modicum nobis attulerit dolorem: eoque ampliore perangor dolore, quoniam Deus Opt. Max. fratrem nostrum hoc pacto ex hac calami-

tosa vita ad coelestia Regna transferre voluerit: nam per mortem huic mundo valedicens, neque germanum, neque filium post se, qui de eius anima et corpore summam curam atque diligentiam adhiberent, reliquit, qui inquam praedicto negotio operam fidelem navasset, donec novus Rex terrarum provideretur.

Et tametsi sciam, eum duas germanas seu sorores dereliquisse, quarum altera iam matrimonio iuncta, sed ipsemet videat rationem ipsius vitae; altera autem est celibem vitam actitans, cui nullum tutorem reliquit: verum tamen ipsius curam et providentiam solusmet Deus suscepit.

Porro vestri domini tam Poloni quam Litwani sunt anacephali, hoc et absque cápite, et licet in Regno Poloniae et in Ducatu Litwaniae multa extant capita, sed unico et sano capite carent.

Et quoniam cum fratre nostro Sigismundo Augusto haud brevi tempore hostilem animum tragediasque multas gessimus, proximum tamen erat, ut inimicitiis finitis, cum eo foedera, pactio atque amicitiae, antequam exhalaret extremum spiritum, inchoata perpetua vix non inieramus, quanquam et modo, posteaquam fratrem nostrum ad sua Regna coelestia Deus exceptum esse voluit, eadem foedera ex animo noluerim esse violata: nunc vero nemini non constat, quod christianorum dissidiis et discordiis manus gentium extollitur, christianorum autem manus seu fortitudo deprimitur, sanguis eorum innoxius effunditur. Hinc inde dynastes ex quo nunc vel maxime opus habent Monarcha, quid oro nocebit, si eo consulant me in suum Monarcham eligere? Atque ipsi fecissent periculum, quantum suae terrae et protectorem et benevolum liberalissimumque dominum me possedissent, adeo inquam, ut neque pignorum fortitudo, sed neque Roma seu quodvis Imperium nostro Imperio possit facile coaequare, ne dicam superare? Quod si summus rector Deus Opt. Max. id dederit et fortunaverit, ut isthaec duo permaxima dominia in unum Imperium coalescant, quid putatis, quanta inde gloria utrique dominio accessisset?

Et quanquam sint multi in Regno vestro, qui asserere non dubitent, quae est ista gens Moschorum; est sane barbara, inculta et fera, fateor id ingenue, concedam me esse ferum atque malum, qualem naturam, imo et vitia in me ipso commendata minime esse volo: sed age, quibus ego sum dicarque ipse malus, respondeo iis, qui adversum me data opera extant malitiosi, iisdem ego oportet sim malus; qui vero erga me bonitate sunt praediti, quive meis placitis morem gerunt ex animo, neque illi aliud ex me expectare debent, quin etiam id, quod in collo nostro pendeat, servo nostro morigerulo largiri libenter sim paratus.

Stans autem Molutha Marschalcus penes tribunal Principis respondit: Piissime Caesar et Maxime Dux verissime, omnes correptiones a Maiestate tua subditis tuis illatae sunt quam aequissime, nullam habent iniustitiae admixtionem, pro cuiuslibet meritis remuneras abundanter omni suavissimo osculo; si vero e contra aliquorum demerita videas, non sinis esse ea inulta.

Ad haec respondit Princeps: Bene perspectum et planum habeo, quoniam dominis Polonis et Litwanis de divitiis proavi ac patris nostri satis superque constat: at vero ego quemadmodum a proavo et patre nostro longe absim, ita utrumque divitiis ac potentia vel maxime supero: sed ita vestris dominis aequum erat loqui, qui neque suos subditos diligunt, neque a subditis diliguntur.

Venerat tandem nobis pugnandi extrema necessitas cum Thartaris, contra quos Kminski cum quadraginta millibus equitum, adiunctis ad eum sex Palatinis cum propriis copiis, mandaveramus facere expeditionem: qui mihi nullam victoriam retulere. Et licet magnum dolorem animi incurreram, tantam multitudinem suorum militum desiderans, verum tamen facile Kminski donavissem suum reatum, neque a me ita accusaretur inertiae, neque diceretur rerum bellicarum ineptissimus, si unum vel duos Scythas loco predae, aut saltem eorum flagellum secum attulisset: ea enim ratione sedassem adversus istos ignaros campiductores omnem meam indignationem. Hinc factum est, ut iidem Thartari, in fugam converso nostro milite, sese receperant in ditiones et dominia nostra, tandem incredibili quadam pervolantes velocitate urbem nostram primariam dictam Moskwa obsederunt, ceperunt et Vulcano dederunt. Quae nunquam eo calamitatis devenisset, si ad minus mille expeditorum militum in ea praesidii loco et defendendi gratia fuissent subordinati: sed quoniam tale damnum nos iam incurrisse planum testatumque est, satis concedendum venit. Haec est itaque impiissima ratio, cur dicar in meos subditos ferus atque malus.

Rogo, num proditores tantum in albo subditorum meorum offendisse licet? an etiam vestra Vilna proditoribus non scatet? Fuit non pridem adeo apud nos quidam Victor, qui nobis aliquoties lit-

teras amandaverat clam, sed nos pro gravitate nostra nihil responsi ei dabamus, quamquam nescio qui nebulonum affirmare inter vos praesumebant, ac si ego fratri nostro Sigismundo Augusto eidem Victori consuluerim debere per imposturas vitam esse adimendam: at tantum scelus, in nomen Domini et in Crucem Crucifixi iurans, numquam venerat mihi in mentem, neque dictus Victor hoc scelus a nobis perpetrandum dicebatur, vestrorum etsi nonnulli affirmare videntur, ac si nobis idem Victor litteras, attramento prius ex allio confecto exarare debuisset, quas nos numquam vidimus. Huc tandem proventum est, ut idem Victor caperetur suaeque perditionis iustam mortem subire cogeretur. Hinc nobis colligere oportet, non modo in vestris, sed etiam in nostris terris posse plurimos proditores offendisse.

Quare si vuluntatis erit Divinae, domini etiam Poloni si concordi consilio id spectaverint, nosque in suum dominum elegerint, atque hoc nomine suos legatos solemnes ad nos miserint, factis primo iuramentis, quidquid a nobis postulaverint, sunt facile impetraturi, neque aliquid tale futurum erit, quominus pro nostra clementia illis simus parati donare.

Quod si ita visum fuerit divinis placitis, ut domini Poloni et Lituani pueros et liberos suos ad nos et ad liberos meos servitii gratia mittendos operam dabunt, probabunt me revera illis esse et fore dominum clementissimum.

Non mirentur obsecro domini Poloni, quod proditores nostri varia nobis crimina impingant, quoniam huiusmodi perduellos, quemadmodum et alii, qui hostile pectus contra nos gerunt, nihil praeclari de nobis fateri poterunt: facile ego ante conspectum dominorum Polonorum et Litwanorum meae innocentiae bonam rationem sum daturus, modo vicissim precatos esse volo dominos Polonos, quam accuratissime observent, ut si eligar in eorum Monarcham, profugis nostris, qui vel in Polonia vel in Litwania degunt, fugam praecludant, ne videlicet antequam ego a criminibus illatis purgationem faciam, ipsi vel ad Thartaros vel ad Turcas deficiant. Quod si fecerint eam rem Poloni, per nomen Domini illis promittimus, nihil adversitatis nihilque poenae nos illaturos velle predictis profugis. Quemadmodum etiam et locupl . . . . est inventurus iustam causam, cur a me defecerit, et quod indignabundus illi extiti, ipsemet maximam occasionem praebuerat: hinc conscius sui nefandi criminis, fuga eum consulere propriae vitae oportuit.

Quod autem attinet ad terram Liwoniae, facilis est ratio: si enim diis placuerit, ut in Monarcham omnium suffragiis augurer, ac tutum promittam, ut Liwonia et omnis terra Moschorum, Novogrod et Pskow deinceps computentur et habeantur pro uno. Praeterea si adhuc domini Poloni et Litwani damni sui meminisse vellent, quod retulerunt ex amissa Poloczko, ego hoc nomine Poloczko cum omnibus adiacentiis manufaciam, quin etiam nunquam me visurum Poloczko promitto, modo mihi cedant Liwoniam usque ad fluvium Dzwina.

Faciantque pacta inter populum nostrum et Litwanos, ut id quod nunc domini Poloni et Litwani aequum et necessarium statuerint, sancte se perpetuis temporibus observaturos promittant. Quandoquidem ego et in filios meos sum excommunicationis sententiam laturus, ut cum Litwanis nunquam bellum inire auserint, quamdiu haec genealogia perseverabit.

Quod autem attinet ad filios meos, ii mihi tantum duo superstes sunt, quemadmodum in uno capite sunt tantum duo oculi: filium autem in mea praesentia paterna longe ablegare perinde foret, ac si cor vi magna de corpore humano abriperetur.

Extat denique in Regno Poloniae et in Ducatu Litwaniae doctrina Martini Lutheri haeretici, sunt quoque plures discipuli, quibus nos pro domino asserere et nominare minime placuit. Quandoquidem scriptura divina non est discordiae et dissensionis, sed pacis, D . . . . nihil loqui duxi, quin potius ha . . . .

At vero mittantur ad nos Nuntii solemnes, qui talia nobiscum componere norint, praesertim Andreas de Krotoszyn, Ostafium et Georgium Czyskowic.

Praeterea quia domini Poloni et Litwani a nobis exigunt, ut illis foedera pacis, maxime sub interregni tempore usque in finem inviolabiliter observem, atque et litteris nostris id ipsum confirmem et planum faciam, promitto me id usque ad tempus congruum custoditurum, tibi litteras, quas petis, luce crastina daturum.

Nuntium tandem a dominis Lithwanis missus sua negotia in conspectu Ducis Moschorum peragens, iis auditis, exivit. Quem protinus insecutus est Molutha Marschalcus, eumque his verbis est

allocutus: Curent domini tui, ut quantocitius suos legatos ad dominum meum mandent gratia necessariarum rerum componendarum, ne si quid secus veniens in nos fatam suam referant.

Arm. XIV. Caps. 6. Nro. 37.

DCCCXIII.

Excerpta ex litteris Vincentii a Porticu durante sua legatione in Polonia ad Io. Franciscum card. Commendonum scriptis.

All'Illm̃o et Rm̃o Sig. et Patron mio colm̃o il Cardinal Commendone a Vienna.

Illm̃o et Rm̃o Sig. et Patron mio colm̃o.

Lasso giudichare a V. S. Illm̃a et Rm̃a quanto mi sia stato grato l'avviso del felicissimo et sperato successo della sua legatione, lo ho conferito con Sua Maestà Regia, con la quale anche havendo questa mattina fatto l'officio che mi commette, si è tenuto quelli honoratissimi propositi del valore et virtù sua che sogliano essere grati quando occorreno alli affetionatissimi servitori, come veramente le sono io. Monsig. di Plosca non è qua, ma in Pultovia per il Sinodo o Conventione particulare: non prima lo vederò che farò l'officio che desidera, come farò anche con tutti li altri con ogni studio et affetione.

In questa vicinità non solo mi piacerà, ma mi reputerò gran felicità poterle dare ragguaglio delle cose di qua. Dico adunque quanto al Capitaneato di Polonia Maggiore, che per quello si è cavato da Sua Maestà in li molti officii fatti et da me, et dal Rm̃o di Cuiavia quando era qua, è dato a un Catolico, et alla dieta si scoprirà il vero. Fin adesso non si è divulgato che il sig. Mieleski per Castellano di Cracovia che è Catolicissimo, et il suo nipote fatto Castellano Camenacense, che è pur Catolico, et il Castellanato Medirecense al sig. Stanislao Spolski, et il Castellanato Siradiense al sig. Dembiski, et il Castellanato Zarnoviense al sig. Signiski, et il Castellanato Sandecense al sig. Herburt, che secondo si intende sono tutti Catolici. Piaccia a nostro Signore Dio che così si proveda alli altri. Dubito bene che qualcuno sarà di luterano, ma questo dove per ordine di successione de gradi per non far fregio ad alcuno, Sua Maestà non intende adesso innovare che tanto mi ha replicato, dicendo però che non sarranno molti, nè de buoni, et che dopoi a poco a poco mi contenterà.

Si fece una revisione de'libri lutherani, et se ne trovò più di 150, et si tengano sotto buona custodia. Si cacciò quel francese di S. Francesco con toglierli molte cose prohibite.

Si è fatto fare tre sententie in servitio delle decime contro li Luterani che omnino le paghino, et è stato con infinito contento delli Vescovi et Arcivescovi.

Si è fatto mandare Commissarii a Elbinga per trovare tutti li eccessi temerarii usati contro li Gesuiti, et punirli severamente con un precetto penale contro li Magistrati, che si procederà contro di loro se non provederanno in modo che vivino quietamente, et lì le cose passano bene. In Gedano il medemo con molte condannatorie, ma per anco non sono admissi in Gedano.

Si è fatto chiarire che il mettere parrochiani et rimuoverli et provedere a Monasterii non è officio nè cura, in la quale li Palatini o Castellani se ne possino impacciare, ma solo li Vescovi, che di già havevano intrapreso molte cose che sono state stornato.

Molti mostrano essere diventati Cattolici con venire in chiesa con Sua Maestà, et inginocchiarsi al Sacramento che altramente non sariano tollerati.

Sua Maestà si contenterà che li Vescovi ad ogni richiesta possino havere il favore del braccio seculare pro correctione morum sotto pena aplicanda fisco Regio, et che il Nuntio Apostolico possi fare et domandare undique per Poloniam il medesimo: et inoltre che lo possino tenere da loro, et che non ne siano impediti come era al tempo antico che si chiamava il famulitio Curiale, et il medesimo possi fare il Nuntio di detto famulitio che sarrà cosa importante.

Del denaro di S. Pietro si è trovato l'intero, di quanto si desiderava, et non vi sarrà molta fatica a reintegrarlo.

Questi sono negotii formati et esequiti secondo il prudentissimo antivedere, che mi dà il mio Rm̃o et Illm̃o Commendone. Ce ne sono molti in speranza post dietam et non prius da formarsi.

Lo stato della Corte è tutto mutato, et chi poteva il tutto non può niente, et di molti la benevolenza è convertita in poco amore, il Gialinski laico ammogliato è ogni cosa. Sua Maestà pensa a ritirarsi di molte cose superflue, la Serenissima Infante è devotissima, relligiosissima e amata universale da tutti, et saria opera veramente pia a pensare al fatto suo per servitio della Relligione Cattolica per la

successione del Regno. Io son visto volontieri, udito volentieri, non ho da mendicare audienze, et Sua Maestà pare che mi creda più che non merito assai assai, et parlo quando voglio, et spesso spesso si passa le tre hore di audienza, et conferisce meco confidentemente, et ragiona familiarmente, et lo dico per satisfarli poi che è cosa molto notoria. Il resto sta sicut erat in principio suo temporum. Et con dolcezze, con destrezza, con ogetti di utili, aliud agendo potius quam ex professo, sperare quale cosa di buono. Non perdono nè a fatica nè a spesa alcuna: della buona gratia di Sua Maestà et de' primati non ne dubito. Confido in nostro Signor Dio che non abandonerà un Ministro che agit causam suam cum sinceritate et integritate, et quel che non faccio è per più non potere o sapere. Eccovi lo stato et di qua et mio. Resta che potendo senza rossore aiutarmi assai assai, lo facci con quella prudenza et prontezza che sa, puole et è proprietà sua, perchè sarrà impiegato in suo amorevolissimo servitore, et che non dubiti punto che il Sig. Prospero et D. Ruberti mi saranno pienamente raccomandati, come sono molto amati da me sì per la infinita modestia et bontà loro, come per esser degni servitori di Vostra Signoria Illm̃a et Rm̃a, con li quali spesso si tiene dolcissimi et suavissimi propositi della diligenza et amorevolezza sua. Eccoli, Monsignor Illm̃o et Rm̃o, in confuso lo stato delle cose di qua insieme con certi avvisi del Turco che forse li piaceranno o per Venezia o per costì. Mi scusi se non entro in altro che mi parrà passare il Sum Pius Aeneas, che pur troppo l'ho fatto per obedirla, che nostro Sig. Dio la feliciti et conduchi sana a Roma, dove se non mi aiuta sarò forzato a pensare a farmi Iesuita non per disperatione, ma per quiete di animo et intera cognitione delle imperfetioni del mondo.

Se li avanzasse un cuoco Italiano o qualche buon palafrenieri li posso dare luogo per avviso et anche un Cappellano Cattolico et da bene. Fra quattro giorni Sua Maestà partirà et all'antivigilia di Natale sarà in Lublino, et si canterà la messa solenne per il principio della dieta con una comunione publica, che tanto Sua Maestà mi ha ragionato di voler fare. La Corte di già è quasi tutta partita. Di Varsavia alli 2 Dicembre 1568. etc.

Lublino, 2 Marzo 1569.

L'Unione ha havuto per fine la partita del Palatino di Vilna, dello Starosta di Samogitia gran Marescial della Lituania l'ultima sera di Febraro alle 5 hore di notte, insalutato Rege et aliis omnibus et anche del Vescovo Luceoriense con loro. Sua Maestà con questo sdegno pensa a molte cose, et quello seguirà, si saperà presto, a me pare che li sigg. Polachi habbino acquistato assai con la chiarezza dell'animo di sua Maestà. Regia, con la quale sperano molte cose, et al securo le haveranno, piaccia al Signore che questo accidente che è spetie di tacita rebellione o disubidienza faccia aprire gl'occhi di sua Maestà Regia, et mirare li frutti di questi profeti novelli, et come a poco a poco vindicant sibi libertatem. Io non manco di mio debito in ricordare quanto conviene. Giunse il Revm̃o et Illm̃o Varmiense et peranco non è in la Città per mancamento di alloggiamenti. Non vedo l'hora che vi sia per consolarmi interamente in la bontà, pietà et scienza di questo sì raro subietto, et spero fra dui giorni vi sarà. Il Rm̃o di Olmuz che Vostra Signoria Rm̃a et Illm̃a mi raccomanda è pienamente sgannato di quanto con qualche causa et lei et lui temevano di me in quel negocio, et è stato facile con evidenza sgannarlo, perchè serbò sempre le lettere, et ha visto dove miravano, et quo instante io mi preparava a sì santa pia opera. Ben ricercho da lei usuram temporis, in quo aliud de integritate mea suspicata unquam fuisset, et appresso le dico a buon fine, che se haverò in questo Regno malevolenza alcuna fuora di heretici, delli quali non la curo punto, sarrà perchè et a me et a tutti di mia famiglia ho interdetto il prendere et accettare alcun presente da alcuno, et fin oggi posso essere, chiari tutti se sono qui per volere loro presenti o per honore et beneficio del Regno in tutto quello che si può in tante difficultà che portano li tempi, et tutto questo desidero che lo sappi et facci sapere a quelli della famiglia sua che forsi havessero havuto altra impressione da quelli che per le male qualità et vitiose nature loro non si sono saputi comportare con il vivere christiano, et hanno anticipato tempo sotto altri colori a partirsi per non essere dishonorati. Non dico del mio Cappellano che non è in questa data, ma di qualche altro che se non comporterà con altri, sarrà un giorno scoperto il mal procedere loro, il quale cerchano sempre di ricoprire con dire male di altrui. Tutto scrivo confidentemente, et le dico che se non scucino senza romor bellamente il 30 mese la ingordigia et altro di quello abbreviatore et procedere di dui altri, io ne saria restato con qualche rossore. Ringratio il Signore che sono pienamente cognosciuti qua et che non comporteranno a stare con alcuno molto tempo, se non mutano natura et costumi.

Qua li tempi vano cattivissimi et si dubita di peste, et quasi tutte le case hanno quattro et sei malati, et ne muore assai, ma di conto sono morti dui Nuntii et il Palatino di Russia. Io sono stato gravatissimo di catarro, et tossa che corre per la comune, ho quattro malati in casa, et ringratio il Signore sto assai meglio. Le neve sdiacciano in modo che li fanghi et fiumi non lassano portare molta robba, et la carestia ci assedia, della quale in tutte le cose si sente romore non piccolo, et è causa che molti et molti se ne parteno. Sua Maestà sta assai bene di corpo, di animo è travagliata assai.

L'ambasciatori dell'Imperatore offersero sua Maestà Cesarea per mediatore ad accomodare le differenze della Prussia con li Cruciferi, et dopoi prorogatione di tempo alli Comissarii per conto delle confini del Regno con le terre di sua Maestà Cesarea, et in secreto un abboccamento con sua Maestà Regia nel luogo dove più piacerà a sua Maestà Regia, et de Regina nullum verbum, perchè hanno trovato che le voci non hanno radice nè fondamento, come si pensava. Questa mossa tien sospeso assai li animi et non penso si risolverà sì presto, ben vedo che gioveria a molte cose a mio debol giudicio, et se sarò ricercho, come credo, ne darò il mio debol giudicio. Io non dubito se non di qualche disperatione di sua Maestà Regia, poi che omnes abutuntur modestia et benignitate ipsius, et impunitas et temeritas passim debacchatur. Si perservi sana et mi ami, come osservo et reverisco lei et mi raccomandi al sig. Secretario, et li ricordi quella nota delle visite che è l'ultima.

Varsovia, 15 Agosto 1571.

Si è fatta provisione in serrare molte strade, et si sta con gran timore per conto di peste, atteso che la peste si è scoperta di mala sorte in Przanisz, Castello discosto di qui quindeci leghe. Item in Racziasz, Castello lontano leghe sedeci. Item venuto nuova che il medesimo è in Piontech lontano leghe sedeci, et presso Cracovia miglia sei in loco ditto il Rus, ubi fodina plumbi. Nostro Signore Dio sia quello che ci aiuti.

L'ambasciatore del Tartaro è venuto con notificare la rotta data al Mosco per havere la mancia, et la dice come apresso.

Che hanno sacheggiato, brugiato et predato circa sessanta leghe in lunghezza et quarantacinque in latitudinem delli beni del Mosco.

Che possano havere morti circa sessanta mila homini in utroque sexu. Item fattone circa novanta mila de' migliori prigioni.

Che sono giunti fino in Moscovia, et brugiata tutta la Città et il Castello, nel quale si era ritirata molta gente, che di fummo deve essere morta.

Che circa cento venti pezzi di artigliaria non potendola portare, la hanno gittata nel fiume di Moscovia.

Che il Mosco si era ritirato in Sloboda Alessandrova, idest in Agro Alessandrino, distans a Mosca 18. miliaribus Germanicis, et stava al suo thesoro, che è securissimo per havere intorno il Lago bianco che lo circunda.

Vennero li ambasciatori di questo Serenissimo Re mandati in Transilvania, et portorno il legato fatto a Sua Maestà, et quello della Serenissima Infante l'hanno lassato alle confine, finchè con procura si manderà per esso, che fra tutti dui arriveranno fra mobilie, vasi d'oro et anelli et corone et stochi Regii, et altre mobilie di ornamenti di cavalli et tapessarie d'oro alla valuta di quattro in cinque centomila scudi.

Referiscono tutti li beni di questo nuovo Principe, et sopratutto che è buon Catholico, et ha messo in speranza tutti li buoni, et di gia ha fatto prohibitione ad un Francesco Davidis principale predicatore Ungharo eloquentissimo, che fu discipulo del Melanthone, che non predichi più. Et per che se ne habbi da andare, pensa rattenerli una provisione che se le dava dal Serenissimo morto di scudi mille anchor che li sia lassata in Testamento.

Si è trovato che quelli che vennero a dar nuova della rotta contro il Moscovita, non erano ambasciatori mandati dal Tartaro, ma particulari, che è venuto dapoi l'ambasciatore per la mancia che dicono loro essere ordinaria.

Varsovia, 23 Agosto 1571.

Si è verificata la depredatione del Tartaro contro molti luoghi del Moscovita fino in Moscovia, se non intera, in buona parte, et tutto è successo in assenza del detto Signore che era ito cinquecento leghe lontano al suo thesoro, et haveva seco il meglioramento delli soldati in luogo detto Laco bianco.

Da questa lontananza si causa che non viene avviso della mente del Mosco sopra il desiderare la Religione Catholica, atteso che quel homo che ne prese cura di dare tutto quello che si scrisse in mano propria a pena può essere giunto, essendo partito di qua alli x. Maggio che si calcula fino in Moscovia miglia mille novecento in duimila Italiane di qua, et da Moscovia a Lago bianco, dove si trovava et trova il Moscovita leghe cinquecento calculando miglia cinque Italiane per lega. Nostro Signore Dio lo conduca salvo et dia buon viaggio all' altro che è ito poche settimane sono, acciò habbi questo contento di saperne il vero.

Sua Maestà hebbe il suo legato di cose antiche et belle et di pregio, et ne mando copia. Alcuni stimano cinquecento mila la valuta, et Sua Maestà dice che non arrivano a ottantamila.

Vi resta il legato della Serenissima Infante che sarrà presto qua, che è di valore di settanta in ottantamila talleri, in mobilie, orecchini, ornamenti di donne; ma non sarrà bastante a farla stare contenta, poi che per il caso successo non si è potuta anche recconciliare con sua Maestà Regia con quanti officii vi si siano fatti, dico per conto di quella damigella che si avvisò costà a Sua Santità, ma il Signor Dio non la abbandonerà.

Varsovia, 27 Agosto 1571.

Non voglio anche manchare di dire, che questo Vaivoda di Valachia desidera sommamente apparentarsi in Polonia, et ha ricercho una figliola del Grancancigliero, et havendola consigliata meco li ho ricordato li pericoli che vi sono essendo della fede Greca di mutare spesso moglie, et alla incertitudine per essere sotto al Turco oltre la ricognitione di questo Serenissimo Re, in modo che si risolse volernela dare, se comprava beni in Polonia per centomila tallari, et si faceva Catholico, et come la prima conditione è accettata, così della seconda ne stanno in speranza; non vi si mancherà di diligenza. Il Signor dator di tutti li beni et motore delli cuori delli homini aiuti li tentativi che si fanno, et dia spirito et vigore a chi serve con tutto il cuore et fa quello che si può, et tutto a laude et gloria sua.

Varsovia, 12 Settembre 1571.

Il Re di Dania con molti legni et nave si trova una lega vicino a Dansico, et minaccia con dui navi piene di pietre grosse di volere empiere il porto, se non se le lassa la navigatione libera: cosa che si crede non farrà. Quelli di Dansico ricorreno qua, ma per anco non si vede provisione reale, et si dubita di rottura di guerra.

Varsovia, 19 Settembre 1571.

Quel Brandratta Trinitario che stava con il Transilvano ha inviato qua denari et altre cose suoi per venirsene in questo Regno. Et per entrare in gratia di questo Re ha scritto che quel Testamento del Transilvano che è rogato sotto li 29 di Agosto 1567 publicato non è il buono, et che in uno per mano sua li lassiti per Sua Maestà sono migliori assai; ma si tiene che sia espressa bugia. Ne parlerò vivamente con Sua Maestà, acciò non lo admetti nel Regno, ma dubito passerà con la universale confusione di molte altre cose, massime havendo denari da aiutarsi in corte.

Si spedisce un Ambasciatore al Tartaro (che fa instanza per li danni fatti in Moscovia, essere creditore di buona somma di ducati, et li vuole come tributo ordinario) con presenti et al Signor et alli figli per vedere se si può quietare et mettere tempo in mezzo.

Si spedisce anche al Re di Dania con presenti per indolcirlo et scoprire homori di tal guerra navale contro di Gedano.

Sua Maestà è entrato in sospetto che la Maestà Cesarea non li voglia stimulare il Moscovita addosso, et che non tenga fomentati quelli di Righa et Rivalia, che par non rendino obedienza alli Commissarii di questo Re, havendo inteso per certo, come li vien scritto, che la Maestà Cesarea habbi spedito un suo Secretario Thedesco chiamato Oberburger alli sopradetti luoghi, et di lì in Moscovia: sospetto che si giunge alla Livonia et Prussia et difficulterà ogni oggetto etiam della secreta intelligenza per la Transilvania per la clausula che vi era, salva tranquillitate regni et stante secura respondentia. La cosa fin qui va secreta con conniventia hinc inde.

Venne qua uno scrivano che stava in Moscovia con un Messer Arnoldo medico et interprete del Moscovita, et dè a Sua Maestà quanto che mando fatto tradurre di lingua polacha in latina, tutto per lume del procedere di quel Principe, se però si può interamente credere, essendo fuggito da quella parte insalutato domino suo, et presto manderò in materia Religionis con il negociato fin ad hoggi che non dispiacerà.

VARSOVIA, 19 Settembre 1571.

Sua Maestà è stata quattro giorni indisposta di calculo, et adesso è alquanto respirata.

La peste fa notabile progresso in tutti li luoghi particularmente adnotati nell'incluso foglio, et per questo si diferiva per necessità la dieta fino passato l'anno presente, et potria dopoi andare a quadragesima, secondo che li tempi porteranno, et tanto è comune opinione, et anche conseglio necessario delli sigg. Senatori, non si potendo congregare alle diete particulari che debbeno precedere di otto settimane in circa, et il Rm̃o Arcivescovo dice che anderà talhora più oltre di quadragesima. Che da quattro giorni in qua per l'avviso della peste scoperta anche in Vilna con molto progresso sene è fatto queste risolutioni, tanto più quanto il tempo va humido senza segnio di freddo, tutto per avviso secondo il comune giuditio di tutti li Curiali.

La carestia seguita, ma non è universale, in corte però è ordinaria, et in questi tempi estraordinarii si fa sentire notabilmente.

VARSOVIA, 3 Ottobre 1571.

Alle dui di Vostra Signoria Illm̃a et Rm̃a delli 29 Agosto et primo Settembre in risposta dico che volentieri dismetto li pensieri di andare in Moscovia, et Sua Santità dal libro mandato alli 19 Settembre cognoscerà veramente la fierezza et barbarie et inhumana natura di quel tiranno, et per non ci havere da parlare più oltre, mando con questa lo intero del negociato fin adesso dal giorno che giunse il Pagliarino, et quanto verrà da quel Principe tutto avviserò, come haverei fatto per homo a posta avanti mi fossi misso in viaggio, se fosse venuta la risolutione da quelle parti come accennai di volere fare nelli negotii delli 8 di Agosto, se ben non haveva questa mente di Sua Beatitudine, per la quale fino di qua con humilissima veneranza ne li bacio li Santissimi piedi, et vedo che si verifica, magni motus tardi et incerti motus, et in magnis voluisse sat est.

Conto di spese fatte per il viaggio et altre cose per il Mosco, acciò si facesse Catholico, Ottobre 1571.

Promisso per mezzo del Pagliarino a quel sacerdote alla sua tornata honorato viatico et spese fatte nel viaggio.

Prestato al secondo che v'andò con reiterar le lettere et libri Ungari due cento cinquanta, che non morendo non vi si perderà niente.

Per far tradurre il ragionamento del Mosco con un ministro heretico di rutheno in polacco et sua scrittura Tallari sei.

Per farlo tradurre di polacco in latino cortesie donate.

Per far tradurre il libro mandato sopra la natura del Mosco in latino di polacco cortesie donate.

Per il libro polacco havuto fatiche et sudori et oblighi

Per stampar contro la confessione Sandomiriense et suoi articuli, li quali quel Ministro voleva persuadere al Mosco, come fede Catholica per inviarli in quelle parti, oltre il giovar quà assai assai, si è speso utilissimamente fiorini centoventi.

Per legature et libri mandati in Moscovia fiorini quattordeci.

Per cochi da viaggio, carretti et lisse, coperte di panno rosso di detti cochi et altre minutie per mettersi in ordine in ogni caso sbattuto, li due terzi che calculo se ne cavi a rivenderli alla mia partita, potrà importar il danno fiorini cinquanta in sessanta.

VARSOVIA, 28 Novembre 1571.

Non mancherò di far intendere come quel Duca Magno fratello del Re di Dania, che con le forze del Mosco si intitulava Re di Livonia, è entrato in sospetto con il Mosco, et sene è fuggito con haver brugiato un castello che il Mosco li haveva dato per investitura di detto titulo del Re di Livonia.

Et inoltre che certi Capitani Thedeschi di detto Duca Magno hanno tentato di volere impatronirsi di un castello del Mosco chiamato Torbato, latine Derptum, con occisione di molti Moscoviti; ma sono stati ributtati gagliardamente dalla artigliaria. Onde sua Maestà vien libera dal timore che haveva di questo Magno con il caldo del Mosco per conto della Livonia.

Dirò anche che il Re di Dania ha rattenute circa cinquantacinque nave cariche di varie mercantie, che venivano a Gedano, la qual cosa per esservi molti grandi interessati sarà o principio di rottura aperta o occasione di quietare con questo Re.

Ostrovia, 12 Agosto 1572.

Ringratio il Signor Dio in questa revolutione del regnio che alla fine questo giorno delli XII. di Agosto in fine del desinar mi trovo una sua del 27. di Luglio, che stava in grandissimo fastidio per le voci che correvano di piu cose che concludevano, che era stata con dui monita, che dovesse seguitare il suo viaggio verso Vienna et uscir del regnio, sì perche era spedita da Sua Maestà, sì perche era già presso alle confini, fructus haereticae temeritatis quae nescio quomodo sibi usurpat iurisdictionem monendi. Haec nostra tempora ferunt, benedetto sia il Signor in ogni cosa, qui dabit his quoque finem.

In risposta della sua le dico che io non sono presentialmente mai stato alla corte, ma si bene havuto persona che di continuo mi ha dato avviso di piu cose. Sono stato in Rasni, di lì per fuggir la peste in Bosciovia, et di lì in Ostrovia fuori della terra dove è scoperta hieri la peste. Et partirò per Viscova, et per cio non ho ricevuto alcuno plico di Roma da quel servitor Vais del Montelupi, nè da altri che dalla morte del Serenissimo, nè in qua ne verbum quidem ab Urbe, tutto per avviso.

Le tengo grandissima compassione, imperò per varios casus per tot discrimina rerum tendimus in Latium. Tenghino insidie e spie a lor possa alle lettere non troveranno cosa indegna di gentilhuomo, et volentieri il medesimo farei io che lei di mandar le lettere aperte, purchè le lassassero passare. Iddio perdoni alla negligenza di chi lassa pigliar questi ardiri indegni di essere uditi. Dico (se pur togliessero anche questa) indegni della nobil creanza Polacca, egregiam vero laudem et spolia ampla refertis. Non si pensa che al bene et alla tranquillità et quiete loro et s'adombrano senza causa, sed candor illaesus, et ipsi in hisce actionibus nobiscum tacite erubescent.

Che non habbi ricevute da me lettere se non delli 9 di questo passato di Luglio, io ne sto sospeso, havendone scritte molte indrisate alli Soderini, et dopoi non havendo alcuna risposta inviate a Vienna per via dell'Amb. Ciro per la strada di Vradislavia che alla fine a suo tempo li dovranno capitare.

Hora che so dove si ritrova, che mai l'haverci giudicato. Come feci ad hoggi con messi a posta scognosciuti mi ho governato. Così (quando saprò cosa di momento) non mancherò spedirli a posta che per altre vie non ci vedo rimedio.

Non voglio celarli che so di buon luogo che il Rm̃o di Cuiavia ha scritto lettere in Lithuania eshortatorie pro Moscho et Prussiae Duce, io le tengo per tentatrici, perchè il zelo della religione di tanto huomo non mi lassa credere simil cosa. Et il medesimo dicono de Palatino Siradiensi, del quale io mi risolverei aspettar il martirio più presto che credere simil cose. Però lei con la sua prudenza et destrezza et vigilanza si servi dello avviso ad bonum finem.

Quando vederò il Signor Duca di Olica, farò quanto Vostra Signoria Illm̃a et Rm̃a mi commette et non doverà passare molto.

La conventione generale anderà in lungo, cosa che non può parturir bene alcuno se non mi inganno, et voglia Iddio che a Ottobre sia il principio.

Le suoi mele ha inviate il signor Scolastico di Knissino con lettere delli 9 di Agosto.

So che il Rm̃o Confirmato di Cracovia suplisca, imperò li includo quel tanto che ho io dalla Corte da persona fidata, per essere più presto superfluo che inofficioso. Dolendomi meco stesso che li tempi portino che le miei lettere non siano capitate, et che di Roma non habbi lettere alcune, et quel masso non sia capitato di quel Vais servitore del Montelupi che doveno esser delli 8 di Giugno, come capitorno a lei le suoi con l'ordine del fermarsi in regnio. Ma mi consolo con la partenza alla quale esorto anche lei se pur ne havesse bisognio che non credo. Forsan et haec olim meminisse iuvabit.

È stato fatto certi epitaffii per il sepulcro di Sua Maestà per scolpirci quello più piacerà, ne le mando copia per trattenimento.

È anche stato fatto non so che pronostico, et ne le mando copia.

Del Confirmato Cracoviense li scrissi a pieno, quantum conquerebatur de Canonicatu Ossoschi dato, et che cosa dicesse che doverà alla fine haver le lettere.

La Barbara fu carcerata in Visna, et intraprese molte lettere dal nuovo Palatino di Lublino Maczioschi che scopriranno qualche cosa, et la Susanna Lythuana anche è prigione, per avviso et trattenimento di leggere. La Serenissima Infante si partì di Clovia per Plosca dove deve esser giunta et sta bene della sanità.

Di gratia Vostra Signoria Illm̃a et Rm̃a se può facci qualche officio per rinvenire quel plico di Roma con le scripture per me che erano cose di momento.

Io cercho di salvarmi dalla peste, et domani scappo di quì per Viscova che essendo scoperta la peste in Ostrova facilmente potria venir fuora. Potrà Vostra Signoria Rm̃a et Illm̃a occorrendo inviar le lettere al Rm̃o di Plosca che è in Gurki vicino a Pultovia rinchiuso per la horrenda peste scoperta in Pultovia, dove non mi sono risoluto potermi securamente ritirare. Saria ita in Gheieso, ma la peste che vi è mi ha sgomentato oltre l'alloggiamento di una stalla spirimale vicino circa 2 leghe di un piovano che trovo, non vi starò un par di giorni, che è stato dopoi la morte il Rm̃o Vicecancigliere che me la ha messa in consideratione. Capiam consilium in arena.

Il P. Scarga che è quì meco et predica di luogo in luogo con frutto, mi dà le alligate et ne le raccomanda a suo tempo. Io desidero essere raccomandato al signor Iustiniano secretario, et Spinola, et al signor medico che aspetto le mie ricette pro conservanda sanitate, et al signor Auditor se vi è più. Et le prego ogni felicità et contentezza raccomandandomi a Vostra Signoria Rm̃a et Illm̃a con tutto il cuore et pregandole ogni bene.

In questo punto mi trovo avviso in Cracovia da persona a posta che tutte le altre lettere inviate a Vostra Signoria Rm̃a per Cracovia parlando in generale so che sono appresso il Montelupi.

Item che alli 2 di Agosto era giunto il signor Ambasciator Podoschi con portar seco molti spacci di Vienna che dormivano, tra le quali vene era per me; ma non si sono mandate, perchè li Montelupi sono comandati che tutte le lettere si rappresentino in Castello, havendolo fatto sono state rattenute dicendo che loro stessi le spediranno. Così ci doveva essere per lei anchora. Io mene sono per risentire, et se bene vana est sine viribus ira, non di manco è cosa stranissima veder chi intraprende la iurisditione del Regno, dabit Deus his quoque finem. Di Ostrovia ex Curia Regia alli xii. Agosto 1572. alle 21 hora.

Di V. S. Illustrissima et Reverendissima

Affm̃o et devm̃o et obbligm̃o servitor
VINCENZO DAL PORTICO Nuntio Apostolico.
Nuntiatura Poloniae Tom. IV. fol. 7 et 81.

INDEX VIRORUM ET LOCORUM PRAECIPUORUM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

R.

S.

T.

U.

V. W.

X.

Z.

NIHIL OBSTAT

Pius Canonicus Delicati Censor Theologus deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Magister.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi-Bussi Archiep. Iconii Vicesgerens.